# MARTYROLOGII HISPANI

## Tomus Quartus.

# MARTYROLOGII HISPANI
# Tomus Quartus.

# ANAMNESIS,

SIVE

# COMMEMORATIONIS

## SANCTORVM HISPANORVM,

PONTIFICVM, MARTYRVM, CONFESSORVM,
Virginum, Viduarum, ac Sanctarum Mulierum,

*AD ORDINEM, ET METHODVM*

## MARTYROLOGII ROMANI,

QVO VTITVR ECCLESIA CATHOLICA;

*AVCTORE*

D. IOANNE TAMAYO SALAZAR,
V.I.C. Preſbytero Ilipenſi Bituri-Turdulo, ac Illuſtriſſimi & Reuerendiſſimi Epiſcopi Generalis Inquiſitoris Hiſpaniæ Secretario.

## TOMVS QVARTVS.




LVGDVNI.
Sumptib. PHIL. BORDE, LAVR. ARNAVD
*M. DC. LVI.*
CVM SVPERIORVM PERM.

*DE LA LIBRERIA*
DEL REAL COLEGIO MAYOR
*Reunido de Santa Cruz, y Santa Catalina.*
Æ. C. N.

ILLVSTRISSIMO,

*ET REVERENDISSIMO DOMINO,*

AC DOMINO SVO

# D. DIDACO DE ARCE REYNOSO,

*OLIM EPISCOPO PLACENTINO, nunc Sanctæ, & Generalis Inquiſitionis Hiſpaniæ Supremi Senatus Præſidi, ac* PHILIPPO IV. *Regi Catholico à Conſiliis,*

IOANNES TAMAYO SALAZAR

*S. D. C.*

OPERIS Noſtri, quo *Sanctorum Hiſpanorum* memorias, & Acta tuis auxiliis (ILLVSTRISSIME DOMINE) aliquot *Voluminibus* colligere cœpimus, Martyrologij Romani ectypo, QVARTVM hunc ſuſcipe TOMVM, in quo Menſium IVLII, & AVGVSTI Noſtrorum Diuorum Nomina, & actiones feliciter recenſentur. Igitur in TRIBVS præcedentibus excuſis, iam mei obſequij, & tui obſeruantiam agnouiſti præcepti: cuius repetitione ſubnixus aſſiduâ, & tuæ probationis circumſpectam intueor inſtantiam, & debitum mei laboris præmium amplector. QVARTVM ergo tibi dicare non ambigam, nec tu illum recipere recuſabis. Nam cùm ſæpe myſteria tractes, & in hoc *Numero* adſit myſterium, & me offerente, & te recipiente, myſtica reſpuere religio erit. Hoc ſacra probent ſcripta: Deus olim arborum fructus QVARTI Anni omnium ſelectiſſimos iudicauit, ideóque illos eius diuino conſpectui offerendos præcepit. Quid in cauſa? *Et quia Populus Deo maturiora dicaret; & quia Deus, Populi obſequelâ, præſtantiora ſuſciperet.* Ergo QVARTI *Numeri* calculus Sacramentum *Leuit. c. 19.*

in Te recipiente, & perfectionem in Me offerente demonſtrat. En equidem (SACER FIDEI MYSTES) penſi huius QVARTI Anni fructus, & à Te expetitos, & à Me conceptos: O vtinam pro vt in *Numero* ſymbolum, in fructu reperiatur ſuauitas, & in dono commiſceatur auctoritas! Sed & aliud ſpeculor in *Numero* ad noſtræ intentionis applicationem, arcanum. RATIONALE illud, quo Legis Sacerdotes vtebantur Antiquæ, ideò erat QVADRANGVLARIS figuræ, *quòd in eo* SANCTORVM *conſtantia deſignabatur, propter* Numeri *perfectionem*. Si ergo in hoc QVATERNARIO noſtro Sanctorum HISPANORVM conſtantias, & Numeri miniſterio, & facinorum illuſtrium relatione reponimus, quid mirum ſi in manus Legis-Gratiæ Myſtarchæ, hoc noſtrum RATIONALE ſuſpendimus, & vt Numeri myſterium, & relationis virtutum eſſentia, illo auctorante, clareſcat. Suſcipe igitur (MI DOMINE) plauſu, quo adſoles, huius *Voluminis* Codicem, & eius clauſulas eruditâ animaduerſione perlege, quarum nonnullas

Exod. c. 28.

*è nigris*
*Eductas tenebris, in claſſes, ordine, certas*
*Cœpi, ſecutus, cogere,*
*Juſſa tua; & limâ paulatim eradere mendas,*
*Quæ ſe obtulere plurimas:*
*Vt nitidæ tandem, veteri rubigine terſâ,*
*Exire poſſint in manus*
*Poſcentis forſan Populi; nec te malè dignæ,*
*Nec me ſimul; ſub Nominis*
*Præſulis auſpicio tanti.*

Hinc nec mobilis vulgi ora varia pertimeſcam, nec grauium ferre Catonum abhorream cenſuram; ſi tantæ ſuper me tutelæ deueniant vmbræ, quibus Lernæa Hydra, ne dentes acuat, ne ſibila ſpiret, ne ignea colla proteruiùs erigat, facilè ſubmouebitur. Cùm virtutes, animique dotes tuæ è quibus pietatis, modeſtiæ, prudentiæ, ac doctrinæ vbique monimenta corruſcant, omnium inuidorum ora conſtringant. Quo fit, vt velut ſydus quoddam

*Hac virtute tua allecti tot carmine Vates*
*Per ſingulos fermè dies*
*Te vario accedunt, certatim læta precantur*
*Annoſque vitæ plurimos.*

Si hæc illi, quid Ego, qui ſæpius tuam ſum munificentiam ab incunabulis expertus. Ergo hocce QVARTVM *Martyrologij Hiſpanici* perpetuæ gratitudinis monumentum, quod pro confeſſoriâ, non liberatoriâ ſit tabellâ, benignus accipe, & Me, meaque *Arcis* tuæ præſidium

præſidium tueatur. Vale, & diù Viue, vt Eccleſiæ obſequia, Religioni augmentum, Ciuibus ſalutem, Tuis honorem, Extraneis ſuffragium, Omnibus iuſtitiam, & MIHI famulo tuo huiuſmodi ſacra impartiaris præcepta. Illipæ Turdulorum XII. Kalend. Decembris, Anno M. DC. LIV.

*Illuſtriſſime, ac Reuerendiſſime Domine,*

Illuſtriſſimæ Dominationis Tuæ,
Addictiſſimus Seruus,

L. IOANNES TAMAYO SALAZAR.

LECTORI

# LECTORI PRÆFATIO.

SANCTORVM Hiſpanorum *res geſtas in* TRIBVS *præcedentibus* Voluminibus ( *Lector erudite* ) *ſingulari affectione tibi perlegendas iam obtuli, & nunc* QVARTVM *Anamneſis* TOMVM *prælo meliori conflatum, æquali voluntate diuulgo , vt in illis tanquam in ſpeculum vultus tui næuos , & maculas deprehendas. Æqualis eſt etenim* Speculi, *&* Hiſtoriæ *vis ad exemplar. Nam*

Oſtendit tibi te, maculáſque ex ore repellit
Fons purus ; ſimilem dixeris Hiſtoriam.

*Maximè* Sanctorum, *nam ex ea diſcimus quid ſequendum , quid vè fugiendum. Hinc dùm horum, aut illorum, prout affecti ſumus ,* ACTIONES *aſſiduâ lectione , & iugi meditatione verſamus, quod in noſtris eſt moribus vitioſum, expungimus ; quod verò laudabile toto mentis amplectimur conatu. En igitur Menſium* IVLII, *&* AVGVSTI *Diuorum Noſtratum* Nomina, *quæ inter cæleſtes Spiritus collocata, & in Sanctorum faſtis repoſita, Nobis exempla ſuis intercedentibus virtutibus, omnibus eorum accedentibus ſuffragiis venerationem infundunt. Multa in* Notis Apodicticis *ad eorum honorem, & agnitionem, quam temporum confuſio, & Scriptorum incuria deturpauerat, ſelecta, & adhuc ſub ſilentij puluere abſcondita, patefecimus, quæ Tibi inter deuotionis ardores, imbuta eruditione Eccleſiaſticâ videbuntur. Laboris huius aſſidui penſum , quod in hiſce componendis ad tui vſum ( ô vtinam bonum! )* Voluminibus *exegimus , proculdubio potius gratitudinem, quàm calumniam depoſcit. Quinimò tunc Libelli iſti mei erunt*

Felices : ſi fortè ſinu , dextrâque benignâ
Excipis ; inuitô nec cecidere Deô.

*Sic de tua benignitate confido , vnum te pro vt in cæteris Præfationibus monens , ad debitam cautelam , & dignam obſeruationem Apoſtolicarum ſanctionum , ſcilicet:* Quod Illuſtrium Virorum, quos hoc TOMO IV. aut aliis huius Operis recenſui, aut deinceps recenſendi ſunt, geſta, virtutes, dona, & miracula, eam fidem duntaxat habere volumus, quæ ex Hiſtoria peti debet, aut Traditione : non autem eam, quæ in approbatione Eccleſiæ requiſita eſt ad publicum cultum ; præter eos , quibus aliàs ex Sedis Apoſtolicæ ſpeciali indulto , aut longiſſimi temporis ſcientiâ, & tolerantiâ eiuſdem Sedis, vel Ordinariorum id contigerit. Et ſi quando appellationem SANCTI, aut MARTYRIS, aut eiuſmodi ſubiunxerim, nequaquam ſtrictâ, & propriâ acceptione , & fundata in approbatione Canonica, & Eccleſiaſtica, quæ deſeruit ad communem cultum, & inuocationem ſumenda eſt ; ſed iuxta vulgarem notionem, quâ Seruis Dei , & Piis Viris, ratione inſtituti, vel arctioris vitæ, aut ſtudij rerum cæleſtium, etiam in carne viuentibus, ſolet accommodari ; ac proinde omne hinc periculum , & argumentum tranſgreſſionis ſubmoueatur.

*Me , Meáque omnia correctioni S. Matris Eccleſiæ Catholicæ Romanæ , ex corde ſubmitto. Hoc mi* LECTOR *te ſcire volebam, nunc ad vlteriora perge. Vale, & fruere.*

INDEX

# INDEX

## SANCTORVM, ET FESTIVITATVM, quæ in hoc Menſe IVLII continentur per Dierum curſum.


I. SANCTVS Eugenius II. Epiſcopus Toletanus. p. 10
S. Concordius Epiſcopus Toletanus. ibid.
S. Simeon Agricola Confeſſor. ibid.
II. Viſitatio B. V. Mariæ , & Elizabeth. 18
S. Vitalis Thermedenſis Mart. ibid.
S. Longinus Martyr Romanus. ibid.
S. Vrbanus Martyr Romanus. ibid.
S. Vitalis Martyr Romanus. ibid.
III. SS. Marcus , Mutianus , & Socij MM. 33
S. Tolobæus Epiſcopus Braccarenſis. ibid.
IV. S. Laureanus Epiſc. Hiſpal. Mart. 37
S. Eliſabeth Portugalliæ Regina. ibid.
S. Innocentius Martyr Romanus. ibi.
V. S. Adeodata Virgo Sanctimonialis. 50
Feſtum Dedicationis S. E. Tarraconenſis. ibid.
VI. S. Lucia Martyr Iuliobrigenſis. 58
S. Lucia Martyr Heracleenſis. ibid.
VII. S. Orentius Epiſcopus Illiberitanus. 60
S. Odo Epiſcopus Vrgellenſis. ibid.
VIII. SS. Aquila, & Priſcilla MM. Arſenſes. 86
IX. S. Anatholia Martyr Thyarenſis. 95
S. Briccius Epiſcopus Eborenſis. ibi.
X. S. Marinus Martyr Africanus. 103
S. Eulaliæ Barcinonenſis Tranſlatio. ibid.
S. Philippus Martyr Romanus. ibid.
S. Leontius Mart. Nicopolitanus. ibi.
XI. S. Benedicta Virgo, & Mart. 107
S. Abundius Martyr Cordubenſis. ibid.
XII. S. Martiana Virgo , & Mart. Toletana. 111
SS. Proculus , & Hilarion Serpenſes MM. ibid.
XIII. S. Maximilianus Epiſc. Calagurritanus. 120
B. Bernardus , & Socij Scalabitani Confeſſ. ibid.
XIV. S. Phocatus Lucenſis Epiſcopus. 122
S. Iuſtus Martyr Romanus. ibid.
Feſtum Dedicationis S. E. Abulenſis. ibid.
XV. S. Epœnetus Epiſcopus Sexifirmij. 131
S. Liberatæ Seguntinæ Tranſlatio. ib.
XVI. Feſtum Triumphi S. CRVCIS. 135
S. Siſenandus Martyr Cordubenſis. ibid.
S. Diodonus Martyr Campanus. ibid.
Feſtum Dedicationis S. E. Segobienſis. ibid.
XVII. S. Sixtus Mart. Celtanenſis. 153
SS. Speratus , & Socij Carthaginenſes MM. ibid.
XVIII. S. Margarita Virgo & Mart. 157
S. Gudenis Virgo, & Mart. ibid.
S. Philaſtrius Epiſcopus Brixianus, Confeſ. ibid.
XIX. SS. Iuſta, & Ruffina VV. MM. Hiſpalenſes. 163
S. Aurea Virgo Mart. Cordubenſis. ibid.
S. Braulionis Corporis Inuentio. ibi.
XX. S. Liberata Virgo Mart. Amphilochiæ. 176
S. Maiorianus Epiſc. Toletanus. ibid.
S. Paulus Martyr Cordubenſis. ibid.
S. Columb. V. M. Conimbricenſis. ibi.
S. Margarita V. M. Romana. ibid.
Feſtum dedicationis S. E. Burgenſis. ibid.
XXI. S. Felicianus Mart. Cordubenſis. 193
S. Victor Mart. Maſſilienſis. ibid.


é S. Pra

S. Praxedis Mart. Maioricenſis. ibid.
XXII. S. Tactus Epiſcopus Ilerdenſis. 200
XXIII. SS. Apollonius, & Eugenius MM. 202
S. Seculina Virgo ſanctimonialis. ibid.
XXIV. SS. Victor & Socij MM. Emeritenſes. 206
S. Dictinius Epiſcopus Aſturicenſis. ibid.
XXV. S. IACOBVS Apoſtolus. 212
S. Chriſtophorus Mart. Lyciæ. ibid.
S. Cucuphas Mart. Irienſis. ibid.
S. Cucuphas Martyr Barcinonenſis. ibid.
S. Theodomirus Abbas, & M. Cordubenſis. ibid.
S. Chriſtoforus Mart. Romanus. ibi.
XXVI. S. Annæ feſtum in Hiſpania. 256
S. Euphemia V. M. Obobrigenſis. ibid.
S. Vrſus Epiſcopus Pacenſis. ibid.
S. Iacinthus Mart. Romanus. ibid.
XXVII. SS. Iuliana, & Sempronia VV. MM. 265
SS. Georgius, Aurelius, Sabigotho, Felix, & Lilioſa Mart. Cordubenſes. ibid.
S. Pantaleo Mart. Nicomediæ. ibid.
S. Aurelius Mart. Romanus. ibid.
XXVIII. SS. Paulus, & Helladius MM. 283
S. Vrſus Abbas Lucenſis. ibid.
XXIX. S. Seraphina Virgo Mamienſis. 287
S. Eugenius Martyr Romanus. ibid.
S. Flora Virgo & Mart. Rom. ibid.
S. Beatrix V. & M. Romana. ibid.
S. Lucilla, & Socij Mart. ibid.
XXX. SS. Abdon, & Sennen Mart. 291
S. Godinus Epiſcopus Braccarenſis. ibid.
S. Theodomirus Epiſcop. Calagurritanus. ibid.
S. Oſtanus Epiſc. Aucenſis. ibid.
XXXI. S. Ignatius Loyola Societ. IESV Patriarcha, & Fundator. 300
S. Proſperus Martyr Rom. ibid.


SANCTORVM

# SANCTORVM NOMINA quorum ACTA exprimuntur in hoc Menſe IVLII Alphabeticè.


A

ABDON Martyr. 291
Abundius Martyr. 107
Adeodata Virgo. 50
Anatholia V. & M. 95
Anna Mater Deiparæ. 256
Antinogenes Mart. 206
Apollonius Mart. 202
Aquila Mart. 86
Aurea V. & Mart. 163
Aurelius Mart. 265
Aurelius Mart. 265

B

BEatrix V. & Mart. 287
Benedicta V. & Mart. 107
Beſſia Mart. 153
Bernardus Confeſſor. 120
Brauli Epiſcopi Tranſlatio. 163
Briccius Eborenſis Epiſcopus. 95

C

CHriſtoforus Mart. Lyciæ. 212
Chriſtoforus Mart. Romanus. 212
Columba V. & Mart. 176
Concordius Toletanus Epiſcopus. 10
Cucuphas Irienſis Mart. 212
Cucuphas Barcinonenſis Mart. 212
Cyrinus Mart. 153

D

DEdicatio S. E. Tarraconenſis. 50
Dedicatio S. E. Abulenſis. 122
Dedicatio S. E. Segobienſis. 135
Dedicatio S. E. Burgenſis. 176
Dictinius Epiſcop. Aſturicenſis. 206
Diodorus Mart. 135
Dionyſius Mart. 287
Donata Mart. 153

E

ELiſabetha Vidua. 37
Epenetus Epiſcopus. 131
Euphemia V. & Mart. 256
Eugenius II. Toletanus Antiſtes. 10
Eugenius Mart. 202
Eugenius Mart. 287

F

FElicianus Mart. 193
Felix Mart. 265
Flora V. & Mart. 287
Flora V. & Mart. 287

G

GEorgius Mart. 265
Goddinus Braccarenſis Epiſc. 291
Gudenis V. & Mart. 157

H

HElladius Mart. 283
Hilarion Mart. 111
Hyacinthus Mart. 256

I

IACOBVS Apoſtolus. 212
Ignatius Loiola. 300
Innocentius Mart. 37
Iuliana Mart. 265
Iuſta Virgo, & Mart. 163
Iuſtus Mart. 122

L

LAureanus Epiſcop. Hiſpal. Mart. 37
Leontius Mart. 103
Liberatæ V. M. Tranſlatio. 131
Liberata V. & Mart. 176
Lilioſa Mart. 265
Longinus Mart. 18
Lucia Mart Iuliobrigenſis. 58
Lucia Mart. Heracleenſis. 58
Lucilla V. & Mart. 287

M

MArcus Mart. 33
Margarita Mart. 176
Marina V. & Mart. 157
Marinus Mart. 103
Maiorianus Toletanus Epiſc. 176
Martiana V. & Mart. 111
Maximilianus Epiſc. 120
Mutianus Mart. 33

N

NAthalius Mart. 153

O

ODdo Epiſcop. Vrgellenſis. 60
Orentius Illiberitanus Epiſc. 6

Oſtanus Epiſc. Aucenſis. 291

P

PAntaleon Mart. 265
Paulus Mart. 33
Paulus Mart. 283
Paulus Mart. 176
Philaſtrius Epiſcop. 157
Philippus Mart. 103
Phocatus Epiſcopus. 122
Praxedis Virgo. 193
Priſcilla Mart. 86
Proculus Mart. 111
Proſperus Mart. 300

R

RVffina V. & Mart. 163

S

SAbigotho Mart. 265
Seculina Virgo. 202
Secunda Mart. 153
Sempronia Mart. 265
Sennen Mart. 291
Seraphina Virgo. 287
Simeon Agricola. 10
Siſenandus Mart. 135
Sixtus Mart. 153
Speratus Martyr. 153
Stercatius Mart. 206

T

TActus Ilerdenſis Epiſc. 200
Theodomirus Abbas. 212
Theodomirus Epiſcopus. 291
Tolobæus Epiſcopus. 33
Tranſlatio Sanctæ Eulaliæ Barcinonenſis. 103
Tranſlatio S. Braulionis. 163
Triumphus S. Crucis. 135

V

VIctor Mart. 193
Victor Mart. 206
Viſitatio B. Virginis. 18
Vitalis Mart. 18
Vitalis Mart. 18
Vrbanus Mart. 18
Vrſus Epiſcop. Pacenſis. 256
Vrſus Abbas Lucenſis. 283
Wilgefortis. V. Mart. 176

INDEX

# INDEX

## CHOROGRAPHICVS SANCTORVM, & Feſtiuitatum huius Menſis Ivlii.

*ABVLA.*

FEstvm Dedicationis S. E. Abulenſis. 122

*ALCAVDETVM.*

S. Leontius Mart. Romanus. 176

*AMPHILOCHIVM.*

S. Marina, ſeu Margarita V. & Mart. 157
S. Vvilgefortis ſeu Liberata V. & Mart. 176

*ARSA BETVRIÆ.*

SS. Aquila, & Priſcilla coniuges Mart. 86

*ARVNDA.*

S. Chriſtoforus Mart. Romanus. 212

*ASTVRICA.*

S. Dictinius Epiſcopus Aſturicenſis. 206

*AVCA.*

Dedicatio S. E. Aucenſis, & Burgenſis. 176
S. Octanus Epiſcopus Aucenſis. 291

*BARCINO.*

Tranſlatio S. Eulaliæ V. & Martyris. 103
S. Cucuphas Mart. 212
SS. Iuliana, & Sempronia VV. & Mart. 265

*BEATIA.*

S. Iuſtus Mart. 122
S. Hyacintus Mart. Romanus. 256

*BRACCARA.*

S. Godinus Epiſcopus Braccarenſis. 291

*BVRGIS.*

Dedicatio S. E. Burgenſis. 176
S. Oſtanus Epiſcopus Aucenſis. 291

*CÆSARAVGVSTA.*

S. Benedicta Virgo, & Mart. 107
Tranſlatio S. Braulionis Epiſcopi. 163

*CALAGVRRIS.*

S. Simeon Agricola Confeſſor. 10
S. Theodomirus Epiſcop. Calaguritanus. 291

*CAPARRA.*

SS. Marcus, Mutianus, & Socij MM. 33

*COMPLVTVM.*

S. Vitalis Martyr Thermedenſis. 18

*CONIMBRICA.*

S. Columba Virgo, & Mart. 176

*CARTHAGO SPARTARIA.*

SS. Speratus, & Socij Martyres. 153
S. Gudenis Virgo, & Martyr. 157

*CORDVBA.*

S. Abundius Mart. Cordubenſis. 107

*Mart. Hiſp. Iullius.*

S. Siſenandus Mart. 135
S. Aurea Virgo, & Mart. 163
S. Paulus Diaconus Mart. 176
S. Felicianus Mart. 193
S. Theodomirus Abbas Mart. 212
SS. Georgius, Aurelius & Socij MM. 265

*EMERITA-AVGVSTA.*

SS. Victor, Stercatius, & Antinogenes Martytyres Emeritenſes. 206

*FLAVIA-LAMBRIS.*

SS. Paulus, & Helladius Mart. 283

*FLAVIOBRIGA.*

S. Victor Mart. Maſſilienſis. 193

*GERVNDA.*

S. Sixtus Mart. Gerundenſis. 153

*HERACLEA.*

S. Lucia Mart. Heracleenſis. 58
SS. Aquila, & Priſcilla Mart. Arſenſes. 86

*HISPALIS.*

S. Laureanus Epiſcopus, & Mart. 37
SS. Iuſta, & Ruffina VV. & Martyres. 163

*HISPANIA*

Viſitatio B. V. Deiparæ. 18
S. Marinus Mart. 103
Triumphus S. Crvcis. 135
S. Philaſtrius Ep. Brixienſis. 157
S. Iacobvs Apoſtolus. 202
S. Anna Mater Deiparæ. 256
S. Ignatius Loyola. 300

*ILERDA.*

S. Tactus Epiſcopus Ilerdenſis. 200

*ILLIBERIS.*

S. Orentius Epiſcopus Illiberitanus. 60

*IRIA-FLAVIA.*

S. Cucuphas Irienſis Martyr. 212

*IVLIA-MYRTILIS.*

S. Briccius Epiſcopus Eborenſis. 95

*IVLIOBRIGA.*

S. Lucia Mart. Iuliobrigenſis. 58

*LVCVS-GALLÆCIÆ.*

S. Phocatus Epiſcopatus Lucenſis. 122

*LVCVS-ASTVRVM.*

S. Vrſus Abbas Lucenſis Confeſſor. 283

*MADRIDIVM.*

S. Vrbanus Mart. Romanus. 18
S. Margarita V. M. Romana. 176
S. Proſper Mart. Romanus. 300

*MAIORICA.*
S. Praxedis Virgo, & Mart. 193

*MAMIA.*
S. Seraphina Virgo Mamienſis. 287

*MARTIA COLONIA.*
SS. Apollonius, & Eugenius Mart. 202

*MONASTERIA.*
Hortenſe. S. Lucilla, & Socij Martyres. 287
Onienſe. S. Tactus Epiſcopus. 200
Salicienſe. S. Longinus Mart. 18
S. Philippus Mart. 103
S. Eugenius Mart. 287
Scurialenſe, S. Beatrix V. & Mart. 287

*MONSLIBANIENSIS.*
S. Tolobæus Epiſcop. Braccarenſis. 33

*OBOBRIGA.*
S. Euphemia V. & Martyr. 256

*PAMPILONA.*
S. Innocentius Mart. Romanus. 37

*PAX-AVGVSTA.*
S. Vrſus Epiſcopus Pacenſis. 256

*PERPINIANVM.*
SS. Abdon, & Sennen Mart. 291

*SADACIA.*
S. Maximilianus Epiſcopus. 120

*SALMANTICA.*
S. Flora Virgo, & Mart. Romana. 287

*SCALABIS.*
B. Bernardus, & Socij Pueruli. 120

*SEGOBIA.*
Dedicatio S. E. Segobienſis. 135

*SEGVNTIA.*
Tranſlatio S. Liberatæ V. Martyris. 131
S. Liberata V. & Mart. Amphilochij. 176

*SERPA.*
SS. Proculus, & Hilarion Mart. 111

*SEXIFIRMIVM.*
S. Epenetus Carthaginenſis Epiſcop. 131

*TOLETVM.*
S. Eugenius II. Toletanus Epiſcop. 10
S. Concordius Epiſcop. Toletanus. 10
S. Adeodata Sanctimonialis Virgo. 50
S. Martiana Virgo & Mart. 111
S. Maiorianus Epiſcop. Toletanus. 176

*TARRACO.*
Dedicatio S. E. Tarraconenſis. 50
S. Orentius Epiſcopus Illiberitanus. 60

*THYAR.*
S. Anatholia Mart. Thyarenſis. 95

*VALENTIA IN EDETANIS.*
S. Diodorus Mart. Romanus. 135
S. Chriſtoforus Martyr Lyciæ. 212

*VICVM.*
S. Aurelius Mart. Romanus. 265

*VILLA-NOVA INFANTIVM.*
S. Vitalis Mart. Roman. 18

*VLYSIPPO.*
S. Eliſabetha Regina Vidua. 37
S. Pantaleo Mart. 265

*VRGELLA.*
S. Oddo Epiſcopus Vrgellenſis. 60

*ZAMORA.*
S. Seculina Sanctimonialis. 202

## *APPROBATIO DOCTORVM.*

PERLVSTRAVIMVS *Anamneſim ſeu Commemorationem Sanctorum Hiſpaniæ*, editam in lucem ab Eruditiſſimo Viro D. D. Ioanne Tamayo Salazar I. V. C. Illipenſi Presbytero, in qua Nos infrà ſcripti in Sacra Facultate Pariſienſi Doctores Theologi omnia curioſiſſimè ſelecta, Eccleſiæ vtilia & orthodoxæ doctrinæ conformia iudicauimus, hac die 28. Ianuarij 1651.

F. FRANCISCVS LORNET, *Ordinis Prædicatorum.*
F. PAVLVS LOMBARD, *Carmelitarum Lugdunenſium Prior.*

## *PERMISSIO.*

VIſa Doctorum Approbatione, Ego infrà ſcriptus Regio nomine non impedio, quin hic Liber à *Philippo Borde, Laurentio Arnaud, & Claudio Rigaud*, Bibliopolis Lugdunenſibus excuſus in publicam lucem prodeat, cum defenſione, tali caſu requiſita, & ſolita. Actum Lugduni 30. Ianuarij 1651.

LORIN.

## *CONSENSVS.*

ITA & me non diſſentiente fiat. Lugduni die 30, Ianuarij 1651.

SEVE.

SCRIBEN

SCRIBENTIVM IMAGINES in Librorum limine præfigi, & honeſtas, & neceſſitas perſuadet, vt ſicut Codicibus fruitur per quos erudiatur, ita effigies eorum, à quibus docetur, ad viuum delineatas, ſeculum conſequatur.

*Philoſtrat. in Vit. Apollin.*




*Petrus de Villafranca ad viuum delineauit. et ſculpſit Madridi. Ann. 1650.*

*Corporis eſt iſthæc præclari forma* TAMAYI:
*Effigiem Mentis docta camæna dabit.*
*Jllam ſi quæris, placidam in compagine frontis*
*Jnuenies normam, quòd venereris eam.*
*Jſtam ſi inquiris Sex volue Volumina Diuûm,*
*Jn quibus Ingenij grandis acumen ineſt.*
*J. T. S. A. D. D.*



# IVLIVS.

MENSIS huius Nomen ex primæua conſtitutione QVINTILIS extitit, quia inchoante Anno, Menſe *Martio*, quem *Romulus*, Anni principium fecerat, is QVINTVS ab eo fuit: Quo etiam nomine poſtmodum fuit vocitatus, licet *Numa Pompilius* duos *Ianuarium*, & *Februarium* in Anni exordio addiderit Menſes, vt Macrobius *lib. 1. Saturnal. c. 12.* teſtatur, his verbis: *Sequitur* IVLIVS, *qui cùm ſecundùm* Romuli *conſtitutionem* Martio *Anni tenente principium*, QVINTILIS *à numero vocaretur nihilominus tamen etiam poſt præpoſitos à* Numa *Ianuarium, ac Februarium, retinuit nomen, cùm non videretur iam* QVINTVS *eſſe, ſed Septimus*. A quo Roſinus *lib. 4. Antiquit. Roman. c. 11.* & cæteri ſcribentes vt *Paulus Manutius*, & Lylius Gyraldus *de Menſibus*. *Quintilis primò vocatus.*

POSTMODVM *Iulio* Cæſare Romanæ vrbis imperium inuadente, Anno Vrbis Conditæ DCC. IX. cùm illi plurimos Populus impartiretur honores, inter alios quòd hic Menſis IVLIVS vocaretur decreuit, eo quod *IV. Idus* ipſius Cæſar procreatus fuiſſet. Macrobium eodem *c. 12.* auſculta: *Sed poſtea in honorem* Iulij Cæſaris *Dictatoris, legem ferente M. Antonio, M. filio, Conſule,* IVLIVS *appellatus eſt, quod hoc Menſe, ad* IV. Idus Quintiles, *Iulius procreatus ſit*. Conueniunt Sueton. Tranquil. *de Cæſaribus in Iul. Cæſar. c. 76.* Dion Caſ. *Hiſtor. Roman. lib. 44.* Plutarch. in *Vit. Num.* Cenſorinus de *Die Natal.* Roſinus, Gyraldus, & Baptiſta Maſcul. in *Encom. Sanctor.* *Quare Iulius?*

ERAT Menſis iſte ab Antiquis Ethnicis IOVI Deorum Maximo dicatus, in cuius tutela poſitus XXXI. dierum ſemper fuit: quia licet *Cæſar* Anni formam, à *Numa* conſtitutam mutauerit, addens aliquibus Menſibus Dies, huic & aliis priſtinum ſtatum ſeruauit, quòd ſatis pleno erant numero dierum, vt notauit Roſinus *d lib. 4 c. 1. fol. 329.* *Quot dies habeat?*

FVIT & eſt ſemper Agricolis ſpectabilis, quia in eius ſpe viuere videntur, eo quod iſte Menſis eſt, qui eorum labores opimâ meſſe demulcet. Ita ille. *Agricola ſpes.*

*Granum* IVLIVS *aridis flagello*
*E ſpicis quatio coquente Sole.*

Quia cùm IVLIVS Æſtatis ſit medius Menſium ſegetes caloris ariditate maturat; hinc Meſſis adeſt, & Agricola voti plenus ſata congerit ſomni, & cibi plenè oblitus. Tunc

*Fluctuat in grauido culmine Meßis agro.*
*Tunc Cererem campis lectam ſitientibus Æſtas*
*Condit, & aggreſtas area tundit opes.*

SED & hominum ſaluti nocentiſſimus Menſis experitur, niſi documentis medicinalibus quæ paſſim ab eruditioribus referuntur, vtamur. Sic *Chrythæus*: *Saluti nocens.*

*Mart. Hiſp. Iulius.* A *Omnia*

*Omnia nunc ardent, nunc eſt calidiſsimus Annus;*
*Vita igitur Cypriæ feruida ſacra Deæ.*
*Intactæ maneant venæ; fuge balnea & æſtus;*
*Et tibi ſit ſomni parua, breuiſque quies.*

Ferè eadem documenta Ioachimus Camerarius in ſuis *Diſtichis de Ratione Victus* expreſſit hiſce carminibus:

*Aëris igniſluos intendit* IVLIVS *æſtus:*
*Hoc breuior ſomno tempore danda quies.*
*Balnea vitentur: nec venam tangere ferro,*
*Nec Dominæ petulans accubuiſſe velis.*

*Breuiaria.* In aliquibus *Breuiariis* vetuſtiſſimis *Hiſpaniæ* paſſim in *Kalendario* vniuſcuiuſque Menſis conſueuit Typographorum curioſitas quatuor carmina ſubiicere, quæ temporis qualitatem, ſaluti neceſſaria, & Agricultorum officia exprimerent. Sic *Segobienſe*:

IVLIVS *& medicos vitat; retinétque cruorem;*
*Vinaque miſce aquis; falci reſecatur auena;*
*Et prociſſa prius iteratur terra; ſerantur*
*Cepullæ; vaccas iuuat & ſubmittere tauris.*

In alio etiam peruetuſto S. E. *Dertoſenſis*, Principatus *Cathaloniæ*, aliud ſimile Carmen reperitur, vbi breuiter Leoninis verſibus hæc documenta leguntur:

*Qui vult ſolamen* IVLIO, *hoc probat medicamen:*
*Venam non ſcindat, nec ventrem potio lædat;*
*Somnum compeſcat; & balnea cuncta paueſcat;*
*Prodeſt recens vnda; allium cum ſaluia munda.*

Plura alia in aliis reperiuntur; ſed breuitatis cauſâ illa omittimus, ne in *Lectoribus* fuſtidium generemus.

*Varia Nomina à Nationibus.* MENSIS huius à diuerſis Nationibus variè Nomen concipitur: hinc provt inſtituti ratio poſtulat, Gentium Nomina IVLIVM exprimentia ſubiicere conabimur: Hebræi, & Syri TAMVZ. Chaldæi, & Ægyptij MESORI. Abiſſini EPIP. Græci METAΙΓΕΙΤΝΙΩΝ. Macedones ARTEMISIOS. Cypri ANTOCRATORICOS. Perſæ MEHAR. Arabes, & Sarraceni RIGIABV. Carolini HEVVMONAT. Faſti veteres HOVVET. Alemani HEVVMONAT. Belgici HONMAENT. Cymbrici HONMAANET. Bithyni BENDIGEOS. Capadoces TETHVSIA. Itali IVGLIO. Galli IVILLET. Hiſpani IVLIO. & Angli IVLIE. His igitur ſic prælibatis ad Romanorum, & Græcorum faſtos gentilicâ obſeruatione cultos, deuenio.

I. *Annuæ locationes domorum.* KALENDIS IVLII. Quia hoc die nulla erat in *Veteri Kalendario* Romano adnotata feſtiuitas, aliqui meminére antiqui illius moris, quo Romani hiſce *Kalendis* Annuas locationes domorum repetebant, de quibus videndi Iuris Interpretes in *l. cum in plures* 60. *D. de locat. & conduct.* Anton. Auguſtin. *lib.* 4. *Emendat. c.* 14. Sueton. de *Cæſarib. in Tiber. c.* 35. vbi Beroaldus, Torrentius, & alij. Cicero *lib* 2. *Epiſtol.* 3. *ad Q. Frat.* & alij apud Roſin. *d. c.* 11.

*Triumphus de Samnitibus.* Hoc etiam Die celebris fuit Romæ Triumphus *C Sulpitij Longi* Coſ. qui de *Samnitibus* ad Annum Vrbis Conditæ CCCC. XXXIX. opimis ſpoliis onuſtus verbum ingreſſus eſt; vt ſunt teſtes Goltzius in *Faſt. Triumphal. Ann.* 439. Maſcul. in *Encom. SS fol.* 287.

IN



IN veteri *Kalendario* apud Reuſnerum hodie etiam ſignantur apud Athenienſes Feſta *Methagitnia* in honorem Apollinis: quorum originem refert Plutarch. *de Exil.* à quo Lyl. Gyrald. *de Diis Gent. Syntagmat.* 7. & 17. *fol.* 689. Hinc Apollo Μεταγειτνῖος dictus, & iſte Menſis ſimili vocabulo apud Græcos appellatus. *Methagitnia feſta Apollini.*

VI. NON. IVLII. Gentilibus ater Dies, vt in *Kalendariis Veteribus* Romanorum. In Aſtronomicis priſci ſeculi conſignatur: *Obſcurum aſtrum*, quo Auſter flat, ſiue Fauonius. In veteri Pontificio Romano, refertur: *Grauidis feſtus Dies; Piſtorum ientaculariorum Feriæ; Sacrum eorundem; Fœdus Pontificis cum Cæſare, & preces publicæ.* In Kalendario Ruſticorum ſic in Marmore Quadrato de hoc Menſe Inſcriptio: II. *Variæ Feſtiuitates.*

IVLIVS
DIES XXXI. NONÆ
SEPTIMAN.
DIES XIIII. NOX. HOR.
VIIII.
SOL. IN. CANCRO.
TVTELA IOVIS.
MESSES HORDIARVM.
ET FABARVM.
APOLLINARIVM.
NEPTVNAL.

Quæ omnia continentur in relatis *Kalendariis* apud Reuſnerum in *Diar. Hiſtor.* III.
& alibi.

V. NON. IVLII. Apud Romanos nihil; ſed apud Græcos *Minerua* Sapientiæ Dea colebatur, eo quod Tertium Diem vniuſcuiuſque Menſis ipſi dedicarunt. In *Kalendario Aſtronomico* priſci ſeculi, hodie conſignatur: *Auſtrina Dies, & conturbatio aëris.* vt ex ipſo videre licebit apud *Reuſner.*

IV. NON. IVLII. Celebris Romæ feſtiuitas ob triumphum, quem *M. Licinius Craſſus* Proconſul Anno Vrbis conditæ DCC. XXV. ex *Thracia*, & *Getis* reportauit, vt ex *Goltzio* probat Maſcul. *vbi ſupr. fol.* 288. IV. *Triumphus Craſſi.*

III. NON. IVLII. Dies inter Ægyptiacos numeratus. Hinc *Poplifugia* ſacra, eo quod Populus fugeret, cùm olim repentino tumultu Ficulneates, & Fidenates aduerſus Romanos inſurrexiſſent. Sic M. Varro *lib.* 5. *de L. L.* his verbis: *Dies* POPVLI-FVGIA, *videtur nominatus, quòd eo Die repentè tumultu fugerit Populus, non multò enim poſt hic Dies quàm deceſſus Gallorum ex vrbe: & qui tum ſub Vrbe populi, vt Ficulneates, & Fidenates, & finitimi alij contra nos coniurarunt.* De hiſce etiam Sacris Macrobius. *lib.* 3. *Saturnal. c.* 2. iſta profert: *Piſo ait, vitulam Victoriam nominari, cuius rei hoc argumentum profert: Quod poſtridie Nonas Iulias, re benè geſtâ, cum Pridie Populus à Thuſcis in fugam verſus ſit, vnde* POPVLI-FVGIA *vocantur, poſt Victoriam certis ſacrificiis fiat Vitulatio.* Hinc vox iſthæc poſtmodum in ſacris introducta, idem ſignificat, ac ſacrum facere. Sic aliqui carmen illud 77. *Eclogæ* 3. *Maronis* V. *Poplifugia ſacra.* *Vitulatio quæ?*

*Cùm faciam* VITVLA *pro frugibus ipſe venito.*

intelligunt; vt & ipſe Macrob. *d. lib.* 3. *c.* 2 hac ſerie: *Vt* VITVLA *dixerit pro* VITVLATIONE, *quod nomen eſſe ſacrificij ob lætitiam facti, ſuperius expreſſimus.* Ideo in ſolemnibus Ludis, & inſperata priuatorum lætitiâ frequens VITVLATIO erat. Plaut. in *Perſ.*

Ioui *opulento, inclyto, Opegnato, ſupremo, valido, Viro potenti*
*Opes, ſpes bonas, copias commodanti, lubens vitulorq; meritò.*

De hoc plura apud Lil. Gyrald. *Syntagm.* 10. Iacobo Guther. *de Veter. Iur. Pont. lib.* 4. *c.* 16. Roſinum *d. lib.* 4. *c.* 11. P. Ioan. Ludou. de la Cerd. *in Not. ad Eclog. Virgil. verſ.* 77.

PRID. NON. IVLII. Hoc die in Faſtis LVDI APOLLINARES conſignantur. Celebris fuit hæc LVDORVM feſtiuitas, quâ per Dies octo ſpectabat Populus laureatus. De quorum origine T. Liu. *lib.* 25. iſta profatur: *Tunc alterum carmen* VI. *Apollinares Ludi.*

*(Martij Vatis illuſtris, & antiqui) recitatum, non eo tantùm obſcurius, quia incertiora futura præteritis ſunt, ſed perplexius etiam ſcripturæ genere.*

*Cauſa.*

*Hoſtem Romani ſi expellere vultis,*
*Vomicámque, quæ Gentium venit longè:*
*Apollini vouendos cenſeo* LVDOS:
*Qui quotannis comiter Apollini fiant,*
*Cùm Populus dederit ex publico partem:*
*Priuati vti conferant pro ſe, ſuiſque.*
*Iis* LVDIS *faciendis præerit Prætor is,*
*Qui ius Populo, plebique dabit ſummum.*
*Decem-Viri Græco ritu hoſtiis ſacra faciant.*
*Hæc ſi rectè faxitis, gaudebitis ſemper,*
*Fietque res veſtra melior; nam is Diuus extinguet*
*Perduelles veſtros, qui veſtros campos paſcunt placidè.*

*Inſtitutio.*

*Ad id Carmen explicandum, diem vnum ſumpſerunt, poſtero die S. C. factum eſt, vt Decem-Viri Libros de* LVDIS *Apollini, réque diuina facienda inſpicerent. Ea cùm inſpectâ, relatáque ad Senatum eſſent, cenſuerunt Patres, Appollini* LVDOS *vouendos, faciendóſque: & quando* LVDI *facti eſſent* XII. *Millia æris Prætori ad rem diuinam, & duas hoſtias maiores dandas. Alterum S. C. factum eſt, vt Decem-Viri ſacra Græco ritu facerent, iiſque hoſtiis Apollini Boue aurato, & capris duabus albis auratis, Latonæ Boue fœminâ auratâ.* LVDOS *Prætor in Circo Maximo cùm facturus eſſet, edixit; vt Populus per eos* LVDOS, *ſtipem Apollini, quantam commodum eſſet, conferret. Hæc eſt Origo* LVDORVM APOLLINARIVM, *victoriæ non valetudinis ergô, vt plerique rentur, votorum, factóſque Populus coronatus ſpectauit; Matronæ ſupplicauere, vulgò apertis ianuis in propatulo epulati ſunt; Celebérque Dies omni cæremoniarum genere fuit.* Et licet in hoc loco *Liuius* nihil de Die, aut Menſe, quibus hi LVDI peragerentur, exprimat, tamen poſtmodùm *Lib.* 27. omnia recenſet ſic: LVDI Apollinares Q. *Fuluio, Ap. Claudio* COSS. *à P. Cornelio Sulla Præfecto Vrbis primùm facti erant: inde omnes Prætores vrbani deinceps fecerant, ſed in vnum annum vouebant, diéque incerta faciebant. Eo anno peſtilentia grauis incidit in Vrbem, agróſque; quæ tamen magis in longos morbos, quàm in perniciales euaſit. Eius peſtilentiæ cauſâ, & ſupplicatum per compita tota Vrbe eſt, & P. Licinius Varus Prætor Vrbis legem ferre ad populum iuſſus, vt hi* LVDI *in perpetuum in ſtatam Diem vouerentur. Itaque ipſe primus ita vouit, fecitque ad* III. Nonas Quintiles: *is Dies deinde ſolemnis ſeruatus.* De his etiam Ludis ſcripſere Macrobius *lib.* 1. *Saturnal. c.* 17. Lilius Gyrald. *Syntagmat.* 7. Guillelmus Stuchius *de Sacrific. Gentil fol.* 41. Roſinus *Antiquitat. Roman. lib.* 5. *c.* 17. Tiraquel. *Genial. Dier lib.* 5. *c.* 26.

*Solemnitas.*

*Diei aſſignatio.*

VII. NONIS IVLII. Quæ & CAPROTINÆ dictæ in memoriam, & obſequium *Iunonis Caprotinæ*, cuius hiſtoriam refert Macrobius *lib.* 1. *Saturnal. c.* 11. his verbis: NONIS IVLIIS, *Diem feſtum eſſe Ancillarum, tàm vulgo notum eſt, vt nec origo nec cauſa celebritatis ignota ſit.* Iunoni *enim* Caprotinæ *Die illo Liberæ pariter Ancillæque ſacrificant ſub arbore Caprifico, in memoriam Benignæ virtutis, quæ in Ancillarum animis pro conſeruatione publicæ dignitatis apparuit: nam poſt vrbem captam, cùm ſedatus eſſet Gallicus motus, Reſpublica verò eſſet ad tenue deducta: finitimi opportunitatem inuadendi Romani nominis aucupati præfecerunt ſibi Poſtumium Liuium Fidenatium Dictatorem, qui mandatis ad Senatum miſſis poſtulauit, vt ſi vellent Reliquias ſuæ Ciuitatis manere, Matres familiæ ſibi & Virgines dederentur. Cúmque Patres eſſent in ancipiti deliberatione ſuſpenſi, Ancilla nomine Tutela, ſeu Philotis pollicita eſt ſe cum cæteris Ancillis, ſub nomine Dominarum ad hoſtes ituram: habitúque Matrum-familias, & Virginum ſumpto, hoſtibus cum proſequentium lachrymis ad fidem doloris ingeſtæ ſunt.*

*Nonæ Caprotinæ quæ?*

*Origo, & cauſa?*

Quæ



*Quæ cùm à* Liuio *in caſtris diſtributæ fuiſſent, viros plurimo vino prouocauerunt, Diem feſtum apud ſe eſſe ſimulantes quibus ſoporatis, ex arbore* Caprifico, *quæ caſtris erat proxima, ſignum Romanis dederunt, qui cum repentina incurſione ſuperaſſent; memor beneficij Senatus omnes Ancillas manu iuſſit emitti, dotemque iis ex publico fecit, & ornatum quo tunc erant vſæ geſtare conceſſit; Diemque ipſum* NONAS CAPROTINAS *nuncupauit, ab illa* CAPRIFICO *ex qua ſignum victoriæ ceperunt: ſacrificiumque ſtatuit annuâ ſolennitate celebrandum, cui lac, quod ex Caprifico manat, propter memoriam facti præcedentis adhibetur.* De hac etiam ſolemnitate, ſic Ouidius de *Art. Amand.*

*Porrige, & Ancillæ, quæ pœnas luce pependit*
*Luſa maritali Gallica veſte manus.*

Ita Lil. Gyrald. *Syntagm.* 3. *& Syntag.* 17. Iulianus Aurel. *De cognomin. Deor. lib.* 2. *c.* 1. *fol.* 163. Roſin. *lib.* 4. *c.* 11. Alex. ab Alex. *Dier. Genial. lib.* 5. *c.* 5. qui ex Plutarcho in *Vita Romul. fol mihi* 12. & in *Vit. Camilli fol.* 47. rem paulò diſſimilem enarrat.

VIII. IDVS IVLII. Solemnis hic Dies fuit apud Romanos, & lætus, ob ſacra quæ inſtituerat deuotio Gentilium Deæ *Victoriæ*, quam VITVLAM appellauere. Huius feſtiuitatis ſacra ſumpſerunt originem propter victoriam, quam Romani de Thuſcis reportarunt, vbi pæan canebatur, & hoc ſacrificium VITVLATIO dicebatur, eo quod Veteres Ethnici Victoriam VITVLÆ nomine ſint ſoliti nuncupare, Græcique *παιανίζειν* dicunt. Videnda ſuperiùs poſita ad *III. Non. Iulij* Hæc VITVLA, Dea etiam ab aliquibus Dea Lætitiæ vocitabatur, quæ frugibus præſidebat, & ideo hoc *Menſe* illi ſacra inſtituta. Ita *Macrobius, Gyraldus, Roſinus, Maſculus*, & cæteri ſcribentes. Apud Græcos vt inquit Varro OCTAVVM cuiuſque Menſis diem *Neptuno* ſacrum eſſe voluerunt, hic hocce Die in *Kalendario Veteri* conſignatur, & refert Gyrald. *Syntagm.* 5. VIII.

*Victoria Vitula quæ.*

*Dea Lætitiæ.*

VII. IDVS IVLII. Proſecutio *Apollinarium Ludorum* Romæ; nec aliqua aliâ feſtiuitate hic Dies conſignatus in *Kalendariis* conſpicitur. IX.

*Ludi Apollinares.*

VI. IDVS IVLII. Celebris Dies iſte Romanis fuit, ob Triumphum inſignem, quem de Tarentinis, Samnitibus, & Salentinis *L. Æmilius Barbula* Proconſul Anno Vrbis Conditæ CCCC. LXXIII. reportauit, vt ex *Goltzio* probat Maſculus *h. d. fol.* 291. Reuſner. in *Diario Hiſtorico h. d. fol.* 104. Item Meſſium feſtiuitas hoc etiam Die conſignatur in *Faſtis*. X.

*Triumphus.*

*Meſſium feſtum.*

V. IDVS IVLII. Continuatio *Ludorum Apollinarium*: nec alio notatur hic Dies Triumpho aut feſtiuitate in Kalendariis.

IV. IDVS IVLII. Fauſtiſſimus iſte Dies apud Romanos habitus eſt, ob *Natalem Iulij Cæſaris*, vnde & Menſi nomen inditum, vt ex *Suetonio, Macrobio, Plutarcho, Cenſorino, Dione*, & aliis recentioribus retulimus ſupra in hoc *Prolegomen. in princip. verb.* Poſtmodum.

*Natalis Iulij Cæſaris.*

III. IDVS IVLII. Quo Die LVDI CIRCENSES Romæ incipere ſolebant: ſic in *Kalendariis Veteribus* eſt: quâ de cauſa iſti LVDI peragarentur à nemine ſcriptum inuenio, niſi forte hoc Die APOLLINARES finem acciperent, eo quod Iacobus Gutherus de *Veter. Iur. Pont. lib.* 3. *c.* 18. *fol.* 338. referens per Anni circulum, Dies, in quibus olim CIRCENSES LVDI conſignabantur, Menſe IVLIO ſolùm APOLLINARES enumerat: hinc crederem, LVDOS, quos CIRCENSES appingunt *Vetera Kalendaria*, fuiſſe APOLLINARES, fortè quia hoc Die terminabantur. Hinc elicies, quod Nomen hoc CIRCENSIVM Ludorum commune fuit omnibus LVDIS, quos Roma deſignabat in CIRCO Maximo, ſiue in aliis, exercendos, & à CIRCO, quo fiebant, dicti CIRCENSES, ex aliquorum ſententia fuere: vt notarunt Onuphrius Panuinus de *Lud. Circenſ. lib.* 1. *c.* 3. Roſſinus de *Antiquit. Rom. lib.* 5. *c.* 2. & cæteri ſcriptores. Qui aſſerunt hos LVDOS primum inſtitutos apud Elidem Arcadum oppidum, poſtmodum tranſlatos Romæ à *Romulo*, & CONSVALES vocatos, à CONSO DEO, cui illos ſacrauit, tanquam Conſiliorum Numini, à quo illud, & opem in Sabinarum Virginum raptu petierat. Aſt quoniam Romulus Dei huius ſuffragio in illa coniugiorum

*Circenſium Ludorum etymon.*

*Olim Conſuales dicti.*

*Inſtitutio.*

giorum difficultate indemnis euaſit, hos LVDOS inſtituit, vt ex *Fabio Pictore, M. Varrone, Pediano, Tertulliano, Iſidoro Hiſpalenſi Noſtro & Caßiodoro* referunt *Panuinus, & Roſinus*, & probatur ex illis *Æneid. lib. 8. Virgil.* carminibus:

*Nec procul hic Romam, & raptas ſine more Sabinas*
*Conſeſſu caueæ magnis* CIRCENSIBVS *actis*
*Addiderat; ſubitoque nouum conſurgere bellum*
*Romulidis, Tatióque ſeni, Curibuſque ſeueris.*

*Ara Conſi Dei in Circo.*

Et fulcitur hæc opinio, ex eo quòd poſtmodum in CIRCO, vbi LVDI edebantur, ſub terra, iuxta primas Metas, Ara dicata fuit CONSO Deo cum hac Inſcriptione.

CONSVS. CONSILIO.
MARS. DVELLO.
LARES. COMITIO.
POTENTES.

*Neptunus Equeſtris, quis?*

Hunc Deum CONSVM ſic à Romanis appellatum, Græci ἱπποποσειδῶνα vocitabant eumque eſſe *Neptunum Equeſtrem* credebant; eiuſque Templum ab *Euandro* Arcade in Latio prope Vrbem Romam conditum fuiſſe, feſtúmque Diem ſtatutum ex Dionyſ. Halicarnaſ. *lib. 1. Hiſtor. Rom.* refert Panuin. *d c* 3.

*Circi extructor.*

SIC euenit, vt hi CONSVALES Ludi primò inuenti, Equiria, Martiales, Robigales, & eiuſmodi, vt commodius, & ſpecioſius exhiberentur, à *Tarquino* tunc primùm in CIRCO, qui poſtea MAXIMVS dictus eſt, deſignatus locus fuit; à quo omnes LVDI in eo quibuſuis Diebus, & quacumque de cauſa celebrati, CIRCENSES vocati fuere inpoſterum. De huius partibus CIRCI qui omnia ſcire deſiderat, adeat Panuinum de *Lud. Circenſ.* per totum codicem vbi delineatis imaginibus vniuſcuiuſque partis totum eius ambitum, formam, topographiam, & exemplaria, ex numis, lapidibus, & aliis antiquitatum monimentis, exponit.

*Mercurialia, & Mercatus.*

XIV. PRID. IDVS IVLII. In vetuſtis *Kalendariis* hoc die ſic notatur C.C. MERK. quod interpretatur Ioannes Roſinus *lib. 4. d c.* 1. COMITIALIS, MERCATVS. Hubertus verò Goltzius in *Explicat. Literar. Kalend. tit. 24 fol. 195. in Theſaur Antiquit.* credit legendum MERCVRIALIA, hoc eſt ſacra MERCVRIO dicata, Aſt hæc ſiue MERCATVS, ſiue MERCVRIALIA vſque ad XIV. *Kalend. Auguſti* durabant, quo LVCARIA feſta incipiebant.

*Fortuna Muliebris*

NECNON hic Dies fuit FORTVNÆ muliebri dicatus, cuius ſacra licet *Kalendis Decembris* in vetuſto *Kalendario* adnotentur, attamen vt inquit Roſinus *lib* 4. *c.* 4. poſtea in hunc Diem fuere tranſlata. Quod & notauit Dionyſ. Halicarnaſ. *lib. 8. Antiquit. Roman.* illis verbis: *Sacrificium fecere primum pro Populo Fœminæ, capiente primitias* Valeriâ, *ſuper parata in Templo Arâ, priuſquam ſacellum*, aut *ſimulacrum erigeretur*, Menſe Decembri *Anni vltimo, nouâ exiſtente Lunâ, quam Græci* Numiniam, *Romani* Kalendas *vocant. Ea enim fuit quæ ſuſtulit bellum Dies. Poſteriore verò Anno poſt primam immolationem extructum ex publicis pecuniis Sacellum, conſummatum eſt, & dedicatum Menſis* QVINTILIS ſeptimo *maximè ſecundum Lunam. Eſt enim Dies ea ſecundum Romanos* PRIDIE NON QVINT. Sed forte in Codice error eſt, & pro PRID. IDVS, ſcripſere PRID. NON. QVINT.

*Dies ſacrorum tranſlatus.*

*Sacrorum cauſa.*

HORVM Matronarum Romanarum Sacrorum cauſam, & formam ſcripſit ibidem acuratè Dionyſius *d. lib. 8. Antiquit.* Nam cùm *Coriolanus* exul bellum patriæ intuliſſet, nec armis reſiſti poſſet, nec precibus, Mulierum tamen Romanarum lachrymis placatus eſt; tunc FORTVNÆ MVLIEBRI, vt diximus, Templum extructum, & Mulieribus ſacra peragendi permiſſum; eo quòd, cùm largiri ſumptus omnes de publico in Sacellum, & in Simulacrum Senatus ſtatuiſſet; & è contra alterum Matronæ ex collatis inter ſe pecuniis erexiſſent: poſitis vnà ſimul ſimulachris ambobus, primo Dedicationis die, illud à Matronis erectum, hocce emiſit ſonum intelligibilem, & perfectum: RITE ME MATRONÆ VIDISTIS, RITEQVE DEDICASTIS, vt referunt Plutarch. *de Fortun.*



*Fortun Romanor.* Valer. Maxim. *lib.* 1. *c.* 8. *de Mirabil.* Lil. Girald. *Hiſtor. Deor. Syntagm.* 12. *in fin.* Lactant. *Lib.* 2. *de Orig. Error. c.* 8. & alij plurimi.

IDIBVS IVLII. Dies Equitibus Romanis celebris, quo, ex inſtitutione XV.
Q. *Fabij* cognomento *Maximi*, oleaginâ coronati fronde, ac trabeis, ſiue togis palmatis amicti, ex Æde HONORIS aſcendebant in CAPITOLIVM. ſic T. Liu. *Hiſtor Roman. lib.* 9. *in fin.* Valer. Maxim. *lib.* 2. *c.* 2. §. 14 Roſſin. *Ant. Roman. d. lib.* 4. *c.* 11. Huius inſtitutionis cauſam refert Maſculus *vbi ſupra fol.* 292. *num.* 15. aſſerens, hoc factum: ob inſignem victoriam in Latinos partam, cuius duo Equites cataphracti, qui Caſtor, & Pollux habiti ſunt, ſtatim nuntium Romam attulerunt. *Maſculi* ſententiam probat Dionyſ. Halicarnaſ. *lib.* 6. his verbis: *Eius mirificæ apparitionis Numinum* (Caſtoris, & Pollucis) *in Vrbe multa extant monumenta: in foro Templum* Caſtorum *publicè conſtructum, vbi viſæ ſunt eorum imagines, vicinúſque foris hic, ſacer dictus, & vſque ad noſtra tempora creditus; tùm ſacrificium ſplendidum, quod quotannis P. R. per Primarios Equeſtris Ordinis* IDIBVS QVINTILIBVS *peragit, quâ die victoria hæc illi contigit.* Formam vero deſcribit idem Halicarnaſ. *d. lib* 6. his clauſulis: *Præter omnia verò poſt ſacrificium* Tranſuectio *eorum, qui equos habent ex publico, qui per Tribus, & Centurias diſtincti, ordine in equis vehuntur omnes, quaſi è pugna redeant, coronati fronde oleagina, & togis palmatis amicti, quas vocant* Trabeas, *initio pompæ facto ex Æde Martis, quæ extra Vrbem ſita eſt, & pertranſeuntes, tùm cæteras Vrbis partes, tùm forum, Ædemque Caſtorum, nonnunquam, Quinque Virorum Millia, gerentes quidquid donorum militarium acceperunt.* Hucuſque Dionyſius. Huius etiam ritum notauit Plin. *lib.* 15. *c* 4. Sueton. in *Auguſt. c.* 38. Plura notatu digna Rebard. *lib* 2. *Var c.* 15.

*Tranſuectionis Equitum Roman. inſtitutio.*

*Cauſa.*

*Forma.*

*Adonia ſacra quæ?*

HOC etiam Die Athenis ADONIA Sacra peragebantur, ob *Adonidis* necem, quâ Venus planctu magno Græcos hocce feſtum edocuit. De eo Ammian. Marcellin. *lib.* 22. *Hiſtor. Roman. in Iuliano*, ita loquitur: *At hinc* (Iulianus) *videre properans Antiochiam, Orientis apicem pulchrum, vſus itineribus ſolitis, venit: vrbiquè propinquans, in ſpeciem alicuius Numinis votis excipitur, publicas miratus voces multitudinis magnæ, ſalutare ſidus inluxiſſe Eois partibus adclamantis. Euenerat autem ijs diebus, annuo curſu completo,* ADONIA *ritu veteri celebrari, amato Veneris, vt fabulæ fingunt, apri dente ferali deleto; quòd in adulto flore ſectarum eſt indicium frugum.* Idem Ammian. Marcellin *lib.* 19. Grumbatis Regis Chionitarum filij mortem præpoſteram, eiuſque obſequias referens, proſequitur: *Fœminæ verò miſerabili planctu in primæuo flore ſucciſam ſpem gentis, ſolitis fletibus conclamabant; vt lachrymare cultrices Venereæ ſæpe ſpectantur in Solemnibus* ADONIDIS *ſacris, quod Simulacrum aliquod eſſe frugum adultarum religiones myſticæ docent.* Quod hoc Menſe, & Die fierent Athenis hæc ſacra refert Maſculus *d. fol* 292. & Vetus Kalendarium Romanum apud *Eliam Reuſnerum.*

XVII. KAL. AVGVSTI. Dies Romanis funeſtiſſimus, & ater, ob miſeram XVI.
cladem, quam apud ALLIAM fluuium à Gallis accepere; necnon ob ſtragem apud *Cremeram* in Hetruria quâ Trecenti Fabij occiſi ſunt. Plutarch. *Quæſt. Rom.* 25. & in *Vit Camilli.* T. LIV *lib.* 5. Macrob. *lib.* 1. *Saturnal. c.* 16. Cicer. *ad Attic. lib.* 9. *Epiſtol.* 1. Hinc origo apud Romanos adoleuit, vt Dies omnes POSTRIDIE *Iduum, Nonarum*, & *Kalendarum* cuiuſcunque Menſis ATRI dicerentur, vt idem Plutarchus *d Quæſt* 25. & Macrob. *d c.* 16. referunt.

*Allienſis clades.*

*Poſtridie ater Dies.*

XVI. KAL. AVGVSTI Celebris Dies iſte apud Romanos, ob triumphum XVII.
*C. Domitij Caluini* Proconſulis ex *Hiſpania* Anno Vrbis Conditæ DCC. XVII. vt notarunt Goltzius, & Elias Reuſner. in *Diar. Hiſtor. in Polemicis h. d. fol.* 108. & Maſcul *fol.* 293.

*Triumphus Domitij.*

XV. KAL. AVGVSTI. Is etiam Dies Ater, quo *Valerius* Pontifex Romæ pa- XVIII.
rentauit *Trecentis Fabiis* in prælio apud *Cremeram* in Hetruria cæſis, Anno Vrbis Conditæ CC. LXXVII. vt ex Reuſnero, & Goltzio notauit. Maſcul. *fol.* 293. *num.* 18.

*Parentalia Fabiorum.*

XIV. KAL. AVGVSTI. Dies LVCARIIS feſtis apud Romanos in *Luco* XIX.
inter Viam Salariam, & Tyberim conſignatus. Horum feſtorum inſtitutio originem ſumpſit Anno Vrbis conditæ (vt notauit Reuſnerus in *Diar. Hiſtor. h. d. fol.* 108.)

*Lucaria feſta quæ?*

*fol.* 108.) CCC. LXXV. quo Galli Senones aduerſus Romanos dimicantes illos fugam veterunt, & Romani præ timore *Lucum* adeuntes, ibidem ſeſe occultauerunt; in cuius rei memoriam hæc feſta inſtituta ſunt, ita Feſtus, à quo Lil. Gyrald. *Syntag.* 17. & Roſſin. *d c.* 11. *fol.* 402. Aſt M. Varr. *lib.* 5. *de Ling. Lat.* horum feſtorum etymon non à *Luco*, ſed à *Luce* deprehendit; eius hæc ſunt verba: LVCARIA *item* à LVCE, *quod propter lucem amiſſam is cultus inſtitutus.* Sed Feſti opinionem ſequitur Stuch. de *Sacrific. Gentil. fol.* 59.

XX. *Ludi Victoriales, qui?* XIII. KAL. AVGVSTI. Celebris Dies apud Romanos ob Ludos VICTORIALES, quos *Iulius Cæſar* inſtituit, ob victoriam de *Pompeio* in *Pharſalicis* partam, quorum ſolemnitatem primus *Auguſtus Cæſar* celebrare decreuit, vt Sueton. in *Auguſt. c.* 10. his verbis refert: LVDOS *autem* Victoriæ Cæſaris *non audentibus facere quibus obtigerat id munus ipſe edidit.* Eadem Dio Caſſ. *Hiſt. Rom lib.* 45. videndi Caſaubon. in *Not. ad Sueton. d c.* 10. Sabellicus, Roſinus, & Maſculus.

XXI. *Natalis Mundi ſolemnitas apud Ægyptios.* XII. KAL. AVGVSTI. In *Veteri Kalendario* adhuc repetitio LVCARIORVM feſtorum conſignatur; in aliis NATALIS *Mundi* ex Sacerdotum Ægyptiorum ſententiâ præſcribitur, vt ex Solino in *Polyhiſtor. c.* 45. deprehenditur, his verbis: *Quod tempus Sacerdotes* NATALEM *Mundi iudicarunt, id eſt inter* XIII. Kalendas Auguſtas, *&* XI. *Diem.* Quo loco Ioannes Camertis in *Not. fol* 232. *lit. F.* ibi differit: *Ægyptij Sacerdotes opinati ſunt, ita fuiſſe factum in primo* Mundi NATALI, *ſicut in Ægypto annis ſingulis fieri experiebantur. In Ægypto enim*

*Vbi deſeruit madidos Septemfluus agros*
*Nilus, & antiquo ſua flumina reddidit alueo,*
*Æthereoque recens exarſit ſidere limus,*
*Plurima cultores verſis animalia glebis*
*Inueniunt, & in his quædam modò cœpta per ipſum*
*Naſcendi ſpatium; quædam imperfecta ſuiſque*
*Trunca vident humeris, & eodem corpore ſæpe*
*Altera pars viuit, rudis eſt pars altera tellus.*
*Concipiunt, & ab his oriuntur cuncta duobus.*
*Quippe vbi temperiem ſumpſere, humórque, calorque.*

*Quo tempore Natalis Mundi?* *Sic quoque in principio, cùm terra quæ tunc fuerat aquis obducta, arida apparuiſſet, multiformis in ea facta eſt generatio.* Ex qua ſententia colligitur *Mundi Originem* cœpiſſe Iulij Menſe, Die XXI. Sed contrariam opinionem tenuere Virgil. *lib.* 2. *Georg. verſ.* 336. *Sic*:

*Non alios prima creſcentis origine Mundi*
*Illuxiſſe dies, alium vè habuiſſe tenorem*
*Crediderim: Ver illud erat, Ver magnus agebat*
*Orbis, & hybernis parcebant flatibus Euri:*
*Cùm primùm lucem pecudes hauſere, Virumque*
*Ferrea progenies duris caput extulit aruis:*
*Immiſſæque feræ ſiluis, & ſydera cœlo.*

Ita vt *Natalis Mundi* fuerit Die XXI. Martij ſecundum *Virgilij* ſententiam, quam probant *Theologi*, & ſcriptores relati à P. Ioann. Ludouico de la Cerda *in Not. ad Georg. Virg. d. lib.* 2. *verſ.* 336, *num.* 26. *fol.* 338.

XXII. XI. KAL. AVGVSTI. In *Veteri Kalendario* conſignantur feſta *Neptunalia*, ſed ad Diem ſequentem ea reiicit Roſinus *d. c.* 11. licet Maſculus hoc die repoſuerit *d. fol.* 293. *num.* 22. Sed Roſini ſententiam amplector.

XXIII. *Neptunalia quæ?* X. KALEND. AVGVSTI. Apud Romanos NEPTVNALIA feſta, quæ in honorem *Neptuni* Ludis indictis celebrabantur, vt exponit M. Varro *lib.* 5. *de*

L. L.



L. L. Lil. Gyrald. *Hiſtor. Deor. Syntagm.* 5. Roſſin. *d. c.* 11. Quis verò hæc ſacra, ſiue Ludos inſtituerit adhuc non liquet. Licet ipſe *Gyraldus* contendat hocce feſtum ſingulis *Feriis Sextus* celebratum fuiſſe, velut feriæ annuales. De his Tertullian. *de Spectacul. c.* 6.

IX. KAL. AVGVSTI. Hoc Die mulieribus Romanis prægnantibus ſuccurrebatur, ita vt *Opigenæ* Deæ terreas offerrent icunculas, vt facilius partum emitterent, ita Maſculus *d fol.* 295. *num.* 23. Erat igitur OPIGENA, eadem ipſa IVNO, quæ ſic dicebatur, quòd opem prægnantibus ferret, vt refert Alex. ab Alexandr. *Dier. Gen. lib.* 6. *c.* 4. *fol.* 627. Lil. Gyrald. *Syntagm.* 3 *fol.* 260. Item hoc Die, Phœbo cui ſacer erat, mel nouum è fauis expreſſum offerebant in ſacris, Stuch. de Sacrif. *Gent. fol.* 48. Maſcul. *fol* 296 *num.* 24 XXIV. *Opigenæ Deæ etymon.*

VIII. KAL. AVGVSTI. Romæ Feriæ, ſiue ſacra FVRRINALIA, quæ in honorem *Furinæ* Deæ peragebantur. Hæc, vt inquit Varr. *de Ling Lat. lib.* 5. ei inſtituta ſingulis annis, & Flamen attributus Dea verò vna erat ex furiis, quas *Eumenides* dicebant, & vocitabant Gentiles, de quibus Cicer. *lib.* 3 *de Natur. Deor.* XXV. *Furrinalia ſacra quæ?*

VII. KAL. AVGVSTI. Hoc Die ſingulares LVDI Romæ, quos votiuos appellauere, incipere mos erat, vt ex *Kalendariis Veteribus* deprehenditur. Hos in CIRCO fuiſſe per ſequentes dies indictos refert Roſſin. *d. c.* 11. *fol.* 402. XXVI. *Ludi Votiui.*

VI. KAL. AVGVSTI. Ludorum in CIRCO continuatio Votiuorum, licet iſte Dies vnus ex *Ægyptiacis* haberetur, ob certum quemdam Aſtrorum poſitum, & aſpectum, vt ex *Gyraldo* notauit Maſcul. *fol.* 297. *num.* 27. Necnon celebris ob Sarmaticam victoriam, quam Anno Chriſti CC. LXXX tulit *Probus* Imperator, ex Elia Reuſner. *in Diar. Hiſtor. fol.* 112. XXVII *Dies Ægyptiacus.*

V. KAL. AVGVSTI. Votiui Ludi in CIRCO. Necnon funeſtus Romanis, ob exitum & mortem Catholici *Theodoſij II.* Imperatoris, qui ex hac luce migrauit ad æternam Anno Domini CCCC. L. vt probat Reuſner. *ſupr. fol.* 113. XXVIII. *Theodoſij mors.*

IV. KAL. AVGVSTI. Continuatio in Ludis votiuis. Ater Dies Romanis & infauſtus, nulloque alio inſignitus ſuffragio. XXIX. *Ater Dies.*

III. KAL. AVGVSTI. Celebris Romanis Dies ob duplicem victoriam, quarum aliam *C. Iunius Bubulcus* Anno Vrbis Conditæ CCCC. LI. de *Æquis*, alteram *C. Marius* V. Coſſ. ad Vercellas de *Cymbris* Anno Conditæ Vrbis DC. LIII. reportarunt, ita vt honor Triumphi tantis Ducibus deferretur, ita Reuſner. *ſupr. fol.* 113. XXX. *Triumphi.*

PRID. KAL. AVGVSTI. Finis Ludorum in CIRCO. Hoc Menſe Romani ad placandum CANICVLÆ Sydus, frugibus inimicum, canes mactare ſolebant, eaſque Ruffas adhibebant, quod ſacrum CANARIVM *Augurium* nuncupabant, vt Autor eſt Feſtus *lib.* 3. à quo Alex. ab Alex. *lib.* 3. *cap.* 12. Lil. Gyrald. *Syntagm.* 17. Huc pertinent illa Columellæ de *Re Ruſt lib.* 10. carmina dicentia. XXXI. *Canarium Augurium, quod?*

*Hinc mala rubigo virides ne torreat herbas,*
*Sanguine lactentis Catuli placatur & extis.*

Hæc igitur ſacra CANICVLÆ ſeu mactationes *Canis Ruffæ* fiebant ad Portam *Catulariam*, vt ipſe *Feſtus* ſcribit: & addit Stephanus in *Diction.* Hanc Portam ſic dictam, ob *Catularum* mactationem pro placando Sydere frugibus infeſto. *Porta Catularia vbi hæc ſacrificia fiebant.*

HÆC ſunt quæ hoc Menſe FESTA dicauit Gentilitas vanâ Religione ſuis Diuis, quæ, & quam obſcœna fuiſſent, tu, Catholice Lector meditaberis; nunc Noſtrorum Sanctorum Dies Natales hoc Menſe occurrentes, & quantis fuerint mirabilibus compoſiti attentiùs, & religioſiùs auſculta.

# KALEND. IVLII.

## DIES I.

A TOLETI *in Carpetania natalis* S. EVGENII *huius nominis II. Epiſcopi eiuſdem vrbis, qui literis, doctrinâ, & moribus ſanctiſsimis, imbutus, ad opus miniſterij felici pietate cucurrit, & meritis plenus, in gaudium Domini ſui fidelis ſeruus intrauit.*

B *Ibidem* S. CONCORDII *Toletani Præſulis, qui tempore captiuitatis Hiſpanicæ, apud vrbem Regiam, pauperum afflictionibus Muzarabum ſolamina præbuit, adeò vt Ouium miſerandæ cladis angoribus conturbatus, & afflictus, vitam hanc ærumnoſam cum æterna commutauerit.*

C *In Diœceſi Calagurritanâ depoſitio* S. SIMEONIS *Agricolæ, qui clarus miraculis obdormiuit in Domino. Eius interceſsione plurima Deus agricolis territorii, ſiccitate ingraueſcente, pluuiæ copiâ, impartitur beneficia quotannis.*

## NOTÆ.

A. *Tres Eugenij apud Toletum.* SANCTVS EVGENIVS II. Epiſcopus Toletanus.] Felix Toletum EVGENIIS, Tribus fruitur ſanctimoniâ illuſtribus Pontificibus, PRIMO, & TERTIO vniuerſali Eccleſiæ acclamatione claris, hoc SECVNDO plurium ſcriptorum, ſanctitudine, auctoritate celebri. Hinc à Philippo Ferrar. in *Topograph. SS. verb. Toletum. fol.* 126. inter Sanctos adſcitus *Eugenius II.* cuius hoc die commemorationem agimus. Idem Philip. Ferrar. *in Not. ad Diem III. Nouembris. fol.*430. *in Catal. General. SS.* proſequitur. TRES *huius nominis*, EVGENII, *Epiſ-*
*Eugenij II. ſanctitas.* *copi* Toletani *fuiſſe feruntur ſanctitate fulgentes*: I. *Martyr de quo* Die XV. Nouembris. II. *cuius Dies Natalitius ignoratur.* III. *de quo nunc* III. Nouembris *agimus.* Sed licet *Ferrario* ignota Dies Tranſitus, Nobis communis ex Luitprand. in *Chron. Ann.* 647. *num.*79. apud Ramirez *fol.*320. apud D. Thom. Tamay *fol.* 58. vbi hæc verba: Primâ Iulij *moritur Toleti* S. EVGENIVS II. *Vir Sanctus, ſepelitur in*
*Scriptores.* *Æde S. Leocadiæ Martyris.* Ferè eadem Iulian. *in Chron. num.* 318. & 320. S. Ildephonſus de *Scriptor. Eccleſ. c.*13. de eo iſta profatur: EVGENIVS *diſcipulus Helladij, conlector, & conſors Iuſti, Pontifex poſt Iuſtum acceſsit ab infantia Monachus* Poſt illum Scriptores Noſtri Loayſa in *Not. ad Concil. Hiſpan fol.* 277. Don Roderic. Archiep. Tolet. *Hiſtor. Hiſpan. lib.* 3. *c.* 14. Vaſſ. in *Chron. Ann.* 702. Stephan. Garibay.



Caribay. *Comp. Hiſtor. lib.*8.*c.*35. Moral. *lib.* 12. *c.* 23. D. Franc. Padilla *Hiſt. Eccleſ. Hiſpan Tom.*2. *Cent* 7. *c.* 35. F. Ioann. Mariet. *Hiſtor. SS. Hiſpan. lib.* 1. *c.* 44. P. Ioann. Marian. *Hiſtor. Hiſpan. lib.*7. *c.*6. Petr. de Alcozer. *Hiſt. Tolet. lib.*1. *c* 24. Franciſc. Piſa *ead. Hiſtor. lib* 2. *c.* 21. Anton. Yep. in *Chron. Benedictin. Tom.* 2. *Cent.* 2. *Ann.*647. *c.*1. *fol.*187. *col.*3. & 4. D. Thom. Tamay. in *Verit. Dextr. Nouitat.* 7. in *Dipthic. Tolet Præſulum. num.* 39 *fol.*123. *col.* 2. Henric. Rantzouius in *Catalog Viror. Illuſtr in Aſtrolog. fol.*27. P. Ieronym. Rom. de la Higuera *in Not. ad Luitprand. in Chron. Ann.*635 *num.*58. *fol.*314. vbi Carmen Sepulchrale compulſat, D. Didacus Caſtejon in *Primat. Toletan.* 2. *p. c.* 1. §.5. *tom.* 1. *fol.* 414. P. Anton. Quintana-Dueñas *Hiſtor. SS. Toletanor. in Fundat. S E. Toletan. c.* 29. *fol.*115. & alij ab iſtis relati. ACTA abs aliquibus compulſantur, ſed breuiſſima, illa Nos ampliora dabimus.

### *ACTA S. EVGENII II. EPISCOPI Toletani, Confeſſoris ex D. Ildephonſo, & aliis.*

EVGENIVS *huius nominis* II. *inter* Toletanos *Epiſcopos, fuit origine* Hiſpanus, *& in vrbe* Toletana *natus, ex Gothorum perilluſtri ſemine oriundus, ab infantia Monaſticæ vitæ in Agalienſi Regio Cœnobio addictus, & ſub Helladij Abbatis diſciplina educatus, vnà cum Iuſto pariter ſacris inſtitutionibus eruditus, ſic & ætate pucrili, quæ in matura peragenda monſtrauit, vt prorſus S. Magiſtri oculos, & viſcera, fatali dulcedine, raperet. Quod poſtmodum manifeſtauit euentus; nam* Auraſio *Toletanæ ſedis Antiſtite è viris ſublato, &* Helladius *in eius locum ſubrogatus Epiſcopus, protinus* EVGENIVM *ſecum à Monaſterio tulit, & vt in opus Eccleſiaſticum Miniſter ſedulus laboraret, illum rurſus Ordinibus Clericalibus inſtituit. Poſt igitur S. Senis obitum,* Iuſtus *eius Diſcipulus, &* EVGENII *conſors, & ſocius, infulas Metropoliticæ dignitatis arripuit, ſub cuius etiam tutella, donec vixit Antiſtes, clericalibus miniſteriis interfuit, ſemper, & vbique profundæ eruditionis radios extendens. Sed poſtmodum* Iuſto *è carnis vinculis abſoluto,* EVGENIVS *Toletanæ ſedis Pontifex renuntiatus, Eccleſiæ Dei hæreditatem gubernare promeruit.* TRES *in ſui Pontificatus tempore ſynodos congregauit, videlicet* V. VI. & VII. *apud Vrbem Regiam; quarum Acta luculenter S. Præſulis religionem, pietatem, & doctrinam demonſtrant. Iſidoro Hiſpalenſi amicitiâ iunctiſsimus fuit, prout ex Epiſtolis hinc inde dimiſsis agnoſcitur; pracipue ex illa, quam cum* Verecundo *Archipresbytero Toletano, poſtea Epiſcopo Africano conſultiuam ad* Iſidorum *dimiſit, quærens; an Superioris ſententiam, qui, poteſtate inferior eſt, ſoluere poſſet, & an æqualis poteſtas Apoſtolis attributa? Cui quæſito* Iſidorus *ſequenti Epiſtolâ fecit ſatis.*

*Origo.* *Educatio.* *Ordinatur.* *Epiſcopus.* *S. Iſidoro amicitia coniunctus.*

### *DOMINO CHARISSIMO, ET Virtutibus inclyto* EVGENIO *Epiſcopo:* ISIDORVS.

VESTRÆ ſanctitatis literas per nuntium ſuſcipiens Verecundum, Rerum omnium Conditori grates impendimus, quòd Eccleſiæ ſuæ ſanctæ, mentis, & corporis veſtri valetudinem conſeruare dignatur; atque ad inquiſita pro modulo parati ſatisfacere, exoramus Orationum veſtrarum ſuffragiis, ab ærumnis opprimentibus à Domino ſubleuari. Verum quod in quibuſdam Quæſtionibus Venerabilis veſtra fraternitas, licet Vos non ignoretis, me compulit reſpondere; Quod maioris ſententiæ innodatio, niſi in mortis articulo, à minori nequaquam valeat enodari, ſed potius ab inferiore prolata, à ſu-

periore, iure mediante, caſſetur, Orthodoxi Patres quidem Spiritus ſancti auctoritate præuiâ ſanxerunt: aliter autem quolibet adſtruente, ſicut eſt Veſtræ prudentiæ cognitum, prauum ſuboriretur exemplum, ſcilicet gloriatio ſecuris, contra eum qui ſecat in ea. QVOD verò de parilitate agitur Apoſtolorum, Petrus præminet cæteris, qui à Domino audire meruit: *Tu vocaberis Cephas: Tu es* Petrus, & *ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* Et non ab aliquo, ſed ab ipſo Dei, & Virginis filio honorem Pontificatus in Chriſti Eccleſiâ primus ſuſcepit. Cui etiam poſt Reſurrectionem Filij Dei, ab eodem dictum eſt: *Paſce agnos meos.* Agnorum nomine, Eccleſiarum Prælatos notans. Cuius dignitas poteſtatis, etſi ad omnes Catholicorum Epiſcopos eſt transfuſa, ſpecialiùs tamen Romanus Antiſtes, ſingulari quodam priuilegio, velut caput, cæteris membris celſior permanet in æternum. Qui igitur debitam ei non exhibet reuerenter obedientiam, à capite ſeiunctus, acephaliſmo ſe reddit obnoxium. Quod ſicut illud S. Athanaſij de Fide S. Trinitatis, S. Eccleſia approbat, & cuſtodit, quaſi Fidei Catholicæ articulum, quod niſi quiſque fideliter, firmiterque crediderit, ſaluus eſſe non poterit. Hæc veſtræ dulciſſimæ charitati breuiter prælibaui, conſiderans illud Philoſophi: *Pauca ſufficiunt ſapienti.* Vale.

*Coronat Regem Chintilanem.*

ERGO *Rex Gothorum Catholicus* Siſenandus, *cùm Toleti moreretur die XXII* Septembris, *Erâ DC. LXXII. &* Chintilanis *in locum Siſenandi Gothorum Rex eligeretur Toleti, iſtum more Gentilitio Gothorum* EVGENIVS *die XXV.* Octobris *conſecrat, inungit, & coronat in Regem Gothorum adſtantibus plurimis Epiſcopis, & Aulicis, in Eccleſia Vrbanâ S. Leocadiæ. Poſtmodum dùm ſynodus V. Toletana haberetur, cum obiiſſet* B. Bonifacius *Epiſcopus* Caurienſis *in ipſa Vrbe Regia, qui ad Concilium venerat, ſtantibus S. Præſulis virtutibus conſpicuis in Eccleſia S. Iuſtæ Toletanâ honorificè ab* Eugenio *ſepelitur. Inde* Erâ *DC LXXVIII. mortuo* Chintilane *Rege, in Regno Gothorum cùm ſucceſſiſſet* Flauius Tulga, *etiam ab ipſo* EVGENIO *conſecratur, inungitur, & coronatur, die S. Iacobi Hiſpaniarum Apoſtoli, & Patroni, in Eccleſia* S. MARIÆ *Toletanâ. Quo Rege* Tulga *è viuis ſublato, Erâ DC LXXX. die XIV. Octobris;* Cindaſuinthus *Rex Gothorum inauguratur, & ab* EVGENIO *itidem in Eccleſia S. Petri Prætorienſi Toletanâ, præſentibus Epiſcopis, & Palatinis, coronatur. Horum quippè trium Catholicorum Regum temporibus, S. Vir, vt erat Catholicæ veritatis amator, proculdubio illorum Principum animos, ad componendam Eccleſiaſticæ diſciplinæ regulam moreſque populi corrigendos, ſynodalibus canonibus, dirigere procurauit; ideoque V. VI. & VII. Toletanum Concilium, ipſis Regibus aſſentientibus, indixit, quibus, de obſeruatione fidei Catholicæ, & aliis Eccleſiaſticis diſciplinis, illo ſeculo, neceſſariis, multa fuere prudenti animaduerſione ſancita.*

*S. Bonifacium Caurienſem ſepelit.*

*Alios etiam Reges coronat.*

*Tres ſynodos congregauit.*

*Mores.*

SANCTI *igitur* EVGENII *mores puriſſimi fuere; quia cùm ab infantia à ſeculi tumultibus, à populi anfractibus, & ab Aulicorum emboliis, in Agalienſi Regio Cænobio, & ſub diſciplina, & magiſterio* S. Helladij *ſegregatus extitiſſet, prorſus mundialis ætatis fallacias, & plebis profanæ deſpexit errores. Hinc moribus & inceſſu grauis; verbis, & eloquio ſuauis, verbere, & correctione miſericors, omnibus amabilis, & pius; & demum egenis, & pauperibus largus, & liberalis.*

*Eruditio.*

*Nec minus in ſacris doctrinis eruditus, ſed hiſce excellentiùs, quibus aſtrologicâ comprehenſione ſpiritus eleuatur; itavt de his dixerit* Ildephonſus, *eius in ſede aliquando ſucceſſor:* Numeros, ſtatum, incrementa, decrementaque, curſus, recurſus lunarum, tantâ peritiâ nouit, vt conſiderationes diſputationis eius, auditorem in ſtuporem verterent, & in conſiderabilem doctrinam inducerent.

*Mors.*

*Demùm multis in Pontificatu præclarè geſtis, & ad æternæ ſalutis conſequenda præmia, plurium virtutum ſarcinis coagulatis, in Domino requieuit,* Kalend. Iulij

*Anno*



*Anno Domini DC. XLVII. Cuius Corpus in Templo S. Leocadiæ tumulatur. Sedit in Epiſcopatu ferè XI. Annis. In cuius tumulo hoc Sepulchrale Carmen appenditur:*

*Carmen Sepulchrale.*

EVGENI *Olympiacâ Præſul digniſsime lauro,*
*Cuius & ingenio machina tota ſubeſt:*
*In dubio eſt, vtrùm maior pietate vocandus*
*Sis, an doctrina, quando in vtraque micas.*
*Sedulus es Paſtor, Pater optimus, omnibus idem,*
*Mercaris ſuperas religione Domus.*
*Morte triumphatâ ſcandis ſuper æthera victor,*
*Et cingit frontem laurea ſacra tuam.*
*Inter Apoſtolicos ſplendeſcis Apoſtolicus Vir,*
*Non minor* Eugenio, *non minor* Helladio.
*Pro nobis effunde preces ſanctiſsime Præſul,*
*Et Monache excellens, Præſul, & eximie.*
*Tu Patriamque, tuamque regas mitiſsime gentem,*
*Quæ tibi ſollicita ſupplicat ipſa prece.*

ISTHÆC ACTA quæ ex Variis ſcriptoribus colligere potuimus: nam hucuſque nullus nec integram, nec ordinatam ſic dedit. Aliqua probanda veniunt, vt Actorum ecphraſis illuſtretur, & vt omnibus, ex inſtituto, faciamus ſatis.

*Patriæ probatio.*

PRIMVM circa *Originem Toletanam.* In hac omnes ſcriptores conueniunt, videlicet fuiſſe ex Gothorum illuſtri proſapia, ita vt ab infantia, in *Agalienſi* Regali ab *Helladio* educatum extitiſſe Cœnobio, vt ex verbis ſupra *S. Ildephonſi* recenſitis apparet: & probatur ex vltimo Carminis ſepulchralis Diſticho, ibi:

*Tu Patriamque, tuamque regas, mitiſsime* Gentem,
*Quæ tibi ſollicitâ ſupplicat ipſa prece.*

*Amicitia cum S. Iſidoro Hiſpalenſi.*

SECVNDVM *circa amicitiam cum S. Iſidoro Hiſpalenſi* Epiſcopo. Pluribus probat P. Ioannes Mariana *Hiſtor. Hiſpan. d. lib. 6. c. 6.* vbi Epiſtolam ſuperius relatam inſeruit; & P. Ieronym. Rom. de la Higuera in *Not. ad Liuitprand. in Chron. num. 6 :. fol.* 316. D. Didac. Caſtelon. in *Primat. Toletan. d. Tom. 2. fol.* 414. Vbi etiam agunt de VERECVNDO, Archipreſbytero Toletano, qui à S. EVGENIO cum eius Epiſtola, Hiſpalim ad *S. Iſidorum* miſſus acceſſit, vt in eius reſponſiuis literis repetitur. De quo & Luitprand. d. num 61. his verbis: Floret Toleti Archipreſbyter VERECVNDVS, cuius meminit *S. Iſidorus.* Fuit poſtea idem Epiſcopus Africanus, Huncque fuiſſe Poëtam probat P. Higuer. in *Not. ad Luitprandi Chronic. num.* 80. *fol.* 320.

*Quis fuit Verecundus?*

*Sepeliuit S. Bonifacium.*

TERTIVM de *Sepulturâ datâ S. Bonifacio Epiſcopo Caurienſi* apud Toletum emortuo. De quo idem Luitprand. in *Chron. num.* 63. his verbis: B. Bonifacius *Epiſcopus* Caurienſis, *Toleti moritur: in Æde S. Iuſtæ à* B. Eugenio *honorifice ſepelitur.* Quo loco P. Higuera, & Don. Thom. Tamay. in *Not.* plura, & Nos ſupr. *Tom. 1. Die VIII. Ianuar. fol.* 104. *lit. B.*

*Tres Hiſpaniæ Reges coronauit.*

QVARTVM de *Coronatione Trium Gothorum Regum*, videlicet Chintilanis, Tulgæ, & Chindaſuinthi: Noſtratum peruetuſtæ Hiſtoriæ proclamant. De CHINTILANE, audi Luitprand. *in Chron. Era* 673. *num* 59. aſſerentem: EVGENIVS, XXV. *die Octobris conſecrat, inungit, & coronat Regem* Chintilanem, *in præſentia multorum Epiſcoporum, & Aulicorum, in Æde S. Leocadiæ Vrbanæ.* Vbi P. Higuera in *Not. fol.* 315. fuiſſeque diem Dominicum contendit. De TVLGA, idem Luitprand. in *Chron. Era.* 678. his verbis: *Hoc Anno XXVI. Menſis Iunij moritur* Chintilanis *Rex. Succedit* Flauius Tulga *in Regno Gothorum: regnat Annos*

*duos,*

*duos , Menſes Quatuor : eligitur Die* S. IACOBI *, Patroni Hiſpaniarum ; & eodem die ab* EVGENIO *Toletano conſecratur , inungitur , & coronatur in Æde S. Mariæ Toleti.* Conueniunt Rodericus Archiepiſcop. Toletan. *Hiſtor. Hiſpan. lib. 2. cap. 19. &* P. Ioann. Mariana *Hiſtor. Hiſpan lib. 6. c. 8.* qui aduerſus *Sigibertum Gemblacenſem* dicentem, TVLGAM, iuuenem ingenio leui fuiſſe, vitiorum licentiâ , Gothorum animos exacerbaſſe: demùmq; à ſuis regno pulſum; meritò inuehitur concludẽs: *Nobis* Illephonſi *Præſulis , qui viſa retulit , auctoritas potior eſt, quàm externi hominis commentum , ex Nationis odio , aut ob regionum longinquitatem fama vitiata, natum.* Fuit namque Rex iſte ( vt verbis *Roderici* vtar ) bonæ indolis , & radicis Gothorum; qui blandus , & Catholicus in omnibus eſt inuentus , & Regna ſibi ſubdita pacificè dilatauit ; in iudicio rectus iudex ; claruit largitate ; magnâ fuit lenitate: doluit Gens Gothorum tàm citò talem indolem amiſiſſe , cunctis flentibus, quia flos tantæ indolis in fructum non adoleuit. Hinc elicies qualiter externorum Scriptorum aliquando liuor Noſtrorum virtutes in vitiâ conuertere , auſu temerario, contendit ; ſed & huius Regis inclyta facinora , quiſquis *Gemblacenſem* legiſti , demireris, & ab huius Auctoris deliramentis abſtineas. En eius carmen Sepulchrale:

*Gemblacenſis de Tulga commentum detegitur.*

*Heu moreris* TVLGA *primæ ſub flore iuuentæ ,*
*Qui multos annos viuere dignus eras.*
*Indole præclarâ , ceu Titan ſurgis in Orbem ,*
*In medio curſu ſtamina Parca ſecat.*
*In te Relligio micuit, pietaſque, fideſque :*
*Pauperibus largus; iuſtitiaque tenax.*
*Annos qui numeret , iuuenem te dixerit eſſe :*
*Virtutes numerans , dixerit eſſe ſenem.*
*Te pueri lachrymis deflent, iuueneſque, ſeneſque ,*
*Vrbs Toletana patrem te vocat eſſe ſuum.*
*Ad meliora tuo Regno Rex Regna vocaris ,*
*Pax vbi continua eſt, & ſine nube dies.*
*Sorte ſepulchrali ,* TVLGA, *Leocadia Virgo ,*
*Adſociata tibi eſt , ſemper amica comes.*
*Et comes in terris, comes & ſuper æthera fida ,*
*Gaudet vbique tuo , Rex generoſe , bono.*
*Eriperis terris , Princeps , vt ſydera calces :*
*Quam tibi virtutes expediere viam.*

Sed ad incepta redeamus. Igitur *Tulgâ* Rege mortuo , *Chindaſuinthus* Gothorum Regnum arripuit , quem & S. EVGENIVS coronauit in Eccleſia Prætorienſi S. Petri Toletanâ , vt inquit Luitprandus in *Chron. Era 680. num.* 74. hac ſerie : *Hoc Anno XIV. Octobris moritur Rex* Tulga , CINDASVINTHVS *Rex Gothorum eligitur , & in die SS. CC. Martyrum* (fortè die XXX. Octobris) *coronatur ab* EVGENIO *in Æde S. Petri Prætorienſi , præſentibus Epiſcopis , & Palatinis.* Eadem Iſidorus Pacenſis , Rodericus Toletanus, Lucas Tudenſis in *ſuis Chronicis ad Ann. 642.* quibus adhærent. D. Thom. Tamay. in *Not. ad Luitprand. fol.* 57. & P. Higuera ibidem *fol.* 319. Qui ex ipſo *Luitprando* paſſim in horum Regum Gothorum coronatione, vtitur verbis CONSECRATVR , & INVNGITVR ; ita vt quæret eruditus : An olim Reges Hiſpaniæ , quando coronabantur, CONSECRARENTVR, & INVNGERENTVR? Cui quæſito faciet ſatis vetuſtus mos apud Gothos executus , quo deprehenditur , Reges illo æuo , & CONSECRARI , & INVNGI ſolitos, vt patet ex *Exhortatione ad Principem* , aliàs dictam *Viam Regiam*, quam ex Codice MS. Gothico

*Reges Hiſpani olim conſecrabantur , & inungebantur.*



thico *Alueldenſi* , hodie in Bibliotheca Scunalenſi , ſeruato , typis mandauit D. Garſias Loayſa, in *limine Concilior. Hiſpan. fol.* XXXIV. vbi hæc verba : *Secundò quia te* Regem *eſſe* , & ſacri Chriſmatis vnctio , *& fidei confeſſio , operis confirmat & actio.* Ex quibus liquet conſuetudinem conſecrandi Reges Gothicos Hiſpaniæ inuiolabiliter obſeruatam ; cum illa *exhortatio* pro norma coronationis Regum adhiberetur , vt in margine idem *D. Loayſa* notauit. Quod & liquidò patet ex *Concil. XII. Toletan. c. 1. fol* 589. vbi Patres *Vuambanis* Regni dimiſſionem , & *Eruigij* electionem referentes, proſequuntur : *Etenim ſub quâ parte, vel ordine Sereniſſimus* Eruigius *Princeps Regni conſcenderit culmen, regnandique per* SACROSANCTAM VNCTIONEM *ſuſceperit poteſtatem.* Et paulo inferius : *Mox per ſcripturam definitionis ſuæ hunc inclytum D N.* Eruigium , *poſt ſe* (Vuamba) *præelegerit regnaturum ; & Sacerdotali* benedictione vngendum. Et poſtmodum paucis interiectis : *Aliam quoque informationem iam dicti Viri , in nomine honorabilis , & ſanctiſſimi fratris* Iuliani *Toletanæ Sedis Epiſcopi , vbi eum ſeparauit pariter & inſtruxit , vt ſub omni diligentiæ ordine iam dictum D. N.* Eruigium *in regno* VNGERE *deberet , & ſub omni diligentiâ* VNCTIONIS *ipſius celebritas fieret.* Conſentiunt ex Noſtris Luitprand. in Chron. *d. num.* 59. 70. & 74. D. Garſ. Loayſa in *Not. ad Decret. Gundemar. fol.* 276. & ad *Concil. Toletan c.* 10. *fol.* 475. Vide ad longum P. Higuera, & D.D. Laurentium Ramirez *in Not. ad Luitprand. in Chron. num.* 8. *fol.* 298. & 299.

SED qualis erat in hiſce Conſecrationibus , vnctionibus , & coronationibus Regum Gothorum forma , ſciſcitaberis. P. Ieronymus de la Higuera in *Not. ad Luitprand. in Chron. num.* 74. *fol.* 319. aſſerit agens de Chindaſuinto : *Hunc Regem ſacrauit , inunxit , & coronauit* D. Eugenius II. *in Æde SS. Petri , & Pauli Prætorienſi cum magnâ pompâ , & apparatu ,* more *Græcorum* Imperatorum *Conſtantinopolitanorum* Si ita fuit , vt præmittit eruditiſſimus Pater : olim Conſtantinopolitani Imperatores in eorum conſecratione inungebantur in capite in modum Crucis , vt Codinus *lib de offic. Aulæ Conſtantinopolitan.* teſtatur, ſic : ὁ δὲ πατριάρχης χρίει ςαυρο ειδῶς τὴν κεφαλὴν τοῦ βασιλέως τῷ μύρῳ. Id eſt : *Patriarcha vngit ad formam* Crucis *Imperatorem diuino vnguento* Sed an *chriſmate*, an *oleo ſancto* non aperit. Hugo Menardus in *Not ad Sacramental. S. Gregor. Pap. fol.* 404 agens de hac Conſtantinopolitanorum Imperatorum vnctione, proſequitur : *Fuit mos etiam olim apud* Græcos , *vt* Imperatores Conſtantinopolitani *non ſimplici oleo conſecrarentur , ſed* vnguento , *quod eſt* Chriſma *ſacrum.* Fortunatus Scacchus *Sacror. Elæochriſmat. Myroth. 1. c. 21. in fin. fol.* 198. probat ex ſacris oraculis *Sacerdotes* , & *Reges* ſingulari quodam vnguento ſanctificari ſolitos, quem videas ad propoſitum. Hinc elicies Reges Noſtros , ſi Græcorum more ſacrari fuere ſoliti , proculdubio *Chriſmate* delibutos , non oleo ſimplici , fateberis : licèt ex decreto Pontificio in *c. cum veniſſet. de Sacr. Vnction.* & ex *Romano Pontificali,* hodie aliter obſeruetur. Vnum ſcias velim : Quod hæc TRIA ſcilicet conſecratio , vnctio , & coronatio , olim apud *Ægyptios* ; & *Iudæos* , vno actu fiebant : *Nam illi ſuum* Regem *vngendo ſacrabant* , & *vnctionem , quæ capitis tempora madebat , faſciâ lineâ , & candidâ , quæ* Diadema *dicebatur , ſtringebant ,* vt notauit Ieronymus Balbus de *Coronation c. 2. fol.* 14.

*Qualis forma in conſecrationibus, vnctionibus, & coronationibus Regum Gothorum?*

*Quo vnguenti genere?*

S. CONCORDIVS Epiſcopus Toletanus ] Celebris ſuo æuo ſanctitatis titulo, & patientiæ , pietatiſque ſymbolo celebrior. Eius meminere ferè omnes Diptychæ Toletanorum Præſulum. Et licet *Aluarus Gomezius* illum ſeculo *Silonis* referat , proculdubio fallitur , quia præcedit *Cixilanem* , & *Elipandum* , qui in *Silonis* incidit ætatem , & ad illum ſcripſit , ab eoque literas accepit , & in Catalogo *D. Garſiæ Loayſa* ponitur Anno DCC. LX. *Cixila* Anno DCC. LXXV. & *Elipandus* DCC. LXXXIV. & ideo nullo modo potuit incidere in tempora *Silonis* , qui cum IX. Annis regnaſſet , in *Cixilanis* ætatem incidit. Item Luitprand. in *Chron. Ann.* 746. *num.* 221. vbi P. Higuera *fol.* 403. Iulian. in *Chron. Ann.* 743. *num.* 381. & iſte hoc elogio : *Succeſſit Sinderedo* B. Pontifex CONCORDIVS , *Archidiaconus Vrbani ; Vir egregiè doctus , pauperum compatiens , & in ſubeundis pro grege ſuo periculis alacer , & promptus. Hic excepit tectis , domoque* S. Veranum *Epiſcopum* Tarraconenſem *exulem , & Virum mirificum , qui non multò poſt in* Carpetania , *tractuque* Aurelianenſi *ſanctè moritur, die XIX. Menſis* Octobris. *Cuius Corpus defertur in* Toletum, &

B.

*Aluari Gomezij lapſus.*

*Scriptores.*

& tunc multis cum lacrymis Muzarabum, & CONCORDII Pontificis in Æde S. Iuſtæ honorificè ſepelitur. & in eod. Chron. num. 383. proſequitur: S. Epiſcopus CONCORDIVS ærumnis, & Muzarabum captiuorum miſeratione confectus, moritur Toleti, Prima die Iunij (lege Iulij) ſepelitur cum multis lachrymis in Æde S. Iuſtæ. Poſtmodum num. 384. concludit: Succeſſit in Sede Toletana (Petrus cognomento Pulcer) S. CONCORDIO. De eo poſt ſupra relatos ſcripſere Blaſius Ortizius, Ambroſius Morales, Stephanus Garibayus, & D. Garſias de Loayſa in Catalogis Præſulum Toletanorum quos refert P. Higuera in Not. ad Luitprand. in Chron. d Ann. 743. numer. 221. fol. 403. Nouiſſime D. Thom. Tamay, in Not. ad Luitprandi Chron. Era 784. fol. 131. & in Veritate Dextr. Nouitat. 7. fol. 126. col. 2. D. D. Didacus Caſtejon de Primat. Toletan. tom. 2. p. 3. c. 1. §. 2. fol. 547. Eius ACTA periere: illa ex hiſce breuibus pittaciis, quæ temporum ingluuies ſeruauit, ſic fideliter aſſuemus.

## *ACTA S. CONCORDII EPISCOPI Toletani Confeſſoris ex Iuliano, & aliis Scriptoribus.*

*Origo.*

*Ordo.*

CONCORDIVS ex nobiliſſimo Gothorum genere Toleti ortus, à primis adoleſcentiæ progreſſibus, ſe ſe miniſterio dedicauit Eccleſiæ, ita vt ſucceſſiuo tempore præcedentibus meritis, Vrbanus Sedis Toletanæ Pontifex proclamatus, ad Archidiaconatus illius Patriarchalis apicem Eccleſiæ, Venerabilem Virum, nullo renuente, proueheret. Euenerat quippè tunc temporis miſerabile Hiſpaniæ excidium, quo Arabes ferè totas illius regionis vrbes gladio, & igne vaſtauerant, & Regiam Gothorum vrbem vi captam, ſub eorum tributo infeliciter opprimebant, nec non Eccleſias profanis ritibus polluebat, quin & ipſam S. MARIÆ Toletanam Baſilicam, ipſo inſpectante CONCORDIO, in Sarracenorum conuertere Mezquitam ſunt aggreſſi. Huius enim rei causâ Clerus, & Populus Toletanorum Muzarubum ſpe libertatis deiecti, ſacrorum indubitabilem ruinam pertimeſcentes, ærumnoſam eorum captiuitatem interioribus gemitibus deplorabant. Hinc Sinderedus Toletanæ Sedis Antiſtes lachrymabilem ouium deuiarum diſperſionem intuitus, vrbe, & ſede relictâ, Romam profugus aduentauit. Quo è viuis ſublato, ne fidelibus Catholicis inter tot anguſtias fluctuantibus, hocce Paſtoris ſolatium deficeret, Cleri, & Populi Toletani ſuffragiis, ad culmen totius Hiſpaniæ Patriarchatus euehitur. Annuit Vir Dei miſerabilibus Populi clamoribus, & quamuis munus oblatum, potius onera, quàm honores ſecum trahere cognoſcebat, tamen charitatis igne ſuccenſus, & Chriſti exemplo confiſus, potius animam pro amicis, & conciuibus ponere, quàm illos inter afflictionis, & mærôris angores relinquere maluit deliberatione virili. Tum manum ad aratrum apponens, vt erat doctrinâ clarus, & pietate inſignis, fidelium Muzarabum oppreſſionem humanis, & ſuauibus verbis deliniebat, aliorum miſerias demulcebat, pauperum anguſtias deplorabat, & pro vnoquoque ſedulus procurator exiſtens, ſe ſe omnium periculis opponebat: ita vt omnes in religione conſeruaret, in pietatis officiis detineret, & in Canonum obſeruatione cuſtodiret.

*Toletanus Præſul eligitur.*

*S. Veranus Epiſcopus exulat Toletum.*

INTEREA Veranus Tarraconenſis Epiſcopus, Vir ſanctitate præclarus, & doctrinâ celebris, ab vrbe, & ſede pulſus, Toletum exul venit, vbi à S. CONCORDIO benignè in propria domo exceptus, & perhumaniter tractatus, illius anguſtiis fomenta, ſalutaribus orationibus, & piis admonebat alloquiis. Sed S. Verani zelus in conſeruandis, inter tot agmina luporum, Dominici gregis ouibus, diu vacuus Toleti commorari non ſuſtinens, per Carpetaniæ Oppida, & vicos curſitare diſpoſuit, vt Chriſti aſſeclas, inter Arabum turmas fœda captiuitate commorantes, in fide retineret, & illis ſolamina, vt temporis anguſtia ſinebat, præberet. Ergo accitis ſodalibus, & à S. CONCORDIO benedictione ſuſceptâ, miſſionem tandiu feliciter expleuit, donec in Carpetaniæ



Carpetaniæ tractu Aurelianenſi die XIX. Octobris, mirâ virtutum ſarcinâ onuſtus, & excelsâ miraculorum gloriâ honeſtatus occubuit. Vix quippe Sanctiſſimi Præſulis Tarraconenſis exitus, ad S. CONCORDII fama peruenit auditum, cùm eius ſacrum Corpus Toletum honorifice deferri curauit, & illud in S. Iuſtæ Baſilica ſepeliri, omnium Muzarabum lachrymis, piâ religione diſpoſuit. Poſt hæc cùm ſanctiſſimus Pontifex CONCORDIVS tot laborum oneribus premeretur, tot ærumnarum angoribus opprimeretur, ouium miſeratione, & annorum pondere preſſus Toleti deceſſit Kalend. Iulij, Anno Domini DCC. XLVI. Aſt eius Corpus Muzarabes cum lachrymis in Eccleſia S. Iuſtæ honorificè tumularunt, & in eius Sarcophago hocce ſepulchrale carmen appoſuerunt:

*Obitus Concordij.*

*Sub Tumulo iacet iſto, proh! CONCORDIVS almus*
*Toleti Præſul, Muzarabumque ſalus.*
*Illorum regimen ſuſcepit tempore, quando*
*Chriſticolas ſæuus defatigabat Arabs.*
*Nobilis hic ſcriptor fuit, vt ſancti Theoribi*
*Indicat homiliæ litera docta ſenis.*
*Pauperibus panis, viduis ſolamen, & ægris*
*Contactuque ſalus, omnibus omnis erat.*
*Muzarabum donec ærumnis fractus, humana*
*Præexcelſus Paſtor deſerit, alta capit.*
*Primaque Quintilis dies (heu mihi) ſuſtulit ægram*
*Pontificis vitam, celſaque Regna dedit.*
*Eſto memor noſtri Præſul ſanctiſſime;* Petrus
*En tuus, hocce canit carmine ſæpe melos.*

Hactenus ACTA, in quorum recenſione DVO à Nobis ſe offerunt illuſtranda, nam de cæteris in prolegomeno prolixiùs diſſeruimus, & Luitprandi, Iulianique auctoritate illa probauimus.

*Scripſit homiliam de laudibus S. Turibij Palentini.*

PRIMVM circa intelligentiam Tertij Diſtichi Carminis Sepulchralis, quo dicitur Noſtrum Beatiſſimum CONCORDIVM ſcripſiſſe HOMILIAM in die S. Theoribij. Quod probatur ex eodemmet Luitprand. in Chron. Ann. 709. n. 181. his verbis: CONCORDIVS, Toletanus Diaconus compoſuit HOMILIAM in laudem S. Turibij, ex Monacho Benedictino Pontificis Palentini; quæ ſic incipit: In Noſtrum. De qua altum ſilentium apud P. Higuera, & D. Thom. Tamayo eius Notatores.

*Quis Auctor Carminis ſepulchralis?*

SECVNDVM circa vltimum Diſtichum, quo ſeſe Petrum vocitat Auctor Carminis ſepulchralis. Crediderim hunc fuiſſe Petrum Pulchrum CONCORDII in Sede Toletana ſucceſſorem immediatum; de quo Luitprand. in Chron. Ann. 746. num. 221. hac clauſulâ: PETRVS cognomento PVLCHER regit Eccleſiam Toletanam poſt CONCORDIVM. Eadem Iulian. in Chron. Ann. 743. num. 384. & fere omnes qui Toletanorum Præſulum Catalogos texuere.

S. SIMEON Agricola, Calagurritanus Confeſſor.] Huius Diui memoriam recolit eruditiſſimus M. Ægidius Gonzal. Dauila Regius Chronographus in Theatr. Eccleſiar. Caſtell. Tom. 2. fol. 337. vbi hæc verba recenſet: En la Igleſia Parroquial. de S. Lorje del lugar de Acuelo, en la Capilla Maior ſe reuerencia el Cuerpo de S. SIMON, Labrador, que tuuo por patria la Villa de Cabredo. Aeſte Sancto ponen per intercesſor los Labradores, paraque Dios les embie lluuias para ſus ſembrados, y ſe an viſto, y ven marauilloſos effectos en el Primer Dia de Iulio, y acuolen à ella Nueue Villas cercanas deſte Pueblo, que la cebran con grande ſolemnidad. Quæ latina facta ſic ſonant: In Eccleſia Paræchiali S. Georgij Oppidi Acuelenſis, in eius Maiori Capella Corpus S. SI- C.

*Eius memoria.*

*Locus ſepulchri.*

MEONIS Agricolæ *veneratur*, *ex Oppido* Cabredenſi *oriundi. Sanctus hic Agricolarum tutela eſt, vt à Deo pluuiam pro eorum ſegetibus efflagitet, de quo plura quotidie mirabilia viſuntur. Colitur eius feſtiuitas* Kalendis Iulij, *ad quam Nouem circumiacentium Oppidorum accolæ conueniunt, qui Solemni ritu feſtum concelebrant.* Quis hic fuerit S. Agricola; quæ eius Acta; quo vè ritu colatur, nondum didici: fides ſit apud Chronographum Regium.

*Dies cultus.*

# SEXTO NON. IVLII.

## DIES II.

A *In Hiſpania celebre Viſitationis* B. MARIÆ *Virginis D. N. ad Elizabeth matrem Præcurſoris feſtum recolitur, cuius myſterio plurima in Regnis Templa, Oratoria, & Altara dedicata viſuntur.*

B *In Campania Italiæ* S. VITALIS, *qui ex vrbe Carpetanorum Thermeda Complutum deueniens, ibidem ex vxore Iuſtum, & Paſtorem liberos ſuſcepit, quibus martyrio coronatis Campaniam adiuit, vbi iterum ſuſceptâ coniuge, ex ea Natalium Epiſcopũ Toletanum procreauit, demum martyrium cùm aliis ſociis inclytus agoniſta compleuit.*

C *Romæ* S. LONGINI *Præfecti militum, Martyris, qui à S. Paulo ad fidem conuerſus, ob ipſius confeſsionem cum ſociis ad martyrij coronam peruenit. Cuius ſacra pignora in Conuentu B. Mariæ Salicenſi in Carpetania Ordinis S. Franciſci honorificè reconduntur.*

D *In Oratorio Marchionis Caſtri-Roderici* S. VRBANI *Martyris lipſana, quæ vnà cum aliis Romæ dono accepit, dum ibidem Regij Oratoris fungeretur Officio.*

E *In Oppido Villa-Noua vulgo de los Infantes in Carpetania* S. VITALIS *Martyris Romæ paſſi ſacræ reſeruantur exuuiæ, quas Monaſterium fratrum Diſcalceatorum SS. Trinitatis, ex donatione Generalis accepit.*

---

# NOTÆ.

A. *Inſtitutio à quibus, & quo Anno?*

VISITATIO B. Virginis MARIÆ.] Huius feſtiuitatis ſolemnitas ab Eccleſia fuit introducta per *Vrbanum VI.* Pont. Max. & per *Bonifacium IX.* confirmata, & publicata ad Annum Domini M. CCC. LXXXIX. Poſtmodum in *Concilio Baſilienſi* obſeruari præcepta, *Seſſ.* 43. *Ann.* 1441. vt teſtantur Baron. in *Not. ad hunc diem lit. A.* Gauant. in *Comment. in Rubric. Breuiar. ſect.* 7. *c.* 9. *fol.* 154. Abraham. Bzouius *Annal. Eccleſ. Ann.* 1390. Ferreol. Locrius in *Maria Auguſt. lib.*6. *c.*6. *fol.*628. Georgius Coluener. in *Kalendar. Marian. Tom.* 2. *h d. fol.* 2. At Bonifacij IX. Bulla, ita habet: BONIFACIVS *Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Superni benignitas Conditoris, humanam creaturam ad ſimilitudinem ſuam creatam*, &c. Et poſt multa: *Hanc igitur* VISITATIONEM, *felicis recordationis* Vrbanus PP. VI. *Prædeceſſor Noſter, de Fratrum ſuorum* S. R. E. *Cardinalium conſilio, Annis ſingulis, vt Virginis Matris Dei humile obſequium Cognatæ exhibitum, iugiter cordibus fidelium ſit infixum; in Eccleſia Catholica* VI. Nonas Iulij, *in perpetuum celebrari inſtituit. Volens etiam idem prædeceſſor Chriſti fideles ad colendum feſtum tantæ Virginis, & etiam celebrandum donis ſpiritualibus animare, ipſoſque myſticis de theſauris Militantis Eccleſiæ benedictionis muneribus cupiens præuenire; omnibus, verè penitentibus, & confeſsis*, &c. Proſequuntur indulgentiæ.



*Sixtus IV. feſtum in Hiſpanias induxit.*

SED licet generaliter hæc ſolemnitas *ab Vrbano VI. Bonifacio IX.* & *Patribus Baſilienſis* Synodi fuerit inſtituta, euulgata, & obſeruari præcepta, tamen illam ſpeciali diplomate abs *Sixto* IV. Pont. Max. fuit *Hiſpanis* Præſulibus intimata, vt patet ex *Bulla*, quam per modum *Lectionis* antiquitus in choris Eccleſiarum *Hiſpaniæ* decantabant Clerici in Vigilia huius feſtiuitatis, vt videre eſt in Breuiariis *Compoſtellano*, & *Burgenſi* vetuſtiſſimis, vbi hæc:

SIXTVS *Seruus Seruorum Dei. Venerabilibus Fratribus, Archiepiſcopis, & Epiſcopis, aliiſque Eccleſiarum Prælatis per* Hiſpanias *conſtitutis ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Præclara meritorum inſignia, quibus Regina cœlorum, veluti ſtella matutina prærutilat, noſtræ conſiderationis acie repetentes, atque altiori indagine perſcrutantes; quòd immenſa Dei pietas, vt violatorem humanæ propaginis, incorruptâ natiuitate damnaret, & renouandis mortalibus ſuæ charitatis opportuna adhiberet remedia, ordinatione ſalubri; diſpoſuit Redemptorem Noſtrum, eius Vnigenitum ex ipſa Virgine glorioſa* MARIA, *plenâ gratiâ. ac benedictione prædita, cæteris ampliori, humanam carnem aſſumere; & in ara Crucis noſtra facinora, ſuo pio cruore abſtergere, noſque æternæ benedictionis efficere poſſeſſores: dignum quin potius debitum repetamus; vt quemadmodum ipſa, quæ miſericordiæ Mater, Militantis Eccleſiæ, & cunctorum fidelium Aduocata, ac cæteris Sanctis, & electis Dei in cœleſtibus ſublimata exiſtit, ita quoque eius vitæ actus, exemplareſque, deuotâ reminiſcentiâ, & ſpeciali commemoratione, ad ipſius laudem, & gloriam, attentâ cum deuotione, in Vniuerſis Catholicis Eccleſiis celebrentur. Hac igitur piâ, & religioſâ conſideratione inducti, huius præclariſsimæ Virginis Celſitudinem, cui & Nos, atque vniuerſi Chriſticolæ gratiarum debemus plurimas actiones, condignis laudum præconiis decorare: & inter celebres alias, illam quoque, quâ ipſo Virgo Dei Vnigenito, Sancto Spiritu obumbrata concepto; & greſſus eius pariter dirigente Matrem Præcurſoris Domini in teſtimonium veri luminis naſcituri, officioſâ* VISITATIONE *præueniens, ad Montana perrexit, vt ſeniori Cognatæ iam ſterili, nouo quamuis conceptu diuinâ voluntate, fœcundæ, charitatis exhiberet obſequia, feſtiuam, ac celebrem conſtituere cupientes; Fraternitati Veſtræ per Apoſtolica ſcripta committimus, & mandamus, quatenus feſtum* VISITATIONIS *huiuſmodi, cum ipſius* OCTAVA, *& officij ad ipſius laudem, & gloriam nouiter inſtituti, recitatione ſingulis annis*, VI. Nonis Iulij, *deuote, & ſolemniter celebretis, ac faciatis in ſingulis Ciuitatum, & diœceſum veſtrarum Eccleſiis, ab omnibus celebrari. Et proprium ipſius dici Officium ante dictum de verbo ad verbum, præſentibus inſertum, deuotione, & attentione congruis decantari. Nos enim de Omnipotentis Dei miſericordiâ, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius auctoritate confiſi, vniuerſis, & ſingulis clericalis ordinis profeſſoribus, Feſtum huiuſmodi celebrantibus, atque nouum Officium ipſum decantantibus, ſeu recitantibus, quàm aliis vtriuſque ſexus fidelibus, horis canonicis, feſtiuitatis, & Octauæ prædictorum intereſſentibus, verè tamen pœnitentibus, & confeſsis, pro ſpeciali remuneratione, & animarum ſalute, infraſcriptas indulgentias duximus concedendas*, &c.

H C OFFICIVM, ET MISSA.

*Datum Romæ Kalendas Ianuarij, Anno Quarto, apud S. Petrum.*
Hoc eſt, Anno M. C C C C. L X X. IV. ex *Samotheo, Bzouio,* & aliis.

HINC cœpit in *Hiſpaniâ* celebrari huiuſmodi VISITATIONIS Virgineæ feſtiuitas, vt ex omnibus liquet *Hiſpanicis Breuiariis*, vbi Officium à *Sixto IV.* miſſum inuenitur, licet in peruetuſto *Burgenſi* ſpeciales *Hymni* reponuntur, quos inferius dabimus.

*Cauſa inſtitutionis.* NVNC cauſam huius inſtitutionis inquiramus. Eam fuiſſe aſſerunt ſcriptores ſuperius relati, vt diuturno ſchiſmati, quo Eccleſia tunc temporis affligebatur, Deus per interceſſionem glorioſæ, & B. Virginis Dei-Genitricis finem imponeret. Notant Creſpecius in *Summ. Eccleſ. lit. M.* Azor. 2. *p. lib.* 1. *c.* 23. *q.* 2. Bzouius *d. Ann.* 1390. & Coluener. *d. fol.* 2. *col.* 2.

*Hiſtoriam Viſitationis huiuſmodi quis ſcripſerit.* ISTVM B. Virginis Matris ADVENTVM in Montana, pro VISITANDA *Eliſabethâ* Zachariæ vxore, Præcurſoris Matre, Virginisque Cognatâ deſcripſit Euangelicus Hiſtoriographus Lucas *c.* 1. vbi Patres tàm Latini, quàm Græci myſticè: Ex Noſtris carmine literaliter nonnulli Latini Poëtæ ſacri, quorum primas fert B. Iuuencus Cæſarobrigenſis *lib.* 1. *Euangel. Hiſtor verſ.* 82. vbi poſtquam Angeli *Gabrielis* ſalutationem ad B. Virginem deſcripſiſſet, *Eliſabethæque* eius Cognatæ futurum fœtum retuliſſet, proſequitur cum Euangeliſta, Noſter etiam Euangelicus Preſbyter.

*Illa dehinc rapidis Iudæam paſſibus vrbem,*
*Zachariæque domum penetrat, grauidamque ſalutat*
Elizabeth: *clauſæ cui protinus anxia prolis*
*Membra vteri gremio motu maiore reſultant;*
*Et ſimul exiluit Mater concuſſa tremore,*
*Diuinæ vocis completa affamine Sancto.*
*Et magnum clamans*: Felix ô fœmina ſalue,
Felicem geſtans vteri ſinuamine fœtum.
Vnde meam tanto voluit Deus æquus honore
Illuſtrare domum, quam Mater Numinis alti
Viſeret? Ecce meo gaudens in viſcere proles
Exultat, MARIÆ cùm prima affamina ſenſit.
Felix quæ credit finem mox affore verbis,
Quæ Deus ad famulos, magnum dignando, loquetur
*Illa trahens animum per gaudia mixta pudore*
*Suppreſſæ vocis pauitantia dicta volutat.*
*Magnificas laudes animo, grateſque rependit*
*Immenſi Domino mundi*: vix gaudia tanta
Spiritus iſte capit, quòd me dignatus in altum
Erigere ex humili celſam, cunctiſque Beatam
Gentibus, & ſeclis voluit Deus æquus haberi.
Suſtulit ecce thronum ſæuis, fregitque ſuperbos.
Largifluis humiles opibus ditauit egentes.
*Tunc illic manſit Trinos ex ordine Menſes*
*Ad propriamque domum repedat iam certa futuri.*

Succedat



Succedat *Aluarus Gomezius* Toletanus Poëta Theologus, & Eques nobiliſſimus; qui etiam huiuſmodi myſterium in *Tali-Chriſt. lib.* 6. *fol.* XLIII. ſequentibus verſibus explanauit:

*An memor interea* Gabrielis *candida Virgo*
*In Montana volat, ſedemque intrauit amicæ.*
Elizabeht *Dominam ſimul hæc vt conſpicit ipſam*
*Sic ait*: Vnde mihi tanta hæc eſt gloria? Mater
Vt Domini miſeram dignetur viſere ſeruam?
Fortunata domus; tecta ô felicia; quæ te
Excipiunt, te, te, te, te, lux maxima noſtri
Seminis, alma parens, ô magni gloria Mundi!
O decus! En veſtram cùm primum noſtra ſalutem
Auris habet, dulces infundis mente liquores.
Ac vitale iubar, diuinaque gaudia, motos
Cerne ſinus, gaudens intra hos exultat & infans
Paruulus, & teneram vult in noua carmina linguam,
Conaturque loqui; viſuque admotus amico
Exigit ad lætos potuit quæ brachia ſaltus,
Imaque, materno deflectit crura ſub antro:
Teque ſimul recolitque Deum, quem cordis adorat
Viribus ignotâ peregrinum veſte. Beata
Es Genitrix, cui tanta fides, quæ dixerat ante
Ipſe Deus venie t, æternum Numine ſummum
Iungere mortali datur hoc tibi ſanguine regi.
*Virgoque tunc dulcem tenuit laudata ruborem*
*Et pudet ad laudes, cupienſque indigna videri,*
*Tunc plus digna placet Domino, quem laudat, & inquit:*
Magnificat mens iſta Patrem, quòd exultat in ipſo
Spiritus iſte Deo; cuius veneranda ſalutem
Dextra dedit ſeruæ diuinaque munera paruæ:
Contulit hoc Dominam ventura in ſecla, beatam
Me dicent omnes cui dona ingentia Gentes
Hæc dat habenda Deus, qui noſtro in pectore clauſus:
Cuius adeſt pietas, ſedes metuentibus altas
Luce parans: humileſque leuat, quâ lance ſuperbos
Percutit, ex alto quaſſurus brachia cœlo:
Implet egena bonis, plenos dimiſit inanes
Templa beans: qui cum ſummo furibundus amore
Vincitur, optatum populis credentibus iſtum
Dat puerum, noſtro retinens promiſſa ſub agro,
Magnifico dulcem firmauit munere vocem.

Præcedentibus

Præcedentibus ſubſequatur *Henricus coquus* , qui licet origine *Gorcomius*, attamen *Hiſpanus* educatione , officiis, & obitu : cuius apud me MSS. opera , proſâ , & carmine concinnata , & in *Chriſtómach. lib.* 1. *c.* 2. hæc de iſta feſtiuitate conſcripſit , agens de B. Dei benitrice :

*Illa tamen nimium ardenti exundabat amore ,*
*Myſta Deo Mulier-Virgo , mirabile dictu ,*
*Saxa per , & ſcopulos , & depreſſas conualles*
*Diſsiliit , Præcurſoris benedicere Matri.*
*Victa & amore ſui , Cognatæ ſanguine victa.*
*Si quis ebur , vel miſta rubent vbi lilia multa ,*
*Alba Roſa tales Virgo dabat ore colores.*
*Illam turbat amor , figitque in Virgine vultus ,*
*Dicens* : ô cunctas inter Benedicta puellas ,
Nympha decus fluuiorum , animo gratiſſima noſtro :
Scimus , vt è cunctis vnam te Rector Olympi
Prætulerit , cœlique libens in parte locauit.
*Talia dicentem circumſtetit aurea Mater ,*
*Seruitioque ſuo curas lenibat aniles.*

*D. Ludouicus Marcellus Brauo de Mendoza* poſt hos locum teneat , qui carmine elegiaco totam *Euangelicam Hiſtoriam* nuperrime carmine conſcripſit , vbi *lib.* 1. *verſ* 91. ſic proſequitur :

*At Regina celer tranſmiſsis montibus vrbem*
*Iudæam penetrat , Zachariæque Domum.*
Elizabeth *rutilo prægnatemque ore ſalutat ,*
*Exultatque vtero cuius ad iſta Puer.*
*Ac ſimul affata exclamauit Numine* Eliſſa ;
Sis Benedicta , tui & pondera ventris erunt.
Vnde ego promerui tantorum culmina honorum ?
Vt memet Domini viſeret Alma Parens ?
Ecce ſonus verbi vix noſtras attigit aures ,
Exultat ſoboles corpore chara meo.
Sunt tibi iam Deus omnia , quæ promiſerat acta ;
Quàm felix facta es credulitate tua !
Magnificat Dominum ( *Cœleſtis Virgo reclamat* )
Tunc anima , exultat ſpiritus inque Deo.
Reſpexit quoniam ancillam indignam me humilemq;
Gentibus innumeris ecce Beata vocor.
Magna mihi Omnipotens fecit , quia ſanctus , & eius
Eſt clementia iis , qui reuerentur eum.
In dextrâ validâ tum diſperſitque ſuperbos
Mente ſui cordis , diſpulit hoſque ſuper.
Depoſuit penitùs magnâ de ſede potentes ;

Exaltans



Exaltans humiles ad ſoliumque tulit.
Ditat egenos , & locupletes miſit inanes ;
Suſcepit Puerum iam populuſque ſuum.
In mentem cuius clementia venit , vt olim
Iam patribus noſtris ſæpe locutus erat.
*Dúmque Nouem Phœbus Decies luſtrauerat Orbem*
*Cognatæ hoſpitio Cœlica Virgo manet.*

Hactenus noſtri Hiſtorici Poëtæ : Nunc aliqua aliorum piiſſima carmina ſeorſim ſcripta & extra Hiſpaniam concinnata dabimus, etiam ex noſtrorum Vatum , vt inſtituto pareamus , monimentis ſelecta. Primas ferat *P. Emanuel Pimenta* ſacrarum Muſarum delitium, *Tom.* 1. *Sacrar. Poëmat. lib.* 2. *fol.* 49. ſic de VISITATIONE cecinit.

*Virgo quid accelerat , monteſque perambulat altos ,*
*Inque tuos properat , magna* Iſabella , *lares ?*
*Non incerta putat reſponſa , nec alitis alti*
*Nuntia : nutanti non labat illa fide.*
*Præbeat exemplum ſeclis vt Virgo futuris ,*
*Obſequij famulas it ſubitura vices.*
*Nutabunda forent faſtigia tanta ; ſuperbè*
*Ni ſtarent humili tàm benè fixa gradu.*
*Virgo miniſteriis , tendit properanter , vt imis*
*Seruiat Agnatæ fœta puella ſuæ.*
*Numine fœta volat : leuis eſt ſub Numine curſus :*
*Pondera ſeruitiis ſunt prope nulla piis.*
*Sedula ſeruitiis , Nati volat æmula : Nato*
*Nec poterat melius Virgo placere ſuo.*
*Hinc tua Numen adit penetralia , Magne Sacerdos ,* *Ad Zachariam.*
*Dicere iam , Templum fit Domus iſta , licet.*
*Templum eſt : Numen adeſt : mactetur victima Diuis ;*
*Corde , Senex , melior non erit vlla tuo.*
*Si tibi ſuffitus placet addere , thura repòne*
*Ter ſacra , de lachrymis , quæ cecidere tuis.*

Sed & in Eccleſiaſticis Officiis *Hymni* antiquitus canebantur , vt videre eſt in Breuiario S. E. *Burgenſis* vetuſtiſſimo , vbi ſequentes inter Horarum ſolemnia diſtributos agnoſcimus , quos etiam P. Antonius Belinghem in *Parnaſſ. Marian. fol.* 109. tranſcripſit.

IN FESTO

## IN FESTO VISITATIONIS. B. MARIÆ Virginis ad Elizabeth.

## HYMNVS AD VESPERAS.

*Magnæ Dies lætitiæ*
*Nobis illuxit cælitus,*
Maria *thronus gloriæ*
*Montes petit diuinitus.*
*Ancilla ferens Dominum,*
*Gerentem Vatem viſitat,*
*Notumque fecit geminum*
*Donum, quod priùs latitat.*
*Recepit nupta Virginem,*
*Et ſalutantem prædicat,*
*Sic homo Deum-Hominem,*
*Abſtruſus clauſum indicat.*
*In Roſa latet Lilium,*
*Et in antiqua floſculus;*
*Sed maieſtatis ſolium*
*Sentit, & clamat paruulus.*
*A ſtella Sol nunc geritur,*
*Et Vatem cana baiulat:*
*Sed virtus Solis cernitur*
*Cũ Infans laudes cumulat,*
Maria *Mater gratiæ,*
*Mater miſericordiæ,*
*Tu Nos ab hoſte protege,*
*Et horâ mortis ſuſcipe.*
*Gloria tibi Domine,*
*Qui latitas in Virgine,*
*Laudes Patris, ac Spiritus*
*Multiplicas diuinitus. Amen.*

## AD LAVDES HYMNVS.

*Lingua pangat, & cortangat*
*Virginis præconium.*
*Quæ aſcendit, & oſtendit*
*Paradyſi lilium.*
*Dum ſalutat, & immutat*
*Zachariæ filium.*
*Lux ſuperna, & æterna*
*In Virgine contuens.*
*Montes tranſit, & pertranſit*
*In Iudæam veniens.*
*Vt* Mariam *lucis viam*
*Pandat, Vates faciens.*
*Sic feſtinat, & feſtiuat*
*Domum quam ingreditur:*
*Nam ſerena, Deo plena*
*Lucem dat cum loquitur.*
*Fitque feſtum manifeſtum*
*Dum Deus oſtenditur.*
*Hinc adſurgit, & conſurgit*
*Elinguis Infantulus.*
*Exultando, & adorando*
*Deum qui fit paruulus:*
*Vt ſanetur, & ſaluetur*
*Electorum populus:*
*Veterana, mente ſana*
*Fit per vocem Virginis.*
*Mater Vatis, atque gratis*
*Vas cæleſtis luminis.*
*Quo repleta, prodit læta*
*Saluatorem hominis.*
*O benigna, laude digna,*
*Veræ lucis gerula;*
*Tu Nos amoue, atque foue*
*Siſque Noſtri baiula,*
*Donec Natum tibi datum*
*Cernamus per ſecula.*
*Laus gignenti, & naſcenti*
*Sit ſemper, & gloria:*
*Procedenti, & fouenti*
*Sint æquè præconia. Amen.*





## IN SECVNDIS VESPERIS HYMNVS.

*Hymnum feſtiuæ gloriæ*
*Dulci productum cantico,*
*Chorus depromat hodie*
*Flori noſtro Dauidico.*

*Stirps Ieſſe virgam protulit,*
*Et virga florem attulit,*
*Cuius odorem intulit*
*In Vatem dùm ſe obtulit.*
Eliſabeth *hoc percipit,*
*Dum hãc virgã virgineam,*
*Sic ſalutantem recipit,*
*Quam nouit cõſanguineam.*
*Tunc clamat tota ſtupida:*
*Benedicta tu virgula,*
*Quæ fructum geris florida*
*Benedictum per ſecula.*
*Maria hæc intelligens,*
*Laudes cantat magnificas,*
*Quas paucis verbis colligẽs*
*Vias pandit Dominicas.*

*Quibus in Eccleſiis Officium vetus conſeruetur?*

Et licet huius ſolemnia feſtiuitatis ex decreto *Pij .V* Pont. Max. redacta fuiſſe pateſcat ad Officium duplex Maius ſine Octaua ſecundum Regulas ſui Breuiarij, & abſque Vigilia; tamen adhuc in aliquibus Cathedralibus Eccleſiis conſeruatur Officium antiquum prout illud inſtituere *Vrbanus VI. Bonifacius IX. & Sixtus IV.* in *Hiſpaniarum* Regnis, videlicet *Zamorenſis*; *Aſturicenſis*, & Ordo *Carmelitarum.*

Quæſtio I. *Ex quâ vrbe diſceſſit. & ad quam acceſſit B. Virgo?*

Sed circa huius VISITATIONIS myſterium, aliqua inueſtigare compellimur; vt in vnum congeſta, Lectori adhuc amplius inquirere nec locum demus. PRIMVM ergo Quæſitum ſit: *A quâ vrbe, ad quam; diſceſſit, & acceſſit* MARIA? Cui reſpondent omnes, B. Virginem à *Nazareth* in Ciuitatem *Iudà* diuertiſſe, & deueniſſe. Ita B. Lucas *d.c* 1. vbi deſcribens aduentum Angeli *Gabrielis* in Ciuitatem *Nazareth*, vbi morabatur MARIA vt ei de verbi conceptione nuntiaret, expleto incarnationis myſterio, proſequitur: *Exurgens abijt in* Montana *cum feſtinatione in Ciuitatem* IVDA, *& intrauit in Domum Zachariæ, & ſalutauit Eliſabeth,* Annuntiatio facta fuit in vrbe *Nazareth*, & eâ expletâ, abiit in *Montana* MARIA, ergo ab vrbe *Nazareth* diſceſſit. Sed quæ Ciuitas IVDA, ad quam properauit?

*Quo nomine vocabatur Ciuitas Iudà, vbi erat Eliſabeth?*

R.P. Martinus Del-Rius, & origine, & ſtudiis Noſter in *Florid. Marian. Panegyr.* 7. *fol.* 1044. *p.* 2. hanc Ciuitatem dictam CARIATHARBE affirmat; eamque à Chamo conditam, ante cunctas vrbes Palæſtinæ, & Memphim Ægyptiam multis, ante Chriſtum verò natum Annis Bis-Mille Ducentis ſtetiſſe profatur. Illam etiam Gigantes, ſtirpem Enachim habitauiſſe, Calebum, fortiſſimum, & fiduciæ pleniſſimum in Deum, imperium tenuiſſe contendit.

*Quare in Vrbe Cariatharbe hoc myſterium?*

In ea denique Iacobum, Liam, Iſaacum, Rebeccam, Abrahamum, & Saram. imò ipſos primos humani generis Parentes ſepultos fuiſſe concludit. Qui etiam TRES cauſas, quibus potiſſimùm hocce myſterium perfectum fuiſſe, refert: PRIMAM, ob loci nobilitatem, & antiquitatem, quo tot Proceres dominati, tot Patriarchæ ſepulti ſunt.

*I. Cauſa à loci nobilitate.*

SECVNDAM, ob loci myſterium, vt eò, quo Adam, qui peccatum in ſeram poſteritatem tranſmiſit, ſitus erat; illic ſecundus Adam, peccatum illud originale, Ioanne ſanctificato, inciperet eneruare: & vbi cranium primi Adami ſecundò ſepultum fuit; illic Adam ſecundus mortem moriendo primus deſtrueret.

*II. Cauſa à loci myſterio.*

Vt vbi infelicis Euæ cadauer, quem ſolent cætera de humana corruptione fœtorem ſparſerat; ibidem Euæ fortunatæ de ſua incorruptione ſuauiſſimum odorem diſpergeret: vt ſicut illius odor ſuperbiæ hominibus ad exitium fuit; ſic iſtius odor humilitatis foret iiſdem ad ſempiternam vitam. Accedit (proſequitur Del-Rius) quòd hæc ſola in Tribus Iudæ Montanis ciuitas Sacerdotum: Decebat Ioannem noui ſacerdotij Præcurſorem, à Ter-Maximo Melchiſedecij ordinis Sacerdote in vrbe Sacerdotali ſanctificari. Dauid Regem in CARIATHARBE

( quæ & HEBRON dicta ) inunctum accepimus : decebat Saluatorem Mundi, verum epiſtaten, cuius nomen oleum effuſum, hic potius quàm vſpiam alibi ſolido trimeſtri Baptiſtam ſuum Athletam in huius ſeculi ſcamma proditurum, & contra peccata certamen acerrimum ſubiturum, diuinæ gratiæ ceromate inungere, & humilitatis inuictæ puluere ſpargere.

*III Cauſa ab vrbis etymo.*

TERTIAM, ab vrbis etymo, & nominis ſignificatione. Nam CARIATH ARBE vrbem ( inquit ) ARBEÆ, & ARBEÆ accubitum, vel Quatuor ſignificat. Nonne in CARIATH ARBE Rex quando CHRISTVS in accubitu ſuo? Nonne CHRISTVS in accubitu ſuo, quando MARIA in CARIATH-ARBE dedit odorem ſuum? Nonne Regi noſtrò felici hodie in CARIATH-ARBE ingreſſu, Regni ſui poſſeſſionem auſpicanti nomen Quadriliterum, nomen illud tremendum, & ineffabile? Nonne quæ ciuitas huius Regis, verè ciuitas Quatuor literarum? Ciuitas Dei; cuius Nomen in omni fermè ſermone, & idiomate totidem literarum Quatuor. Nonne CARIATHARBE Ciuitas Quatuor incomparabilium, cùm in ea ſimul ELIZABETH & IOANNES, MARIA, & IESVS? Nonne hic CARIATHARBE Nardum ſpirat quatuor ex locis, vt Humilitatem diffundat in Quatuor Cardines Vniuerſi? Spirat humilitatem ELIZABETH, ſpirat IOANNES, ſpirat MARIA, ſpirat IESVS. Seruum Dominus honorat; Dominum ſeruulus adorat; Dei-Genitrix Matrem Præcurſoris inuiſit; honorem hæc amolitur. Vbi qui plura ediſcere ſatagit, notanda reperiet: nam Nos ad alia Quæſita pergimus.

*Quæſt. II. Cur B. Virgo ad Eliſabetham profecta?*

SECVNDVM Quæſitum. *Cur* B. MARIA *de domo exiens cum feſtinatione, ad* Elizabetham *profecta eſt?* R. P. Petrus de Ribadeneyra Noſter in *Flor. SS. Tom.* 1. *h. d fol.* 295. apud Caniſium, QVINQVE Cauſas huius profectionis appingit, quas hic apponere non grauabor, vt omnibus pateant, & quia ex Noſtris.

*Cauſa I.*

PRIMA, quòd à S. Spiritu ſingulariter incitaretur ad communicandum Eliſabethæ Cognatæ ſuæ diuinum, quo iam ditata erat, theſaurum, & cœleſtia, quibus abundabat, chariſmata impertiendum, ſanctificandumque Beatum ſuis verbis Præcurſorem, qui materno clauſus adhuc vtero deliteſcebat. Itaque cùm tot præſentia eius clareret miraculis, quot deinde patrata ſunt, cùm & diuinus Chriſti Baptiſta, adhuc viſceribus matris incluſus, præſenti Numini, feſtum plauſum læto dedit aſſaltu: Eliſabeth impleta eſt S. Spiritu: & Zacharias non tantummodo defectæ loquelæ, vociſque vſum, ſed & diuinum Prophetiæ donum recepit.

*Cauſa II.*

SECVNDA, nimirum Domina hæc, publico nata bono, iam cœperat publicam agere perſonam, noſtræque redemptionis adminiſtram. Publicarum verò Perſonarum, & Chriſtianæ Reipublicæ Miniſtrorum ( quales ſunt Epiſcopi, & Eccleſiarum Paſtores) officium eſt, ſuos inuiſere greges, vitæque æternæ pabula eiſdem impertiri, neque ſuam tantummodo, ſed & alienam ſolicitè, impendioque ſalutem curare.

*Cauſa III.*

TERTIA, nam iuit congratulatum Eliſabethæ ſuper accepto diuinitus beneficio, quod quamuis ſterili fuiſſet effœta ſenio, nobili tamen eſſet iam fœcundata fœtu, magnoque & admirando donata filio futuro mortalibus tantorum cauſa gaudiorum. Charitas enim, diuina chariſmata etiam aliis collata, ſua putat, eſſe propria; eoque pro his meritas agit, horum donorum fonti, Deo, grates, iiſque, quibus ea dona collata videt, congratulatur.

*Cauſa IV.*

QVARTA, quia iuit in domum Zachariæ ſeruitum Eliſabethæ, ſolidum iam ſemeſtre vterum ferenti. Nam cùm Virgo omnium (Chriſto ſemper excepto) eſſet modeſtiſſima, noſſetque filium, quem ſuo gerebat vtero, non veniſſe miniſtrari, ſed miniſtrare; hinc illius & imitatura modeſtiam, iuit inuiſum, ſalutatum, famulatumque eius ancillæ Eliſabeth.

*Cauſa V.*

QVINTA, nec hoc ſuſcepit iter, ſuam vt curioſitatem expleret, nec quòd de cœleſtis veritate Nuntij ( quo fœtam didicerat Eliſabetham Cognatam ſuam) quidquam dubitaret: Sed ſancto S. Spiritus inſtinctu mota, ſubmiſſiſſimo rariſſimæ modeſtiæ decore ducta, incredibili impulſa gaudio, quò fuit inundata, ſimul, ac didicit Cognatam eſſe grauidam, & opprobrio ſterilitatis abſolutam. Alias etiam Quæſtiones piiſſimas circa myſterium Lector apud eundem R. Patrem percurrere poterit, quas hic tranſcribere prolixum.

*Quæſt. III. Cur feſtum*

TERTIVM Quæſitum. Quare ſi hæc Virginis profectio ad Montana fuit illicò

poſt



*hoc non inſtitutum, die quo euenit actio.*

poſt Gabrielis Archangeli Annuntiationem, hoc eſt in exordio Menſis Aprilis, vt plurimi referunt, quos congerit Coluenerius in *Kalend. r. Marian. Tom.* 1. *Die I. April. fol.* 266. non Kalendis Aprilis Eccleſia feſtum VISITATIONIS celebrandum decreuerit. Cui dubio reſpondent Patres Concilij Baſilienſis *ſeſſ* 43. hoc ſic actitatum, *quia tempus illud impeditur, vel ob Quadrageſimam, vel ob hebdomadam Paſchalem.*

*Quæſt. IV. quare Menſe Iulio.*

QVARTVM Quæſitum. Sed cur in exordio Iulij Eccleſia hocce feſtum inſtituerit? Quia circa huius diei tempus, viſitatione completa, nato, & circumciſo iam Præcurſore, Beatiſſimo IOANNE, domum Virgo reuerſa eſt, vt Ioann. Charon. in *Lib. de Sacr. Roſar.* Stengel. *in Vit. S. Ioſeph. c* 4 & Henric. Butingus Author damnatus in *Chronol. h d.* quos refert Georg. Coluener. *Tom.* 2. *Die II. Iul. fol.* 6. *col* 2.

*Quæſt. V. an Ioſeph cum Virgine profectus.*

QVINTVM Quæſitum. An Ioſephus Virginem in hac profectione fuerit comitatus? Patres in diuerſa trahuntur, B. Bonauentur. *c.* 5. *Meditat. Vit. Chriſt.* Caietan in 3 *p S. Thom. q.* 29 *art.* 2. Viualdus in *Bacul. Sacerdotal. c.* 15 *num.* 50. Stengel. in *Vit. S. Ioſeph c.* 5. affirmant. Ioann. Azor. *Inſtitut. Moral Tom.* 2. *lib.* 1. *c.* 23. *quæſt.* 7. Ioann. Herolt. *Sermon.* 25. *de Sanct.* Lancellot. in *Viticul. Marian Pampin.* 10. Lyra in *Comm ad Matth c.* 1. Georg. Coluener. *in Kal Marian Tom.* 1. *Die IV. April.* §. 2. *num* 2 *fol.* 267. *col.* 2 *& Tom.* 2. *Die II. Iulij num* 7. *fol.* 7. & Die IV. Iulij. §. 2. *fol.* 16. negant, qui pro hac opinione ſcripturæ locum adducit. De quo Nos hactenus.

B.

S. VITALIS *Martyr* ] Famigerata huius Sancti Agoniſtæ *Hiſpani* memoria eſt, tàm apud Noſtros, quàm exteros ſcriptores, & Martyrologos, apud quos, poſt Bedam, Vſuardum, Adonem, & recentiores, Martyrolog. Roman. h. d. *Baronij*, Caſtellanum *P. Vaſq.* Luſitanum *P. Lupi*, Hiſpanum MS. *P. Higuera*; & Italum *Conſtantij Felic.* eius Nomen inter alios compulſatur, hoc elogio: *Eodem Die SS. Martyrum* Ariſtonis, Creſcentiani, Eutichiani, Vrbani, VITALIS, Iuſti, Feliciſſimi, Felicis, Martiæ, *&* Symphoroſæ, *qui omnes apud* Campaniam, *cùm Diocletiani Imperatoris perſecutio deſæuiret, martyrio coronati ſunt.* & addit Molanus in *Not. ad Vſuard.* hæc verba: *Ariſton, & reliqui, quos* Vſuardus *nominat conuertuntur, & dant nomina Polycarpo in Geſtis Sebaſtiani.* Et patet, nam illos ad fidem *S. Sebaſtianus* reduxit, vt ex eius Actis apud Surium in *Act. SS. Tom* 1. *Die XX. Ianuar.* conſtat, hac clauſulâ: *Primus itaque omnium dedit nomen ſuum Tranquillinus, pater Marcelliani, & Marci. Poſt hunc ſex amici eorum,* Ariſton, Creſcentianus, Eutichianus, Vrbanus, VITALIS, *&* Iuſtus. Illos fuiſſe *Ciues Romanos* Philippus Ferrar. in *Catalog. SS. Ital. h. d fol* 402. aſſeruit; eorumque lipſana apud vrbem *Sueſſam* in Regno Neapolitano adſeruari contendit. Sed *ciuilitatis Romanæ* à Ferrario aſſignatæ S. VITALI propoſitio, nihil Noſtratum eneruat ſententiam, dicentium S. Martyrem fuiſſe origine *Hiſpanum*; cùm potuit eſſe *Ciuis Romanus*, & origine *Hiſpanus*, ex his quæ diximus ſupra *Tom.* 1. *Die IV. Ianuar.* §. *Nunc ad congreſſum. fol* 65. Sed Noſtrorum ſententias referamus.

*Martyrologia.*

*A quo conuerſus S. Vitalis.*

*Scriptores.*

Flauius Dext. in *Chron. Ann.* 290. hac ſerie: *In Campania Italiæ* S. VITALIS Hiſpanus, *ex Oppido* Thermedâ *in* Carpetania, *Pater SS. Martyrum ad* Complutum *paſſorum,* Iuſti *&* Paſtoris; *conuerſus ad fidem monitis* S. Sebaſtiani, *cum aliis patitur.* Quo loco plura congerit P. Biuar. *Comment. ad Ann.* 290. *num.* 1. *fol.* 309. Roderic. Caro *fol.* 96. *lit. H.* Dextri ſententiam defendunt *Vualderedus* Epiſcopus Cæſarauguſtanus, de quo & Nos ſupra *Tom.* 2. *Die XX. Auril. fol.* 706. *lit. B.* hoc carmine:

*Salue* VITALIS *Martyr fortiſsime Chriſti,*
*Qui quoque Martyribus diceris eſſe Parens.*
*Patria* Complutum, *ſed* Thermeda *ruſtica ſedes,*
Iuſtum, *&* Paſtorem *te genuiſſe ferunt.*
Vos eadem rabies correptos intulit aſtris:
Non locus eſt idem, ſed propè tempus idem.

*Non paucis annis Genitor prope Fundia perfert*
*Anterior Natis; palma ſed vna Tribus.*
*Gaude ſorte tuâ* VITALIS, *ſorte tuorum*
*Felix Natorum: iure Beatus eris.*
*Te modò victorem binis amplectitur vlnis*
*Arcobrica, hæc Capuæ proxima terra ſolo.*
*Ter tua membra loco direpta fuere, ſed ipſa*
*Antiquam ſedem cœlitus Acta petunt.*
*Inibi terra tenet* Hiſpani *Martyris oſſa,*
*Inuidet* Hiſpanus *hoc decus Italiæ.*
*Ora pro nobis* VITALIS *ſplendide Martyr:*
*Eſto memor Patriæ, ceu memor Italiæ es.*

Luitprandus in *Aduerſ. num.* 154. agens de *S. Natali* primùm Toletano, pòſt Mediolanenſi Epiſcopo, de quo & Nos ſupra *Tom.* 3. *Die XIII. Maij. lit. A.* & referens qualiter fuiſſet S. VITALIS Hiſpani filius; *num.* 155. proſequitur: VITALIS *Pater huius* (Natalis Epiſcopi) *in* HISPANIA *natus eſt, qui veniens in* Italiam *genuit* S. Natalem, *pòſt* Thermedæ *in* Carpetania, *priore coniuge defunctâ, duxit* Hiſpanam; *ex qua genuit SS. Fratres* Iuſtum, *&* Paſtorem *Martyres* Complutenſes. *Itaque erant fratres iſti SS. Martyres, &* Natalis *Toletanus, ex Patre.* Hoc idem confirmat *Aulus Halus* in meo MS. Carminum Codice ſequenti Octaſticho:

*Progenuit Sanctum Ciuem* Thermeda VITALEM,
*In* Carpetania *vrbs memoranda diù.*
*Illeque* Paſtorem *genuit*, Iuſtumque *pugilles*
*Fratres-germanos, quos veneratur Iber.*
*Italiam pergens Campanos luſtrat amœnos,*
*Coniuge ſuſceptâ, pignora grata capit.*
*Denique pro fide, Chriſto diſponente, coronam*
*Martyrij Martyr ſuſcipit, Aſtra volat.*

Conueniunt Iulianus Archipreſbyter Toletanus in *Chron. Ann.* 290. *numer.* 125. P. Franc. Biuar. in *Not. ad S. M. Maxim. in Addit. num.* 53. *fol.* 57. D. Laurent. Ramir. in *Not. ad Luitprand. Aduerſ. num.* 16. *fol.* 461. D. Martin. Carrill. *in Annal. Eccleſ. Ann.* 290. & P. Camargo *ibidem.* P. Anton. Quintana-Duen. *Hiſt. SS. Toletan. fol.* 380. §. 1. D. Alphonſ. Nunnius in *Hiſtor. Guadalajarenſ. lib.* 6. *c.* 1. P. Ieronym. de la Higuera, & illuſtriſſimus Comes de Mora in ſuis *Hiſtor. MSS. Toletanis.* ACTA verò S. Martyris ſeparatim ab Actis *S. Sebaſtiani* deſcripſit patrio idiomate P. Antonius Quintana-Dueñas *vbi ſupra d. fol.* 380. §. 1. & Latino, licèt non integra, quamuis aliquibus apocryphis P. Franciſcus Biuarius in *Additionib. ad Maxim. d. num.* 53. *fol.* 57. à quibus, reſecatis ſuperfluis, iſta damus.

*Acta à quibus ſcripta?*

## ACTA S. VITALIS MARTYRIS
### Thermedenſis in Hiſpania ex Variis.

*Origo.*

VITALIS *apud Oppidum* Thermeda *in* Carpetania Hiſpaniæ *natus, Patrem habuiſſe* S. Natalem *Confeſſorem Romanum creditur. Qui cùm ad annos adoleſcentiæ deueniſſet,* Italiam, *vt ſub Imperialibus Aquilis deſeruiret miles, perrexit, vbi poſt varios fortunæ euentus, ductâ vxore, filium nomine* Natalem *ſuſcepit, qui poſtmodum ad* Toletanæ *Sedis apicem euectus, & ad* Mediolanenſis *Eccleſiæ regimen euocatus, ſanctitatis titulo veneratur.*



*Italiam pergit.*

*Igitur, poſt multa,* VITALIS *cum coniuge, & prole* Hiſpanias *repedauit, & apud* Thermedam *ſuæ natiuitatis oppidum ſiſtens, ibidem vitam, adhuc Ethnicus communem agebat. Sed vxore è viuis ſublatâ, ſecundam conciuem Catholicam duxit, è qua* Iuſtum, *&* Paſtorem, *poſtmodum Martyres illuſtriſſimos, ad* Complutum *pro fide paſſos, filios agnouit, & ſuſcepit: quos, quia militaris legis vinculum illi fortiter adſtringebat, iterum* Italiam *profectus, cum Matre, &* Natali *fratre, educandos reliquit. Romam deueniens cum* Marco, *&* Marcelliano *Nobiliſſimis Romanis fortiſſimam contraxit neceſſitudinem, adeò vt illis, in vinculis, causâ fidei, ab Agreſtio Chromatio Vrbis Præfecto detentis, & impetratis triginta dierum induciis, quibus ageretur cum illis, vt ad ſacrificandum Idolis accederent, vnus inter alios,* VITALIS *electus eſt; qui ſanctos Martyres à Chriſti nomine ſepararet, & ad Deorum cultum, amicitiâ compellente, perduceret. Hinc illos commonere cum cæteris adortus:* Vnde vobis tam dura mens, tamque ferreum pectus, vt neque Patris canicie commoueamini, & Matri iam decrepitæ nouos partus doloris afferatis? Olim quidem illa partus ſui dolores his conſolationibus ſuperabat, quòd vno cruciatu duos filios pareret, & geminum Patri filiorum affectum funderet; at nunc inſanabilis dolor, pœna incurabilis, immedicabilis cruciatus, incomparabilis parturitio eſt, dùm ſpes, & gaudium eripitur, vita contemnitur, reſpuitur gloria, & conculcatis omnibus pietatis affectubus, mortis atrocitas appetitur, potiùs quàm timetur. Obſecramus vos, ô amici chariſſimi, tandem hiſce finem date calamitatibus; & vos patres eſſe dulcium filiorum, vel admoniti, mementote. *Hæc, & his ſimilia* VITALIS *& cæteri amici cùm dixiſſent, miſeram ſe clamitans Mater aduenit; acceſſit & ſeniſſimus Pater, acceſſerunt & Coniuges cum teneris filiolis; quibus omnibus lachrymantibus, & mollia verba proferentibus, cœperunt Milites Chriſti molleſcere, & animi dolore permoueri.*

*Hiſpanias repedat.*

*Iterum Italiam reuertitur.*

*Marcum, & Marcellianum amicos à fide diuertere conatur.*

*Huic autem ſpectaculo intererat* Sebaſtianus, *Vir per omnia Chriſtianiſſimus, quem occultabat militaris habitus, & chlamydis vſus celabat. Cúmque cerneret Athletas Dei immenſo certaminis pondere fatigari, in medium eorum ſe inſerens grauiſſimam habuit orationem, de gaudij cœleſtis Paradiſi perennitate; déque vitæ huius voluptatibus, & diuitiis reſpuendis pro æterna conſequenda ſalute. Cumque ex ſuo ore talia proferret, ſubito per vnam fermè horam ſplendore nimio de cœlo veniente, perfuſus eſt, & ſub ipſo ſplendore, pallio candidiſſimo ab Angelis ſeptem clariſſimis amictus, apparuitque Iuuenis iuxta eum dans ei pacem, & dicens:* Tu ſemper mecum eris. *Aderat his omnibus ocularis teſtis* VITALIS, *ceu cæteri Militum perneceſſarij, viditque extemplò Zoæ vxori Nicoſtrati Prothoſcriniarij, in cuius domo hæc gerebantur, loquelam à* Sebaſtiano *reſtitui, cum per ſex annos eâ ægritudine laboraſſet. Vidit & ipſum* Nicoſtratum *miraculi pondere, ad pedes* Sebaſtiani *prouolutum, & ad Fidem perductum, ſimul cum parentibus, vxoribus, & amicis Martyrum; hinc eſt & ipſe* VITALIS *ad Chriſti confeſſionem inuitatus, & cum cæteris ad* Polycarpum *Presbyterum adductus, vt ſacri Baptiſmatis vndis recrearetur. Suſcepto igitur regenerationis lauacro,* VITALIS *de conſilio* S. Caij *Papæ in* Campaniam *cum* Chromatio, *& aliis amicis commilitonibus perrexit, vbi apud* Sueſſam *ſiſtens, Deo aliquandiu piis operibus vacans, in orationibus, inſeruiebat. Sed apud* Campaniæ *Præſidem vnà cum ſociis accuſatus, & comprehenſus, poſt dira tormenta membratim diſcerptus, pro fidei confeſſione martyrio coronatus eſt,* VI. Nonas Iulij, *Anno Domini* CC. XCIII. *Cuius ſacra pignora, & aliorum Sociorum apud* Sueſſam *condita, ibidem honorificè aſſeruata, cultu debito venerantur.*

*S. Sebaſtiani Oratio, & conſtantia.*

*Ab eo Vitalis conuertitur.*

*A Polycarpo baptizatur.*

*In Campania capitur, & coronatur.*

*Vbi ſacrum Corpus?*

Hæc ſunt genuina S. Martyris ACTA. Nam quæ addidere *Biuarius*, *Quintana-Dueñas*, & *D. Alfonſus Nunnius*, de fraternitate SS. VITALIS huiuſmodi, &

*Biuarij, & aliorum commentum circa fraternitatem S. Marthæ Aſturicenſis.*

MARTÆ Virginis, & Martyris *Aſturicenſis*, cui ille, dum *Italiam* repedauit, *Iuſtum*, & *Paſtorem* filios educandos commendauit; merum commentum eſt; à regulis Hiſtoriæ alienum eſt, & à temporum Chronographiâ diſſonum. Patet, nam vt ex *Romano* liquet *Martyrologio*, & ex à Nobis ſupra *Tom. 1. Die XXIII. fol. 218. lit. A.* relatis, S. MARTHA tempore *Decij* Imperatoris ad Annum CC. LIII. vel CC. LIV. martyrium conſummauit, quo tempore nondum SS. Martyres *Complutenſes* nec multo poſt, nati fuere, cùm conſtet ex eorum Actis, ipſos ad Annum CCC. III. agonizaſſe; & tunc *Paſtor* annorum IX. *Iuſtus* vero VII. extitiſſe, ita vt ille Anno CC. XCIV. iſte CC. XCVI. naſceretur: ergo quo pacto MARTHA illos ſuſcipere nutriendos valuit, cùm ipſa ante eorum natiuitatem per XL. fermè annos eſſet martyrio coronata? Nec *Biuarij* emendationi eſt aliquid deferendum, quia cùm illa ex proprio capite meditaſſet, nec auctorem claſſicum, à quo didiciſſet, depromeret, prorſus omnia corruere fatendum eſt.

*Quo Anno coronatur.*

QVATENVS ad Annum, quò S. VITALIS agonem confecit, diſquirendum eſt, omnes ad CC. XC. appingunt, ſed perperam, quia ſi Anno CC. XCVI. natus creditur *Iuſtus* vltimus eius filius, qui ſeptennis Anno CCC. III. occubuit, ergo à fortiori illo Anno adhuc in *Hiſpania* vitam retinebat. Poſt *Italiam* reuerſus, Romæ ſiſtit, amicitiam cum *Marco*, & *Marcelliano* contrahit, ad fidem conuertitur, *Campaniam* ſecedit, apud *Sueſſam* demoratur, & vt inquit *Ferrarius*, infra citandus, per aliquod temporis ſpatium ibidem bonis operibus vacat, donec coronatur; in quorum expeditione duos Annos conſumpſiſſe credendum eſt; ideo eius martyrium ad Annum CC. XCVIII. fuit conſignare neceſſum: Niſi computationem *Dextri* inſequi velimus, qui paſſos Martyres *Complutenſes* VITALIS filios, ad Annum CC. XCVI. refert; & tunc bene potuit Pater martyrio coronari ad Annum CC. XC. vt & ipſe fatetur: eo quod tunc temporis *Iuſtus* vltimus filiorum naſci potuerit ad Annum CC. LXXXIX. & ætatis ſeptimum Annum explere in aſſignato per *Dextrum*, ſcilicet CC. XCVI. & ſic etiam datur tempus Patri, vt Hiſpaniâ Romam repedaret, & cætera, quæ in Actis referuntur, perficeret.

*Quo loco?*

CIRCA Locum agonis apud SVESSAM Campaniæ vrbem, teſtes habeo Paulum Reg. & Dauid Rhom. *in Catal. SS. Regn. Neapol.* quos refert Philipp. Ferrar. *in Catal. SS. Italiæ, h. d. fol.* 402. qui expreſſe in ACTIS à ſe conſcriptis S. VITALIS & Sociorum, contendit eos apud SVESSAM perueniſſe, vbi martyrio coronatos fuiſſe, ibidem ſacra eorum pignora quieuiſſe, adhucque aſſeruari, & coli. Cætera quæ in ACTIS à Nobis concinnatis ſupra, communia ſunt, & quæ comprobatione non indigent, ex citatis Scriptoribus, & ex erudite congeſtis à Doctore *Gregorio Tamayo*, Canonico Complutenſi, & in eius Academiâ Sacrorum Bibliorum Interprete.

*Topographia.*

THERMEDA. Vrbs antiqua *Hiſpaniæ* in *Carpetania*, vt Ptolemæo placet in *Geograph. lib. 2. Tabul. 2. Europ. c. 6.* De qua Ortelius in *Theſaur. Geographic.* verb. *Thermeda.* Hanc ipſam eſſe, quam Appian. Alexander. *de Bell. Hiſpan. fol.* 961. TERMANTIAM vocitauit, Biuar. in *Not. ad Dextr. fol.* 310. fatetur. Hodie vero TIELMES nuncupari omnes ſuperius citati affirmant.

C.

*Martyrologia.*

S. LONGINVS Martyr Romanus. ] Is cum *Aceſto*, & *Megiſto* Martyrio coronatus creditur *hoc die*, vt refert Cardinalis Cæſar Baronius in *Annalib. Eccleſ. Tom. 1. Ann. 69. num.* 111. & in *Not. ad Martyrolog. Roman. h. d. lit C* Eius ſacras exuuias *Româ* ad Monaſterium *Salicenſe* tranſtulit Illuſtriſſimus, ac Reuerendiſſimus Dominus *D. F. Petrus Gonzalez de Mendoza* Archiepiſcopus Granatenſis illius Cœnobij à fundamentis extructor, vt ipſe fatetur in *Hiſtor. Salicenſ. lib. 4. c. 4. fol.* 766.

*Scriptores.*

ACTA verò ex paſſione SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli quam *B. Linus* ſcripſit, & *Michael Sonnius* impreſſit Pariſiis *Anno* 1583. eamque referunt P. F. Ioannes Pineda in *Monarch. Eccleſ. 2. p. lib.* 10 *c.* 35. §. 3. congerit idem Archiepiſcopus Granatenſis *d. Hiſtor. Salicenſ. lib. 4. c. 4. fol.* 770. hiſce verbis:

ACTA



## ACTA SANCTI LONGINI MARTYRIS Romani, ex Paſſione SS. Petri, & Pauli Apoſtolorum à B. Lino deſcripta, & ab aliis Scriptoribus relata.

*Origo, & militia.*

LONGINVS *origine Romanus, ciuis, & miles, qui cùm tempore Claudij Neronis Imperatoris inter Legionarios Romæ ſagum indueret, vnus ex tribus ad cuſtodiam* B. Pauli *Apoſtoli militibus in carcere incluſi, conſignatus eſt. At cognitis* Pauli *mirabilibus in opere, & ſermone facinoribus, vnà cum ſociis* ACESTO, *&* MEGISTO *cuſtodibus, & commilitonibus, Chriſto nomen dedit. Poſtmodum per gladium ſublato* Paulo, *& ipſe cum ſociis ad martyrium iuſſu Neronis acceſſit* VI. Non. Iulij *Anno Domini Noſtri Ieſu-Chriſti* LXIX. *Cuius* Corpus *in Cœmeteriis vrbis Romæ ſepultum, poſtmodum in* Hiſpaniam *delatum, & in Monaſterio* Salicienſi *Fratrum Minorum in Carpetania conlocatum, ibidem honorificentiſſima thecâ incluſum, cultu debito requieſcit, & oppidanorum frequentia veneratur.*

*Cuſtos S. Pauli Apoſtoli.*

*Conuerſio, & martyrium.*

*Tranſlatio, & veneratio.*

Quatenus ad martyrium, ſanctitudinem, & tranſlationem Româ in *Hiſpaniam* Sanctiſſimi LONGINI videſis Illuſtriſſ. Præſulem *d. lib. 4. c* 4. cui in hoc totum defero.

D.

*Martyrologia.*

S. VRBANVS Martyr Romanus. ] Huius memoriam recolunt Martyrologia *Bedæ*, *Vſuardi*, & *Adonis*, à quibus Romanum, hac clauſula: *Eodem die* (VI. Non. Iulij) *Sanctorum Martyrum Ariſtonis, Creſcentiani, Eutychiani,* VRBANI, *Vitalis, Iuſti, Feliciſſimi, Felicis, Marciæ, & Symphoroſæ, qui omnes apud Campaniam, cùm Diocletiani Imperatoris perſecutio deſæuiret, martyrio coronati ſunt.* Conueniunt Martyrologiorum Scriptores recentiores; qui etiam referunt Noſtri Martyris paſſionem apud Campaniam.

*Tranſlatio Corporis.*

QVATENVS ad *Tranſlationem* ſacrarum exuuiarum huius S. Martyris Româ *Madridium*, vbi eius ſacra lipſana in Oratorio Marchionis *Caſtri-Roderici* adſeruata conduntur, indubitabilis propoſitio eſt; & patet ex ſequenti Diplomate.

*Diploma.*

IOANNES Baptiſta de Alteriis, olim Epiſcopus Camerinenſis, Eminentiſſimi Vrbis Vicarij Vices-Gerens, & Iudex Ordinarius: Vniuerſis, & ſingulis præſentes literas inſpecturis, fidem facimus, & atteſtamur qualiter Nos ad maiorem Omnipotentis Dei, & Sanctorum ſuorum gloriam tradidimus, & conſignauimus Illuſtriſſimo, & Excellentiſſimo Domino *D. D. Emanueli de Moura* Curiæ Regali, Marchioni Caſtri-Roderici, Comiti Limiarum, Militiæ Chriſti Magno Commendatario, Terræ-Nouæ, & Quatuor Inſularum Maris Occeani, S. Georgij, Fajalis, & Pici perpetuo Præſidi, Cenſui Regio in Luſitania Prefecto, Hiſpaniarum Dynaſtæ, Philippi IV. Hiſpaniarum Regis auratæ clauis Cubiculario, & nunc apud S. D. N. Vrbanum VIII. Pontificem Maximum digniſſimo Oratori, nonnulla CORPORA Sanctorum, atque Sanctarum Martyrum, inter quæ Corpus S. VRBANI Martyris, aliàs à Nobis ex Callixti cœmeterio de mandato eiuſdem S. D. N. Vrbani VIII. extracta. Eidemque tenore præſentium, vt ab vrbe traſmittere ſeu tranſportare, aliis donare, & in Eccleſia, ſeu in Eccleſiis ſibi beneuiſis collocare, & exponere poſſit, vt à piis fidelibus deuote venerari valeant, licentiam, & facultatem in Domino concedimus, & impartimur. Dat. Romæ hac Die XXV. Iulij Anno Domini M. DC. XLI. Ioannes de Alteriis Epiſcop. Camerinenſ. Vices-Gerens.

Omnia hæc ſanctiſſima Martyrum CORPORA quæ Romæ accepit Excellentiſſimus Marchio Caſtri-Roderici Madridium aduexit & in Oratorio domus ſuæ honorificè condidit, vbi adhuc adſeruantur.

E.

S. VITALIS Martyr Romanus. ] Eius memoriam hoc die repetere curauimus, quia de alio VITALI de quo & Nos *ſupra lit. B.* agit Vniuerſalis Eccleſia; & cùm

iſtius

*Sanctitas, & Tranſlatio.*

iſtius adhuc altum ſilentium in Tabulis Eccleſiaſticis ſit, ideo vt eius memoria ne deficiat in Noſtris, cùm eius ſacra pignora Româ *Hiſpaniam* ſint effectiuè tranſlata, hic illam ſubiungere propoſui. Quod attinet ad eius ſanctitudinem,& agonem, illud conſtat ex Diplomate Apoſtolico, quod Fratres Excalceati SSS. Trinitatis habent, ex quo liquet CORPVS huiuſmodi extractum ex Cœmeteriis almæ Vrbis, & conceſſum cum aliis R. P. F. *Ioanni ab Annuntiatione* illius Ordinis Miniſtro Conuentus S. Caroli ad Quatuor-Fontes de Vrbe, vt conſtat ex Diplomatis traſumpto, quod dedimus ſupra *Tom. 2. Die IX. April. fol.* 564. & hic etiam dabimus, vt cunctis pateat.

*Teſtimonium de Tranſlatione.*

IN DEI NOMINE, AMEN. Præſenti publico inſtrumento cunctis vbique pateat euidenter, & ſit notum, quòd Anno à Natiuitate eiuſdem D. N. Ieſu-Chriſti M. DC. XL. Indict. VIII Die XXVI. Menſis Auguſti, Pontificatus autem SS. in Chriſto P. ac D. N. D. Vrbani diuinâ prouidentiâ PP. VIII. Anno eius XVIII. in mei Notarij publici, teſtiumque infraſcriptorum præſentiâ, præſens & perſonaliter conſtitutus admodum R. P. *Ioannes ab Annuntiatione* Fratrum Diſcalceatorum Ordinis SSS. Trinitatis, Redemptionis Captiuorum, & dicti Ordinis Procurator Generalis, ac Eminentiſſimi, & Reuerendiſſimi D. Cardinalis Barberini, S. D. N. Vrbani PP. VIII. ſecundum carnem ex fratre Nepotis, Confeſſarius, nec non Miniſter venerabilis Conuentus S. Caroli ad Quatuor Fontes de Vrbe, mihi Notario optimè cognitus, aſſerens reuerenter habuiſſe, & recepiſſe ab Illuſtriſſimo, & Reuerendiſſimo *D. Ioanne Baptiſta de Alteriis* Nobili Romano, olim Epiſcopo Camerinenſi, ac Eminentiſſimi, & Reuereudiſſimi Domini Almæ Vrbis Cardinalis Vicarij, Vices-Gerente, nonnulla Sanctorum, & Sanctarum CORPORA, aliàs ab eodem Illuſtriſſ. & Reuerendiſſ. D. Vices-Gerente, ex Callixti Cœmeterio, de Mandato eiuſdem S. D. N. Vrbani VIII. extracta, & ſignanter infraſcripta

*SS. Corpora Româ Hiſpaniam tranſlata.*

Corpora, videlicet *SS. Feliciſſimi, Maximi, Iuſti, Innocentij, Hilarij, Iuſtini, Mauri, Feliciani,* Hyacinthi, VITALIS, *Alexandri, Gratiani, Ioannis, Vincentij, Bonifacij, Valentini, Dionyſij, Claudij, Valeriani, & Callixti Martyrum, &* Sanctarum *Concordiæ, Floræ, Fabianæ, Aureliæ, Reſtitutæ, Victoriæ, Candidæ, & Eugeniæ Virginum, & Martyrum*, prout ex literis patentibus ab eodem Illuiſtriſſ. ac Reuerendiſſ. D. Vicesgerente, ſubſcriptis, ſibi conceſſis, quarum copiam præ manibus habens, in medium exhibuit, mihique Notario tradidit, de quo fidem facio: Ideo perilluſtris ac Reuerendus Pater Ioannes vtens pro infraſcriptis valide peragendis licentiâ, & facultate ſibi à dicto Illuſtriſſ. & Reuerendiſſ. D. Viceſgerente conceſſis, & attributis, prout in eis continetur, ſponte, &c. Omni meliori modo &c. Supradicta SS. Corpora donauit, & elargitus eſt R. P. F. *Iſidoro de S. Ioanne*, Miniſtro Generali Fratrum Diſcalcearorum Ordinis SSS. Trinitatis, Redemptionis Captiuorum, Matriti reſidenti, & hinc licet abſenti, perilluſtri D. Henrico de la Fluet Belgico, & Excellẽtiſſimi Domini Oratoris Catholicæ Maieſtatis familiari, & continuo commenſali, pro eo præſenti, & acceptanti, & eâ qua decet reuerentiâ recipienti, ad habendum, &c. Actum Romæ in Conuentu S. Caroli ad Quatuor-Fontes eiuſdem Ordinis. Præſentibus &c.

Hæc igitur SS. CORPORA in Diplomate recenſita, Madridium adlata per eundem R. P. F. *Iſidorum à S. Ioanne* Miniſtrum Generalem per Conuentus ipſius Ordinis in Hiſpania conſtitutos diſtributa, S. VITALIS lipſana Monaſterio *Villa-Nouano*, quòd *Infantium* vocitant in *Carpetaniæ* prouincia erecto conceſſit, vt patet ex literis diſtributionis ab eodem Miniſtro Generali confectis, vt typis excuſis *Madridij Die XXX. Martij, Anno Domini M. DC. XLI.* coram *Lamberto Tito Notario* Apoſtol.





# V. NON. IVLII.

## DIES III.

A *Apud* Caparram *in Vettonia Hiſpaniæ* SS. MARCI, MVTIANI *&* PAVLI, *qui pro Chriſti nomine tormentorum anguſtia oppreſſi, iamiam declinare viſi, ni* Paruulus *illos ne Idolis litarent, intrepidâ ſupra ætatem libertate, moneret, quo reſipiſcentes cum* Pueruli *innocentia coronati ſunt.*

B *In Monte* Libanienſi *apud Aſtures* S. Tolobæi *Epiſcopi Braccarenſis, qui auditis* S. Turibij *miraculis, ad ipſum montem degentis, & Monaſterium ædificantis, relicto Epiſcopatu,* Libanium *acceſſit, & accepta S. P. Benedicti cuculla, glorioſum de ſe præbens virtutum odorem, ad ſuperos euolauit.*

---

# NOTÆ.

SANCTI MARCVS, MVTIANVS, & PAVLVS Martyres]. A.

*Martyrologia.*

Eorum nomina Græcorum *Menologium* hac ſerie ſeruauit: *Eodem Die* (V. Non. Iulij) SS. MARCI *&* MVTIANI *Martyrum, qui cum quodam* PAVLO *ipſos exhortante, &* Puerulo *illos ad confeſſionem fidei monente, gladio cæſi ſunt.* A quo Martyrolog. Roman. prolixius ſic: *Eodem die Sanctorum Martyrum* MARCI, *&* MVTIANI, *qui pro Chriſto, gladio cæſi ſunt: Quos cùm* Puer *paruulus, ne immolarent Idolis altâ voce moneret, verberibus iuſſus eſt cædi; cùmque vehementius Chriſtum confiteretur, vnà cum quodam* PAVLO *Martyres exhortante, necatus eſt.* Conueniunt Martyrologia Caſtellanum *P. Vaſq.* Luſitanum *P. Lupi*; Hiſpanum MS. *P. Higuera*; & Italum *Conſtantij Felicis.* cum aliis recentioribus. Apud quos altum ſilentium de loco palæſtræ. Illum conſignauit Flau. Dextr. Noſter *in Chron. Ann.* 308. vbi P. Biuar. *Comment.* 2. *num.* 9. *fol.* 368. & Roderic. Car. *fol.* 118. *lit. C.* his verbis: *In Vrbe* CAPPARA *Luſitaniæ* SS. MARCVS, MVTIANVS *& eius Socij.* Ita in MSS. emendatioribus. In Antiquo verò MS. Carminum Codice apud me hoc Epigramma recenſetur:

*Scriptores.*

*PRO SS. MARCO, MVTIANO, ET*
*Sociis Martyribus Capparenſibus,*
*Decaſtichon.*

Cappara, MARCVS *adeſt Martyr, necnon* MVTIANVS,
*Vnà cum* PAVLO, Paruulus *& ſocius.*

*Illos in cœlum per dulcia pondera mittis*
*Martyrij, quando thura Diiſque litas.*
*Illos de cœlo poſt tempora multa reducis*
*Catholica, ad proprios, te venerante, lares.*
*Ergo tui memores, tua ſemper nomina Diui*
*Seruarunt ſeclis, quòd ſua corde gerat.*
*Grates redde tuis memorabilis inclyta Sanctis*
*Vrbs, quos ſedulitas reſtituitque tibi.*

*Martyres officio Duplici donati.*

Fortè æuo quo hæc ſcripſit Epigrammatarius, ob Sarracenorum Hiſpanias moderantium, & Sanctorum Nomina delentium, ſtragès, Noſtrorum Nomina Sanctorum ſub ſilentio occluſa, reſtituta Capparitanis fuere, vt indicant Duo vltima Diſticha. Quod & nuperrimè Noſtro euenit quoque tempore: nam cognito per Illuſtriſſimum ac Reuerendiſſimum Dominum, ac Dominum meum *D Didacum de Arce Reynoſo* tunc Epiſcopum *Placentinum*, poſt Supremum Fidei Cenſorem, palæſtræ locum, illumque in ſuæ Diœceſis terminis conſtitutum exiſtere, Noſtros Sanctos Martyres, vti ſui Epiſcopatus ciues, & agoniſtas, Naturales in poſterum declarauit, eorumque memoriam ſub ritu Officii Duplicis de Communi Plurimorum Martyrum ſecundum Regulas Breuiarij Romani per totam Diœceſim, cultu anniuerſario celebrari præcepit, vt ex literis circularibus coram me expeditis liquet, quarum copiam ſupra *Tom* 2. *Die* XXVIII. *April. fol.* 799. *lit. A.* cudere curauimus. De eis & Nos in *Vita S. Epitacij c.* 1. *num* 16. *fol.* 34. *&* *c.* 2. *num.* 16. *fol* 103. Eorum ACTA prorſus periere, illa prout Scriptorum breuia nobis penſa reliquere veſtigia, illis cohærentes ſubiiciemus:

## *ACTA SS. MARCI, MVTIANI, Pauli, & Pueri anonymi, Martyrum Capparenſium, ex Græcorum ſchedis, Martyrologiis, & Flau. Dextro.*

*Origo.*

MARCVS, MVTIANVS, & PAVLVS *origine* Hiſpani, *ex vrbe* Cappará Luſitaniæ *vetuſtiſſimâ oriundi, conculcatis idololatriæ vanis ſuperſtitionibus, quibus fermè totum Romanum Imperium cæcâ libidine cohærebat, & exploſis inanium Deorum adorationibus, quarum Orbis, & Vrbis penè ſtulta caligo inſectabatur errores, Chriſto nomina dedere. Hinc inter Chriſticolas numerati, communionem cum cæteris fidelibus receperunt, quorum pietatem, & doctrinam ebibentes, vitam religiosâ circunſpectione texebant. Sed eueniente per* Hiſpanias *horribili Imperatorum perſecutionis procellâ, quâ fere omnes Catholicos dira Præſidum rabies crudeliter abſumebat; ob fidei profeſſionem in vrbe* Capparâ MARCVS, & MVTIANVS *fuere carceribus mancipati. Quos cùm per aliquot temporis intercapedinem fœda obſcuritas retineret ergaſtuli, illos ad tribunal Iudicis ſæua ſatellitum manus cathenarum pondere duxit adſtrictos. Quibus poſtquam Iudex multa de Deorum potentiâ, cultu, & veneratione dixiſſet, cùm Martyres in fidei conſtantiâ firmiſſimos prænotaſſet, ad cruciatuum experientiam furoris oppletione deuenit. Ergo in equuleum extenſi Martyres, brachiis poſt terga diſtortis, pedibuſque machinæ funiculis alligatis, graues dolorum ictus ita perſentire cœpere, vt penè tormentorum rigoribus obruti deficere viderentur. Quos, vt Puer paruulus in fidei profeſſione nutritus, vacillantes agnouit, illos altâ voce, ne Idolis immolarent, intrepidâ pietate commonuit. Arſit* Pueruli *Chriſtiani voce intempeſtiuâ Tyranni furor, & quem, cauſam ſuæ ignominiæ ob additam Martyribus, iam deficientibus, conſtantiam, fuiſſe cognouit, licet ætate puſillum verberibus cædere iuſſit. Sed Sanctus* Puer *Iudicis pœnas contemnens, & Martyrum*

*Chriſto adhærent.* *Capiuntur.* *Cruciantur.* *Puer Martyres monet.* *Flagellatur.*



*tyrum anguſtias adhuc in cataſtis eleuatorum emolliens, vehementius Chriſtum, verum eſſe Deum, inter verbera fatebatur intrepidus. Duorum igitur Conciuium imbecillitatem, &* Pueruli *conſtantiam demirans* PAVLVS, *qui inter Gentilium turbas euentui inſpectator aderat, martyrij gloriâ ſuccenſus, & vt homopolos ad paſſionum fortitudinem inuitaret; & vt* Pueri *fidei robur imitaretur ex animo, ſe ſe Chriſtianum eſſe profitens, Martyres ſuos ad conſequendam coronæ gloriam, in æternum duraturam, totis animi viſceribus exhortabat. Tunc denique Iudex tot Chriſtianorum Martyres auxiliantium commonitionibus ineſcatus, protinus omnes gladio cædere permiſit: quo facto, martyrij lauream Agoniſtæ intrepidi percepere* V. Nonas Iulij, *Anno Domini* CCC. VIII.

*Pauli exhortatio ad Martyres* *Coronantur.*

Hactenus ACTA, quæ elici ex Menologio, & cæteris Scriptoribus tam Noſtris, quàm exteris potuere. Cætera quia communia ſunt illuſtratione non indigent. Vnum hic notandum eſt: quòd licet Anno, quo *Dexter* Noſtrorum Martyrum conſignat agonem, iam Diocletianus, & Maximianus ab Imperij regimine eſſent alieni, ita vt in Chriſtianos perſecutio remiſſior eſſet; hoc eſt intelligendum in *Italiæ* circulis propinquis, non verò in remotis, vbi Præſides ferociùs aduerſus Chriſti membra deſæuiebant, & videre eſt apud *Chronologos*, maximè in *Hiſpania*, quâ vt notat Dexter *d. Ann.* 308. prolixius huiuſmodi furoris procella ſerpere viſa eſt.

B.

S. TOLOBÆVS *Epiſcopus* Braccarenſis *Confeſſor.*] Eius obitus diem conſignat Iulianus Archipreſbyter Toletanus in *Chron. Ann.* 593. *num* 310. *fol.* 68. his verbis: *Moritur* S. TOLOBÆVS, *aliàs* TOBÆVS *in Eremo* Libanienſi, III. Die Iulij, *qui prius fuerat Epiſcopus Braccarenſis.* Cognito tranſitus die, nunc eius memoriam ex obliuionis tenebris extrahere opus erit, vt tanti Præſulis res geſtas totus quoque cognoſcat Orbis. De eo S. M. Maxim. primò in *Chron. Ann.* 612. apud Rodericum Caro *fol.* 217. & apud Biuar. *num.* 12. *&* 13. § 17. *&* 18. *fol.* 726. dixerat: *Per hæc tempora in Monte* Libanenſi Aſturum, *celebris habetur memoria* S. TOLOBÆI, *Epiſcopi* Braccarenſis *in Hiſpania*. Poſt illum, & *Iulianum*, S. Pontificis meminere P. Anton. Yep. in *Chron. Benedict. Tom.* 1. *Ann.* 537. *c.* 3. *fol.* 97. D. Prudent. Sandoual. in *Fundation. Monaſter. Libanenſ.* §. 7. *fol.* 4. *col.* 4. D. Roderic. de Acuña *Hiſtor. Braccarenſ.* 1. *p. c.* 80. *fol.* 343. P. Biuar. in *Not. ad S. Maxim. in Chron. Ann.* 540. *num.* 6. §. 38. *&* 39. *fol.* 408. Eius ACTA huc vſque nullus ſcripſit, illa ex Noſtris dabimus.

*Scriptores.*

## *ACTA S. TOLOBÆI BRACCARENSIS Epiſcopi, & Confeſſoris, ex S. Maximo, Iuliano, & D. Prudentio Sandoualio, & aliis Scriptoribus.*

*Origo, & infula.*

TOLOBÆVS *natione* Hiſpanus *Gothorum Regum tempore ſanctitate celebris, ad apicem Sedis* Braccarenſis *deuenit, cuius infulas induens, Eccleſiæ, & Diœceſis regimini Paſtor prouidus inſiſtens, plurimos de ſe virtutis, & doctrinæ reſpirauit odores. Itaque eo huiuſmodi pontificatum Metropoliticum poſſidente, quidam ſanctus Monachus Benedictinus origine* Pallentinus, *& ex nobiliſſima Gothorum progenie oriundus, nomine* Turibius *Monaſterium S. Martino dicatum in Eremo* Libanienſi *apud* Aſtures *extruere cœpit. Huius igitur Viri Dei* Turibij *miracula, quæ Deus eius interceſſione faciebat, adeò totius Hiſpaniæ regiones opplebant, quòd eorum fama* Braccaram *deueniret, & S.* TOLOBÆI *eius Præſulis occuparet auditum: qui tot prodigioſa mirabilia demirans, pietatis ardore ſuccenſus, & religionis impulſu ineſcatus, ſe ſe ſocium* Turibio *addere cupiebat, ſed ſuſcepti muneris onus totas benè nati deſiderij machinas diſſoluebat. Aſt totum negotij pondus in manus Numinis derelinquens, vt viam executioni eius piiſſimæ intentionis ſecuram quantocius aperiret, euenit, Deo diſponente, quòd dimiſſo Epiſcopatu*

*S. Turibij Monachi opinio.* *Illi adhærere deſiderat.*

*Dimiſſâ ſede Eremum petit.*

*patu iuridicè, vt illa ferebant tempora, in ſupra memoratam Eremi* Libanienſis *ſolitudinem, vnà cum* Synobi *Diacono*, Euſebio, Euſoſtomo, *&* Ioſaſo *familiaribus, & ſociis pergeret, vbi* Turibio *adhærens, ſubque eius ſanctiſſimâ ferulâ ſe & ſuos verâ humilitate redactus, cucullam ſibi, & ſociis à S. Viro prolixius depoſcebat.*

*Monachum agit.*

Ergo Turibius *B. Præſulis, cuius iam per literas animum deprehenderat, ſeceſſus ſpiritum agnoſcens, vt piis eius, & ſociorum deſideriis, ex intimis cordium affectibus, emanatis, protinus B. Benedicti* Tolobævm, *& ſocios cucullâ decorauit, quâ induti ad opera Cœnobij, abſque vlla relaxatione, feſtinantes, regulam ad vnguem, Deo auxiliante complebant. Præcipuum quippè Beati* Tolobæi, *& ſociorum curæ pondus, in animarum curâ, & virtutum ſegete conſiſtebat, vt corda, acceptabile. Deo Templum efficeret, quo Numen ſiſtens, eorum viſcera, à peccatis aliena, diuinis fauoribus illuſtraret Poſt hoc B. Vir cum ſociis, ad Cœnobij conſtructionem perficiendam lapides, calcem, aquam, & his ſimilia, operariis, propriis manibus deferebat, quorum adiutorio, & operâ, illud celebre Cœnobium, ditiſſimum ſæculis Sanctitatis theſaurum, munitiſſimum aduerſus futurum Sarracenorum dominationem, præſidium, quo Gothorum reliquiæ tuerentur, perfectionem accepit. Demum S. Vir poſtquam in hoc ſeculo vitam Pontifex texuiſſet onerosam, in regimine ſpirituali populorum ſibi ſub baculo commiſſorum, quorum regimen totos Deos poſcit; poſt actam in Eremo ſibi gratam, virtutum ſarcinis cumulatam, doctrinæ, & pietatis cumulis expeditam, cupiens diſſolui, ægritudine oppreſſus, pœnitentiâ fideliter acceptâ, ad æterni præmij remunerationem Confeſſor inclytus properauit* V. Non. Iulij, *circa Annum Domini* D. LX. *Cuius* Corpus, *cum SS. Sociorum pignoribus adhuc in Monaſterio* Libanienſi *adſeruatur, vbi veneratione debitâ colitur.*

*Exercitiâ ſpiritualia.* *Manualia.* *Moritur.*

*An Monachus?*

Hæc ſunt Acta quæ congerere potuimus, in quorum ecphraſi, illud probandum venit, quod dimiſſo Epiſcopatu, *S. Turibio* adhæſiſſet, cucullamque Benedictinam cum ſociis induiſſet. Omnia vnâ complectitur clauſulâ D. Prudent. Sandoual *d.* §. 7 *fol.* 5. his verbis latinitate donatis: Turibius *igitur vitâ & popularibus curis defeſſus (tunc temporis florere Regulam* S. P. Benedicti, *in multis ſanctiſſimis Monachis* Hiſpaniam *ab ipſo Patriarcha dimiſſis, cœpit) habitum & regulam prædictam ſuſcipere propoſuit, quam tandem adeptus eſt: & accitis aliquibus ſociis in Eremum* Libanienſem *ſeceſſit, vbi in montis aſperi cacumine Monaſterium D. Martino conſtruere cœpit. Cui operi ſocios adhibuit* Tolobævm *Epiſcopum*, Synobim *Diaconum*, Euſebium, Euſoſtomum, *&* Ioſaſum, *quos cucullâ monaſticâ decorauit.* Subſcribunt P. F. Antonius Yepius *d. Ann.* 537. *c.* 3. *fol.* 97. D. Roder. de Acuña *d. c.* 80. *num.* 2.

*Quo Anno moritur?*

Qvatenvs ad *Annum Tranſitus*, licet à nemine eius computatio referatur, crediderim eueniſſe, circa D. LX. Ratio eſt, quia ſi *S. Turibius* viuere deſiit ad Annum Domini D. XLIX. vel circiter, optimo iure Tolobævm occubuiſſe poſt decem annos fatebimur, cum conſtet ſuperuixiſſe *Turibio.*

*Quo loco ſepultus?*

Circa Corporis ſacrati Tolobæi, & ſacrorum pignorum Sociorum, exiſtentiam in antiquo *Libanienſi Cœnobio*, vbi cultu debito venerantur, eundem Sandoualium *vbi ſupra* §. 9. *fol.* 5. *col* 4. de illis loquentem auſculta: *In Eccleſia Cœnobij* Libanienſis *conduntur* Corpora S. Turibij *Epiſcopi* Aſturicenſis, *Aſturum Patroni; & alterius* S. Turibij *Monachi, & eius Sociorum* Tolobæi *Epiſcopi*, Synobis *Diaconi*, Euſebij, Euſoſtomi, *&* Ioſaſi. *Eadem* Yepius, *&* Acuña.

*Topographia.*

Monasterivm Libaniense. Conditum fuit in aſperrimis Hiſpaniæ Montibus, non procul ab eo quem *Europæ* vocitant, è regione Maris *S. Vincentij de la Barquera*: ad Oppidum *Potes*, quod Monaſterio proximum eſt in *Montanis* S. *Iulianæ*. Hocce Cœnobium à tempore *S. Toribij* Monachi extructum creditur, in quo celebres Reliquias Sanctorum repoſitas intuemur: quarum catalogum, & antiquitatem Monaſterij referunt P. F. Antonius de Yepes vbi ſupr. *d. Ann.* 537. *c.* 3. *fol.* 97. & D. Prudentius de Sandoual in *Fundation. Monaſterior. Ordin. Benedictin. Caſtell. in Monaſter. Libanienſ.* §. 1. *fol.* 2. qui aſſerit: Prouinciam illam *Libanienſem* olim



olim fuiſſe *Comitatus* titulo decoratam, quem domus *Gironum* poſſedit; poſtmodum verò illius, Carrionis, & Saldañæ Comes dignoſcebatur *D. Petrus Aſſurius*, qui Valliſoleti Dominus & Dynaſta fuit temporibus Adelphonſi VI. Regis Caſtellæ, & Legionis, qui vrbem Toletanam ex Agarenorum faucibus eripuit. *Comitatus Libanienſis, quibus paruit.*

# IV. NON. IVLII.

## DIES IV.

*A.* Hispali *in Bætica* S. Lavreani *ipſius vrbis Epiſcopi, qui à Totila Vviſigothorum Ariano Rege propter Catholicæ fidei firmitatem, inſequutus, poſt varias exulatus ærumnas, ad Bituricenſem Galliæ territorium, ab impij Regis apparitoribus adinuentus, ſucciſo capite, quod diu manibus reportauit, vt alter Dionyſius, gloriam martyrio eſt conſequutus æternam.*

*B.* Vlyſippone *in Luſitania* S. Eliſabethæ *viduæ, Portugalliæ Reginæ, quæ quia à finibus terræ, Mulier Fortis inuenta eſt; hinc inæſtimabile in Eccleſia Sanctorum pretium eius, & quia in multis Domino placuit, ideò à Domino mercedem accepit.*

*C.* *Pampilonæ* S. Innocentii *Martyris Romæ paſſi ſacra pignora reconduntur in Monaſterio fratrum excalceatorum SSS. Trinitatis, quæ ab Ordinis Generali accepta, honorificè coluntur.*

# NOTÆ.

Sanctvs Lavreanvs *Epiſcopus* Hiſpalenſis *Martyr.*] Eius celebris eſt memoria non ſolum in *Hiſpania*, cuius Epiſcopus apud *Hiſpalim* fuit, ſed in *Italia* apud *Mediolanum*, cuius Diaconus extitit, & in *Aquitania* apud agrum *Bituricenſem*, quo, pro fidei prædicatione, martyrium compleuit. Romanum Martyrolog h. d. ſic eius agonem profert *In Territorio Bituricenſi* S. Lavreani *Epiſcopi* Hiſpalenſis, *& Martyris; cuius* Capvt Hiſpalim *in* Hiſpania *delatum eſt.* Conueniunt *Beda, Ado, Vſuardus, Galeſinius, Maurolicus*, & cæteri recentiores, nec non Martyrologia Caſtellanum *P. Vaſquez*, Luſitanum *P. Lupi*, Hiſpanum *MS. P. Higuera*, Italum *Conſtantij Felicis*, Gallicum *Andreæ Sauſſay Tom.* 1. *fol.* 413. Petr. Equilin. in *Catalog. SS. lib.* 6. *c.* 49. Ex Noſtris, & Exteris ſcriptoribus eius meminere S. M. Maxim. *in Chron. Ann.* 534 vbi Roder. Caro *fol.* 186. *lit. N.* & P. Biuar. *num.* 7. §. 20. *& ſeqq. fol.* 399. Marineus Siculus de *Reb. Hiſpan. lib.* 5. Vaſſ. in *Chron. Ann.* 544. Garibay in *Compend. Hiſtor. lib.* 8. *c.* 16. Marieta *Hiſtor. SS. Hiſpan. lib.* 1.

A

*Martyrologia.* *Scriptores.*

*lib.* 1. *c.* 25. Ambroſ. Moral. *Hiſtor. Hiſpan. lib.* 11. *c.* 52. Ioann. Marian. *ead. Hiſt. lib.* 5. *c.* 8. Cæſar Baron. *Annal. Eccleſ. tom.* 7. *Ann.* 548. D. Franc. Padill. *Hiſtor. Eccleſ. Hiſpan. tom.* 2. *Cent.* 6. *c.* 23. Alphonſus Morgado *Hiſtor. Hiſpalenſ. lib.* 1. *cap.* 8. D. Paulus de Spinoſa *ead. Hiſtor. lib.* 2. *c.* 16. Roder. Caro in *Corograph. Hiſpal. lib.* 2. *c.* 11. P. Anton. Quintana-Duen. *Hiſtor. SS. Hiſpalenſ. fol.* 111. D. Martin de Anaya in *Apolog pro SS. Hiſpal.* 5. *p. num.* 10 *fol* 24. Ex Floribus SS. Truxillo in *Theſaur Concionat. Tom.* 2. *fol.* 1255. Villegas, Sanctorus, Vega, Æmilianus, Cayraſco, Maldonatus, Ribadeneyra, & alij Scriptores vt Benedictus Gononius *Tom.* 1. *& Vit. Patr. Occidental. lib.* 4. *fol.* 248. Eius ACTA ex *Breuiario Hiſpalenſi* vetuſto, & ex aliis Scriptoribus coagulabimus.

*Flores ſanctorum.*

## *ACTA S. LAVREANI MARTYRIS Epiſcopi Hiſpalenſis in Hiſpania ex Breuiario Hiſpalenſi antiquo, & aliis Scriptoribus.*

*Origo.*

LAVREANVS *Pannonenſium territorio oriundus, Parentibus quamquam paganis, nobiliſſimis tamen, genere glorioſus effulſit. Qui ab infantia* Mediolanum *deueniens, in eius Eccleſia nutritus, ibidem literarum diſciplinis extitit eruditus. Cùm enim annum vigeſimum quintum attigiſſet (eo iam pridem baptizato) ab* Euſtorgio *eius nomini* II. *Epiſcopo* Mediolanenſi *Diaconatus officium ſuſcepit, quem & ad eruditionem, & doctrinam Magiſtrum habuit; è cuius ſcholâ ſic in eccleſiaſticis exercitationibus eruditus euaſit, vt pœnè omnis Arianorum perfidia* Mediolanenſium *S Diaconi irrefragabilibus diſputationibus, & continuis ad populum concionibus laberetur. Tantam etenim B. Viri veritatis argutiam, vt* Totila *Oſtrogothorum Rex in Italia cognouit, protinus furore concitus, ſanctiſſimum Diaconum ad necem trahere procurauit, ſed diuinitus admonitus* Mediolanum *relinquens, poſt varios laborum anfractus* Hiſpalim Hiſpaniæ *deuenit.*

*Educatio. Fit Diaconus. Hiſpaniam venit.*

TVNC *temporis ſedem illam Metropoliticam Beatiſſimus* Maximus *regebat, qui cognito* LAVREANI *ingenio, & exilij cauſâ perſpectâ, illum ad propria reduxit, & poſtmodum ſuum* Archidiaconum *ordinauit. Quâ dignitate obtentâ, ita in eius ſe geſſit adminiſtratione, quòd S. Viri opera prorſus muneris exiſtimationem, virtutum ſarcinâ, ſuperarent. Hinc ad gloriam tranſlato* Maximo Hiſpalenſi *Pontifice, Cleri, & Populi ſuffragiis in eius locum Antiſtes inauguratus, tantorum Populorum Regimini aſſiſtere, & inſiſtere, prout muneris onus expoſcebat incepit. Sed cùm Decem, & Septem annis contra Arium, & eius ſequaces, vt robuſtus præliator Chriſti debellaret, & nequiuiſſet totaliter extirpare, quadam die poſt Matutinas feſſus quieſcens, aſtitit ei iuuenis præclarè reſplendens, ter vocans eum:* LAVREANE. *Cui B. Præſul reſpondit.* Adſum. *Iuuenis inquit:* Surge, recede ab hac plebe maligna, quæ te frui non meretur, & vade vnde audieris, & cum corona Martyrum peruenies ad gaudia Paradiſi. Noli tardare; hæc quoque Ciuitas flagellabitur fame, & peſte, carebitque pluuiâ ſeptem annis, donec pœnitens tuis Reliquiis illuſtretur. *Quo dicto Iuuenis euanuit.*

*Archidiaconus Hiſpalenſis. Epiſcopus. Hiſpalim deſerere iubetur.*

POST *hæc B.* LAVREANVS *ſurgens, corpore Chriſti, & ſanguine præmunitus, plebem alloquitur iniquam, à mane vſque ad horam Tertiam: & accepto baculo circuiens ciuitatem flendo clamabat:* Omnis hæc ciuitas in anguſtia erit multis diebus, donec pœnitendo, diuino reſpectu viſitetur. *Quo facto ciuitatem deſeruit, quo agente iter, cæcus quidam è via clamauit:* Sancte Dei illumina me, & ſequar te. *Qui dixit:* Si vis me ſequi, ego regam greſſus tuos. *Surgens cæcus cœpit eum ſequi, & ambo pariter ibant. Eo autem die poſt ſolis occaſum peruenerunt ad Maris portum; cui adfuit prædictus Iuuenis, inquiens:* Intra velociter, quia Rex Theudius te

*Cæcum in via illuminat.*



te iuſſit inſequi, vt redeas. *Tunc aperti ſunt oculi cæci, & dixit:* Obſecro Pater, quis eſt iſte Iuuenis tam pulcher, qui te præcedit? *Sanctus dixit:* Chriſtus qui te illuminauit. Vide ne alicui dixeris. *Ingrediente verò nauim, nullus Nautarum interrogauit:* Tu quis es. *Nam pauor eos inuaſerat.*

PERVENIT *S. Præſul breui* Maſſiliam *Galliæ vrbem, in Mediterranei Maris littore poſitam, vbi è naui ſoluens, vrbem ingreſſus filium cuiuſdam Principis ſuſcitauit, quem, & parentes, totamque familiam, & alios ciues ad fidem Catholicam reduxit; & veniens ad Italiæ portum, ibidem multos afflictos de diuerſis languoribus curauit, & cæcos illuminauit. Deinde venit* Romam, *& à Beatiſſimo Papa* Vigilio *honorifice ſuſceptus, illum facundiſſimo lætificauit eloquio, qui poſtmodum ex præcepto ſanctiſſimi Pontificis in ſolemnitate Cathedræ S. Petri ſolemnia celebrauit; vbi egenum quendam ſenio grauatum, cuius à natiuitate genua, & brachia aruerant, integre reſtituit ſanitati. Quo facto, vt auram popularem diffugeret* Turonem *Galliæ vrbem deuenit, vt* S. Martini, *cuius amore flagrabat, ſacra pignora viſitaret.*

*Maſſiliã appulſus ſuſcitat puerum. Romam venit vbi paralyticũ ſanat.*

IGITVR *expleto huius pietatis officio, Iuuenis ille, qui fas eſt credi Angelus, eius martyrium nuntiauit, dicens:* LAVREANE conſtans eſto: ecce *Totilla* Rex apparitores per omnes Prouincias miſit, vt te interficiant, & caput tuum *Hiſpalim* deducant, vt perpetua ſuffragia, ciuitas illa diu afflicta, valeat adipiſci. *Ad hanc vocem confeſtim S Præſul ſurrexit, ac prompto greſſu, lætoque animo, quod iuſſus fuerat agere compleuit. Nam à ſepulchro* B. Martini, *oratione expletâ, regreſſus, ad locum ſibi deſtinatum intrepidus iter arripuit, quem* Vaſtinum *in agro* Bituricenſi *Oppidani compellant. Ibique miſſi ſicarij à Rege perfido caput eius amputauerunt. Qui poſt ſacrilegum facinus nimio pauore perterriti velut amentes, capite relicto, fugere cœperunt. Tunc Beatiſſimus* LAVREANVS *caput ſuum in manibus tollens, ibat poſt eos clamans:* Nolite fugere, ſed hoc meum accipientes caput, *Hiſpalim* aſportate ad eum, qui vos miſit. *Qui corde valde compuncti ad S. Martyris pedes accedentes, & eius peccatum confitentes, & de eius manibus caput accipientes ad* Totillam *abierunt, cui illud ſtupefacti tradiderunt, omnia quæ euenerant recenſentes.* Totilla *poſtmodum* Caput *ſacratum* Theudio *demiſit, qui magna deuotionis veneratione Eccleſiæ obtulit* Hiſpalenſi, *ex quâ die vrbis fames, & epidemia ceſſauit, & terra pluuiâ cœleſti cœpit inebriari. Corpus apud* Vaſtinum *ſepultum, poſtmodum in* Bituricenſis *Eccleſiæ honorificum locum tranſlatum eſt. Præſtante Domino Noſtro Ieſu-Chriſto, qui cum Patre, & Spiritu ſancto viuit in ſecula, Amen.*

*Angelus martyrij locum deſignat. Illuc pergit, vbi coronatur. Caput manibus defert. Hiſpalim dimittitur.*

Hæc ſunt ACTA, quæ ex vetuſtis *Breuiariis Hiſpalenſibus*, & aliis ſcriptoribus deducere potuimus; & licet in Noſtris non inueniatur, S. LAVREANVM fuiſſe ab *Euſtorgio* huius nominis II. Mediolanenſi Epiſcopo, Diaconatus munere decoratum, id tamen conſtat ex *Actuario Mediolanenſium Præſulum* à S. Carolo Borromæo collecto, & in fine ſui *Inſtructorij Paſtoralis*, Antuerpiæ Anno 1586. editi, excuſſo, vbi *fol.* 319. ita leguntur: EVSTORGIVS II. *Græcus* FLORIANVM (lege LAVREANVM) *qui deinceps ſanctitatis clarus laude Epiſcopus Eccleſiæ* Hiſpalenſi *præfuit, ab vltima* Pannonia *profectum, domi excepit, baptizauit,* Diaconum *inſtituit, & literis erudiuit*, &c. Cætera quæ in Actis communia ſunt.

*A quo eruditus, baptizatus, & ordinatus?*

SED quo *Anno* vitam amiſerit gladio ſicariorum, cùm ex Actis non conſtet, ſciſcitaberis. *Vaſſæus* à quo *Truxillo*, & recentiores Noſtri eius agonem ad Annum D.XLIV. referunt. *Baronius* ad Annum D.XLVIII. quem ſequitur P. Quintana-Dueñas *ſupra fol.* 115. P. Biuar ad Annum D.L. apud quem *ſupra fol.* 399. §. 21. plura perleges. Ego pro *Baronio*, & *Hiſpalenſibus* ſtare compellor.

*Quo Anno occubuit Martyr.*

CIRCA Martyris CAPVT *Hiſpalim* delatum, honorificéque ſuſceptum, cuius aduentu vrbis famem, & peſtem ceſſaſſe, territoriumque ſalutaribus fœcundaſſe pluuiis, nihil tàm certius, audi Epigrammatis fragmentum in meo MS. Codice Carminum:

*Quo loco caput adlatum?*

*Conditur*

Conditur hac capſâ CAPVT ſine corpore LAVRI
Præſulis eximij, Hiſpalis alma, tui.
Impius ergo ſacros ditauit CAPITE Muros
Rex Totilla tuos Pontificiſque tui.
Corporis exuuias tenet alma Biturica, quaſque
Euſebius Præſul in ſua Templa vehit.

Andreæ Sauſſaij error.

Cætera antiquitate corroſa, vix lecturæ locum admittunt, & prorſus characteribus formam reliquere. Errauit toto cœlo Andreas Sauſſayus amicus Noſter in Supplement. Gallicani Martyrolog. h. d. fol. 1141. Tom. 2. aſſerens, CORPVS etiam S. LAVREANI ad vrbem fuiſſe Hiſpalenſem perductum. Illum auſculta: In Vico Vaſtino agri Bituricenſis paßio S. LAVREANI Epiſcopi Hiſpalenſis, illic à ſicariis Totillæ Regis impiè obtruncati. Vbi & ſepultus, magnis coruſcauit diuinæ virtutis prodigiis. CAPVT autem eius glorioſum ab ipſo poſt feralem ictum, triumphaliter ad locum vſque ſepulturæ euectum, ab iiſdem emiſſariis tantum portentum mirantibus, & de perpetrato ſcelere dolentibus, Hiſpalim honorifice deportatum fuit, vbi etiamnum ſeruatur, & colitur, cum toto CORPORE, quod ſubinde ad Sedem ipſam tandem reuectum, perpetuâ Populi deuotione frequentatur. Tantum abeſt, vt hæc vltima verba vera ſint, quòd hodie haut ſciatur quo loci CAPVT Martyris poſt Hiſpanicum excidium occultetur, vt refert Quintana Dueñas ſupra fol. 116.

Caput ab excidio Hiſpanico ignoratum.

Series Inuentionis ſacrorum pignorum ab Euſebio Arelatenſi.

DE Sepultura datâ ſacratiſſimo trunco Corporis S. Martyris ab Euſebio Arelatenſi Præſule, poſt Breuiarium, Truxillum, Ribadeneyra, Baronium, & alios iſta ſubnectit P. Anton. Quintana-Dueñ. d fol. 116. verba: Emiſſarij Totillæ iam compuncti Corporis B. Martyris exuuias intra profundum ſpelæi cauum condidere, vbi ſacra pignora latuere, quæ ſic Deus cuſtodire decreuit. Ad hiatus ergo foramen vrſos quoſdam cuſtodes ſacrati Corporis appoſuit, qui nunquam ſpeluncam deſerentes, feris, & hominibus aditum defenſabant. Sed tempore eueniente, cùm Euſebius Epiſcopus Arelatenſis ſæpius ad orandum poſt Matutinos ante ſepulchrum S. Cæſarij prædeceſſoris proſiliret, ab Angelo de loco vbi ſitum erat Corpus S. LAVREANI Martyris, edoctus eſt. Qui confeſtim ad ſpeluncam pergens, in itinere flumen inuenit, in quo iuuenis cum cymbula aßiſtens, vt illam ingrederetur Euſebio præcepit. Qui flumine emenſo, in agrum Vaſtinum ſoluens ad ſpelæum acceßit, cui vrſi obuij facti, diuinitus rem intelligentes Euſebio locum ſepulturæ demonſtrarunt. Qui ſacrum CORPVS colligens ad propriam tranſtulit Eccleſiam, & honorifico ſarcophago tumulauit. A quo iſta didicerit P. Antonius nondum diuino, cùm prorſus apud Breuiaria Hiſpalenſia, & Scriptores ſuperiùs relatos hæc relationis ſeries deficiat.

Templa S. Martyri Hiſpali dicata.

INSVPER addunt Vaſſæus, Marinæus Siculus, & Quintana-Dueñas, quòd Theudius Hiſpaniæ Rex cognitis B. LAVREANI miraculis, relicto Arianiſmo fidem Catholicam ſuſcepit, & Templum magnificum S. Martyris aduocationi conſtruxit. Quod & fatetur Andr. Sauſſay in Martyrol. Gall h d. Tom. 1 fol. 414. his verbis: Quod cùm emiſſarij inquitatis vidiſſent, metu perterriti ad fidem pœnitentiamque conuerſi, & baptiſmatis vndâ expiati, Caput ipſum Martyris colligentes Hiſpalim magno honore detulerunt: Regique quæ facta fuerant reſerarunt: qui ſceleris admißi compunctus, atque ad pietatis ſtudia conuerſus, B. Athletam præcipuo affectu deuotionis coluit; memoriamque eius, excitato inſigni Templo, clarificans, ſe, Regnumque ſuum in ipſius peculiarem commiſit clientelam. Huius Templi fabrica penitus Sarracenorum imperio corruit. Hodie in Maiori Metropolitana Baſilica, Capella S. Martyris nomini inſignis dicata conſpicitur. Nec non ad Portam vrbis Regiam Collegium Fratrum B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorum, etiam S. LAVREANO dicatum, quo Religioſa huius ſacri Ordinis iuuentus ſacras didicit literas ex præcepto.

S. ELIZABETH Vidua, Portugalliæ Regina. ] Coniugem habuit Dionyſium Portugalliæ Principem, ſed corde Chriſtum Regum Regem ſponſum. Ob eius ergo miras virtutes, & miracula in Sanctorum albo abs Vrbano VIII. die XXV.





Martyrologia.

Maij Anno Domini M. DC. XXV. conſcriptam fuiſſe refert Nouum Martyrolog. Romanum, hac ſerie: Vlißipone S. ELIZABETH viduæ Portugalliæ Reginæ, quam virtutibus, & miraculis claram Vrbanus VIII. in ſanctorum numerum retulit. Conueniunt Martyrologia Franciſcanum, Arturij, Luſitanum P. Lupi, & Hiſpanum MS. P. Higuera. Nec non Officium SS. Luſitanor. Hymn. Vltim. ſic:

Lyſiæ quondam veneranda Mater
Aduenæ, claudi, viduæ leuamen,
Pacis inuentrix, ſuper aſtra regnat.

## ELIZABETHA.

Scriptores Hiſpani.

A Georgio Cardoſo fol. 10. conſcriptum, & in Relation. SS. Portugall. cap. 33. fol. 27. De ea ex Noſtris Marcus Vlyſipon. In Chron. Minor. 2. p. lib. 8. c. 15. §. 1. & c. 26. cum ſeqq. Ieronym. Zurit. Annal. Aragon. Tom. 1. lib. 3 c. 19. & 43. & lib 4. c. 12. P. Ioann. Mariana. Hiſtor. Hiſp. lib. 14. c. 5. Ieronym. Blancas in Commentar. Rer. Aragon. Ann. 1282. F. Ioann. Marieta Hiſtor. SS Hiſpan. lib. 19. c. 19. & in Topograph. lib. 22. verb. Conymbria fol. 19. Eduardus Nunius in Deſcript. Portugal. c. 58. F. Ludouic. ab Angel. in Viridar. Portugal. c. 87 fol. 231. Don. Roder. de Acuna Hiſtor. Vlyſipon. 1. p. c. 25. n. 2. & 2. p. c. 27. n. 7 & 9. c. 60. n. 5. c. 80. n. 2. c. 82. n. 3. & 4. c. 84. n. 1. & 2. Ex Floribus SS. P. Truxill. in Theſaur. Concionat. 2. p. fol. 1256. Villegas Tom 4. Ribadeneyra Tom. 2. F. Didacus de Roſſario in Flor SS. Portugal. qui eius vitam per ſynopſim ſcripſere, necnon prolixius P. Ioannes Petrus Perpinianus è S.I. Tribus libris comprehenſam, & Coloniæ Agrippinæ editam Anno 1609. & conciſiùs P. Antonius Vaſconcellos in Anaceophal. Regum Portugall fol. 91. Ex Exteris Gonzaga de Origin. Seraph. Religion. 3. p. in Conuent. Conymbricenſ. Galter in Tabul. Chronolog. ſecul. 14. Elzear. in Sacro Mont. Oliuet. lib. 3. cap. 5. Aubert. Miræus de SS. Iſabell. §. 2. fol. 46. Theodor. Godefrid de Origin. Regum. Portugall. Algezira in Arbor. Epilog. Cornel. à Lapide in Comment. in Daniel c. 13. verb. 62. Vuading. in Annal. Minor. Tom. 1. Ann. 1235. §. 13. Tom. 2. Ann. 1252. §. 6. Ann. 1271. §. 12. & 13. Ann. 1282. §. 13. & Tom. 3. Ann. 1311. §. 6. Ann. 1317. §. 65. Ann. 1325. & 1336. §. 3. & ſeq. Valerianus de SS. Fœmin. Ordin. Minor. lib. 5. Eius vitam Italam fecit Iacobus Fuligati, quam & Gallicam Hilarion Coſtæus, poſtque Latinam San-Marthan. lib. 26. Hiſtor Genealogicar. Dom. Franc. Franciſc. Victon de Antiq. & Modern. vſu Canonizat. SS c. 28. Arturus à Monaſter. in Martyrolog. Franciſc. h. d. fol. 274. Eius ACTA à Vaſconcellos petemus.

Scriptores Exteri.

## ACTA S. ELIZABETHÆ PORTVGALLIÆ Reginæ ex P. Antonio Vaſcõcellos S.I. Presbytero.

Parentes.

ELIZABETHA ſanctißima Regina, patrem habuit Petrum Aragoniæ Regem, Iacobi, ob eximiam ſanctitatem, & bellicam virtutem, glorioſam Sancti pariter, & Oppugnatoris nomenclaturam adepti, filium; Matrem verò Conſtantiam, Manfredi Siciliæ Regis filiam, Federici II. Imperatoris neptem. Regnante adhuc auo, Anno à partu Virginis M. CC. LXXI. in lucem edita eſt; præter ſolitum obuoluta, & vndiqueſepta membranarum integumento (ſecundas Latini vocant) non ſine admiratione, lætoque præſagio vitæ honeſtißimæ cui pelliceâ tunicâ ſuccincta, claris rudimentis præludebat, ad Paradiſum quaſi poſtliminio reditura. Exuuias igitur Mater argenteâ capſellâ iucluſas, in ſuo theſauro cuſtodiri iuſsit. Inditum illi, dùm luſtralibus aquis ablueretur, ELIZABETHÆ nomen, ob recentem alterius Eliſabethæ ſororis auiæ paternæ Violantæ, Andreæ Pannoniæ Regis filiæ, memoriam: quæ non ita pridem illuſtri ſanctimoniæ præconio floruerat, emiſſo, viuentis adhuc mariti facultate, caſtitatis voto. Illoque mortuo, inſigne Noſocomium ædificauit, in quo vitæ reliquum conſumeret, ſeruilibus vltrò addicta

Natiuitas.

Nomen vnde inditum.

miniſteriis, pauperum vſui opportunis, multis clara miraculis, ob idque à Gregorio IX. Pont. Max. in Sanctarum numero relata eſt.

*Vbi nata eſt inter auum & patrem pacem firmauit.*

HISCE Parentibus, & quas attigimus circumſtantiis, orta, auum Iacobum tanto perfudit gaudio, vt poſitâ ſimultate, cum Petro filio Optimus ſenex gratiam ſtatim redintegraret; neptemque pacis domeſticæ arbitram, & ſequeſtrem in ſuam Regiam ducendam curauit ſtudioſiſſimè alendam, omnique virtutum exemplo diligentiſſimè imbuendam. Et facto præſtitit, ne honorificum illius vaticinium vanum redderetur, quo ſolitus prædicere: ſuam Neptem clariſſimum Aragonenſis Regiæ ſplendorem haut dubiè futuram. Illam, Iacobus naturæ concedens, ſextum agentem annum reliquit. Mox domum Patris reducitur, vbi tenerâ in ætate ſe ipsâ maior, quid in robuſtâ factura eſſet, non obſcurè indicabat, eundem viuendi morem ſeruans, tota ad modeſtiam compoſita, præceptorum quæ in auitâ aulâ didicerat, non oblita. Octauum annum attingens, diurnum, ac nocturnum horarum Canonicarum penſum ſtudioſè reddebat: ita in egenos, quorum miſeriis compatiebatur, liberalis, vt quidquid per ætatem liceret, illis ſuppeditaret, mirante Patre, proſperoſque ſuarum rerum ſucceſſus filiæ meritis acceptos referente.

*Virtutis indicia in infantia.*

*A multis petita, Dionyſio deſpondetur.*

HAVT poterat tàm eximiæ ſanctimoniæ ſplendor inuidè obtegi, quin tranſluceret, clariſſimique gratiæ, & naturæ dotum radij orbem peruaderent. Multi illam magno ex Latio, totâque petebant Europâ in vxorem; Neapolitanus videlicet, & Britannus Principes, miſſis in eam rem, eodem tempore, Oratoribus. Hæ tamen preces & ſi honorificæ, Aragonio graues admodum apparebãt, ne amantiſſimam à ſe filiam ablegare cogeretur: ELIZABETHÆ grauiores, vt potè humana præ diuinis pili facienti, Regioſque thalamos puriſſimos Diuini Agni nuptiis poſthabenti. Mortuo paulo ante in Luſitania Alfonſo III. Regni clauum moderabatur eius filius Dionyſius: qui vbi primùm rerum potitus eſt, nihil habuit antiquius, quàm Tres Nobiliſſimos Aulicos Ioannem Velho, Ioannem Martinium, & Vaſcum Pirezium ad Aragoniæ Regem, Barcinonæ tum temporis commorantem, Oratores deſtinare; qui enixè ELIZABETHAM in Luſitaniæ Reginam peterent. Hæſit valde dubius Aragonius, quem potius è Tribus petitoribus ſibi generum eligeret: Tandem re melius conſideratâ Dionyſium Principibus Salernitano, & Britanno non temerè prætulit. Hi enim Regnum adhuc ſperabant; Ille verò poſſidebat: nec tàm arcto ſanguinis vinculo, ſicut duo priores, iunctus erat; vt non niſi interpoſitâ Sedis Apoſtolicæ auctoritate ELIZABETHAM duceret. Feliciter adiudicata, lite dubia, Luſitanis, Ioannes Velho legationis princeps, ex traditâ ſibi ad abſoluendum negotium poteſtate, ne victor victoriâ vti neſciret, ELIZABETHAM nomine Dionyſij in vxorem accepit: decreto ſtatim die, & ordine, quo viæ ſe expediret, Aragoniamque deſereret. Res tàm benè tranſacta Regem, vniuerſamque Luſitaniam mirificè exhilarauit, excellentiſſimam Reginam, veluti de cœlo lapſam, expectantem.

*Legati Portugallenſes ad Aragoniũ Regem.*

*Concluſio matrimonij.*

*Deducitur in Luſitaniam.*

VT primùm profectionis tempus aduenit, magno, vt par erat, comitatu, chariſſimum pignus Pater ad Caſtellæ vſque fines ſecutus, vix pra lachrymis ab eius colloquio auulſus eſt; illam ibi amitinus Sancius perhonorificè excepit, bellique negotiis diſtentus, fratrem ſuum Iacobum viæ comitem dedit, & Caſtellæ proceres nobiliſſimos. Brigantij in confinibus Luſitaniæ conſtiterat Alfonſus Regis Dionyſij frater, Epiſcopis, Dynaſtis, & nobilibus ſtipatus. Huic tradita ELIZABETHA, Trancoſium, quo ſe Rex contulerat, deducta eſt; vbi tàm felices nuptiæ incredibili omnium lætitiâ, & plauſu celebratæ, Auguſto anni humanæ ſalutis M. CC. LXXXII. Aſſignantur illi à Rege peculiares reditus ex certis Oppidis (vt mos eſt in Luſitania) ampliſſimi: peculiares Aulici, & Miniſtri. Non mutarunt noui honores priſtinos Eliſabethæ mores; imò ab illis nec tranſuerſum digitum, aut latum vnguem diſcedens, Diuino aſpirante Numine, Duodecim annorum ætate diſparia numeroſè temperans, delicias temperantiâ, gaudia lachrymis, holoſericas & aureas veſtes voluntariâ maceratione, diuiniſque

*Nuptiæ Trancoſij celebrãtur.*



diuiniſque precibus ingenioſè commiſcebat; & animum in Deum transferens, Regis obſequio non deerat.

*Quo ordine diſponebat tempus ad preces, & alia pia opera.*

HVIVS rei gratiâ diurnum tempus diſtinctè, & ordinatè diſpoſuerat. Ab ſtrato ſurgens, Matutinas preces, & Primam recitabat; paratis mox in Sacello ad rem diuinam Sacerdotibus, ſimphoniaciſque, ſacro, flexis genibus, religioſè aderat: exoſculataque facientis manu, pro diei ratione munus, ne vacua appareret, offerebat; ad reliquas deinde horas Canonicas abſoluendas (quem morem perpetuò ſeruauit) reuertebatur: quibus pro corollario Virgineas precationes, ac funebres addebat. A prandio iterum Sacellum adibat ad Veſperas audiendas, & quod ſuis deerat, recitabat, remotiſque arbitris cælitum colloquio vacabat, & libros ad pietatem inſtitutos euoluebat, fluentibus vbertim lachrymis, mirâ liquefacti animi teneritudine. Ad muliebres deinde artes, ne ipſa, domeſticæque famulæ otio diffluerent, ſe conferebat; quibus exemplo prælucens propriis manibus ſacram aræ ſupellectilem operoſa conficiebat. Expiatis piâ deteſtatione maculis, frequenter ad Auguſtiſſimam Euchariſtiam accedebat. Hæc D. ELIZABETHÆ fuerunt ſtudia: his occupationibus ex Apoſtoli conſilio tempus redimebat; quin aulæ curam omitteret, cui benè inſtituendæ induſtriæ neruos ſedulò intendebat.

*Mira Reginæ abſtinentia.*

QVEMADMODVM orandi ſtudio, nimiopere dedita erat, ſic orationis aſſeclam abſtinentiam diligenter obſeruabat, ne diſtentum lautis epulis corpus, mentem ad Superos euolantem, deorſum traheret. Nam præter ſtatos ab Eccleſia per annum eſuriales dies, Tres ſingulis hebdomadis, ieiunio tranſigebat; integrum Chriſti Domini Aduentum; à die etiam D. Ioanni ſacro Baptiſtæ, vſque ad Virginis Aſſumptæ ferias; huic ſubinde Angelorum (vt appellant) Quadrageſimam adiungebat D. Michaelis feſto claudendam. Et quaſi per hæc indulgentiùs ſecum ageretur, diebus Veneris, & Saturni per annum Deiparæ, Apoſtolorumque priuilegiis, ſolo pane, & aquâ vires vtcumque reficiebat. Longius hac in re progrederetur, niſi progreſſuræ aureum mediocritatis frænum Dionyſius iniiceret. Norat prudentiſſima Regina inter opiparas, ac ſaliares menſas vermes ſcaturire, & mollibus ſerici veſtibus vitia libentius cubare. Illud eius abſtinentiam non leuiter commendat: Alanquerij ob perditam valetudinem Medici Reginæ præſcripſerunt, morbo id poſtulante, vt vini modicum deguſtaret: illa tum, quod vnicè abſtemia, tum quòd ad valetudinem ſuperuacuum reputaret renuit (in more enim poſitum Luſitaniæ Regibus, nedum Reginis à vino eſſe penitus alienos) mirum ſanè: priſtinâ Canæ Galilæicæ metamorphoſi renouatâ, bis clientæ vrceolum frigidæ attulerunt, bis diuinitus in generoſum vinum frigida verſa eſt.

*Aqua in vinum bis mutata.*

*Largitas in pauperes, & hoſpites.*

IN leuandâ pauperum miſeriâ, quos vel durior egeſtas oppreſſerat, vel atrociter afflixerat morbus, aut immitis fortuna iactauerat, adeo frequens extitit, & munifica, vt crebræ largitiones opes excedere viderentur, nullus Reginæ liberalitatem non ſentiebat; hoc enim eleemoſynarum diſpenſatori edixerat. Non pauci ſub ſpecie egeſtatis illam adibant; non tàm ob lucrum, quàm eius conſpectu ſtipem piâ magnificentiâ largientis recrearentur. Peregrinos, præſertim exteros non ſolum hoſpitio humaniter recipiebat, ſed nouis indutos veſtibus viatico iuuabat. Omnibus, tàm virorum, quàm fœminarum cœnobiis, iuxta illorum copiam, vel inopiam, annonam diuidebat. Nec intra Regni limites Regia liberalitas circumſcribebatur; fines prætergreſſa, externos benemerendo ſui memores faciebat. Nobilibus præcipuè prudenter inuigilabat, qui reſtante fortunâ, ex magnis opibus, in miſeriarum anguſtias exciderant. Facta certior plurimas in Regno eſſe honeſtas fœminas, & vulgi non paucas inopiâ laborantes, ob idque fortaſsè non procul à Charybdi, multam illis veſtem per fide dignos diſtribuit, multaſque honeſtis nuptiis collocauit. Et quamuis omni tempore, eſurialibus tamen feriis, eius pia liberalias triumphabat. Illam ſacroſanctâ hebdomadâ videres vili amictam veſte, ſolemnibus Eccleſiæ ſacrificiis, ac precationibus religioſè adeſſe Quadrageſimæ diebus

*Veneris, Tredecim egenis pedum ſordes obſequioſa adluebat, infixo plantis oſculo, nouiſque operiebat indumentis. Id ipſum ex Chriſtiano ritu, ſacri Iouis die, totidem fœminis præſtabat: illud tum accidit mirabile.*

*A cancro, & ictu fœminam, & virum ſanat.*

ALTERVM *pedem quædam protulerat lauandum, alterum verecunda abſcondebat enormi cancro exulceratum, putrique fœtore penè exeſum, peruicit Reginæ pietas, & fœtidum vlcus digitis leniter contrectans, lauat, abſtergit, fouet, oſculatur, ſanitatique reſtituit: quod ægra vbi primùm domum rediit, doloris expers, admirabunda conſiderauit.* Scalabi, *Feria VI. Maioris hebdomadæ ſolitum hoc miniſterium peregerat: cæteriſque abeuntibus, in aula vnus remanſit debilis, alienæque opis indigus. Offendit eum ianitor, iraque efferueſcens: Quid tu pergis (ait)* tam graui morbo nobis moleſtus eſſe? *& miniſtrante ſubito furore arma, baculo miſerum dedolauit. Factum monita Regina à domeſtica fœmina tulit permoleſtè: adduci coram ſe iubet, ſuis ipſa manibus icto adhibet medicamenta, & peculiarem illius curam deinceps haberi imperat: qui tamen die poſtero* ELIZABETHÆ *ob recuperatam valetudinem gratias ſanus retulit.*

*Nummi in roſas verſi.*

QVAM *grata Deo fuerit hæc in egenos benignitas, gratioſum miraculum declarauit, vel à pueris alphabeticis in Luſitania ſolitum inuicem referri. Magnam aliquando pecuniæ copiam pauperibus diuidendam, collecto veſtis ſinu, ipſa gerebat. Accurrit* Dionyſius *Rex; quid rei ſciſcitatur?* Roſas *inquit* ELISABETHA: *Roſæque explicato ſinu, per hyemem alienis menſibus pulcherrimo colore diuinitùs efformatæ, apparuerunt. Ob cuius memoriam Roſas ſinu explicans ſolita depingi, & in Cœnobio S. Claræ ex portis quædam à* Roſis *nomen habet, ob crebras ibi factas egenis largitiones. Ob has, tantùm diuitias, & pecuniam æſtimabat vt maior ex benè impenſis Diuino Numini gloria accreſceret, & quæ ſibi frugi moderataque, ad illas contemptis opibus pietate ſingulari profuſa erat. Vnde ſi fruſtratum iri hanc opem cerneret, teruntij diuitias eſtimabat.*

*Maritum cum fratre conciliat.*

GRAVITÈR *diſſidebat à Rege* Dionyſio *eius frater* Alphonſus, *periculosâ de reditibus lite, non ſine ſanguine dirimendâ: ſuis expenſis Regina amicitiam auro pretioſorem redemit, Cintram, aliaque Oppida in Luſitania, & amplos in illis reditus marito lubentiſſimè remittens. Præcipuum Reginarum munus eſſe intelligens, iratos in populum & clientes Regum animos mulcere, officiique admonere, & hoſtiles fraudulentorum mutuò inſidiantium telas clariſſimis veritatis radiis retexere; in hunc ſcopum omnes cogitationes deſtinabat. Regem monebat frequenter, ſuadebat efficaciter, beneuolum animum, mentemque benignam in benemerentes acciperet: nec aures falſis delationibus præberet. Ipſa, ſi quos exaſperatis animis diſcordare intelligebat, ad concordiam æquis conditionibus reuocabat, ne perplexis litium ambagibus, odioque Vatiniano tempus tererent, facultates exhaurirent, ac vitam in diſcrimen pertinaciter adducerent; largâque manu, ſi debitores iniuriæ damnum, vel quid ſimile, ſoluendo non eſſent, munera, & beneficia largiebatur, ne pacis conditiones medio in curſu retardarentur. Non tamen ob hæc, ſi quid iuſtitia omnino plectendum ſuaderet, diſtrictoque vindictæ gladio reſecandum (quod in fœminis maximè mirandum) crudeli pietate, ac inani miſericordia protegebat, flexo in contrariam ſententiam Regis animo.*

*Pacis terendæ ſtudioſa.*

PACIS *conciliandæ amor extra Luſitaniæ limites longè latéque extendebatur, in reliqua præcipuè Hiſpaniarum Regna, ne eorum Principes, dùm inteſtino odio mutuò deſæuiunt, aliique alios omni conátu bello ſubiugare ſtudent, perfidis ex Mahometica fæce Mauritanis, non modicam adhuc Hiſpaniæ partem incolentibus, oramque maritimam continuis claſſibus infeſtantibus, & in inſidias excubantibus, delendæ Reipublicæ Chriſtianæ occaſionem imprudenter exhiberent. Illa patrem ſuum* Iacobum Aragoniæ *Regem, & generum ſuum* Fernandum Caſtellæ *Regem diſſidentes, quod multi Principes fruſtrà tentauerant, ad veræ pietatis amicitiam adduxit: perfecitque vt Regem* Dionyſium *vterque iuſtiſſimum dubiæ litis arbitrum fraternâ vnanimitate eligeret,*



*eligeret, Regiſque decretum, velut ex Delphico tripode, oracula audiret. Quod re ipsâ præſtiterunt, & ob hanc cauſam* Dionyſium ELIZABETHA, *poſthabito otio, magnis expenſis in Aragoniam ſecuta eſt. Eundem Dionyſium Regem, ac Regem Caſtellæ Fernandum, ad triſte bellum, triſtiaque arma, nullos habitura triumphos, iam iam venturos, feliciſſimè ſedauit.*

*Alphonſus ſæpe patri pacificatus.*

BIS, *vel Ter* Alphonſum *Principem aduerſus patrem* Dionyſium *impiè rebellantem, & iuueniliter exultantem,* Leyram, *aliaque Oppida pleno dominio ſibi vſurpantem, fracto impetu domuit, Regique obſequioſum tradidit: & ciuile bellum, quo in ſua viſcera Luſitania ferrum conuertebat, dùm tumultuariâ ſeditione, alij à Principe, à Rege ſtarent alij, penitùs conſopiuit. Tunc maximè, cum non procul* Olyſipone *gliſcere pugnam audiens, fundarum rotatu lapides contorqueri, diſtrictum vibrari ferrum, quo mutuâ internecione patria funditus periret; mulam aſcendit Regia Heroina, & per medias acies, mediaque tela volat impigrè, trahente mulam anteambulone, Tartareum populi furorem deteſtans, veſanam rabiem obiurgans, omnique ſermonis eloquentiâ, profuſis præ intimo cordis dolore, lachrymis; rebellem filium reprehendit: itque, reditque viam toties, nunc ad Patrem, nunc ad filium, quem, tandem reconciliatâ gratiâ, ad Patrem manum oſculaturum, duxit.*

*Exulat ob delationem quòd filio faueret.*

HÆ *pacificationes non paruo Reginæ ſtabant: & quæ ſolùm ad aliorum concordiam nata videbatur, ab eiſdem ſibi exoriri diſcordiam, & conflari inuidiam ſentiebat. A peſſimis conſiliatoribus ad Regem delata eſt, quòd* Alphonſo *filio à Patre diſcordanti, belli ſubſidia, ac neruos occultè ſubminiſtraret: occultaque Regis arcana Principi nudaret: idcirco omnia ſtratagemata eludi, ac è manibus toties elabi. Indignatus Rex vehementer adimit Reginæ Oppida, & reditus ampliſſimos:* Alenquerum *velut exulem relegat, illinc pedem efferre prohibet. Dictum factum; paret imperanti, abit in cuſtodiam. Quod vbi per Luſitaniam vulgatum eſt, quantoperè bonorum animos perculerit, non facilè credi poteſt. Extemplò plures adeunt Reginam, in quibus arcium illius Prætores, ſemel, atque iterum precibus obſecrant; liceat armis ius proſequi, quouſque indignum exilij decretum reſcindatur, & immeritò ſugillata indignitas recuperetur; domat fidelium clientium iram* ELIZABETHA, *lenitque ferociam; linquant hunc ſuperis laborem, vni ſe Deo fidere, cui propitiando, die, nocteque ſtudebat, voluntariis pœnis ſe macerans: integras hebdomadas ſimplicis aquæ, ac panis ieiunio tranſigens, fuſas interim ad Deum preces non intermittens. Per hæc Reginæ fides obryzo auro purior* Dionyſio *apparuit: illam priſtino honori reſtituit, & impenſius veneratur: vt amantium iræ fortioris eſſent amoris redintegratio.*

*Illicitos Dionyſij amores tolerat.*

NON *minor, imò fortaſsè, ſi muliebrem fragilitatem conſideres, maior Reginæ prudentia, & conſtantia apparuit, dum illicitos Regis amores æquo animo tolerat. Maritalis enim tori oblitus, & Reginæ florenti in ætate omnibus dotibus ſuſpiciendæ, ſuique decoris immemor, qui populis ſeruandarum legum eſſe debuerat exemplum, in varios pellicum amores diſtractus eſt. Regina, ac ſi illius ſanctum ius non violaretur, eadem animi ſerenitate perſtabat, mare per Halcyonia tranquillum diceres, ſuique immemor, ſolum Deum lædi ſentiebat: & populum publico Regis exemplo pronum trahi poſſe ad flagitia: Quinimò ipſoſmet ortos ex pellicatu liberos, non odio nouercali, ſed materno amore, vt ſuos amplectebatur: ſeduloque nutriri, & erudiri curabat, mirâ in nutrices, & nutricios indulgentiâ, & liberalitate: criminationibus aures præbens obſeratas. Obſtupuit præclara* ELIZABETHÆ *patientia* Dionyſius: *& concitatum rapidæ libidinis curſum fortiter inhibuit: inuiolataſque deinceps maritalis fidei leges, ad extremam vitæ periodum ſeruauit.*

*Aulicus pœnas luit de crimine in Reginã confićto.*

ALIENATO *per id temporis Regis animo, procliue fuit, ſiniſtrum quid de innocentiſſima Regina ſuſpicari. Aulicus iuuenis acribus inuidiæ ſtimulis exagitatus, quòd alterius famuli, optimis moribus imbuti operâ & induſtriâ* ELIZABETHA *in ſubleuanda egenorum inopiâ frequentius vteretur, hoc ipſum, vt ſuſpectum læſæ fidei, Regi falſarius ſycophanta indicauit. Famulum*

ſtatim de medio tollendum decernit: Ergo operariis in calcaria fornace laborantibus ſecreto imperat, vt quem primum nuntium ad eos miſerit, momentò in ardentem fornacem comburendum, detrudant. Præmiſſus poſtea innocens iuuenis ad ſibi deſtinatum incendium; forte in vicino Templo, ſignum dante tintinnabulo ſacræ Euchariſtiæ adorandæ, vt ſit in ſacro, accurrit; diùque ex paterna diſciplina, quòd plura ſe obtulerint ſacra, feliciter immoratur. Rei euentum cupiens ſcire Rex, eidem Quadruplatorem mittit. Vbi primùm calcarij Regiam agnouere teſſeram, confeſtim ex condicto ligneis tridentibus, paliſque bifurcatis hominem inuadunt, & manibus licet, pedibuſque reluctantem, lachrymoſaque vociferatione Regis auxilium inclamantem, in ardentem voracibus flammis calcariam deiiciunt. Quod vbi ex primo nuntio Dyoniſius reſciuit, defixus ſtupore hæſit; miratus diuino ex decreto, malum conſilium conſultori peſſimum euaſiſſe, & ſanctiſſimæ Reginæ fidem à calamitoſa fama cœlum pernicioſa fama vindicaſſe.

*Conſtantia filia nupta Regi Caſtellæ obiit.*

PRIMO partu filiam edidit nomine Conſtantiam, vt maternam auiam referret: illam Fernando Caſtellæ Regi huius nominis III. vxorem dedit, celebratis, incredibili vtriuſque Regni gaudio, nuptiis, præmaturo Conſtantiæ obitu paulo poſt ſimili dolore condiendis. Scalabi Arambujam ELIZABETHA cum marito Dionyſio petebat. Procedit illi obuiam Anachoreta, paucis Reginam velle obteſtatus: qui factâ loquendi copiâ: Et ſi grauis nuntius (ait) tuas aures verberem, ſcias chariſſimum tuum pignus Reginam Conſtantiam celeri fato obiiſſe: illius imago ſubtriſtis meo in Sacello non ſemel occurrit, deprecans, de hoc te certiorem redderem: & quomodo eius anima Purgatorij igne torquetur: quem vt celerius euadat, interimque aliquantulum dolor miteſcat, annuas Auguſtiſſimi Sacrificij ſupperias à matre rogat, oratque. Poſtulatis abundè mater ſatisfecit: annoque peracto, Conimbricæ per ſomnium candida in veſte, hilari vultu, filia Reginam proprio nomine compellans: Mater (ait) ELIZABETHA Mater, meritas tibi Superi, ad quos ſupplicio libera volo, gratias referant. Euigilat Regina, nec ſatis præ gaudio ſibi conſtat: Sacellum adit: accedit ſacerdos vitæ integerrimæ, annuum ſacrificij munus abſolutum eſſe referens: tum demum ob verisſimilia indicia, prima vltimis numeroſe reſpondere cognouit ELIZABETHA XVII. Conſtantiam, XX. ætatis anno, Conimbricæ Alphonſum peperit Regis Dionyſij ſucceſſorem, & Regni hæredem. In ſingulos munifica, in communem totius Reipublicæ vtilitatem munificentiſſima erat: communium laborum, operumque particeps, rata id quod eſt publicum particulari ſemper præferendum Si Ædes ſacræ, aut Noſocomia ædificanda: ſi pontes, fonteſque in publicum commodum conſtruendi, præſto aderat in partem operis, & impenſarum Regina. Quæ munificentia vſque adeò innotuerat, vt nobilis fœmina Almoſterij non procul ab Scalabi Cœnobium S. Bernardi monialibus, aggreſſa ædificare, morbo præueniente moritura, Reginæ abſoluendum opus commendauerit. Quæ pium legatum operoſa lubentiſſimè acceptauit: ducto ad faſtigium ædificio, aſſignatis in poſterum largâ manu reditibus, relicto tamen Berengariæ ob cœptum opus nomine, & honore.

*Matris precibus à Purgatorij flammis liberatur.*

*Reginæ munificentia egregia.*

*Expoſitorum infantium ædem Scalabi perficit.*

SCALABI quoque non aliter Igeditanus Antiſtes Martinus Brephotrophium expoſititiis præcipue infantibus alendis, ægrotantiumque egenorum remedio ſub tutela SS. Innocentium cœpit extruere: inceptis tamen mors telam vitæ præſcindens, obſtabat. Quam ſibi impendere Martinus videns, Reginam perficiendi operis hæredem relinquere non dubitauit, vltimis precibus obſecrans, laborioſam tanti operis hæreditatem adire ne grauaretur. Regina verò non ſolùm optatis annuit, ſed capacius reddidit ædificium: reditus ad ampliores expenſas auxit, legeſque ad optimam adminiſtrationem dedit. Expoſitorum nutrices ad ſe accerſebat, & infantibus cibos maternâ pietate porrigebat: & vbi per ætatem licebat, opificibus tradebat variis artibus erudiendos. Brephotrophium poſtea ab Innocentio VIII. Romano Pontifice Sereniſſimus Rex Emanuel,



Emanuel, vt publico Scalabis Xenodochio iungeretur, impetrauit. Illud etiam eius magnanimitatem mirificè declarat, cœpta aliorum opera ſtudiosè proſequi; ex quibus plus laboris, & expenſarum oriebatur, quàm honoris, ac famæ, mille viis à mortalibus quæſitæ: in ſolum enim Dei honorem, & animarum ſalutem, ac totius Reipublicæ vtilitatem, velis, remiſque ferebatur. Nam Conimbricenſe S. Claræ Cœnobium paruis initiis, ſacello, modiciſque ædibus honeſta fœmina ſtruere cœperat: ſed vires mediis in conatibus defecerant. Ædes, ac vicinum ſolum emit ELIZABETHA, & Diuæ Claræ, in quam miro amore ferebatur, Moniales amplificatis ſubſtructionibus aliunde acciuit: quas hoſpitio perhumaniter excepit: & beneuolentiæ ergò Regina, eiuſque Regia nurus Beatrix accumbentibus perofficiosè miniſtrarunt quibus cùm poſtea pari facilitate iucundiſſime agebat. In eadem vrbe prope Regiam hoſpitium conſtituit, in quo Quindecim viros inopes, ac totidem fœminas alebat. Aliud in Oppido Nouarum Turrium caſtimoniæ aſylum ſtatuit fœminis, quæ abiectâ turpi viuendi licentiâ Veneri nuntium remittebant.

*Conimbricæ Monaſterium S. Claræ ædificat.*

*Verus in Regem coniugem amor.*

ILLIVS in maritum Dionyſium fidus amor, & obſequium, eo moriente, magis enituit. Verbis difficile complectar, quid Scalabi, vt Regem morbo leuaret, fecerit, quantum ſudauerit, fuſis ad Deum precibus, opportunis adhortationibus, vt eius animus ab omni ſcelerum macula liber, à corporis ergaſtulis, ſi ita viſum ſuperis, auolaret: quantis in pauperes largitionibus vitam illi prorogare, vel morituri flagitia redimere conata fuerit. Vt primùm Rex naturæ conceſſit, acerrimus quamuis dolor animum lancinabat, non fœmineo vlulatu triſtem aulam adimpleuit. Aureas veſtes, & Regia indumenta exuit, vili S. Claræ ſacco alacris induitur: & ad Regni proceres frigidum Regis cadauer circunſtantes egreditur, ac triſti vocis ſono, viriliter temperato: Cum veſtro Rege (inquit) Viri optimi, Reginam interiiſſe credite, vna licèt geminato ictu duos mors abſtulit: illum Regium in morem, ſuperbis Equitum inſignibus in tumulum componite. Vt ipſum mihi præſtarem, alienâ ancillarum ope non indigebam. Ne miremini, ſqualido habitu circundata vltimum humanæ vitæ actum funebri choro pro viribus proſequar: vilis hæc tunica ad theatrale choragium ſatis eſt: hic funis, recens Dionyſij funus in memoriam reducet: biſſinum tonſi capitis velamen canam ELIZABETHÆ fidem teſtabitur. Expreſſit omnibus lachrymas abundanter inſolitum ſpectaculum, quos prudenti ſermone, æquo animo ſolata, mortuo Regi iuſta pro dignitate ſoluit, nec pheretrum amplius deſeruit: ſed funebri pompâ ad Ciſtercienſium Virginum parthenonem iuxta Odiuelas proſecuta eſt: vbi corpus digno tanto Rege mauſoleo ſepeliuit, vltimaque verba dixit.

*In S. Claræ Monaſterium ſe abdidit.*

EXEQVIIS ritè perſolutis, Conimbricam ſe recepit, & ne ſuos omnino deſerens, incomparabili triſtitiâ afficeret; cum monialibus S. Claræ vota non emiſit, ſed peruio ſuis in ædibus aditu, factâ à Romano Pontifice poteſtate, inter illas familiariter verſabatur, precibus recitandis vel canendis in odeo aderat; vilibuſque parthenonis, vt ex voto, adſtricta miniſteriis, vt ſe tempus dabat, variæque ſubueniendi aliorum neceſſitatibus occupationes permittebant. Ad Compoſtellanum Apoſtoli IACOBI Templum religionis cauſâ ire voluit, & modico comitatu, ac peregrino habitu profecta eſt. Ipſique Apoſtolo Die ſacro præſens adfuit, ſacras exuuias venerata, oblatis pretioſiſſimis donariis, qualia ibi viſa nunquam peritiores affirmabant. Inter quæ pretioſis lapillis conſpicua corona radiabat: arte laboratæ veſtes, inſertis maioris, minoriſque famæ vnionibus, omnium, quas Regina habuerat, lectiſſimis. Pontificis etiam ſolemni apparatu ſacrificantis veſtes, auro, gemmiſque rigentes, ac Regia peripetaſmata Luſitaniæ, & Aragoniæ ſtemmatibus æquâ portione diuiſis, adſutis phrygionum opere gemmis ſpectabilia: præter generoſam mulam fræno aureo, ac gemmifero, barbarico operimento mirabilem, ſummamque pecuniæ vim.

*Peregrinatur Compoſtellam, & Apoſtolo munera offert.*

COMPOSTELLA rediens ad parentandum iterum, anniuerſariaſque inferias

*Omnia ſua in ſacram ſuppellectilem expendit.*

inferias Dionyſij cineribus reddendas, filio Alphonſo Regi, Regnique Principibus ſtipata Odiuelas petiit. Quibus redditis, Conimbricam regreſſa eſt, ad perficiendum S. Claræ parthenonem. Mundum muliebrem, torques, argentea, aurea, gemmeaque dona, in penſilia, aut ſtabilia candelabra, in cruces, ac ſacros calices vertit: Regias opulentiæ ſingularis veſtes, in amicula Sacerdotum, & Ararum ornatum: Regnique Templis, pro vniuſcuiuſque inopiâ in vſum ſingula diuiſit. Fabricari ſibi iuſſerat ex operoſo marmore ſepulchralem arcam: veritaque ne reſtagnans hybernis alluuionibus Monda extra ripas de more effuſus S. Claræ Templum inundaret; in ſuperiori parte Templi nouum ædificauerat Odeum. Verum nullis viribus, aut machinis fabri illuc prægrandem arcam attollere valebant: Quid deſperatis (inquit ELIZABETHA) moliendo ponderi manus admouete, meas ego, etſi aniles, pariter admouebo. Dixit, & arcam leuiter baculo impellens, veluti modico gubernaculo ſurſum adductam, optata in ſede, vbi illam hoc tempore intuemur, facile collocauit. Quæ vix lucis vſurâ fruens, in primo vitæ limine patrem Petrum, & Iacobum auum Aragonenſium Reges inter ſe diſsidentes, vagitu ad concordiam reuocauit, vt exitus principio aptiſsimè reſponderet, in pacis victimam ſe obtulit moritura. Inter duos Alphonſos Luſitaniæ, & Caſtellæ Reges, hunc generum & ſobrinum, illum ſocerum, & auunculum, iactis belli ſeminibus, parum aberat, quin crudelibus præliorum incendiis, inteſtiniſque Regnis, vtraque Regna penitus conflagrarent. Triſtis harum rerum nuntius Reginam pluſquam credi poteſt, commouit. Itaque imminentem cladem celeri remedio auertendam exiſtimans, ne ſerò cum Phrygibus ſaperet, principiis obſtare decreuit: & quamuis diſſuadentibus domeſticis, ne affecta ætate longi itineris moleſtias, immodicis per æſtatem caloribus, incommodiſsimè pateretur: Stremotium, vbi tunc filius Alphonſus degebat, Conimbricâ proficiſcitur, vt pacato filio ad Caſtellanum ſuum nepotem ſe conferret: nec prius incœpto deſiſteret, quam eorum animos precibus, & auctoritate ad concordiam omnino flecteret; quamuis & ſanguine, ac vita inſtaret, animamque ſub graui ardui negotij face exhalaret, tantus erat pacis, & concordiæ amor.

*Sepulchrale ſaxum tactu eleuauit.*

*Pacis, & concordiæ deſideriū.*

IN Oppido enim Stremotio, contracto tùm caloris æſtiui iniuriis, tùm ex itineris iactatione, morbo, ſcripto prius teſtamento coram Alphonſo filio, ac Beatrice nuru, expiatam ſæpius ſacrâ exomologeſi animam, Auguſtiſsimique viatici pane confirmatam, placidiſsimè efflauit IV. Nonas Iulij, Anni M. CCC. XXXVI. pacis egregia caduceatrix, Quinto ſupra Sexageſimum ætatis anno, maximo totius Reipublicæ deſiderio, & dolore, cui conſeruandæ, & augendæ, vſque ad vltimum anhelitum ſe vtiliter expendit. Corpus quamuis ſucci plenum, & ex ardente per æſtatem calore, Conimbricam ad S. Claræ Monaſterium delatum eſt, nullo fœtoris indicio, ſed mirâ inſoliti odoris fragrantiâ. Miraculis eximiè claruit exindè non paucis, tribus præſertim, quo die ſepulchro condita eſt, in publicas eiuſdem parthenonis tabulas relatas. Quibus permotus Rex Emanuel à Leone X. Pontifice Maximo obtinuit, vt illius obitus Dies in Conimbricenſi Diœceſi Miſſarum ſacrificio ac ſolemnibus ritibus celebraretur. Quam facultatem poſtea Ioanne III. Luſitaniæ Rege exorante, Paulus IV. Pont. Max. ad omnes Portugalliæ prouincias benignè dilatauit. Tandem Philippis III. & IV. Catholicis Regibus inſtantibus, Anno Iubilæi, & noſtræ ſalutis M. DC. XXV. totius Chriſtiani Orbis concurſu, & applauſu ab Vrbano VIII. ritè inter Sanctos adſcripta eſt.

*Moritur.*

*Sepelitur.*

*Beata renuntiatur.*

*Inter Sanctos refertur.*

Hactenus ACTA quorum ecphraſis communis eſt apud omnes Scriptores tàm Exteros, quàm Hiſpanos, ita vt in illis nulla relationis pars probationem deſideret; maximè ſtantibus Lectionibus, quas pro huius S. Reginæ feſtiuitate decantandas ſummus Pontifex Vrbanus VIII. conceſſit, vel toto Orbe Chriſtiano ad libitum recitandas permiſit, & Innocentius X. Pontifex Maximus in fine Breuiarij à ſe recogniti cum proprio officio imprimendas mandauit. Ad S. Reginæ Reliquias hocce Poëta Luſitanus conſcripſit carmen.

*Officium conceditur recitandū in Eccleſia ad libitum.*

Mille



*Mille catenatos pateris Matrona labores;*
*Viuens mille ſubis funera, mille cruces.*
*Poſtobitum ſacri tumulo referuntur honores,*
*Vita olim vilis, mors pretioſa fuit.*
*Agmen ad exequias gemmantibus aduolat alis:*
*Miraque ſolemni voce parentat auis.*
*Relliquiæ manant oleæ cœleſtis oliuo,*
*Spirat ab extincto corpore dulcis odor.*
*Mille modis olim fuit æmula vita Tonanti:*
*Æmula funeribus buſta Tonantis erunt.*
*Det pietas aurum. Mens aurea deſpicit aurum;*
*Donet opes. Magnæ deſpiciuntur opes.*
*Regna det & titulis ingentia? reddat honores?*
*Grandia cum titulis ſub pede regna iacent.*
*Repperit in loculis cœleſtia dona ſuperbis,*
*Plena ſacri, dixit, Numinis oſſa dabo.*
*Et dedit, ambo ſacro ne poſſent munere vinci,*
*Relliquias donant pro pietate ſuas.*
*Aurea ſic pietas victa eſt pietate duorum,*
*Et nihil vlterius quod dare poſsit, habet.*
*Denique adhuc certant; pietas vincare neceſſe eſt,*
*Te niſi cum cœlo prodiga tradideris.*

Plura alia carmina edidit P. Antonius Vaſconcellos poſt S. Reginæ vitam, quæ ſi eruditus perlegere voluerit, apud illum inueniet.

STREMOTIVM, ſiue EXTREMOZIVM. Oppidum Hiſpaniæ in Regno Portugalliæ non obſcurum, inter Eboram, & Portalegre, ab eis, & ab Eluenſi vrbe ad VII. Mille paſſ. Hiſpanicos diſſidens, vrceolis fictilibus rubris pretioſiſſimis, quos Bucaros, vocant, nobile, de quibus Eduardus Nunius in Deſcript. Portugall. c. 23.

*Topographia.*

S. INNOCENTIVS Martyr.] De quo Beda, Vſuardus, Ado, & alij recentiores, à quibus Cæſar Baronius in Martyrolog. Roman. h. d. lit. D. Quibus conueniunt Martyrologia Caſtellanum P. Vaſq. Luſitanum P. Lupi. Italum Conſtantij Felicis & aliorum. Hunc fuiſſe martyrio coronatum cum aliis Triginta Sociis, quorum res geſtas nullus ſcripſit, nec quo Anno eorum martyrium euenerit, pateſcit. Igitur S. INNOCENTII pignora Româ Hiſpaniam remiſit ad Fratres Excalceatos SSS. Trinitatis, & eorum Generalem Miniſtrum cum aliorum Sanctorum lipſanis P. F. Ioannes ab Annuntiatione S. Vrbani VIII Pont. Max. Confeſſarius, inter Monaſteria ſui ordinis apud Hiſpanias fundata, diſtribuendis, & INNOCENTII pignora Martyris Conuentui Pampilonenſi obtigit, vbi adhuc honorificè requieſcunt, & cultu debito venerantur: vt omnia hæc patent ex literis Apoſtolicis & Teſtimonialibus diplomatibus ſæpius in hoc opere à Nobis recenſitis.

*C. Martyrologia.*

*Vbi ſacra pignora.*

# III. NON. IVLII.

## DIES V.

A *A* Toleti S. Adeodatæ *Virginis, Sanctimonialis Ordinis Benedictini, de qua S. Gregorius Magnus celebre conſarcinat elogium; quæ poſtquam innumeris floruiſſet virtutibus, & ſupernaturalibus ornaretur fauoribus, depoſito terreni ponderis ſacculo, cœleſtem induit chlamydem puritatis, apud Hetruriam Italiæ.*

B *Apud* Tarraconem *Hiſpaniæ celebre ipſius vrbis* Dedicationis *Eccleſiæ feſtum, anniuerſario repetitur officio, & plauſibili annuatur affectu.*

---

## NOTÆ.

A. Sancta Adeodata Virgo Toletana. ] Hanc ſanctiſſimam Benedictini ordinis alumnam, & Toletanæ vrbis ciuem, multis *B. Gregorius Magnus* extollit encomiis: & licet apud ipſum de loco originis, & ciuilitatis nulla ſit mentio, illas Luitprandus in *Chron. Ann.* 611. *n.* 11. vbi P. Ieronymus Roman. *fol.* 300. & D. Thom. Tamayo *in Not. fol.* 33. ſpecifice hoc elogio præſcribit: Adeodata *Virgo Sanctiſſima* Toletana, *Monialis Benedictina floret, ad quam olim* S. Gre-
*Error. P. Higuera.* gorius *ſcripſit.* Hinc notandum eſt, erraſſe *Higueram,* credens ex textu *Luitprandi* S. Virginem, apud *Toletum* demoraſſe *Monialem*, ibidemque habitum induiſſe Nam vt ex Epiſtolis *Gregorij* liquet ad S. Adeodatam miſſis, conſtat iam ad
*Probatur I.* *Italiam* demigraſſe, & apud *Lunenſem* vrbem *Hetruriæ* conſtitiſſe. Quod & patet ex *Epiſtol.* 28. *lib.* 7. quâ S. Pontifex ſcribit *Venantio* Epiſcopo *Lunenſi*, vt contentionem Adeodatæ Virginis ancillæ Dei, & *Fidentiæ* Matris componat. Quod perperam committeret Pontifex *Venantio* Epiſcopo Italo, & à *Toleto* tàm valdè remoto, niſi Virgo ſanctiſſima, & eius mater intra ipſius Commiſſarij Epiſcopi vrbem exiſterent. Maximè quia ex ipſo Epiſtolæ exordio, S. Virginem Romam
*Probatur II.* ad *S. Gregorij* pedes, pro explicatione ſuæ querimoniæ perrexiſſe, colligitur. Secundo etiam patet ex *Epiſtol.* 64. *lib.* 8. quâ B. Pontifex ſcripſit *Hilario* Notario, vt Nauem Adeodatæ Abbatiſſæ datam pro ſuſtentatione ſui Monaſterij, tueatur. Quod, ſi apud *Toletum*, vt ſomniauit *Higuera*, Abbatiſſam ageret Adeodata, minime *Gregorius* Nauis tuitionem *Hilario* committeret, nec Nauem Virgini emitteret. Ideò *Luitprandi* ſenſus erit, quod Adeodata fuit ori-
*Probatur III.* gine Toletana, & apud *Lunenſem* vrbem *Hetruriæ* Chriſto adhærens, ibidem ſpiritum Sponſo reddidit, vbi miraculis florere cœpit. Hoc & probatur ſequenti Epigrammate, quod inter MSS. *Auli Hali* mei reperi, hoc lemmate:

PRO



### *PRO S. ADEODATA VIRGINE Toletana, Octaſtichon.*

*Hic* Adeodatæ *requieſcunt pignora Sanctæ,*
*Quæ* Benedictinâ *veſte fruitur ouans.*
Toletum *deſerens ad* Lunæ *tranſuolat oras,*
*Quâ ſiſtens, Chriſto viſcera Virgo dedit.*
Gregorij *tandem Papæ præcepta ſubiuit,*
*Cuius & huic frequens littera ſæpe fauet.*
*Tertius en dies illam rapuit vbere fœtu*
*Nonas Quintilis, quo petit aſtra flagrans.*

De Noſtra hac ſanctiſſima Virgine nullus præter *S. Gregorium, Luitprandum*, & MS. *Epitaphium*, memoriam fecit, quod & fatentur *P. Higuera*, & *D. Thomas Tamayo* in locis ſupra citatis. Hinc eius Acta ex eorum relatione conſcribere compellimur, vt inſtituto, pro vt promiſimus, pareamus. *Acta nullus ſcripſit.*

### *ACTA S. ADEODATÆ VIRGINIS Toletanæ in Hiſpania, & Abbatiſſæ Lunenſis in Hetruria, ex B. Gregorio Papa, & aliis.*

Adeodata *ex illuſtriſſima* Gothorum *gente progenita, apud vrbem* Toletum *in* Hiſpania, *parentibus clariſſimis, orta eſt. Quæ cùm tempore debito ſacris tingeretur lymphis Catholica, creſcentibus annis, admirabile de ſe dedit vrbi Regiæ ſanctitatis ſpecimen. Illic ſanctimonialium Virginum cœtibus adhærens, ſacrioribus edocta myſteriis, & ſanctioribus irretita diſciplinis, ſic vitæ normam texuit ad gloriam, vt prorſus inter coæuas ſanctitudinis nomen arriperet. Sed hoc tempore, parentibus in* Italiam *pergentibus, ſanctiſſima Virgo parentum inſequi veſtigia feliciter eſt compulſa: qui apud* Lunenſem *vrbem* Hetruriæ *ſedem figentes, protinus nobilitatis ſuæ ſplendorem Lunenſibus monſtrauére. Hic* Adeodata *pietatis ſtudia quærens, cùm animus Chriſti ſaucius amore quieſcere non valeat, virginum veſtibula perſcrutatur, & inuento theſauro læta, illarum cœtus adauxit, ideoque ſanctimoniâ, & ætate creſcebat. Quæ cognitâ ſanctitatis famâ Gregorij Pontificis Maximi, cuius & in* Hiſpania *laudes deprehenderat, ad illum ſcripſit, communicans ſuum pro obtinenda gloria conatum. Cui ſanctiſſimus Doctor in hæc verba reſcripſit.*

*Origo.* *Italiam pergit.* *Gregorio Magno ſcribit.*

### *GREGORIVS ADEODATÆ Illuſtri.*

Magnam nobis lætitiam gloriæ veſtræ ingeſſit Epiſtola, quæ æternæ vitæ deſiderium vos habere ſignauit: ſed quia huiuſmodi ſtudium fugitiua ſolet mundi gloria præpedire, hortamur, vt mentis veſtræ ſaluberrimam deliberationem res quælibet tranſitura non reuocet, nec ab incepto eam tramite deuiet. Sed magis ſupernæ patriæ amor accendat, præmia manſura ſollicitent, & ad venturi iudicis promiſſionem certa ſemper aſpiret, atque ex temporalibus æterna mercetur: vt ex hoc, & in vera gloria eſſe, & inter matronas poſſitis cœleſtes adſcribi. Reducite ad animos proſperitates temporum, multitudinem hominum, dignitatum pompas, matronarum gloriam, diuitiarum *Cui ille reſpondet. Lib. 7. Ep. 54.*

 abun-

abundantiam. Attendite hæc omnia, vbi vel quid facta ſunt, & ex hoc penſate, quòd nulla ſunt; & quia qui iſta diligit, ſomnium vigilans vidit. Hæc itaque recordatio, magna vobis debet eſſe inſtructio, quoniam pro magno diligi non debet, quidquid fine concluditur. Illa ergo petenda, illa ſummopere diligenda ſunt, quæ nec inuenta tranſeunt, nec adepta deficiunt. Sed quia ad horum deſiderium anhelare ſine diuinæ miſericordiæ gratiâ nullus valet, oramus Omnipotentem Dominum, vt hæc vobis, & eligendi velle, & poſſe tribuat obtinendi: quatenus & hic vos in ſuo viuere timore concedat, & poſtea in Sanctarum ſorte recipiat.

*Romam adiit.*

CVPIEBAT *fortè S. Virgo vitam in ſolitudine Monaſterij tranſigere, ſed à* Fidentiâ *matre impedita deſiderium adimplere non valebat, ideò Romam pergere conſtituit, &* Gregorium *interpellare, matriſque querimoniam eidem proponere, vt eius auctoritate diſponeret, quòd Virginis ſanctiſſimæ conatus efficacia ad debitum perduceretur effectum. Annuit Sanctiſſimus Pontifex Virginis petitionibus, & illam cum Epiſtola ad* Venantium *Epiſcopum Lunenſem dimiſit huiuſmodi*: QVÆ ſit ADEODATÆ ancillæ Dei, latricis præſentium, aduerſus Fidentiam matrem ſuam querimonia, ex pagina petitionis oblatæ, quæ tenetur in ſubditis, fraternitas veſtra cognoſcit. Et quoniam æquitatis cenſura admonet, vt maximum conuerſis, ſaluâ ratione, Epiſcopale debeat eſſe ſolatium, idcircò his fraternitatem veſtram Epiſtolis adhortamur, vt prædictam matrem ipſius ad ſe faciat euocari, & tranquillâ ei adhortatione ſuadeat, vt facere ſponte non deſinat, quod legali poteſt ratione compelli: quatenus nec illa affligi, nec iſta videatur præiudicium ſuſtinere. Quæ ſi, quod non credimus, admonitionem veſtram differre voluerit, prædictæ ADEODATÆ Religioſæ, contra eam, tuitionem impendite, atque veſtris eam ſolatiis apud iudicem, vel quocunque vſus exegerit, inſtantiùs adiuuate. Et ita in exequendam vos hanc cauſam impendite, vt legali ratione conſtrictâ, inuita vrgeatur facere, quod ſpontè poſtponit. Memoratam verò latricem fraternitas veſtra, ita ſeruatâ æquitate habeat in omnibus commendatam, vt vobis eidem tuitionem impendentibus, in eo, quem aſſumpſit, habitu, ſine aliqua, Deo protegente, concuſſione permaneat.

*Lib. 7. Ep. 28.*

*Fit Monialis Benedictina.*

HIS *literis Pontificis* Venantius *roboratus quæſtionem inter* ADEODATAM, & Fidentiam *matrem ſedauit, ita vt in poſterum S. Virgo Benedictini ordinis veſtem aſſumptam fideliter retineret. Igitur à maternis obſtaculis libera, & præceptis Pontificis auxiliaris ſanioribus inhærens, totam ſe dedit cæleſtium rerum contemplationi, cuius myſteria ſuggerens, ad inenarrabilia virtutum cacumina peruolauit. Hinc Monaſterij Abbatiſſa electa totius congregationis Virgines erudiebat, & ad perfectam Religionis aſſumptæ celſitudinem perducere laborabat. Cuius pietatis famam agnoſcens Gregorius* ADEODATÆ *intuitu, Nauem Monaſterio obtulit, vt eius neceſſitudinibus ſubueniret, & ne propter illam aliquibus gabellis grauaretur Cœnobium,* Hilario *Notario ita ſcripſit Pontifex*: Nauem in qua Vitalis præſentium portitor nauigat, ad dilectiſſimam filiam noſtram ADEODATAM Abbatiſſam pro ſuſtentatione Monaſterij ſui emiſſam, cognoſcas. Quâ illuc veniente, hac tibi auctoritate præcipimus, vt ita eam in cunctis tuearis, vtque ab omni angariâ, vel onere exuere, excuſareque feſtines, ac ſi ſpecialiter noſtra ſit. Nam noſtri causâ, in eodem Monaſterio tanta congregatio, Deo propitio, degere comprobatur, vt plus illi ſolatiari, atque concurrere, quàm noſtræ in omnibus feſtinemus Eccleſiæ. Et ideo poſtquam voluntatem noſtram experientia tua, circa prædictum Monaſterium, talem eſſe cognoſcit, ita ſe in tuitione ſupradictæ Nauis impendat, vt te illic poſito, nullam moram, vel impedimentum ab aliquo valeat ſuſtinere. Nam ſi, quod non credimus,

*Et Abbatiſſa.*

*Lib. 8. Ep. 64. Nauem S. Gregorius emittit.*

*Illam à gabellis liberat.*



credimus, in aliquo negligens eſſe tentaueris, vehementer te noſtram noueris offenſam incurrere.

*Monaſterium aliud conſtruit.*

POST *hæc ſanctiſſima Virgo ſpiritum ad Dei obſequium exhibendum ſtrictiùs erigens, Monaſterium in domo, quam ſui iuris habebat apud vrbem* Lillabitanam *extruxit, cuius Altari Reliquias à B.* Gregorio *efflagitauit enixè, nec non licentiam conſecrationi Eccleſiæ. Omnibus etenim Pontifex conſenſum præbens, ita* Decio *illius vrbis Epiſcopo ſcribere deſtinauit*: ADEODATA glorioſa fœmina petitoriâ nobis inſinuatione ſuggeſſit, quod habetur in ſubditis. In domo ſiquidem iuris ſui intra ciuitatem Lillabitanam, Monaſterium ancillarum Dei à ſolo, ſe pro ſua deuotione fundaſſe, quod in honorem B. Petri Principis Apoſtolorum, & SS. Chriſti Martyrum *Laurentij*, *Hermetis*, *Pancratij*, *Sebaſtiani*, & *Agnetis* deſiderat conſecrari. Et ideò frater chariſſime, quia in tuo memorata conſtructio iure conſiſtit, ſi nullum corpus ibidem conſtat humatum, perceptâ prius donatione legitimâ Eccleſiam illam conſecrare non differas, abſque Miſſis publicis, & cætera ſecundum ordinem. *Quo peracto* ADEODATA *poſtmodum cœpit clarere virtutibus, & eueniente mortis die tandem ad cæleſtis ſponſi amplexus feſtinauit* Tertio Nonas Iulij *Anno Domini* DC. XI.

*Lib. 8. Ep. 63. Illius conſecrationē efflagitat.*

*Scriptores Toletani S. Virginē omiſerunt.*

Huius Sanctiſſimæ Ciuis Toletanæ memoriam etiam omiſit *P. Antonius Quintana-Dueñas* in Hiſtoria SS. Toletanorum, fortaſſis quia non ſic hæc digeſta cognouit; ſed parcendum eruditiſſimi Patris ſenectuti, & ægritudinibus, quibus oppletus ad illam ſcribendam acceſſit. Sed quod plus eſt nec *P. Ieronymus Roman de la Higuera*, nec *Comes Morenſis* in ſuis MSS. Chronicis Toletanis vllam de ea commemorationem dedere. Cætera quæ in ACTIS communia ſunt ex Epiſtolis S. Gregorij Magni, quibus adde *Epiſtolam* 43. *lib* 8. vbi Pontifex *Venantio* ſcribit, vt ADEODATAM noſtram ordinet Abbatiſſam.

*Topographia.*

LVNA. Ciuitas quondam Hetruriæ celebris, & Epiſcopalis, ac inter primas antiquitate, & nobilitate, iuxta Liguriæ confinia, à Gothis ſolo æquata: manent tamen cum nomine veſtigia apud oram Maris Thyrreni, & Macræ fluuij oſtia. Ex illius reliquiis SARZANA proxima ciuitas condita fertur, eoque Sedes Epiſcopalis recepta eſt. Magnus illi portus ineſt, qui nunc *Il Golfo della Spezia* dicitur.

DEDICATIO S. E. Tarraconenſis in Cathalonia. ] Vrbs hæc TARRACO olim citerioris Hiſpaniæ caput, per Pyrenæos montes, quibus affixa eſt, vtrumque mare noſtrum, & Occeanum attingens, Solorio Monte, Oretanis, Carpetanis, atque Aſſurum iugis definita, multas diœceſes habuit contributas: in Cathalonia quidem, & in reliquis citra Iberum amnem regionibus, omnes: vltra verò Pampilonenſem, Tyriaſonenſem, Calagurritanam, & Calciatenſem, Segobricenſem, Valentinam, Cæſarauguſtanam, & omnes Inſulas huic noſtro mari finitimas. Huius igitur celeberrimæ vrbis, quam Scipionum opus fatetur antiquitas, primùm accepit prædicationem S. IACOBVS Hiſpaniarum Apoſtolus, quâ Metropolim conſtituit, vt fatetur Iulianus Toletanus in *Chron Ann.* 36. *num.* 5. *fol.* 7. & refert P. Biuar. in *Not. ad Dextr. in Chron. Ann.* 37. *Commentar.* 2. *fol.* 70. *verſ.* Reſtant. Ibidemque AGATHODORVM Epiſcopum I. conſtituiſſe contendit, qui poſtmodum martyrio coronatus eſt Die IV. Martij, Anno Domini L X. apud Cherroneſum in Hiſpania, de quo & Nos ſupr. *Tom.* 2. *Die IV. Mart. fol.* 69. Cuius, & ſequentium Præſulum huiuſmodi Catalogum ex inſtituto conficere propoſuimus.

B.

*Huius Vrbis Apoſtolus quis?*

## *CATALOGVS EPISCOPORVM S. Eccleſiæ Tarraconenſis Metropoliticæ in Cathalonia Hiſpaniæ.*

I. S. Agathodorvs huius nominis I. Epiſcopus Tarraconenſis I. Diſcipulus S. Iacobi, qui ædem B. V. Mariæ Dei-Genitrici ſacrauit, inde cum aliis ad Compoſtellam Altare Magiſtro erexit, cuius funeri interfuit, poſt martyrio coronatur IV. Martij Anno Domini LX. 60.

II. S. Epaphroditvs huius nominis I. Epiſcopus Tarraconenſis II. Diſcipulus S. Petri, & ab eo in hac Sede conſtitutus An-n. LXXII. 72.

III. S. Frvctvosvs huius nominis I. Epiſcopus Tarraconenſis III. qui cum Augurio, & Eulogio Diaconibus martyrium conſummauit Die XXI. Ianuarij Anno Domini CC. LIX. 259.

IV. Benignvs huius nominis I. Epiſcopus Tarraconenſis IV. ad quem ſcripſit S. Felix PP. de quo Iulian. in Chron. n. 118. Eius memoria ad Annum Domini CC. LXXXVI. 286.

V. Himerivs huius nominis I. Epiſcopus Tarraconenſis V. Concilium apud Tarraconem indixit, cuius canones confirmauit Syricius PP. ad Annum CCC. LXXXV. quo eius memoria retigit. 385.

VI. Nicomerivs huius nominis I. Epiſcopus Tarraconenſis VI. tantæ fuit auctoritatis, vt ad eum Pontifex epiſtolas dirigeret, ad Ann. CCC. XC. 390.

VII. Paterninvs huius nominis I. Epiſcopus Tarraconenſis VII. Vir eximiæ pietatis, ſed Vandalis Hiſpaniam populantibus, Tarracone expugnatâ, à ſede pulſus eſt, ad Annum CCCC. X. 410.

VIII. Ascanivs huius nominis I. Epiſcopus Tarraconenſis VIII. qui Hilarium PP. conſuluit, cui S. Pontifex reſcripſit, ad Ann. CCCC. LXIX. 469.

IX. Orentivs huius nominis I. Epiſcopus Tarraconenſis IX. poſt ad Sedem Iliberitanam Bæticæ promotus, ad Annum CCCC. LXXXI. 481.

X. Ioannes huius nominis I. Epiſcopus Tarraconenſis X. qui Tarracone inſtauratâ Concilium Anno D. X. indixit, obiit Anno D. XLVI. 546.

XI. Sergivs huius nominis I. Epiſcopus Tarraconenſis XI. Concilium Ilerdenſe indixit, poſtmodum Ann. D LX. moritur 560.

XII. Ascanivs huius nominis II. Epiſcopus Tarraconenſis XII. à Leouigildo in exilium miſſus in Sardinia vitam conſummauit Ann. D LXIV. 564.

XIII. Agnellvs huius nominis I. Epiſcopus Tarraconenſis XIII. ad quem S. Gregorius Magnus ſcripſit, obiit Anno D. XCIV. 594.

XIV. Evphemivs huius nominis I. Epiſcopus Tarraconenſis XIV. cuius memoria in dyptichis conſignatur ad Annum DC. III. 603.

XV. Evsebivs huius nominis I. Epiſcopus Tarraconenſis XV. Vir vitâ pientiſſimâ nobilis, qui eius Sedem optimis moribus ſtabiliuit. Ann. DC. X. 910.

*D. Franciſcus Padilla* Hiſtor. Eccleſ. Hiſpan. Tom. 2. in Chronolog. Corographic. Epiſcop. Hiſpan. verb. *Tarragona.* fol. 58. *ab Anno* D. LXXXIX. *ſupponit* Artemivm, *ad Annum* D. XCII. *&* Asiaticvm, *ad Annum Domini* D. XCIX. *quos prorſus expungit Catalogus Epiſcoporum Tarraconenſium, cuius ope vſi ſumus.*

Avdax



XVI. Avdax huius nominis I. Epiſcopus Tarraconenſis XVI. interfuit Concilio IV. Toletano ad Annum Domini DC. XXXIII. 633.

XVII. Phalvax huius nominis I. Epiſcopus Tarraconenſis XVII. poſtquam plures annos Eccleſiam adminiſtraſſet ad Annum DC. LXVII. obiit. 667.

XVIII. Cypianvs huius nominis I. Epiſcopus Tarraconenſis XVIII. interfuit Conciliis XIII. per Spaſandum Archidiaconum, XIV. per Vitalianum, & Abbatem Argebudum, & XV. per Seſaldum, Archipreſbyterum, & Abbatem, Toletanis, obiit Anno DC. LXXXVIII. Corpus in Eccleſia quieſcit. 688.

XIX. Vera huius nominis I. Epiſcopus Tarraconenſis XIX. interfuit Toletanis Conciliis XVI. & XVII. ad Annum DC. XCIV. 694.

XX. Gvillelmvs huius nominis I. Epiſcopus Tarraconenſis XX. ex Barcinonenſe Sede tranſlatus, vixit ad Annum DCC. XIII. 713.

*In huius tempus illa miſerrima, nec vnquam ſatis deplorata Sarracenorum in* Hiſpaniam *incurrit irruptio, & totius* Hiſpaniæ *vaſtatio, quâ factum eſt, vt Pontificum* Tarraconenſium, *aut memoria deperiret, aut electio intermitteretur. De vno tantum agit* Luitprandus in *Chron. Ann.* 744. *num.* 219. *fol.* 401. ſic:

XXI. S. Veranvs huius nominis I. Epiſcopus Tarraconenſis XXI. qui è Sede à Sarracenis expulſus Toletum venit, & ab Vrbano Toletano Præſule benignè ſuſceptus, tandem apud Aureliam Anno DCC. XLIV. obiit. 744.

*Poſt hæc partim ob Sarracenorum iniurias, partim ob teterrimum monſtrum, quod ciuitatem obſederat, eamque cædibus, fame, & tabo interfecerat,* Tarraco *iacuit inculta, & colonis omnibus exhauſta. Succedentibus verò temporibus, Sarracenis etiam magnâ ex parte ab hac regione expulſis, iterum* Tarraco *poſt CCC. Annos, aut eo plus, variis calamitatibus afflictata, cœpit habitari, & Sede reſtituta Patriarchali, ſequentes illa Apoſtolica Eccleſia Pontifices enumerat.*

XXII. D. Berengarivs huius nominis I. Archiepiſcopus Tarraconenſis, XXII. cognomento *Roſanis*, ex Auſonenſi Epiſcopo, obiit Anno M. C. VIII. 1108

XXIII. D. Raymvndvs huius nominis I. Archiepiſcopus Tarraconenſis XXIII. cognomento *Tarrago* ex Præſule Barcinonenſi, Anno M. C. XIII. occubuit. 1113

XXIV. S. Ollegarivs huius nominis I. Archiepiſcopus Tarraconenſis XXIV. ex Barcinonenſi Antiſtite, ſanctitate clarus obiit Anno M. C. XXXVI. 1136

XXV. D. Gregorivs huius nominis I. Archiepiſcopus Tarraconenſis XXV. de quo nulla alia ineſt memoria, quam quod Anno M. C. XLV. obierit. 1145

XXVI. D. Bernardvs huius nominis I. Archiepiſcopus Tarraconenſis XXVI. cognomento *Tort*, ex Canonico S. Ruffi, obiit apud Britannos Anno M. C LXIII. 1163

XXVII. D. Hvgo huius nominis I. Archiepiſcopus Tarraconenſis XXVII. cognomento *Ceruilion*, quin in Regis defenſione occubuit Anno M. C. LXXI. 1171

XXVIII. D. Gvillelmvs huius nominis II. Archiepiſcopus Tarraconenſis XXVIII. cognomento *Cumba*, Obiit Anno M. C. LXXIV. amplificatâ Eccleſiâ. 1174

XXIX. D. Berengarivs huius nominis II. Archiepiſcopus Tarraconenſis XXIX. qui pro Eccleſiæ iuribus defenſandis Martyr occubuit Anno M. C. XCIII. 1193

D. Raymvn-

XXX. D. Raymvndvs huius nominis II. Archiepiſcopus Tarraconenſis XX X. ex familia *Caſtri Tertioli*, Obiit Anno M. C. XCVIII. 1198

XXXI. D. Raymvndvs huius nominis III. Archiepiſcopus Tarranenſis XXXI. ex Rochabertinorum familia, obiit Anno M. CC. XIV. 1214

XXXII. D. Sparagvs huius nominis I. Archiepiſcopus Tarraconenſis XXXII. ex Regio genere ortus, Conſtitutiones Synodales inſtituit, & obiit Anno M. CC.XXXII. 1232

XXXIII. D. Petrvs huius nominis I. Archiepiſcopus Tarraconenſis XXXIII. cognomento *Albalator*, ex Ilerdenſi Præſule, obiit anno M. CC. LI. 1251

XXXIV. D. Benedictvs huius nominis I. Archiepiſcopus Tarraconenſis XXXIV. cognomento *Rochabert*, ex Camerario eiuſdem Eccleſiæ, obiit Anno M. CC. LXVIII. 1268

XXXV. D. Bernardvs huius nominis II. Archiepiſcopus Tarraconenſis XXXV. cognomento *Oliuella*, ex Epiſcopo Dertuſano, obiit Anno M. CC. LXXXVII. 1287

XXXVI. D. Rodericvs huius nominis I. Archiepiſcopus Tarraconenſis XXXVI. cognomento *Tello*, ex Hiſpalenſi vrbe ortus, obiit Anno M.CCC. VIII. 1308

XXXVII. D. Gvillelmvs huius nominis III. Archiepiſcopus Tarraconenſis XXXVII. cognomento *Rochabert*, addito ſuæ Eccleſiæ patrimonio, obiit Anno M. CCC.XV. 1315

XXXVIII. D. Eximinvs huius nominis I. Archiepiſcopus Tarraconenſis XXXVIII. cognomento *Luna*, ex Cæſarauguſtano ad hanc Sedem tranſlatus, deinde ad Toletanam, Anno M. CCC.XXVII. euectus, obiit Anno M. CCC. XXXVIII. 1338

XXXIX. D. Ioannes huius nominis II. Archiepiſcopus Tarraconenſis XXXIX. cognomento *de Aragon*, qui & Toletanus, & Patriarcha Alexandrinus, multis miraculis clarus obiit, Anno M. CCC. XXXIV. Iacobi II. Aragoniæ Regis filius 1334

XL. D. Arnaldvs huius nominis I. Archiepiſcopus Tarraconenſis XL. cognomento *de Cumbis*, illuſtrato ſuæ Eccleſiæ Templo, obiit Anno M. CCC. XLVI. 1346

XLI. D. Sanctivs huius nominis I. Archiepiſcopus Tarraconenſis XLI. cognomento *Ayerbe*, ex Tiraſonenſi Præſule, obiit Anno M. CCC. LVI. 1356

XLII. D. Petrvs huius nominis II. Archiepiſcopus Tarraconenſis XLII. cognomento *Claſquerin*, prius Oſcæ Præſul, Maioricenſi fuit Præpoſitus Eccleſiæ, & ex ea Tarraconem tranſlatus, obiit Anno M. CCC. LXXX. 1380

XLIII. D. Enecvs huius nominis I. Archiepiſcopus Tarraconenſis XLIII. cognomento *Valterra*, ex Segobienſi Præſule, obiit Anno M.CCCC.VII. 1407

XLIV. D. Petrvs huius nominis III. Archiepiſcopus Tarraconenſis XLIV. cognomento *Zagarriga*, ex Ilerdenſi Præſule, obiit Anno M.CCCC. XIX. 1419

XLV. D. Dalmacivs huius nominis I. Arehiepiſcopus Tarraconenſis XLV. cognomento *Muro*, ex Gerundenſi Præſule ad hanc Metropoliticam promotus, inde in Cæſarauguſtanam tranſlatus, Anno M.CCCC.XXXI. 1431

XLVI. D. Gvndisalvvs huius nominis I. Archiepiſcopus Tarraconenſis XLVI. cognomento *de Yxar*, ex Regia Aragonenſi Domo, obiit Anno M.CCCC. XXXIII. 1433

XLVII. D. Dominicvs huius nominis I. Archiepiſcopus Tarraconenſis



XLVII. cognomento *Ramos*, ex Præſule Oſcenſis, & Ilerdenſis Eccleſiarum, S. R. E. Cardinalis, obiit Romæ Anno M. CCCC. XLV. 1445

XLVIII. D. Petrvs huius nominis IV. Archiepiſcopus Tarraconenſis XLVIII. cognomento *Vrrea*, ex Theſaurario Tarraconenſi, & Eccleſiæ Cæſarauguſtanæ Priore, Patriarcha Alexandrinus, obiit Anno M. CCCC. LXXXIX. 1489

XLIX. D. Gvndisalbvs huius nominis II. Archiepiſcopus Tarraconenſis XLIX. cognomento *Heredia*, ex Barcinonenſi Præſule, ſuo muneri reſpondere curauit, obiit Anno M. CCCCC. 1500

L. D. Alfonsvs huius nominis I. Archiepiſcopus Tarraconenſis L. cognomento *Aragon*, ex Dertuſenſi Præſule, obiit Anno M. D. IV. 1504

LI. D. Petrvs huius nominis V. Archiepiſcopus Tarraconenſis LI. cognomento *Cardona*, ex Vrgellenſi Sede promotus, pluribus muneribus adminiſtratis, tandem Anno M. D. XXX. vitam exuit. 1530

LII. D. Lvdovicvs huius nominis I. Archiepiſcopus Tarraconenſis LII. cognomento *Cardona*, ex Abbate Solonenſi, & Barcinonenſi Præſule, Vir pietate, religione, & moribus celebris, obiit Anno M. D. XXXII. 1532

LIII. D. Ieronymvs huius nominis I. Archiepiſcopus Tarraconenſis LIII. cognomento *Auria*, S. R. E. Cardinalis. Obiit Anno M. D. XL. 1540

*Sequentes* Archipræſules *hîc tumultuariè ſubiicimus, quia in Catalogis, quibus ſumus vſi, nulla temporum ratio inuenitur.*

LIV. D. Fernandvs huius nominis I. Archiepiſcopus Tarraconenſis LIV. cognomento *Loazes*, Oriolenſis, Patriarcha Antiochenus.

LVI. D. Bartholomævs huius nominis I. Archiepiſcopus Tarraconenſis, cognomento *Sebaſtianus*, Aragonenſis.

LVII. D. Gaspar huius nominis I. Archiepiſcopus Tarraconenſis LVII. cognomento *Ceruantes de Gabete*, S. R. E. Cardinalis.

LVIII. D. Antonivs huius nominis I. Archiepiſcopus Tarraconenſis LVIII. cognomento *Auguſtinus*, ex Alfifano, & Illerdenſi Præſule, obiit Anno Domini M. D. LXXXVI. 1586

LIX. D. Ioannes huius nominis III. Archiepiſcopus Tarraconenſis LIX. cognomento *Terez*, Cathalanus ex Oppido Verdù.

LX. D. Ioannes huius nominis IV. Archiepiſcopus Tarraconenſis LX. cognomento *Vic*, & *Manrrique* Valentinus.

LXI. D. Ioannes huius nominis V. Archiepiſcopus Tarraconenſis LXI. cognomento *Moncada*, Caſtellanus.

LXII. D. Ioannes huius nominis VI. Archiepiſcopus Tarraconenſis LXII. cognomento *de Hozes*, Caſtellanus.

LXIII. F. D. Ioannes huius nominis VII. Archiepiſcopus Tarraconenſis LXIII. cognomento *de Guzman*, Caſtellanus ex ordine Minorum.

LXIV. F. D. Antonivs huius nominis II. Archiepiſcopus Tarraconenſis LXIV. cognomento *Perez*, Caſtellanus ex ordine Benedictino.

LXV. D. Franciscvs huius nominis I. Archiepiſcopus Tarraconenſis, LXV. cognomento de Roxas, Artes, & Borgia Valentinus, hodie ſedem illam Metropoliticam gubernat.

Hic eſt Pontificum Tarraconenſium Catalogus, cuius copia mihi valde diminuta dimiſſa eſt, maxime in hiſce vltimis Præſulibus, in quorum ſerie, nec dies electionis, tranſlationis, aut tranſitus vniuſcuiuſque Antiſtitis recenſetur. Hæc igitur, mi Lector, huius temporis incuria Eccleſiarum eſt, vt etiam ea quæ ad earum honorem ſpectant, vix amandare permittunt, ideo ſibi imputent, ſi copioſiores Dypticas non damus.

# PRID. NON. IVLII.

## DIES VI.

A *Apud* Iuliobrigam *in Hiſpania* S. LVCIÆ *Martyris, quæ è Campania, cuius accola erat, Hiſpaniam aduenien͏s, à Riccio Varo propter Chriſti fidem comprehenſa, vt Jdolis offerret thura compellitur, ſed in religione perſiſtens, non ſolum* Antoninum, Seuerinum, Diodorum, Dionem, Apollonium, Appamum, Papyranum, Cotyum, Oronum, Dapimum, Satyrum, Victorem, *& alios IX. conuertit ſatellites, ſed & ipſum* Varum *Judicem, cum quo eſt martyrio coronata.*

B Heracleæ *in Hiſpania iuxta* Calpem S. LVCIÆ *Martyris, quæ ob fidem ſeruatam Chriſto, grauiſſimis expoſita ſuppliciis, demum victrix agoniſta, lauream martyrio comparauit æternam.*

## NOTÆ.

*Hiſpaniæ patitur.*

SANCTA LVCIA *Martyr* Iuliobrigenſis. ] Fuit ſanctiſſima Martyr natione *Campana*, ſed agone *Noſtra*, vt expreſsè ſcriptum reliquit Flau. Dext. in *Chron. Anno* 300. hac ſerie: IVLIOBRIGÆ *in Hiſpania* S. LVCIA *Martyr, quæ à Regione* Campania *venit in* Hiſpaniam, *& à* Rictio Varo *comprehenſa, quem ad fidem conuertit, relicta ab eo; & ab alio iudice comprehenſa, cum aliys etiam ſociis patitur, Pridie Nonas Iulij.* Noſtrum ſequuntur clariſſimum Chronographum Roder. Caro in *Not. fol* 101 *lit. D.* & Biuar. *Anno* 300. *n.* 3 *fol.* 328. *Com.* 2. Circa Martyris, & Sociorum agonem conueniunt *Græcorum Menolog.* & *Romanum Martyrologium*; cuius epitomem ſequuntur recentiores, ſcilicet *Maurolycus*, & *Bellinus*, nec non Martyrologia *Caſtellanum* P. Vaſqu. *Luſitanum* P. Lupi, *Hiſpanum MS.* P. Higuera, & *Italum* Conſtantij Felicis: quibus accedit Philipp. Ferrar. in *Topograph. SS. verb.* Campania. *fol.* 31. licet in *Catalogo SS. Italiæ* nullam prorſus de ea mentionem faciat, fortaſſis ignorans locum agonis. Eius ACTA ex Dextro & Martyrologiis breui calculo compaginabimus.

*Martyrologia.*

*ACTA*



## ACTA S. LVCIÆ CAMPANÆ, *Martyris Iuliobricenſis in Hiſpania, ex Variis.*

*Origo.*

LVCIA *origine* Campana, *in illa Italiæ Regione, quæ inter Latium, & Picentes, nec non inter Samnium, & Mare Thyrrenum continetur; cùm Imperatorum Diocletiani, & Maximiani aduerſus Chriſti aſſeclas ſæuitias intueretur, patriam deſerens, alienas quærere regiones compulſa,* Hiſpanias *deuenit, & ad portum* Iuliobrigenſem *ſoluens, requiem in proxima vrbe inueniſſe credidit. Sed pullulante per regionem illam Imperatorum perſecutione, à ſatellitibus tenta, & ad Iudicis tribunal deducta, Chriſtum verum Deum eſſe, voce liberâ fatebatur. Erat tunc in illis partibus Iudex, quidam homo Romanus,* Rictio-Varus *nomine, qui ſanctiſſimæ fæminæ oracula perpendens, & intra cordis abſtruſa, Martyris verba conſeruans, illa diù meditabundus expendens, tandem ſtrenuiſſimæ fœminæ doctrinis adhærens, ſacris tinctus laticibus, vnà cum* ANTONINO, SEVERINO, DIODORO, DIONE, APOLLONIO, APAMO, PAPYRANO, COTYO, ORONO, DAPIMO, SATYRO, VICTORE, *& aliis Nouem ſociis, Chriſtum prædicare cœpit. Quorum confeſſiones* Dacianus *exaudiens protinus aduerſus fideles Chriſti ſeruos arma commouens alium Iudicem exlegauit, qui Deorum honorem, & Diuorum decreta ſanguine vindicaret. Igitur nouus Iudex* LVCIAM, RICTIO-VARVM *& reliquos, qui Chriſto nomina dederant, comprehendens, cùm illos nec à propoſito reſilire, nec Idolis thura adolere, nec Imperatorum decretis obtemperare perpenderet, ferali ſententiâ damnauit, quâ qui in paſſione collegæ, in corona identidem fuere conſortes* Pridie Nonas Iulij, *Anno Dominicæ Natiuitatis* CCC.

*Hiſpanias venit.*

*Comprehenditur, & Rictiouarum conuertit cum ſociis Sociorum nomina.*

*Coronatur.*

En ACTA, in quibus notabis, quod RICTIOVARVS iſte, qui cum S. LVCIA & Sociis apud *Iuliobrigam* Hiſpaniæ coronatus eſt, longe fuit diuerſus ab illo Præſide, quem Diabolus in ignem iniecit, de quo Surius in *Act. SS. Tom.* 5. *Die XXVIII. Octobr. in Vit. SS. Criſpini, & Criſpiniani fol.* 387. his verbis: *Cernens* RICTIOVARVS *impius ſe nihil ſuis efficere ſuppliciis, furibundus in ignem ſe ſe præcipitat, & tali morte abiit è vita, iuſto quidem Dei iudicio, vt qui multos Chriſti Martyres, ad cœleſtia regna properantes, ignibus cruciatos interemerat, ipſe ad æterni ignis flammas inextinguibiles, igne extinctus proficiſceretur.* Quæ verba etiam refert Cardinal. Baron. *in Annal. Eccleſ. Tom.* 2. *Ann.* 303. *n.* 132. *fol. mihi in Roman.* 780. Hinc elicies duos fuiſſe Præſides nominibus ſimiles, ſed ſorte diuerſos. Alius, ſcilicet Noſter fidei confeſſione Martyr; alius, ſcilicet Gallicanus ob fidei procuratam extirpationem ad inferos condemnatus.

*Rictiouari duo, alius Gallicanus, & alius Hiſpanus: Ille præcipitatus, iſte Martyr.*

IVLIOBRIGA. Eam fuiſſe vetuſtiſſimam vrbem apud Cantabros Hiſpaniæ multis probauimus ſupra Tom. I. Die XXVII. Ianuar. fol. 315. Illamque hodie AGVILAR *de Campoò* vocitari affirmant melioris notæ Scriptores, quibus adhæſi, & adhæreo.

*Topographia.*

S. LVCIA *Martyr* Heraclæenſis. ] Diuerſam fuiſſe ab antecedenti Martyre locorum agonis diuerſitas perſuadet. Illa *Iuliobrigæ* in Cantabris; iſta *Heracleæ* in Bætica. Illa origine *Campana* in Italia; iſta origine *Bætica* in Hiſpania. De illa iam *Flauij Dextri* elogium vidiſti; De hac en eiuſdem Clar. Viri in *Chron. Ann.* 300. memoriam auſculta: *Vrbe* HERACLEA *in Calpe Hiſpaniæ* S. LVCIA *Martyr.* Roder. Car. *in Not. ad Dextr. fol.* 105. *lit. D.* iſtam cum antecedenti eandem eſſe ſuſpicatur, ſed perperam, vt infra patebit. P. Biuar. *Ann.* 300. *num.* 19. *Com.* 2. *fol.* 333. de Martyre altum Silentium. Quis igitur tantæ obſcuritatis nebulas clarificare conabitur? Nemo, me Hercle, Nemo ex Neotericis, niſi lampadis antiquorum lucem præſeferat. Ergo, Deo auſpice, en ad illuſtrationem Dextri, præcurſor lychnus apparet, *Epigramma* ſcilicet *Cypriani* Archipreſbyteri *Cordubenſis*, qui de hac Martyre loquens, proſequitur, in meo *MS. Codice* vetuſto Carminum.

B.

*Hæc Martyr ab antecedenti diuerſa.*

*Scriptores.*

*Obtulit & Domino conſtantia pignora* Calpes;
Lvcia *de numero fuit illo tempore Martyr*
*Vrbis* Heracleæ, *quam paſſam rettulit almus*
*Noſter* Iſidorus, *cuius veſtigia calco*,
*Tempore quo* Felix *ſubiecit colla mucroni.*

Iſte Felix de quo hic *Cyprianus* ex auctoritate *Iſidori Cordubenſis*, longe diuerſi ab *Hiſpalenſi*, forte fuit ille cuius meminit Dexter *Ann.* 296. *num.* 4. his verbis: Heracleæ *in* Hiſpania, *prope fretum* Herculeum *Sanctiſſimi Chriſti Martyres* Felix, *& Ianuarius*, & Luitprandus in *Aduerſar. num.* 8. *&* 15. De quibus & Nos ſupra *Tom.* 1. *Die VII. Ianuar. lit. B. fol.* 98. Quæ iſta ſanctiſſima Martyr fuerit, nec *Dexter*, nec *Cyprianus Cordubenſis* aperiunt, nec Nos veſtigia quæ ſequamur inuenimus; imò nec diem cultus. Hinc in hunc reiicere decreuimus, ob memoriam alterius Martyris Lvciæ, *Iuliobrigenſis*, vt moris eſt in ſimilibus accidentibus.

*S. Felix M. Heracleæ obiit Anno* 296.

Heraclea. Fuiſſe vrbem vetuſtiſſimam in *Bætica* diximus ſupra *d. Tom.* 1. *fol.* 101. quam circa *fretum Herculeum* extitiſſe fatetur Dexter. *d. Ann.* 296. *num.* 4. Vbi Biuar. *in Com. fol.* 313. hodieque vocari Gibraltar ex *Marulio* & cæteris Scriptoribus.

*Topographia.*

# NONAS IVLII.
## DIES VII.

*A.* Illiberi *in Bætica* S. Orentii *primò* Tarraconenſis, *poſt illius vrbis Epiſcopi*, *V. C. & Scriptoris nobilis*, *cuius elogium concinnauit* Sidonius Apollinaris, *qui poſt coaceruatos illuſtrium virtutum, inſignis doctrinæ, & mirabilium operationum cumulos, abſoluto feliciter ſtudio, ad verum beatitudinis ſtudium felicior acceſſit.*

*B.* Vrgellæ *in Hiſpania Citeriori* S. Odonis *ipſius Ciuitatis Epiſcopi, qui ex illuſtrium proſapiâ Comitum oriundus, ſemetipſum virtutum præconiis nobilitauit, quibus ſacras Præſulatus, & cæleſtis coronæ infulas, Deo diſponente, promeruit.*

# NOTÆ.

Sanctvs Orentivs *Epiſcopus* Illiberitanus *in Bætica.* ] Tres huius hominis ſanctitate illuſtriſſimos Viros agnoſcit *Hiſpania*, videlicet Orentivm Patrem *S. Laurentij* de quo & Nos ſupra *Tom* 3. *Die I. Maij.* Orentivm filium eiuſdem, & fratrem ipſius *Laurentij* Martyris, Epiſcopum *Auſcenſem* in Gallia, de quo Nos ſupra *Tom.* 2. *Die XV. Mart. lit. C. fol.* 225. & Orentivm *Illiberitanæ* Sedis Epiſcopum, cuius hæc Dies memoriæ eſt, vt patet ex relatione

A. *Tres fuiſſe Orentios in Hiſpania Sanctos probatur.*

S.M.



S.M. Maximi in *Chron. Ann.* 518. *n.* 3. apud Biuar. *fol.* 339. hic verbis: *Obiit* S. Orentivs *Epiſcopus* Illiberitanus, *ſcriptis clarus, Iulij Die VII.* Eadem reperiuntur verba apud Roderic. Caro in *Not. ad Max. fol.* 181. *lit. H.* licet de die obitus altum ſilentium ad Annum D. XVIII. imo iam illius meminerat ad Annum CCCC. LXXXI. *fol.* 173. *lit. G.* Hinc elicio variè apud hos eruditiſſimos *S. Maximi* Commentatores de Tranſitus Noſtri Orentii anno computationem eſſe conſignatam. Nam *Carus* obitum ad Annum CCCC. LXXXI. *Biuarius* ad D. XVIII. conſignat. Hinc etiam deduco cauſam, quâ moti R. P. F. *Petrus à S. Cæcilio* Mercenarius Excalciatus, amicus mihi ſemper venerandus in *Memorial. MS. SS. Illiberitan. c* 5. & D. Franc. Bermudez de Pedraza in *Hiſtor. Granat.* 2. *p. c.* 19. *n.* 29 *fol.* 71. *col.* 4. aſſeruere, *Duos* fuiſſe Sedis *Illiberitanæ* Epiſcopos nomine Orentios, alium è viuis ſublatum ex *Maximo*, ſecundùm ſcripturæ computum *Roderici Caro*, Anno CCCC. LXXXI. alterum ex *Biuario* emortuum Anno D. XVIII. Nam ſcripturæ varietatem inſpectantes, illis anſam præbuit Annorum diuerſitas, vt ad duplicatam vnius Epiſcoporum nominis aſſignationem dilaberentur. Sed ſaluâ pace tantorum Virorum, proculdubio vnus, & idem fuit Orentivs cuius diuerſis clauſulis meminit *Maximus* ad Annum vſque D. XVIII. ab exordio eius Natiuitatis, prout collocantur à *Biuario* in hunc modum: Ad Annum CCCC. XXX. eius Natiuitas refertur in Oppido *Palfuriana* prope *Tarraconem.* Ad Annum CCCC. LXXXI. iam Epiſcopus ſcriptis floret, & famâ. Ad Annum D. XVI. interfuit *Concilio Tarraconenſi.* Ad Annum D. XVII. *Concilio Gerundenſi*; & denique ad Annum D. XVIII. obiit: & hic eſt verus ætatis huius ſanctiſſimi Orentii vitæ excurſus; ideo perperam Dvos huius nominis *Præſules Illiberritanos* ex vno efficere ex *Maximo* contendunt Granatenſium rerum ſcriptores. Sed nec hic illorum lapſus; in alium corruére primo peiorem: Nam ignoratâ ciuitate & Die, quibus Orentivs, quem dicunt Secvndvm, vitam exuiſſet, Adonis, & Martyrologij Romani Kal. I. *Maij* textus perlegentes, & ſequentem periodum perſcrutantes: Avsci *in Gallia* S. Orentii *Epiſcopi*; & in Adonis textu Tolosæ, omnia Eccleſiaſtica monimenta confundentes, hunc textum *Romani Martyrologij*, & *Adonis*, Orentio *Illiberitano* Epiſcopo applicuerunt, & de propria Sede Orentivm Epiſcopum *Auſcenſem* eiecerunt. Quis credet Viros eruditiſſimos ignoraſſe, Orentivm, cuius elogium *Ado*, & Tabulæ Eccleſiaſticæ *Die Kal. Maij* compaginant, fuiſſe Oschæ in *Aragonia* natum filium *SS. Orentij & Patientiæ*; fratrem *S. Laurentij*, & Epiſcopum *Auſcenſem* in Gallia? Sed eo amplius demiror ſubtilitatem *D. Franciſci Bermudez*, qui haud contentus expulſione S. Præſulis è Sede ſua, etiam corrigere *Martyrologij Romani* textum aggreditur, his verbis patrio idiomate: *Lo que yo tengo por mas cierto es, que* S. Orencio *murio en la Ciudad de* Viqve *a quien los Latinos llamam* Avsona, *cabeza de Obiſpado en Cataluña, no lejos de* Tarragona *que es ſu Metropoli: y pudo ſer yerro del* Martyrologio Romano, *ocaſionado de lengaño de algun Eſcriuiente poco aduertido poner* Avscii *por* Avsæ *pues es tan poca la differencia de las letras; de que ſe hallan à cada paſo en el miſmo* Martyrologio *muchos exemplares.* Quæ Latinitate donata, ſic legito: *Quod Ego veriùs credo eſt, quòd* S. Orentivs *obijt in vrbe* Vicenſi, *quam Latini vocant* Avsona, *Sedes Epiſcopalis in Cathalonia, non procul à* Tarracone *eius Metropoli: & fortè irrepſit mendum in* Martyrologio Romano, *excriptoris imperiti errore contractum, qui loco* Avsæ *repoſuit* Avscii, *maximè cùm in literis tàm minuta diſcrepantia, ſit, & de quo paſſim complura in eodem* Martyrologio *inueniuntur exemplaria.* Quidquid ſit, in hoc errauit vterque doctiſſimus Vir.

*Diuerſæ obitus computationis ſeries compulit Scriptores Granatenſes credere Dvos fuiſſe Orentios Illiberitanos.*

*Vnus & idem tantùm ex Maximi Chronico, probatur.*

*Lapſus eorundem in aſſignatione vrbis, quâ obiit, & Diei.*

*Alius eorum error in emendatione textus Martyrologij Romani.*

Sed nunc ad Notationem Noſtram, circa memoriam S. Orentii Noſtri, calamum conuertamus. De eo poſt *S. Maximum* in locis ſuperius allegatis, Iulianus Archipreſbyter Toletanus in *Chron. Ann.* 487. *num.* 256. hac ſerie: Orentivs *Epiſcopus* Tarraconenſis, *Vir illuſtris, quem laudat* Sydonius Apollinaris, *& fuit Epiſcopus* Illiberitanus *in Bætica, Ciuis* Tarraconenſis *fuit; paulò poſt hæc tempora Scriptor nobilis.* Fallitur proculdubio Biuarius *in Notis ad Maxim. Ann.* 481. *num.* 2. *fol.* 240. §. 49. aſſerens Orentivm Noſtrum minimè *Epiſcopum* fuiſſe

*Scriptores.*

*Biuarij opinio taxatur.*

*Tarraconenſem* contra placitum *Iuliani*, cuius textum corrigere conatur, apponens virgulam poſt verba: ORENTIVS *Epiſcopus*, & ante vocem, *Tarraconenſis*, ita vt hæc adhæreat dictionibus *Vir Illuſtris*, & ſenſus ſit: *Quòd* ORENTIVS *qui fuit Epiſcopus, erat Vir Illuſtris* Tarraconenſis, *hoc eſt*, Tarracone *oriundus.* Quia præter hoc quòd S. Virum de primo ſpoliat Epiſcopatu, totum clauſulæ *Iuliani* textum confundit verborum duplicatione, vt patet ex eo à Nobis proximè adducto, vbi ſenſus integer, & æqualis. Tu nunc Lector eruditè textum iterum auſculta, prout à *Biuario* punctuatur: ORENTIVS *Epiſcopus*, (hic virgula) *Tarraconenſis Vir Illuſtris*, *quem laudat* Sydonius Apollinaris, *& fuit Epiſcopus* Illiberitanus *in Bætica*, (en duplicationem) *Ciuis* Tarraconenſis *fuit*; *paulo poſt hæc tempora Scriptor nobilis.* Nam ſi in principio (ſecundùm correctionem *Biuarij*) dixerat *Iulianus*, ORENTIVM fuiſſe *Virum Illuſtrem Tarraconenſem*, ad quid in fine repetit, *Ciuem fuiſſe Tarraconenſem*? Perperam ergo doctiſſimus Vir diſiungit verba, *Epiſcopus Tarraconenſis*, quæ in originalibus MSS. & in excuſo optime coniuncta perlegimus: ita vt tota illa periodus ad hunc finem tendat, vt demonſtret, ORENTIVM, qui fuerat Vir Illuſtris, *Epiſcopus Tarraconenſis*, & *Illiberitanus* in Bætica, quem laudat Sydonius Appollinaris, *Tarraconenſem Ciuem*, & nobilem Scriptorem fuiſſe. Et hæc eſt vera, & genuina *Iuliani* intentio, omiſſis caſtigationibus Biuarianis, prorſus à mente Scriptoris alienis, nec ad rem aliquam pertinentibus. His ſic delibatis, de S. ORENTIO etiam ſcripſere idem Iulianus in *Aduerſar. n. 433. fol.* 102.

*Chronologi.*

Loyſa in *Not. ad Concil. Tarraconenſ. fol.* 72. Sigebert. Gemblacenſ. *de Scriptorib. Eccleſ. c.* 34. Aubert Myræus in *Not. ad Gennad. de Scriptorib. Eccleſ. c* 9. *Tom.* 1. *Bibliothec. Eccleſiaſt. fol* 45. Padilla in *Hiſtor. Eccleſ. Hiſpan. Tom.* 1 *Cent.* 6 *c.* 3. *&* 9. P. Diago *Hiſtor. Comit. Barcinonenſ. lib.* 1. *c.* 11. Mendoza *de Confirmat. Concil. Illiberitan. lib.* 1. *c.* 1. D. Martin. Corrill. *in Hiſt. S. Valerij. c.* 15. P. F. Petr. à S. Cæcilio in *Memorial. SS. Illiberitan. c.* 5. P. Martin. Del-Rio *in Præfation. ad Commonitor. S. Orentij*, *&* D. D. Laurentius Ramir. *in Epiſtol. ad Lector.* Iuſtus Lipſius in *eius Opuſculi editione.* Bibliothec. Veter. Patr. *Tom.* 5. *p.* 3. *fol.* 793. Cardinalis Cæſar Baron. *In Annalib. Eccleſ. Tom.* 6. *Ann.* 484. *num.* 126. Sydon. Apollinar. *lib.* 9. *Epiſtol.* 12. vbi P. Ioannes Sabarus *fol.* 595. Fortunatus *de Vit. S. Martin. Turonenſ.* D. Franciſc. Bermudez de Pedraza *Hiſtoria. Granatenſ.* 2. *p. c.* 19. *&* 20. *fol.* 71. *&* 72. & alij. Huius Sanctiſſimi Præſulis ACTA prorſus ſub ſilentio jacent, ideo illa ex hiſce Scriptoribus compaginare diſponimus, & ne tanti Viri res geſtæ occludantur in poſterum, & ne inſtituto deficere videamur.

## *ACTA S. ORENTII EPISCOPI Primùm Tarraconenſis poſt Illiberitani in Bætica Hiſpaniæ; ex S. Marco, Maximo, Iuliano, & aliis.*

*Origo.*

ORENTIVS *ex illuſtri* Tarraconenſium *Ciuium proſapiâ apud* Palfurianam *Oppidum prope* Tarraconem *natus*, *ex primis iuuentutis ardoribus totum ſe poëtices tradidit eruditioni*, *quam ſic*, *vt illa ferebant tempora*, *diuino ſpiritu didicit*, *& retinuit*, *vt meritò* Venantius Fortunatus *illum inter* Prudentium, *&* Iuuencum *clariſſimos*, *& Catholicos* Hiſpaniarum *adnumeraret Poëtas*; *&* Sydonius Apollinaris *ſequentem* Epiſtolam *emitteret eidem*, *inſpectâ* ORENTII *dulcedine.*

*Studia.*

## SIDONIVS ORENTIO SVO, S.

*Epiſtola Sidonij.*

Venit in noſtras à te profecta pagina manus, quæ trahit multam ſimilitudinem de ſale Hiſpano in iugis cæſo Tarraconenſibus. Nam recenſenti lucida, & ſalſa eſt, nec tamen propter hoc ipſum mellea minus, ſermo dulcis, & propoſitionibus acer. Sic enim oblectat eloquio, quod turbat imperio, quippè qui parum metiens, quid

ordinis



ordinis agam, carmina à nobis nunc noua petat. Primùm, ab exordio Religioſæ profeſſionis, huic principaliter exercitio renuntiaui; quia nimirum facilitati poſſet accommodari, ſi me occupaſſet leuitas verſuum, quem reſpicere cœperat grauitas actionum. Tum præterea conſtat omnem operam, ſi longâ intercapedine quieſcat, ægrè reſumi. Quiſnam enim ignoret cunctis aut artificibus, aut artibus, maximum decus vſuuenire? Cumque ſtudia conſueta non frequentantur, brachia in corporibus, ingenia pigreſcere in artibus. Vnde eſt illud, quòd ſerò correptus, aut rarò, plus arcus manui, iugo bos, equus fræno rebellat. In ſuper deſidiæ noſtræ verecundia comes ad hoc ſententiam inclinat, vt me poſtquam in ſilentio decurri tres Olympiadas tam pudeat nouum poëma conficere quàm pigeat. Hoc item nefas, etiam difficilia factu tibi negari, cuius affectum tantò minus decipi decet, quantò conſtantius nil repulſam veretur. Tenebimus igitur quippiam medium: & ſicut Epigrammata recentia, modò nulla dictabo, ita literas (ſi quæ iacebunt verſu refertæ ſcilicet, ante præſentis officij neceſſitatem) mittam tibi, petens, ne tu ſis eatenus iuſtitiæ præuaricator, vt me opineris nunquam ab huiuſmodi conſcriptione temperaturum. Neque enim ſuffragio tuo minus augeat; ſi fortè digneris iam modeſtum potius, quàm facetum exiſtimare. Vale.

*Eccleſiaſticam eruditionem amplectitur.*

HAC *ergo fortè epiſtolariâ animaduerſione correptus* ORONTIVS *ad eccleſiaſtica munia ediſcenda animum applicuit*, *ſic*, *vt ſui foret æui inter eccleſiaſticæ profeſſionis proceres*, *penè maximus reputatus*; *cuius rei certitudinem auget*, *quòd Eccleſia* Tarraconenſis *Paſtoris ſolatio deſtituta*, *prorſus ſuum meritò* ORENTIVM *acclamaret Antiſtitem. Ouium ſuarum igitur curam ſuſcepit Epiſcopus*, *ſed breui ad* Illiberitanam *in* Bætica *tranſlatus*, *penitùs illarum gubernationem dimittere compulſus*, *alienas quærere*, *licet ſuas munere obediens Metropolita decreuit. In illius itaque Sede multa tempora compleuit*, *& omnia fructuosè*: *nam oneris penſum in pauperum leuamen*; *ſceleratorum correctionem*, *languentium ſalutem*; *& omnium gentium ſub ſuo baculo contentarum adiutorium impendere*, *ipſius ſumma religio erat. Hiſce denique*, *& aliis virtutum cumulis*, *ita inter* Hiſpaniæ *doctiſſimos*, *& ſanctiſſimos Viros florere cœpit*, *quòd eius doctrinæ radius*, *& ſanctitudinis fulgor*, *non tantùm* Iberiæ *circulos occuparet*, *ſed in exteras quoque Regiones tranſcendens omnium corda compleret*, *& vota. Hinc intereſſe Concilio* Tarraconenſi *primùm*, *poſt Synodo* Gerundenſi *creditur*, *in quorum diſpoſitione S. Præſul multa digeſſit*, *vt canones efficaci ordinarentur inſtantia: Scripſit ſanctiſſimus Vir nonnulla eruditione plena*, *& maximè* Commonitorium *carmine ſcriptum. Tandem bonorum operum ſarcinâ cumulatus in Domino quieuit* Nonas Iulij, *Anno Domini* D. XVIII.

*Fit Epiſcopus Tarraconenſis.*

*Et Illiberitanus.*

*Interfuit Conciliis Tarraconenſi, & Gerundenſi.*

*Moritur.*

HACTENVS quæ potuimus ACTA cumulare; cætera ſub ſilentio latent. Sed quia de *Nomine Præſulis* diuerſa diuerſi dixerunt, vt notauit Del-Rius in *d. Præfat. ad Commonitor. fol.* 5. proculdubio crederem ORENTIVM vocitatum; & Nomina ORESIVS, ORONTIVS, ORVNTIVS, & ORIENTIVS penitus deprauata apud Scriptores extitiſſe: ſic in correctioribus *Maximi* canonibus, & apud *Gemblacenſem*, & *Baronium.*

*Qualis vera Nominis ſcriptura.*

CIRCA *Natiuitatis* locum, audi Maxim. in *Chron. Ann.* 430. de Alanis, & Vuandalis loquentem: *Poſt in* Tarraconenſi *conſiſtunt*, *in Oppido* PALFVRIANA, *vbi natus eſt* S. ORENTIVS *Epiſcopus* Iliberitanus *in Bætica.* Cuius opinionem ſequuntur *Biuarius* ad eum locum Maximi *n.* 3. §. 10. *fol.* 98. Pedraza. *d. c.* 19. *fol.* 71.

*Quo loco natus?*

CÆTERA pro vt communia omittimus, vt COMMONITORII hactenus deſiderati, & à *R.P. M. Antonio Del-Rio* Noſtro editi, & cum alio *MS. Noſtro* conlati ecphraſim recenſeamus, cùm exemplaria ſint rara excuſſa, & in pluribus verſibus lacunata, quæ ex Noſtro MS ſupplentur:

COMMO-

## COMMONITORIVM S. ORENTII
Epiſcopi Illiberitani in Bætica Hiſpaniæ.

Præfatio.

*Quiſquis ad æternæ feſtinus præmia vitæ,*
*Perpetuanda magis, quàm peritura cupis;*
*Quæ cœlum referet, mortem fuget, aſpera vincat,*
*Felici currat tramite, diſce viam.*
*Nam nos & carnis vitiis, & tempore victi,*
*Terrenum gradimur, ſiue doloris iter.*
*Solaque permixtis hæc ſunt modò gaudia votis,*
*Si, quod non facimus, ſaltem alij faciant:*
*Vt quia nunc iſtud, quod protinus effugit, æuum*
*Inſidis capti degimus illecebris,*
*Laſciuum, miſerum, fallax, breue, mobile, vanum,* (*Sic in meo MS.)
*Ceu per petram anguis, vanaque nauis aquas.*
*Omnibus his, raptum quæ ſunt moritura, relictis,*
*Tu forti, teneas non moritura, fide.*
*Ergo age, da pronas aures, ſenſumque vacantem,*
*Vita docenda mihi eſt, vita petenda tibi.*
*Sed, quo ſit meliòr noſtri doctrina Libelli,*
*Et teneat rectas carminis ordo vias;*
*Te Deus Omnipotens, & corde, & voce rogare,*
*Te ſine nec linguam ſoluere* CHRISTE *placet:*
*Demere qui tenebras reuocato lumine cæcis,*
*Auditum ſurdis auribus inſerere,*
*Corporis & mentis ſæuos depellere morbos,*
*Soluere mutorum qui pius ora ſoles:*
*Te penes officium noſtri eſt & cordis, & oris,*
*Da ſentire mihi, da mihi poſſe loqui:*
*Nimirum vt noſtram vegetent tua munera linguam;*
*Ac per te, de te ſit mihi ſermo placens.*
*Mandato cùm iuſſa tuo ſuperauerit omnem*
*Naturam noſtrâ voce fruens aſina,*
*Et ſtimulis propria ſubigentem terga Balaam*
*Terruerit miro quadrupes alloquio;*
*Qui magno Regis trepidi crebroque rogatu,*
*Dira ſuper ſanctum verba parans populum*
*Non potuit properè motam ſibi ſubdere linguam,*
*Ore aliud dicens, corde aliud cupiens.*
*Nam maledicturus, nimiè benedicere cœpit,*
*Impendens aliis verba parata aliis.*

*Ergo*



*Ergo niſi eloquium, ſenſum niſi* CHRISTE *miniſtres,*
*Conatus animæ tu niſi* CHRISTE *regas;*
*Ora homines omnes, & muta, & bruta tenebunt;*
*Quodque etiam poſſunt, hoc quoque non poterunt.*
PRINCIPIO *geminam debes cognoſcere vitam* (Opuſculum)
*A Domino indultam cum ratione homini:*
*Vt, quoniam brutum terreno eſt pondere corpus,*
*Aſt anima afflatu eſt viuificata Dei;*
*Nullum ſentirent animæ diſpendia finem,*
*Eſſet in hoc fragili corpore vita breuis.*
*Vnica naſcendi ratio primam omnibus affert,*
*Hanc propriis puram conſequitur meritis.*
*Naſci non noſtrum, nec longum viuere noſtrum:*
*Vitam, quæ ſequitur vita parare poteſt.*
*At licet arbitrio Domini ſumamus vtramque,*
*Et neutra obueniat, ni Deus hoc iubeat:*
*Prima tamen celeri fertur per prona rotatu,*
*Quæ ſequitur tutis eſt data temporibus.*
*In primam ignari nullâ mercede venimus,*
*Altera de ſummo parta labore venit.*
*Naſcimur, vt Dominum cœli, terræque, mariſque*
*Quæramus toto peruigiles ſtudio.*
*Quærimus, vt quis ſit, qualis, vel quantus, agat quid,*
*Poſſimus vero noſcere iudicio.*
*Noſcimus, vt dignâ compertum laude colamus:*
*Vt vitam tribuat perpetuam, colimus.*
*Et colimus non thure dato, non ſanguine fuſo,*
*Non vino madidi, non epulis grauidi.*
*Aurum, veſtis, odor, pecudes, libamina, gemmæ,*
*Et quæ lauta homines, vel pretioſa putant;*
*Ante Deum, vt vile, terreno è pondere moles,*
*Vt cœnum, vt ſordes, ſic inhonora iacent.*
*Omnia ſunt eius, cuius nos eſſe fatemur;*
*Nil proprium eſt nobis, ipſe habet, ipſe dedit.*
*Ecce etenim ſancto proclamat ore Prophetæ*
*Nolo tuos hircos, nolo tuos vitulos.*
*Et ſpecies igitur mecum eſt, & gloria cœli,*
*Et meus eſt orbis, & quod in orbe meum.*
*Debita ſoluantur ſancto mihi pectore vota,*
*Hoſtia me laudis, puraque vox celebret.*
*Ergo nihil noſter poteris prætendere Lector*

 *iſtis*

*Iſtis quod tibi ſit difficile in monitis.*
*Non longe poſitum, non eſt aliunde petendum*
*Non re, non ſumptu, non opus eſt pretio.*
*Sufficit, vt Dominum mundi, rerumque Parentem,*
*Cuius in arbitrio, vel bona, vel mala ſunt;*
*Cenſu maiore vincentem verba loquentis,*
*Vnum, incorporeum, perpetuúmque ſacrum,*
*Omnia complexum, vel ſemper in omnibus vnum,*
*Corde pio credas; credulus ore roges.*
*Sed quid ſic nudis tantùm ſermonibus vtor*
*Tanquam nulla Dei ſint ſuper hoc monita?*
*Nam primùm veteri cautum ſub lege memento,*
*Quæ dudum in ſolidis ſcripta fuit tabulis,*
*Quod nunc per Dominum renouat data gratia Chriſtum,*
*Atque Euangelij vox veneranda ſonat:*
*Vt, quod ſaxa prius, modò pectora noſtra tenerent,*
*Eſſet & vberior bis repetita fides.*
*Affectu toto Dominum, totiſque medullis,*
*Atque tuo toto dilige corde Deum.*

*Primum præceptum Decalogi.*

*Et recte: quid enim poteris tu iuſtiùs vnquam*
*Obſtrictus tantis ſoluere muneribus?*
*Qui tibi, cùm limus terrena in fæce iaceres,*
*Dempſit perpetui temporis eſſe lutum:*
*Qui tibi, quod membris conſtas, quod mente moueris,*
*Quod linguâ loqueris, quod ratione ſapis;*
*Quod manibus tangis, graderis pede, lumine cernis,*
*Aure audis, ſentis naribus, ore probas,*
*Ante aliquod meritum, propriâ pietate miniſtrat,*
*Corporis ac animæ ſic Pater, vt Dominus:*
*Et non hoc ſolo contentus munere, quo te*
*Inſtruxit membris, ſenſibus excoluit:*
*Qui tribuens vitam, largitur commoda vitæ,*
*Omnibus vt tibi ſit prædita delitiis.*
*Ecce tibi cœlum pendet, tibi terra quieſcit,*
*Aëra librantur, fluctuat Occeanus:*
*Noctibus vltro Dies ſuccedunt, Menſibus Anni,*
*Sol ſplendet, lucent Sydera, Luna micat.*
*Ver varios blando perfundit germine flores,*
*Æſtas iam grauidis fructibus arua coquit,*
*Autumnus muſto madidus, præpinguis oliua eſt,*
*Ignibus admotis frigora neſcit hyems:*

*Imbribus*



*Imbribus arcendis confirmas pendula tecta;*
*Ignoras ventos ædibus appoſitis;*
*Hirtaque lanigeræ depectens terga bidentis*
*Mollibus inuoluis algida membra togis.*
*Lenia nec deſunt niuei velamina lini,*
*Sunt etiam Eois pallia velleribus.*
*Illa ferax iacto reddet tibi ſemine tellus,*
*Hæc celſis carpent Seres in arboribus.*
*Denique per totum, qui circumuoluitur, annum*
*Quidquid habes, totum dat tibi cura Dei.*
*Campus meſſe viret, veſtitur palmite collis,*
*Arbore diuerſâ dulcia poma capis;*
*Et ſtudium impendens fœcundo prouidus horto,*
*Vtile quo libuit tempore ſumis holus.*
*Accendis pinguem quæcumque in lumina pinum,*
*Nobilibus menſis cerea flamma micat.*
*Nec modo terreno tantùm ſeruire iubetur*
*Per varios vſus ſubdita terra homini:*
*Ipſa etiam quidquid fertur prope nubila, quidquid*
*Alto ſubductum voluitur in pelago,*
*Nunc fallente cibo, nunc texto in retia lino*
*Artibus innumeris inde, vel inde petis:*
*Et tibi nunc imo trahitur de gurgite piſcis,*
*Aëre nunc ſummo decipiuntur aues;*
*Agmina venanti procumbunt denſa ferarum*
*Iſta procul iaculis, vel laqueata plagis.*
*Prona petis ferro, canibus fugientia ſiſtis,*
*Contundis frenis ora ferocis equi:*
*Ad iuga panda boues cogis, ad mulctra capellas,*
*Diſtillant criſpis dulcia mella fauis,*
*De ſaxis gemmas, aurum producis arenis,*
*Lentaque de terris igne metalla coquis:*
*Gramina diſcernens triſtes medicantia morbos.*
*Pellis læthiferum ſedulus arte malum.*
*Quin etiam vt mercem peregrino à littore ſumas,*
*Et tua des aliis, atque aliena petas.*
*Flumina remigio percurris, & æquora velo,*
*Ibis longinquas abſque labore vias:*
*Aut ſi formidas pelagus, carpenta mouebis,*
*Se que tuis ſternet terra notanda rotis.*
*Tunc ſi laſſatum quærit blanda otia corpus,*

 *Humida*

*Humida puluereum balnea ſuſcipient.*
*Atque cauo tota ſpoliatus veſte lauacro,*
*Marcida perdomitis membra fouebis aquis.*
*Tot tantiſque bonis Domini tibi munere partis*
*Quid tandem dignum reddis amore pio?*
*Aut quibus hæc opibus, quibus & perſoluere donis,*
*Vel quanto poteris pendere ſeruitio?*
*Nec tamen hæc Dominus, cuius ſunt omnia, quærit:*
*Sufficit vt Dominum ſeruus amatus ames.*

*Decalogi præceptum II.*

*Hæc quoque mandati ſuccedit forma ſecundi*
*Proximus vt tibi ſit ſic velut ipſe tibi es.*
*Noſco ſalutiferam manſuro munere legem,*
*Vno quæ cunctis proſpicit officio.*
*Nam cùm aliena mihi mandatur cura, neceſſe eſt,*
*Vt mea mandetur ſic quoque cura alij.*
*Ecce pecus pecudem fœcunda ad pabula ducit,*
*Ammugit proprio buccula læta gregi;*
*Murmure reſpondent: quâ poſſunt voce loquuntur,*
*Inque vicem docilis lambere lingua ſolet.*
*Non caret affectu quod fluctibus occulit Æquor,*
*Et volucris volucri eſt, & fera blanda feræ.*
*Tum, ſi quando venit quocunque ex agmine præda,*
*Fortior inualidos vngue, vel ore premens;*
*Seu volucrum res eſt, ſeu res eſt illa ferarum,*
*Vndique collectis tenditur auxiliis,*
*Captiuam comitem curſu, fide, voce, volatu,*
*Et ſi non poſſunt, eripuiſſe volunt.*
*Cumque ita ſe ſolo naturæ munere ſeruent,*
*Quæ nec conſilio, nec ratione vigent:*
*Quid mirum Domini, ſi iuſſa verenda ſecutum*
*Mutua conſtringat cura hominis hominem;*
*Atque vſu, ingenio, rebus, ratione peritus,*
*Vt ſua, quæ tua ſunt commoda, frater agat.*
*Hinc venit illa placens meritò ſententia, nectens*
*Humanum parili conditione genus:*
*Nec facias aliis, quidquid fieri tibi non vis;*
*Idque aliis facias, quod tibi vis fieri.*
*Quod genus eſt hominum, quis ſexus, ritus, & ætas,*
*Qui neget hoc rectum, qui neget eſſe probum?*
*Quid non mandatum latè complectitur arctum?*
*Plenius hæc tradi quid breuitate poteſt?*

*Nam*



*Nam ea quæ mala ſunt, fieri modò ſic mihi nolim,*
*Vt rurſum cupiam quæ bona ſunt fieri;*
*Indice non opus eſt, doctor nec quæritur vllus:*
*De nobis ſcimus, quæ bona, quæ mala ſunt.*
*Gaudebis certè ſi quis te nocte viantem*
*Blandus vicinum ducat in hoſpitium:*
*Tu quoque ſollicitus prouiſis excipe tectis*
*Illum, qui ſerâ nocte viator erit.*
*Veſte tegi nudus, ſitiens ad pocla vocari,*
*Eſuriens optas, vt ſatiere cibis:*
*Te quoque permoueat proprij par cauſa laboris,*
*Diuide cum miſeris pallia, pocla, cibos.*
*Ecce manum poſcis lapſus, ſolatia mœſtus,*
*Auxilium trepidus, conſilium dubius:*
*Id mœſtis, dubiis, trepidis, labentibus offert:*
*In ſimili cauſâ fac vt ameris amans.*
*Certè incuſari falſo de crimine non vis,*
*Crimine falſo alios inſimulare time.*
*Odiſti furem, furtum caue: perdere non vis*
*Per vim quæ tua ſunt; nihil violenter agas.*
*Pacta tibi dubio non vis nutare paratu;*
*Commiſſam certo tempore redde fidem.*
*Quæ tibi detraxit, velles ſuccidere linguam;*
*Cura ſit vt nullum liuida verba notent.*
*Mutua cùmque petis vis ſumere protinus æra;*
*Mutua poſcentem dextera prompta iuuet.*
*Elatos faſtu damnas; depone tumorem,*
*Quod fugis in celſis neſciat inferior.*
*Certè tibi ſoror eſt, vel mater, charáue coniux,*
*Quarum ne vitam fama grauis maculet,*
*Perpetui curam cautâ pietate pudoris*
*Filius, aut frater, ſiue maritus agis;*
*Hæc veneranda tibi ſi nomina temptat adulter,*
*Ferrum in vindictam non ſatis eſſe putas.*
*Nonne eadem pœna reus es, ſi tu quoque furtim*
*Aggrederis caſtos ſollicitare toros?*
*Hinc fuit vt Dominus primâ ſub lege iuberet*
*Penſari paribus crimina ſuppliciis;*
*Pro dapno dapnum, vulnus pro vulnere, dentem*
*Pro dente, atque lui lumina luminibus;*
*Nec minus vt propriam ſub indice redderet audax,*

 *Alterius*

*Alterius cuperet qui rapuiſſe animam:*
*Iudiciumque reus ne poſſet dicere prauum,*
*Paruis decreta eſt vltio criminibus.*
*Et licet hæc melius mutaret gratia* CHRISTI,
*Mitiaque potius quàm violenta docet:*
*Aſt tamen eſt rectum, quidquid iubet iſta, vel illa,*
*Seu citò reſtituas, ſeu patienter agas.*
*Hoc tamen eſt melior qui Chriſto vindice gaudet,*
*Seruet ſic Domino quod dedit ille ſibi.*
*Ergo piis votis, & ſanctis perfice rebus*
*Vita quod hæc præſens, quodque futura probet.*
*Vitæ quem rectæ fugiens commendat honeſtas*
*Perpes poſt obitum gloria ſuſcipiat.*
*Nam noſtris certus monitis, manſura memento*
*Omnia, nunc ſtulti quæ peritura putant:*
*Atque animas, iſdem membris redeuntibus, ipſum*
*Crede recepturas corporis inuolucrum.*
*Ora, color, ſanguis, venæ, cutis, oſſa, capilli,*
*Vt nunc labuntur, ſic iterum venient;*
*Non modo quæ tumulis benè condita ſaxa reſeruant,*
*Aut carnem ſolidans puluis, odorque tenet:*
*Sed dictio citiùs, firmanda in verba redibit*
*Portio de tumulis, portio de fluuiis,*
*Quod ventus flatu minuit, quod beſtia morſu,*
*Flamma quod exuſſit, quodque ruina premit;*
*Totum aderit, totum diuersâ ex parte coibit,*
*Pars volucri, aut piſci, pars laniata feris.*
*Et quod nunc ætas ſenſim longæua reſoluit,*
*Id raptim Domini buccina reſtituet.*
*Vt pro factorum meritis, in corpore eodem*
*In quo geſſerunt ſeu bona, ſiue mala;*
*Scilicet, ad motus animorum carne reuersâ,*
*Pœna reos, iuſtos gloria ſuſcipiat.*
*Cur autem dubites, cùm præcedentia monſtrent,*
*Vt tibi venturi ſit manifeſta fides?*
*Reſpice nudatas brumali frigore ſyluas,*
*Iam deſperatis luxuriare comis:*
*Quæ ſtabat mærens decuſſo palmite vitis,*
*Veſtitur foliis, fructibus induitur.*
*Spiceus en denſis calamus flaueſcit ariſtis,*
*In terra granum quod modò putre fuit:*

Et



*Et quæ nunc triſti ſqualebant arua veterno,*
*Læta nouo rident germine, flore virent.*
*Ipſe etiam, variis concluſus menſibus, Annus*
*Tempore mutato, mortis habet ſpeciem:*
*Cùm Ver Autumno, frigus depellitur Æſtu;*
*Vtque hominum res eſt, hoc abit, ille venit.*
*Hoc tamen æterno, donec Deus annuit, vſu,*
*Inque vicem alterno voluitur officio,*
*Et dùm ſe longi ſequitur rota mobilis anni,*
*Naſcitur, & moritur, ſuccidit atque redit.*
*Nam, finis noſter finem non accipit, & mors*
*Qua primò morimur perpetuo moritur:*
*Victuro ſemper motu, ſenſuque manente,*
*Omnis perpetuo tempore viuit homo.*
*Viuet homo. Fletus aſt hîc mea verba ſequuntur:*
*Nam puto ſic hominis ſors melior fuerat,*
*Cum ſenſu vitæ ſenſum deponere pœnæ,*
*Et natum innatis conſimilem fieri:*
*Quàm nunc, peccatis toto dominantibus æuo,*
*Extingui vitæ, viuere ſuppliciis.*
*Nam rogo ne credas diræ ad compendia pœnæ,*
*Quod raptim ſontes debita flammæ voret.*
*Ignibus æternis immenſos reſpice colles*
*Iugiter amburi, non tamen imminui:*
*Et gelidos fontes, & cærula flumina cerne,*
*Fundere ſemper aquas, ſemper habere tamen:*
*Sic miſeros vindex ſemper populabitur ignis,*
*Vt ſemper ſeruet pabula læta ſibi.*
*Hæc ſi falſa putas, meritò poſt vera probabis:*
*Hinc falſa effugies, ſi modò vera times.*
*Quare poſt mortem ſequitur ſi vita perennis,*
*Lætificans iuſtos, diſcrucianſque reos;*
*Viribus & totis, & totis nitere votis,*
*Quæ rectum ducunt continuare vias:*
*Contere calcatum, cum mundi principe, mundum;* Contra laſciuiam.
*Et fuge laſciuis credere deliciis.*
*Præcipuè ſemper famoſos deſpice cultus,*
*Iudiciumque tuis eripe luminibus.*
*Nemo feret rutilos intactis veſtibus ignes,*
*Nemo inter lituos non trahet aure ſonos.*
*Nemo inter flores blandorum ambitus odorum*

Naribus

*Naribus aſsiduam non metet vngue roſam.*
*Nemo diù ſitiens, & multo ſole peruſtus,*
*Jncumbet gelidis, nec potietur aquis.*
*Nemo vias pedibus brumali tempore carpens,*
*Conſperſus pluuiâ, nec madefactus erit.*
*Nemo, licet mediis muris, ſub tempore belli*
*Aut benè ſecurus, aut benè tutus erit.*
*Congreſſus præſtat viſum, mox lumina viſu*
*Concipiunt flammas, parturiúntque nefas;*
*Dùm, veluti iacto piſcantis fraudibus hamo,*
*Primò animus capitur, poſt etiam moritur.*
*Prima mali labes, heu! fœmina, te dolus anguis,*
*Ac hominem per te repulit à Domino.*
*Erepti tu cauſa boni, tu ianua mortis,*
*Tu citò decepta, tu citò decipiens.*
*Ergo age, qui nullo maculari pectora neuo,*
*Et purus puro niteris eſſe animo;*
*Vt [illegible]queos ignis validos, & acuta venena,*
*Cernere laudatam ſic fugies faciem.*
*Non ego nunc repetam per tot iam ſecula quantos*
*Fœminei vultus perdiderint populos;*
*Prætercam clades Spartanas, Troica bella*
*Et raptim excidium quàm propè Roma tuum:*
*Cum gentes nullâ Domini ſub lege, nec vllis*
*Sanctorum ad vitam perdomitas monitis;*
*Quâ furor impulerat, laſciuus duceret error,*
*Eſſet, & hoc licitum quod fuerat libitum.*
*De ſacris inquam, de ſacris percipe Libris,*
*Opprobrio quantis turpis amor fuerit.*
Gen. c. 34. *Te Dinæ ſpecies nimio ſub amore ruentem*
*Extinxit Sichen, cum patre, cum patriâ.*
*Nam male compreſſam fratrum pia cura ſororem*
*Permittit thalamo, vindicat in gladio.*
2. Reg. 11. *Hunc quoque laudatum Pſalmorum carmine Dauid*
*Forma placens celſo depoſuit ſolio,*
*Cum male laſciuum comperto crimine corpus*
*Sacco contegeret, contereret cinere.*
2. Reg. 13. *Thamar forma duos ſub eodem tempore fratres*
*Inceſti & ferri perpulit in facinus:*
*Vnus corrumpit, corruptam vlciſcitur alter;*
*Vltio quæ iuſta eſt deſinit eſſe pia.*





*Ipſe etiam Salomon; cuius ſapientia priſcò* 3. Reg. 11.
*Tempore, & in toto nobilis Orbe fuit;*
*Ducitur in facinus vetito laqueatus amore,*
*Fœmineo ſubdens turpia colla iugo:*
*Et Domini immemorem meritò præconia laudum*
*Quæ iuuenem ornarant, deſtituere ſenem.*
*Forma placens Regi, letho te tradidit Aman:* Eſther. 7.
*Forma tuum rapuit Dux Oloferne caput.* Iudith. 16.
*Illum mirifico famoſum robore Samſon* Judic. 16.
*Forma decens ſæuis tradidit Allophilis.*
*Sanctus, & Victor per tot modò prælia Miles,* Num. 25. & 31.
*Heu malè fœmineis ſubditur arte choris,*
*Vt iam pollutus, pariunt quia crimina pœnam,*
*Oſcula virginibus, terga daret gladiis.*
*Tu quoque Leuitis tantum dilecta, nec vxor,* Iud. 19. 20.
*Inſano iuuenum ſubdita nocte toro,*
*Vindictæ ſtudio totas ad bella dediſti,*
*Perdere contentas ſiue perire Tribus.*
*Vt membris lacero diſperſis funere Gabat*
*Efficeret diris ignibus vſta rogum.*
*Non mihi ſi linguæ centum ſint, oráque centum,*
*Expediam quantum forma placens noceat.*
*Laſciuo clamat benedictus Apoſtolus Orbi* 1. Cor. 7.
*Dans etiam licitis iura ſeuera thoris:*
*Coniuge poſſeſſus, contempta coniuge liber,*
*Non ſimilem cauſam relligionis habent.*
*Coniúgis implicitum detentat cura maritum:*
*Solum vult cælebs emeruiſſe Deum.*
*Sed quia nonnunquam ſuccumbunt lumina formæ,*
*Ancipiti rectus labitur in biuio,*
*Si purum maculare animum parat impius hoſtis,*
*Semper ouans caſtam ſollicitare fidem:*
*Accipe tela, quibus cordis pia mœnia ſerues.*
*Crux tibi ſit, Crux tibi ſit gladius.*
*Supplicibus lachrymis, gemitu, prece, pectore tunſo,*
*Quære ſalutiferum nocte, diéque Deum.*
*Ac ne paullatim facilem ſpes palpet amorem,*
*Lapſum à præcipiti perge referre pedem.*
*Non ignarus enim miſeris ſucurrere quæro,*
*Omnia perpeſſus, quæ fugienda loquor.*
*Reſpicis ad formam? Sed ſæuas reſpice pœnas:*

*Reſpice quid laudes, reſpice quid timeas:*
*Interniſque oculis, & vero lumine cerne,*
*De terra ad cœlum, deque homine ad Dominum.*
*Hic breuis eſt, ſine exiguo claudenda voluptas,*
*Illic perpetuo ſulfure flamma vorax.*
Iſai. 40. *Audi clamantem cum magnâ voce Prophetem;*
*Seu mandata legas priſtina, ſiue noua,*
*Quæ laus in vultu eſt; fœnum omnem credite carnem,*
*Quippe vt flos fœni gloria carnis erit.*
*Nam veluti flores ictus metit, atterit æſtus,*
*Confundunt imbres, fortior aura rapit:*
*Sic vultum, quandoque placet, conſumere tempus,*
*Et tumor, & liuor deſpoliare poteſt.*
*Atque ipſam vt taceam quæ conterit omnia mortem;*
*Quanta licent morbis, febribus, vlceribus?*
*Hic modò qui canent albo ſordente capillo,*
*Collatas olim non timuere pices:*
*Pendula, quæ mœrent rugis deformibus, ora*
*Prætulerant vanum conſpicienda decus.*
*Qui nunc in laxâ tremulus pes pelle vacillat,*
*Vix dederat tenui ſigna notata ſolo.*
*Ceruix, colla, manus, & quod nunc omnibus horret,*
*Heu miſeris quondam cauſa furoris erant.*
*Lumina, quæ madidus deformia ſubluit humor,*
*Stellarum rutilæ ceu micuere faces.*
*Reſpice quod paucis floret, nec permanet annis,*
*Et tamen æternis culpa manet lachrymis.*
*Ergo puellares vultus, formaſque decentes,*
*Aut verſo, aut merſo deſpicies capite.*
*Atque vt ſis penitus ſic corde, vt corpore purus,*
*Vt nullum facias ſuſpicione reum;*
*Da ſtudium, curans, & ſemper prouidus opta,*
*Vt tibi ſit nulla fœmina iuncta nimis*
*Amittent vires, ſi non ſint obuia, venti:*
*Pabula ſi deſint, irritus ignis erit.*
*Ac ne mandatis tantum pars vna putetur,*
*Ad vitæ rectas ſollicitata vias:*
*Si qua viri diſcunt, credat ſibi fœmina dici:*
*Et meritum, & pœnas hic quoque ſexus habet.*
*Oderit ignotis audax attollere vultus,*
*Seque tamen notis addere luminibus.*





*Nam male permixto ludentia lumina viſu*
*Blandè ſæpe ſolent, ore tacente, loqui.*
*Atque amor, vt lachrymæ quas fundi iniuria cogit,*
*Ex oculis ſurgit, pectoris ima petit.*
*Ergo ea quæ iuuenes præcepti lege monentur,*
*Hæc fugiat cunctos fœmina caſta viros.*
*Iam ſi corporeas calcaris corpore caſto*
*Illecebras, reliquum diſcute cordis onus.*
*Namque ſubire ſolet nigri de felle veneni;*
*Multiplicis mater criminis* INVIDIA. Contra Inuidiam.
*Inuidia infelix mortem moritura parauit:*
*Angelus hâc celſi decidit arce poli;* Sap. 2. v. 25.
*Dumque hominem properat cœleſti pellere Regno,*
*Detrudi in tenebras ipſe prior meruit.*
*Hinc Domini in cunctos vindex ſententia venit:*
*Omnibus hæc reliquis mortibus vna rea eſt.*
*Hæc belli rabies, hæc eſt diſcordia pacis,*
*Plus ſibi, quàm cui vult ſæua nocere, nocens.*
*Hæc Ioſeph fratrum falſo ſub crimine cauſa* Gen. 37.
*Primùm ſeruitij, mox fuit imperij.*
*Hæc iuſti fratrem maculauit ſanguine Caïn.*
*Hæc Dauid mortis quàm prope cauſa fuit.*
*Cùm iam confecto ſolius robore bello*
*Extolli nollet laude ſocer generum.* 1. Reg. 18.
*Hæc primæ cogente gemens operarius horæ* Matth. 20. v. 11.
*Vincere foſſorem nititur vndecimæ.*
*Hæc & poſtremò dedit ad ludibria Chriſtum,*
*Dum peragit liuor crudelitatis opus,*
*Et præceps popul us ſigna & miracula rerum*
*Obtutu cernit, pectore non recipit.*
*In tantum ſtudiis furialibus improba cunctos,*
*A vero, in facinus verterat inuidia:*
*Vt non neſcirent, ſed nollent credere; quod tunc*
*Eſſet per Dominum glorificandus homo,*
*Nec curâ leuiore de hinc vitare memento* In Auaritiam.
*Vnius in numerum crimen* AVARITIÆ.
*Omnibus in terris quas ſol videt, æquora claudunt,*
*Quaſque dies adeunt, quaſque tegunt tenebræ,*
*Ignoto nobis quidquid diffunditur Orbe,*
*Omnibus in regnis, omnibus in populis,*
*Infectis morbo multorum mentibus; hæc eſt*

*Radix, cauſa, caput, fons, & origo mali.*
*Innocuos quidquid Dominus formarat in vſus,*
*Hæc malè mutatis perdidit officijs.*
*Quid quæreris diros portus, ventoſque furentes*
*Triſtia famoſis æquora naufragijs?*
*Tu cæſam ſyluis annoſo robore quercum,*
*Si lignis non eſt vtilis, adde focis.*
*Contentuſque tuo ſubmotum ſi qua per orbem*
*Naſcuntur, patiens crede negata tibi*
*Et pelagi motus, & ſæuas flare procellas*
*Securus tuto littore perſpicies.*
*Vſum naturæ vitium feciſtis auari,*
*Nata bona, & prauis vſibut eſſe mala.*
*E terra genitum terrena in munera ferrum,*
*Falcibus incuruum, vomeribus rigidum,*
*In cædem, & diras, bellorum crimina, mortes*
*Armamus contis, miſſilibus, gladijs.*
*Pelleret vt frigus violentum accepimus ignem,*
*Pelleret vt tenebras, diſcoqueretque dapes:*
*Cœpimus inſani flammas immittere tectis,*
*Atque exurendis ſubdere corporibus:*
*Tanquam eſſet paruum prædandi in crimine crimen,*
*Ni ferret ſparſas ſanguine raptor opes;*
*Et miſeros pœnis varijs vis vltima cogat,*
*Cùm quod habent perdant, dicere ſi qua latent.*
*Fratribus inuiſos fratres, vitamque parentum*
*Exoſam natis fecit auaritia:*
*De vero falſum. de falſo fingere verum,*
*Sæua per innumeras hæc docet inſidias.*
*Hac faciente reus dùm partem ſubtrahit auri,*
Act. 5. *In mortem totus tranſiit Ananias,*
*Nec ſolus: ſociam nam fœdo in crimine falſi*
*Couiunxit miſero par quoque pœna viro.*
*Hæc miſeros homines mortis ſub tempore fecit,*
*Non benè poſtremis fidere iudicijs.*
*Subduntur tabulæ, conquiritur vndique teſtis*
*Ore ferens falſum, pectore vera premens:*
*Scalpuntur gemmæ ſimiles, manus improba diſcit,*
*Heu malè mentitas adſimulare manus:*
*Vt pater alterius factus credatur, & hæres*
*Non poſſit proprij filius eſſe patris.*





*Hac duce cuſtodes inter ſecurus adulter*
*Peruenit ad caſtos muneribus thalamos,*
*Itur in omne nefas animis, manibuſque paratis,*
*Aurum ſi pretium conſtituas ſceleris.*
*Quis furor ô miſero tibi laxas miſit habenas;*
*Vt tibi ſat non ſit, quod tibi iam ſatis eſt?*
*Immenſis properas terris coniungere terras,*
*Claudendus parui marmore Sarcophagi?*
*Alterius damno fieri locupletior ambis?*
*Quod rapis ex aliis, mox erit alterius:*
*Et curſu celeri, poſt ſic amiſſa dolebis,*
*Vt doluere illi qui tenuere prius.*
*Ceu non caſuras immenſas conſtruis arces,*
*Ipſe tamen raptim qui moriturus eris?*
*Quæritur in ſomnos tenuato lucida vitro,*
*Marmoribus varijs lubrica cella tibi:*
*Tanquam non adeat tectis coëuntia lignis*
*In benè ſecuro pectore tuta quies.*
*Certè non aliter ſitientia proluit ora,*
*Quem palmæ obtulerint, quem caua gemma liquor:*
*Et ſic ſuſcipient rabidi ieiunia ventris*
*Quos chriſtalla dabunt, quoſque patella cibos.*
*An non pellendo glaciali frigore brumæ*
*Hirta tibi melius pallia præbet ouis;*
*Quam quæ lentato per lubrica fila metallo*
*Alternos frangit veſtis onuſta gradus?*
*Quo tibi perlucens habitus, qui tegmine raro*
*Offerat ignotis membra tegenda oculis?*
*Argentum, & auri moles, & gemma coruſcans*
*Et mundo, & mundi eſt, hinc venit, hic reſidet.*
*Veniſti in mundum nudus, nuduſque redibis:*
*Nil tecum attuleras, ferre nihil poteris.* De Eleemoſyna.
*Ferre tamen poteris contempta hic munera mundi* Matth. 19.
*Mitte ſecuturus quæ duplicentur opes.*
*Nam ſeruata nimis, quæ mox bona, non tua fient:*
*Si tibi non ſerues, ſic erit, vt tua ſint.*
*Munera quæ donat moriens, hæc munera non ſunt,*
*Donat enim quod iam deſinit eſſe ſuum.*
*Qui ſanus, metuenſque nihil, qui mente quietâ,*
*Qui ſibi dum viuit dempſerit, ille dedit:*
*Et ſibi quod dempſit melius reparabitur illi,*

Matth. 6. Integra mox capiet, qui peritura dabit.
Condita nam cœlo non fur, non auferet hoſtis,
Non tinea, aut pluuiæ, flammaque carpet edax:
Cœlo autem condes, quidquid pro nomine Chriſti,
Chriſtum reſpiciens, pauperibus tribues;
Qui poſt aſſumptæ carnis myſteria dicit:
Math. 25 Veſtior in nudis, ſubleuor in miſeris,
Viſitor in clauſis, curor confotus in ægris,
Adiuuor in paruis, protegor in viduis;
Et quodcumque facis miſeris, vel non facis, illud
Crede, mihi fieri, vel mihi non fieri.
At ne pauperiem pauper prætendere poſſis,
Vt color iniuſtæ detur auaritiæ;
Si tibi non fuerint ſumptus, quos quærit egenus,
Non cibus, aut calida quâ foueatur aquâ
Cùm poſcit gelidus ſitiens ſub nomine Chriſti
Oblatus poterit præmia ferre calix.
Hoc, quo quiſque poteſt miſerum ſolare rogantem,
Et ſi defuerint munera vota dabis.
Ipſa etenim ante Deum non eſt peritura voluntas,
Si benè non poterit, quæ benè velle cupit.
Sic in mea MS. Cum pius exiſtis, nec non mea ſymbola ſeruas,
Ira tibi prorſus ſit inimica fera.
Hæc facilis ducit flammantes improba fumos
Capitis ad ſummum, vertere iudicium:
Quo ſine ſpumantes mens raptim concipit vnà
Furoris rabies, cordis & arma mouet.
Hinc populorum cædes, hinc diſcordia fratrum:
Omnibus hæc ferox impia bella parat.
Gen. 4. Compulit ad fœdum crimen quis tempore Caïn
Primæuo, vt fratrem perderet ipſe ſuum?
Impatiens maiora ruet per vulnera cæſus;
Non decuit rectos ira, furorque viros.
Qui pius eſt, ſe ſe diuinâ ſeruat ab ira,
Crudelis gladio ſe necat ipſe ſuo
Te pietatis amor doceat, quod perdis in ira,
Vt veniam capias, dum venia indigeas.
Laus Pacis. Pacis amator eris ſemper, quam Chriſtus amauit,
Quam mundo linquit, Diſcipuliſque dedit.
Hæc plenum virtutis opus, hæc ſumma laborum,
Terrea conſiſtunt, ſydera pace vigent.

Hinc



Hinc fuit vt Dominus, monitis felicibus omnes
Coniungi vellet pacis amore homines:
Et quæ per ſanctos prædixerat ante Prophetas;
Diſcipulis proprio traderet ore ſuis:
Dùm nihil iniuſtum, nil durum nil violentum,
Nil leue, nil cupidum, nil graue, nil varium,
Vel facere in rebus, vel verbis dicere poſſit,
Caſto ſeruatus pectore pacis amor.
Hinc cohibet totum pacis concordia Mundum,
Quæ brutis etiam cum ratione datur.
Et cum flammiferis frigentia, mollia duris,
Siccis cùm pugnent humida, lenta citis;
Omne per ignotas tacito moderamine cauſas
Vno conſociat fœdere pacis opus.
Si modo, ſi paruis cupias componere magna;
Corporeum premit pacis amor populum
Vt ſub terreno ſociatus Principe diſcat
Regi cœlorum ſoluere vota ſimul.
Ergo mei ſimilis peccator, me minor immo,
( Omnes criminibus namquè ego vinco meis)
Pacem placatus, pacem quoquè læſus amato,
Pax in viſceribus, pax ſit in ore tuo.
Pelle odium, contemne minas, depone rigorem,
Offenſam teneant tempora nulla tuam:
Vt te Sol blandæ ſeruantem vincula pacis
Deſerat abſcedens, inueniat rediens.
Hæc quoque, neque tuos vitiet quæ Superbia mores, Hinc ex MS. contra Superbiam.
Iam monita exemplis iungimus vltrò tibi.
Parturit horrendos væſana Superbia caſus
Qui criſtas animi deprimit eſt ſapiens.
Omnis tu vitij caput, tu criminis omnis
Radix, tu cœli peſtis amara fluis.
Lucifer eſt teſtis qui prælia duxit in illis,
Cùm ſolium Solis flectere raptor amat.
Teſtis & eſt Goliat, qui fremens colla parauit
Paſtoris fundæ, quâ quoque & enſe cadit.
Regis & obſcœni faſtum quis concidit? Anne
Cœleſtis radius, citò cadente petrâ.
Ergo ſuperba fuge, Si Chriſtum quæris vbique,
Crimina; virtutis culmina celſa terne.
Vtque modeſtia truces pòſt moderetur habenas,

Quid

*Quis, recole, ex iſtis, quantus in orbe venis.*
*Quis tuus eſt ortus, quis finis, reſpice; Nonne*
*Gigneris è terrâ, vermibus eſca ſies?*
*En humiles Dominus quærit, complectitur, ardet,*
*Quorum corda pius replet, amænat, amat.*
*Hincque gulam generat ſufflata ſuperbia, quando*
*Innumeras quærit, ventre replente, dapes.*
*Ambitioſa fames, & lautæ gloria menſæ,*
*Quid niſi luxuries? quid niſi conuitia?*
*Diuitias licèt immenſas teneas quoquè Cræſi,*
*Omnia conſumit ingenioſa Gula.*
*Illius obtutu, fratris lens paucula regnum*
*Tranſtulit ad fratrem; pagina ſacra docet.*
*Hinc animi morbos, hinc morbos corporis vnà*
*Continuos raptim fercula multa ferunt.*
*Hoc tibi probabit facinus errantis Adami,*
*Corpus qui & animam commaculauit edax.*
*Abſtine tu prorsùs nimio moderatus ab eſu;*
*Corporis vtque ſalus ſit tibi prout animæ.*
*Plurimus ergo cibus multos conſumpſit edaces;*
*Paucos, vt perhibent, obruit ægra fames.*
*Plenus quippè Deo ſemper fuit vndique venter*
*Inuiſus; parcus tu ſimul hære Deo.*
*Nec te pigritia abſumat, nec viſcera turpis*
*Commaculet; Chriſti deſides horret amor.*
*Hanc generat ventris ſpumantis crapula vinum;*
*Si mater eſt talis, filia qualis erit?*
*Hæc eſt triſtitia infamis, quæ lumina mentis*
*Aggrauat, vt nunquam mens agat vltrò bona:*
*Hæc eſt, quæ bona cœpta ſemel per ſemina lucis*
*Faſtidit, cœcat, vt mala cuncta ſerat.*
*Vincat vt hanc peſtem virtus, diuina Magiſtri*
*Symbola ſecurus percipe citò fide.*
*Hæc tibi decreui monita hic componere ſanctæ*
*Si vitam quæris illa reſume tibi.*
*Virtutum praxim, necnonque pericula lubens*
*Inſcripſi vitij, tu lege, noſce, caue.*

*Scripſit quoque vitam S. Magini Martyris.*

Hactenus meus *MS. codex*, vbi plurima, quæ in editis deſiderabantur, adiecimus, vt integrum COMMONITORIVM quod hactenus diminutum circumferebatur, accipias, eiuſque ſaluberrimis clauſulis vtaris.

ITEM Sãctiſſimus Epiſcopus ORENTIVS ſcripſit carmine heroico *Vitã* Sancti MAGINI Martyris homopoli, quam infra hoc *IV. Tom. die XXV. Auguſti* dabimus.





*Cuius Iliberis fuerit Epiſcopus?*

NVNC controuerſiam ſedare conabimur circa verum locum Præſulatus S. ORENTII Noſtri, in qua feliciter inſudarunt D. Franciſc. Bermudez *Hiſtor. Granat. d. 2. p. c. 20. fol.* 73. & P. Biuar. in *Not. ad Maxim. Ann.* 481. *n.* 2. §. 50 *fol.* 240. *& ſeqq.* aduerſus P. F. Franciſum Diago *Hiſtor. Comit. Barcinonenſ. lib.* 1. *c.* 12. & Martin. Del-Rium in *Præfat. ad Comononit. S. Orent.* qui inconcuſsè fatentur *Iliberim*, cuius Pontifex fuerat S. ORENTIVS, eam fuiſſe, quam CAVCO-ILIBERIM vocitant Scriptores ad radices Pyrenes, quâ vergit ad mare Tyrrhenum, & hodie COLIBRE nuncupatur. Sed ſaluâ pace *Diagi*, & *Del-Rÿ*, aliàs doctiſſimorum Virorum, necnon eruditiſſimi D. Garſiæ Loayſa in *Not. ad Concil. Gerundenſ. fol.* 78. contraria ſententia amplectenda eſt, ſcilicet ORENTIVM Epiſcopum fuiſſe *Iliberitanum in Bætica*, non in *Cathalonia*, quod probatur, PRIMO, ex auctoritate S. Maximi in *Chron. Ann.* 430. his verbis agens de *Palfuriana* oppido: *Vbi natus eſt* S. ORENTIVS *Epiſcopus* Iliberitanus in Bætica. Et *Ann.* 481. illis: S. ORENTIVS *Epiſcopus* Iliberitanus in Bætica *ſcriptis valdè floret, & fama.* Item ex aſſeueratione Iuliani Archipreſbyteri Toletani in *Chron. d. Ann.* 487. *num.* 256. *fol.* 58. cuius verba ſuperius dedimus; vbi Sedem in *Bætica* conſtituunt.

*Quòd fuerit Bætica probatur. I.*

*Probatur II.*

SECVNDO, quia CAVCOILIBERIS Ciuitas nunquam habuit ſedem Epiſcopalem; quod ex veteribus Hiſpaniæ indicibus, in quibus Sedes referuntur, liquet; apud quos nullibi CAVCO-ILIBERIS Epiſcopalem Sedem meruit, vt probatur ex indicibus Sedium excuſſis, quos refert D. Garſ. Loayſa in *Not. ad Concil. Hiſpan. fol.* 134. 141. 143. & 144. Dempto vno, in quo CAVCO-ILIBERIS inter Sedes Epiſcopales Hiſpaniæ numeratur, quia hæc non obſtat conſignatio; cùm iſta fortè excribentis errore mutata, per alias conſignationes venit corrigenda, vt inquiunt *Pedraza*, & Biuar. §. 51. & alij ab eis citati.

*Probatur III.*

TERTIO, non incredibile videtur, Sedem Epiſcopalem, *Conſtantinum* Imperatorem, & *Vuambanem* Regem, apud CAVCO-ILIBERIM poſuiſſe, oppidum ignobile, & in ipſiſſimo agro *Helenenſi* (in quo ſemper inſula Epiſcopalis extitit, & nunc eſt) ſitum; quod vix per vnum lapidem Hiſpanum ab *Helena* vrbe ſeparatur. Hinc non eſt credendum, ſanctiſſimos Patres, qui Imperatoris, & Regis, ſuis ſeculis, præceptis Sedes diuiſere, in tam contiguis vrbibus Epiſcopos ordinaſſe.

*Probatur IV.*

QVARTO, quia nulli dubium eſt, quòd à tempore S. IACOBI Apoſtoli, & Hiſpaniarum Magiſtri, ILLIBERIS *Bætica*, Sede condecorata Epiſcopali conſpicitur. Nec inſuper dubium erit erudito iſta legenti, S. COECILIVM ipſius Epiſcopum & Martyrem fuiſſe. His ſuppoſitis, & conceſſis, ſi CAVCO-ILIBERIS Pyrenæa Epiſcopos habebat, quare nullus Antiſtes *Cauco-Iliberitanus* in Hiſpaniæ Synodis inuenitur. Dicet fortè *Gotholanus*; quòd proculdubiò interfuere Conciliis Hiſpaniæ *Cauco-Iliberitani* Epiſcopi, qui *Iliberitani* tantum voce vtentes, tantùm *Iliberitanos* ſe Epiſcopos eſſe dicebant. Sed fallitur *Gotholanus*, quia Epiſcopi, quorum ſubſcriptiones in Conciliis Toletanis, nomine *Iliberitanorum*, intuemur, nequaquam *Cauco-Iliberitani* in Pyreneis fuere, ſed *Iliberitani* in *Bætica*, quorum Sedem haut negare poterit vllus. Et ſi iterum replicetur, quòd adhuc Sedes Epiſcopalis apud CAVCO-ILIBERIM extitit, vt quid nullus eius Pontifex ad Concilia deuenit, & ſi deuenit, quare non ſubſcripſit ita vt duos *Iliberitanos* Epiſcopos in aliquo ex tot Conciliis comperiremus? Ergo CAVCO-ILIBERIS minimè Sedem Epiſcopalem accepit.

*Aliquorũ inſtantia diluitur.*

NEC me mouet aliquorum inſtantia dicentium, hanc meam vltimam reſolutionem claudicare; eſto quod in *Concilio III. Toletano* Duos inueniri Epiſcopos *Iliberitanos*: Quia facilis eſt reſponſio. In illo Concilio, vt ex ipſo patet, actum fuit, de hæreſi Arianâ abiurandâ, quam ſectarij, & hæretici, inter quos plurimi conuenerunt Epiſcopi hac fœce infecti, & infulas Epiſcopales Hiſpanicarum vrbium poſſidentes, publicè in Synodo anathematizarunt. Hinc euenit, vt illi Concilio interfuere Duo Epiſcopi vnius Sedis, alter Catholicus, & alter hæreticus. Ita inter omnes Noſtros conuenit Scriptores, vt videſis apud Biuar. §. 53. *fol.* 241. Pedraza, & cæteri.

S. ODO *Epiſcopus* Vrgellenſis *Confeſſor.*] Eius illuſtriſſimam progeniem, quo ad B.

ſeculum, commendat Hiſtoria, & illius præclariſſima facinora, quo ad cœlos extollit Eccleſia, vt originis, & ſanctitudinis connexio totam huius hominis piiſſimi compaginem donis excellentioribus decoraret. *Martyrologij* igitur *Romani* ſymbolum auſculta: VRGELLÆ *in* Hiſpania *Citeriori Tarraconenſi* S. ODONIS *Epiſcopi*. Cui conueniunt *Caſtellanum* P. Vaſq. *Luſitanum* P. Lupi; *Hiſpanum MS.* P. Higuera; *Italum* Conſtantij Felicis, & alia recentiora: licet Molanus in *Addit. ad Vſuardum*, eius diem feſtum ad XXX Iunij immeritò præponat. De eo Franciſcus Tarrapha de *Regib. Hiſpan. in Alfonſo VI. fol.* 557. *Tom.* 1. *Hiſpan. Illuſtratæ*, hæc verba recenſuit: ODO *Epiſcopus* Vrgellenſis, *claro genere Comitum Pallarienſium, & glorioſo ſanguine Barcinonenſium, & magnanimorum Aquitaniæ Comitum ortus, hac tempeſtate claruit, qui vitâ, & conuerſatione ſanctiſſimus, ob meritorum ſuorum excellentiam, Catalogo Sanctorum adſcriptus fuit.* Philipp. Ferrar. *in Topograph. ſacr. verb.* Vrgella *fol.* 136. Iulianus Archipreſbyter Toletanus in *Chron Ann.* 1131. *n.* 631. *fol.* 137. Mariet. *Hiſtor. SS. Hiſpan. lib.* 5. *c.* 88 *fol* 143. Anton. Vincent. Domenec *Hiſtor. SS. Cathalon. lib.* 1. *fol.* 62. Excellentiſſ. D. Ioann. Ferdinand. Dux Ixarenſ. *in Catal. SS. Hiſpan. MS. Tabul.* 2. *n.* 56. Eius ACTA ex vetuſto *MS. Legendario* deſumpſit *Domenec*, eaque Hiſpana fecit, Nos eadem ſuo idiomati reſtituimus.

*Martyrologia.*

*Scriptores.*

## *ACTA S. ODONIS EPISCOPI Vrgellenſis Confeſſoris ex MS. Legendario illius S. Eccleſiæ.*

*Proſapia.*

ODO, *ſiue* OTHO *Eccleſiæ* Vrgellenſis *beatiſſimus Epiſcopus, ex nobiliſſima Comitum Barcinonenſium ortus lineâ, & ex illuſtriſſimâ Vaſconiæ in Aquitania, & Vrgellæ in Cathalonia Principum proſapiâ progenitus, patrem habuit Artalem Pallarienſem Comitem, & Lucianam matrem, clariſſimam fœminam. Hanc equidem ſtirpem, & gentem ſanctiſſimus Vir illuſtrauit præclariſſimis vitæ facinoribus, & mirabilium operatione virtutum, quas in Dei obſequio feliciter exegit. Cùm ergo* ODO *ad ætatem adoleſcentiæ perueniſſet, & ingenij fœlicitatem demonſtraſſet, Pater Comes, magiſtris doctrinâ claris puerum tradidit, à quibus ſcientias ediſceret, quas ſic eſt perenniter adeptus, vt doctiſſimus inter ſui ſeculi doctores euaderet, ita vt quid in poſterum fuiſſet profuturus facilè demonſtraret: nam eius vitæ candor, & virtutum excellentia inter cæteros condiſcipulos eminebat, velut inter ignes Luna minores. Hinc virili togâ præcinctus, militiæ agmina (vt illa ferebant tempora) inſequi diſpoſuit, & vt iniuſtitiæ vires deprimeret, & æquitatis iura, quæ in Dominio Patris bellorum confuſione, & temporum abominatione conſpiciebantur euerſa, defenderet, & virilibus protegeret auſis. Hæc vtique violentior fuit cauſa, quâ S. Vir arma conſultus arripuit, maximè cognitâ malitiâ procerum, qui non ſolùm Eccleſias in parentis Comitatu perſequi ſtudebant, ita vt eccleſiaſticas diriperent poſſeſſiones, ſed etiam earum filios, nempè pauperes, quos fœdâ incurſione pertinaciter comprimebant.*

*Parentes.*

*Studia.*

*Militia.*

*Vacat Sedes Vrgellenſis.*

POST *hæc euenit, quòd Epiſcopus, qui tunc temporis* Vrgellenſem *moderabatur Eccleſiam, grauiſſimâ infirmitate depreſſus, vitæ periculum contuens, Clerum, & Populum ad eius conſpectum conuocare præcipiens; & illis præſentibus, qualiter ſe Eccleſiam illam, & Epiſcopatum contra iuris ordinem, & Sacrorum canonum regulas obtinuiſſe, detexit; tunc miniſterium ſacerdotale, Epiſcopatus infulas, nomen, & honorem Pontificalem, dimittens, omnia ſua Eccleſiæ verâ pœnitentiæ contritione reliquit, & vitam impleuit. Quo defuncto, Comites Pallarienſes, & Vrgellenſes cum clero, & populo ad noui Præſulis electionem congregati, tales virum, totis viribus, eligere cupiebant, qualem temporum anguſtia, Eccleſiarum neceſſitas, & pauperum indigentia depoſcebat. Qui poſtquam de aliquorum ſacerdotum vitâ & moribus rigidum peregiſſent ſcrutinium,* ODONIS *celebrem indolem meditantes,*

*Eius infulas induit.*



*tantes, eiuſque inſignia facta recenſentes, necnon humanitatem manſuetudine plenam, & nobilem ſpiritum, vnà cum doctrinæ cumulis, & laudabilium, piorumque morum ſtrue, demirantes; & denique, quòd relicto baltheo ſecularis militiæ, cœleſtis habitum induiſſet, & Eccleſiæ* Vrgellenſis *Archidiaconum ageret, omnium ſuffragiis Beatiſſimus* ODO *illius Sedis Epiſcopus eſt electus.*

*Diœceſim reformauit.*

EO *igitur Præſulatus huiuſmodi habenas moderante, continuò Eccleſiaſtica iura ſecundum ſacrorum canonum ſanctiones, toto pectoris conatu, reſtituit. Sceleratorum hominum poſſeſſiones Eccleſiarum, vi captas, retinentium inſolentias frænauit, & ad reſtitutionem illarum mucrone excommunicationis Eccleſiaſtico compulit. Pauperum deinde iniurias à potentioribus iniectas flagranti ſolicitudine redemit. Populi prauos mores bellorum vlcere contractos, & militum licentiâ inductos rigoroſâ animaduerſione correxit. Cleri vitia, prædeceſſoris indulgentiâ turpiùs emanata, face correctionis extinxit, & auſteritatis falce reſecuit. Sic plebem hactenus ſcelerum multitudine fœdam, criminum multitudine maculatum, & peccatorum onere oppreſſam, ad veri Dei cultum, & inſignium facinorum operationem, reduxit, ita vt eo viuente tota diœceſis, vera Chriſti ſoboles putaretur.*

*Mores in Præſulatu.*

NEC *ſibi in hiſce ſanctiſſimis exercitiis, Vir Beatus, defuit; nam adeò animæ, & corporis componebat actiones, vt non videretur ſibi in opere deficere, quod in aliis verbo reprehendere decernebat. Orationi continuus, & mortificationi erat obnoxius: famelicis paſcua ſalubria pane, & ſermone præbebat: Omnibus quæ ſua erant continuo iuſtitiæ lance condonabat; ita vt nec aliena appeteret, nec ſua auarus retineret; ſed manu largus, propria, diſcretione modeſtiſſimâ diſpenſabat, non verò prodiga diſperſione fundebat. Denique poſtquam per viginti & octo annorum excurſum Sedem rexiſſet, à Domino cui ſeruierat euocatus, ſanctiſſimam animam è corporis ergaſtulo liberam, eidem tradidit coronandam* Nonis Iulij *Anno Domini* M. C. XXII. *Sedem Apoſtolicam tenente* Innocentio II. *Pont. Max. & Barcinonenſium Comitatum* Raymundo Berengario *huius nominis* III. *Eius mors proculdubio adeò totius regionis hominum corda commouit, vt de amiſſo Paſtore vniuerſi ſine ſolamine dolerent. Tandem corpus in Baſilica Vrgellenſi tumulatum ſarcophago hocce appendit Decaſtichon deuotio:*

*Mors.*

*Sepultura.*

*Hac thecâ iacet almi ſanctum Corpus* ODONIS;
*Qui fuit* Vrgellæ *Præſul, & vrbis honor.*
*Sanguine conſpicuus, clarâ de ſtirpe Baronum,*
*Quorum progeniem condecorauit ouans.*
*Illum Eccleſia protectorem prorſus vbique*
*Aduocat intrepidum, quòd ſua iura fouet.*
*Ingenio ſed clarus erat, quin moribus item*
*Inſignis; cultor Relligionis erat.*
*Pupillis pater, & viduis quoque ſæpe maritus,*
*Ægrotiſque ſalus, pauperibuſque cibus.*

*Miracula.*

*Plurima in vita, & poſt tranſitum Deus S. Pontificis interuentione, dignatus eſt operari miracula, quorum hiſtoriæ temporum antiquitate, & Noſtrorum incuriâ ferè omnes periere, exceptis aliquibus, quas è faucibus obliuionis diligentia ſeruauit, huiuſmodi.*

QVIDAM *iuuenis mutus ex* Pallarienſi *oppido oriundus, qui à natiuitate abſque lingua natus erat, cùm per noctem ad ſepulchrum S. Præſulis oraſſet, linguam prorſus, ſed ſine vſu adeptus eſt. Patriam reuerſus, cùm amici, & conſanguinei demirarentur qualiter linguam, qua carebat, Viri*

*Mutus linguam, & loquelam accipit.*

*Dei interuentu percepiſſet, abſque loquela iterum iuuenem compellunt, vt ad ſepulchrum accedat, & fide oret, donec loquelam percipiat, aſſerentes, quòd Deus, qui linguam creauerat ex nihilo, etiam vocem impartiretur miſericors. Profectus iterum Vrgellam iuuenis, ad lacum Aquilinum accedens,* S. ODONEM *facie ſplendidum, Pontificali infulâ indutum inuenit, quem vt iuuenis inuiſit, ſtupefactus in terram cecidit. Sed S. Vir iuuenem ſalutauit benignè, qui ſignis communibus ſignificauit, qualiter mutus eſſet. Cui S. Præſul dixit:* Loquere. *Ille loquutus eſt, tunc* ODO *diſparuit. Iuuenis ſanus* Vrgellam *peruenit, ad ſepulchrum acceſſit, gratias egit, hiſtoriam retulit, & ad propria reuerſus eſt.*

*Alius mutus vocem conſequitur.*

SARDVS *quidam Eques* S. ODONI *familiariſſimus amicus dùm viueret, humiliato corde poſt Sancti mortem cum ſeruo muto ad ſepulchrum eius acceſſit, qui flexis genibus dixit:* Pater mi, & ſanctiſſime ODO toties quoties ad veſtram Curiam acceſſi, de manu veſtra liberaliter ſingularia dona percepi, nunc à te humiliter oro, ſi cœli, vt credo, culmina tenes, quòd huic ſeruo meo loquelam reſtituas, ad Dei honorem, tui gloriam, & Sanctorum omnium laudem. *Eandem mutus ſeruus repetebat orationem, donec feſſus in profundum incidit ſomnum, quo ſibi viſus eſt videre, duos homines honeſtiſſimos, facie decoros, qui Virginem quandam pulchritudine ſplendidam, & ſplendore formoſam ad* S. ODONIS *ſepulchrum accedentem inſequebantur. Quæ coram ſarcophago poſita, & amanter mutum intuita, vni ex ſociis dixit:* Fili, iuuenis iſte, remedio indiget. *Cui venerabilis ſocius reſpondit.* Domina iube fratri noſtro, & ſeruo tuo ODONI Epiſcopo, vt illud impartiatur. *Tunc Virgo ſpecioſa intuens* ODONEM *dixit:* Fili, mutus iſte, qui ad tuum ſepulchrum dormit, tuum auxilium implorat, vt quid non illi medelam adhibes? *Tunc S. Præſul obediens, ad dormientem mutum accedens, dextræ manus pollice linguam tetigit, & illi loquelam reſtituit. Tum iuuenis à ſomno excitatus viſionem expreſſit, & vniuerſi Deum collaudantes, S. Præſulis gloriam fatebantur.*

*Paralyticus curatur.*

PARALYTICVS *quidam, auditâ* S. ODONIS *miraculorum famâ patrem rogauit, vt eum ad S. Præſulis ſepulchrum deferret, qui delatus, cùm plurimos ibidem exegiſſet dies, nec medelam acciperet, toto cordis conatu ſupplices ad Deum S. Viri interuentione preces fundebat. Pater diuturnitate medicinæ confectus filium paralyticum dereliquit, & ad propria conceſſit. O miraculum! vix pater ab Eccleſia diſceſſit, cùm filius ſalutem accepit, & Deo,* ODONI*que gratiis actis, primus in propriam domum intrauit.*

*Item alius.*

ALIVS *Iuuenis natione* Gallus *ſimili paralyſi laborans, ad ſepulchrum* S. ODONIS *peruenit, prodigiorum ibidem patratorum famâ compulſus, qui licet per plures continuos dies, & noctes, ſanitatem conſecuturus, ſarcophago S. Præſulis adhæreret, nunquam ſalutem adeptus eſt. Ergò aſello impoſitus, Eccleſiam mærens reliquit. Sed cùm ad fontem Plouinenſem ſitibundus acceſſiſſet, de aſello deſcendit, vt aquam hauriret, & biberet; Aſt aſellus ponderis ſarcinâ vacuus, continuò per agrum fugere cœpit. Paralyticus ſuam intuens miſeriam, iterum ad Deum,* S. ODONIS *interuentione preces effudit, & protinus ſanus euaſit, ita vt aſellum apprehenderet, & pro gratiarum actione ad ſedem* Vrgellenſem *lachrymarum imbre perfuſus, reuerteretur.*

*Item alter.*

ALTER *etiam iuuenis ex oppido* Caſtri-Pontis *incola, cùm in nocte S. Ioannis Baptiſtæ ludibrij causâ paralyticum fingeret, Dei permiſſione, luxatus remanſit, abſque vllo medicinæ confugio. Sed ad ſepulchrum* S. ODONIS *protractus, quamuis per multa ibidem tempora pernoctaſſet, in ſua membrorum debilitate remanſit. Hoc videntes, qui iuuenem illuc attulerant, ad propria deducere decreuerunt. Sed interim homo ille vidit* S. ODONEM *cum duobus Sociis, albiſſimis clamydibus indutis, quorum vnus iubente S. Viro, iuuenem in terra proiecit. Quem cùm ſupinum, & clamantem vidiſſent, qui aderant, clamabant, vt ſe erigeret, & cauſam lapſus interrogabant.*



*bant Quibus omnia quæ viderat, & euenerant propalauit; & addidit, qualiter ſalutem ſe recepturum credebat, nempè ſi clericorum orationes adeſſent, qui protinus Pſalmorum recitatione iuuenem adiuuantes, cum ad verſum:* Non eſt ſanitas in carne mea, nec eſt pax oſſibus meis; *deuenerunt, continuo paralyticus liber euaſit, & actis gratiis ad propria receſſit.*

Hactenus ACTA, quæ apud *Scriptores Gotholanos* ſeruantur; in quorum exornatione illud PRIMVM obſeruandum eſt, circa Parentum S. ODONIS nobilitatem, quòd *Artal* pater, Comes Pallarienſis, erat filius Comitum ipſius vrbis ex nobiliſſima comitum Barcinonenſium & Vrgellenſium proſapiâ: & *Luciana* Mater (quam *Luciam* vocitant alij) fuit ſoror *Almoydis* vxoris *Raymundi Berengarij* huius nominis II. Barcinonenſium Comitis, & Carcaſonenſis vrbis Comitiſſæ, & amita etiam fuit *Guillelmi* Comitis Toloſæ, nec non & *Raymundi Berengarij* Comitis Barcinonenſis huius nominis III. vt probat P. Diago *Hiſtor. Comit. Barcinon. lib.* 2. *c.* 40. *fol.* 103. & 104. & *c.* 73. *fol.* 137.

SECVNDVM verſatur dubium circa nomen prædeceſſoris in Epiſcopatu, eumque fuiſſe *Bernardum* patet: nam vt conſtat ex eodem P. Diago d. *Hiſtor. Comit. Barcinon. lib.* 2. *c.* 72. *fol.* 137. iſte *Bernardus Vrgellenſis Epiſcopus* in viuis erat Anno M. X C. quando auxilia obtulit *Ermengaudio* Comiti Vrgellenſi in recuperatione vrbis *Balaguer*; aſt cùm Acta S. ODONIS ſuperius recenſita proclament, S. Virum poſt *Vigeſimum Octauum* annum, quo *Vrgellenſem* Eccleſiam rexerat, occubuiſſe, Anno Domini M. C. X X. I I. & demptis XXVIII. Præſulatus annis, conſtat ad Annum M. XC. I V. Eccleſiæ illius reginem ſuſcepiſſe mortuo *Bernardo*.

TERTIVM, conſtat quatenus Anno M. C. XXX. III. S. ODO relatus fuerit in numero Sanctorum poſt vndecimum ab eius obitu annum, ex ſequenti Diplomate à *Domenec* relato *fol.* 64. huiuſmodi.

ANNO AB INCARNATIONE DOMINI M.C. XXXIII. XI. *Kalendas Iulij. Ergo Dn. Petrus Vrgellenſis Eccleſiæ Epiſcopus, & vniuerſus Canonicorum cœtus, magnam, atque præclaram Beatæ memoriæ Pontificis* ODONIS *cœlebrantes, venerandam ſolemnitatem Natalis eius Diem annuatim canonizari, & canonicè ab omnibus inſtitui, atque laudabiliter confirmari, vno ore omnes conuocamus: quatenus ſemper deinceps inter cæteras præcipuas huius anni feſtiuitates, hæc proculdubio dignè, & laudabiliter vti vel Domini, ſeu tanti Patroni Noſtri Pontificis* Emengaudi *diuinis veneranda myſteriis obſeruetur: atque in ſumendis quoque canonicalibus cibis prædictarum moribus ſolemnitatum, tàm in maximis, quàm in pueris, firmiter teneatur, & habeatur, & venerabiliter honorificetur. Diſpenſator dono, atque confirmo vnam vaccam de meo cenſu. Quod ſi quis ſane ſucceſſor mei, vel vllus hoc inquietare voluerit, ſiue hoc ad diſrumpendum venerit, ex parte Dei Omnipotentis, & B. Petri Apoſtolorum Principis excommunicetur. & anathematizetur, & in infernum demergatur. Et propterea hæc carta firma, inconuulſa permaneat omni tempore. Si autem in die veneris factum illius euenerit, magnis piſcibus honorificè clerici reficiantur.*

| | |
|---|---|
| ✠. *Signum D. Petri Vrgell. E. Ep.* | ✠. *Sign. Gomballi Sacriſtæ.* |
| ✠. *Sign. Benedicti. S. Saturn. Abb.* | ✠. *Sign. Petri Guillelmi Archidiac.* |
| ✠. *Sign. Geralli Archidianoni.* | ✠. *Sign. Pontij Archidiaconi.* |
| ✠. *Sign. Berengarij Archidiac.* | ✠. *Sign. Bernardi Prioris Præpoſiti.* |

Arnaldus *vel rogatus ſcripſit, & ſuo* ✠. *Signo firmauit. Amen.*

Hæc ſunt quæ hic adnotare potuimus, de Vrbe *Vrgella* diximus ſupra *Tom.* 3. *Die XXVIII. Maij. lit. A.*

# VIII. IDVS IVLII.

## DIES VIII.

*A.* ARSÆ propè Montes-Marianos in *Beturia Turdulorum* Beticæ in Hiſpania SS. AQVILÆ, & PRTSCILLÆ coniugum, qui *S. Paulum* Apoſtolum apud *Hiſpaniam* quærentes, *Heracleam* deuenere, poſt *Arſam* conuenere, vbi pro fidei Catholicæ prædicatione detenti, cruciatibuſque expoſiti, demum quos vna coniugij fibula conligauerat, & vna fidei religio coniunxerat, etiam vna corona victoriæ indeficiens connexuit vtrumque.

---

# NOTÆ.

SANCTI AQVILA, & PRISCILLA Martyres Arſenſes. ] Eos fuiſſe coniuges conſtat ex B. Luca in *Act. Apoſtolor. cap.* 18. quos B. Paulus Apoſtolus præcipuos habuit Diſcipulos, ipſeque Gentium Doctor dùm Athenis venit Chorintum inuenit eos, & quia eiuſdem erat artis ſcenofactoriæ, cuius & ipſi, apud eos aliquantulum manſit, & operabatur. Quorum etiam ipſe meminit Paulus *ad Roman. c.*16. 1. Ad *Corinth. cap.* 16. & 2. *ad Timoth. c.*4. Sed dubium eſt, an iſti SS. Coniuges *Confeſſores*? An *Martyres*? Quod fuerint *Confeſſores*, contendunt *Beda*, *Vſuardus*, & *Ado*, quibus conueniunt *Martyrolog. Romanum* Baronij; *Caſtellanum* P. Vaſq. *Luſitanum* P. Lupi, & *Italum* Conſtantij Felicis, & Maſſutius in *Vit. S. Paul. lib.*7. *c.*1. *fol.* 333. Quod verò fuiſſent *Martyres*, fatentur Græci in *Horolog Die XIII. Februar.* his verbis ex verſione Petri Galeſinij: *Hoc die Sanctorum* AQVILÆ, *&* PRISCILLÆ. *Hi coniuges à B Apoſtolo* Paulo *verbo veritatis inſtructi, tum baptizati ſe ei comites, quocunque proficiſceretur, adiunxerunt, vnáque cum illo multa incommoda, & labores pro fide adierunt. Poſt eius autem martyrium, cum hi nunquam, à Chriſti prædicatione deſiſterent, ab Idolorum cultoribus comprehenſi, primùm acerbè, crudeliterque torti, denique capite præciſo palmas tulerunt.* S. Ioann. Chryſoſtom. in *Homil. poſt Epiſtol. ad Roman.* in illis verbis loquens de hiſce Coniugibus: *Si* AQVILA, *&* PRISCILLA *tantum id vnum egiſſent (ſeruantes in domo Paulum) ingenti laude digni erant. Qui enim Ducem exercitus ſaluum fecit, & milites ſaluos fecit: qui Medicum liberauit periculis, & laborantes morbis ad ſanitatem reduxit: qui gubernatorem fluctibus eripuit, nauem totam ex vndis liberauit: ſic igitur qui Magiſtrum orbis ſaluarunt, & pro eo illiuſque ſalute* ſanguinem ſuum fuderunt, *Orbis quoque totius fuerunt benefactores.* Flau. Dext. in *Chron. Ann.* 95. hac ſerie: *In* Arſa *Mariana Hiſpaniæ patiuntur* AQVILA, *&* PRISCILLA. Aulus Halus Poëta Burdigalenſis, & Ciuis Toletanus *de Aduen. S. Iacob verſ.* 405.

*An Confeſſores, an Martyres?*

*Hunc* AQVILA, *&* PRISCILLA *in vertice nemoris* Arſæ
Bæturiæ, *linquent, quæis palma hic protinus vrget.*

Alter



Alter *Poëta* anonymus in meo *MS. Codice Carminum* vetuſtiſſimorum, vbi in *Decaſticho* agens de his ſanctiſſimis Martyribus, in duobus primis Diſtichis aſſerit:

*Ponticus* AQVILA, PRISCILLA *item Pontica, Chriſti*
*Coniuges, hoc tumulo* Martyr *vterque jacet.*
Martyr *vterque jacet, ſequendo munera* Pauli,
*Cuius ab exemplo clymata cuncta notant.*

Hanc quoque ſententiam ſequuti ſunt Roderic. Caro in *Not. ad Dextr. Ann.* 95. *fol.* 52. *lit.* 2. & Biuar. ibidem *n.* 4. *fol.* 191. & Nos in *Not. ad Aul. Hal. verſ.* 405. *fol.* 89.

HOC ſic prælibato, ingens ſe ſe offert DVBIVM, *quo Orbis ſitu Sancti Coniuges fuerint martyrio coronati?* In cuius explicatione ſciendum eſt, variè ab Scriptoribus huius loci palæſtram explicatam, & conſignatam. Hinc apud illos TRES ſententias diuerſâ punctuatione conſidero. PRIMA eſt Græcorum in *Horolog. Die XIII. Februar.* apud *Galeſin.* in ſuo *Martyrolog. fol.* 26. *&* 63. *col.* 2. qui in GRÆCIA paſſos contendit, ſic: *In* GRÆCIA *Sanctorũ Martyrum* AQVILÆ, & PRISCILLÆ. Cuius *Galeſinij* conſignationem illuſtrans Biuar *ſupr. d. num.* 4 *fol.* 191. proſequitur: *Cæterum* Galeſinus, *doctus ſanè ac diligens Vir, non legit in* ASIA, *ſed in* AFRICA Minori, *non alio ſanè, niſi quia repeperat non in* ASIA *obiiſſe: tamen eos in* AFRICAM *transferendi certam cauſam non habuit.*

*Vbi paſſi? I. Opinio.*

SECVNDA deducitur ex auctoritate *Bedæ*, *Adonis*, & *Vſuardi*, à quibus *Martyrologium Romanum*, vbi hæc verba: In ASIA MINORI *Sanctorum* AQVILÆ, *&* PRISCILLÆ *vxoris eius, de quibus in Actibus Apoſtolorum ſcribitur.* Quorum ſententiam hucuſque amplexati ſunt cæteri Latinorum, vt inquit Baron. in *Not. lit. A.* Cui opinioni reſpondet Biuar. *ſupr. d. n.* 4. *fol.* 190 ſequenti coniectatione: *Irrepſit mendum in* MS. *Martyrologio, vt pro* ARSA *ſcriberetur* ASIA, *quo ſemel admiſſo, verbum* MARIANA, *cùm non cohæreret cum* ASIA, *facilè verſum eſt in* MINORI, *& ſic legunt impreſſa pene omnia.* *II. Opinio.*

TERTIA deducitur ex *Flauio Dextro*, qui Sanctos Coniuges in *Hiſpania* paſſos clarâ periodo ſignificat, in *Chron. Ann.* 95. verbis ſuperius relatis, quæ hic repetere non grauabor, ſic: *In* ARSA MARIANA Hiſpaniæ *patiuntur* AQVILA, *&* PRISCILLA. Cuius opinioni adhærent Aulus Halo de *Aduent. S. Iacob. in Hiſpan. verſ.* 405. vbi apud ARSAM *Beturiæ* in Hiſpania martyrij palmas recepiſſe refert, & *Anonymus* vetuſtus in *Decaſticho MS.* cuius duo diſticha ſupra retulimus, & ſequentia ſubiicimus. *III. Opinio.*

*Clymata cuncta notant, & Iberi clymata luſtrant:*
Heracleæ *ſiſtunt, agmina Chriſto legunt.*
*Agmina Chriſto legunt, nec non de ciuibus* ARSÆ,
*Hæc illis* palmam *ſors veneranda dedit.*
*Sors veneranda dedit tunc* ARSÆ *Numina tanta:*
*Numina tanta vouens* ARSA *requirat, amet.*

Quorum ſententia Noſtratum veriſimiliùs conciliabitur, ſi Dorothei in *Synopſi* aſſertionem meditaberis, dicentis, S. AQVILAM apud HERACLEAM diuertiſſe, eiuſque Eccleſiæ Præfectum egiſſe: de quo Baron. *in Not. ad Martyrol. Rom. h. d lit. A.* ſubdubitat, quia vnde *Dorotheus* id acceperit, non inuenit. Sed quod ignorauit eruditiſſimus purpuratus ediſcet ex *Dextro*, qui in *Chron. Ann.* 70. hæc verba ſcripta reliquit: HERACLEÆ *in* Hiſpania *prædicat Sanctus* AQVILA *Ponticus, miſſus ab Apoſtolo Paulo in* Hiſpanias *prædicationis causâ.* Et hoc idem ſignificare voluit *Poëta Anonymus*, in relato carmine, dicens:

*SS. Coniuges Heraclea in Hiſpania Apoſtoli.*

*Clymata*

*Clymata cuncta notant, & Iberi clymata luſtrant:*
HERACLEÆ *ſiſtunt, agmina Chriſto legunt.*

*Heracleæ ſitus apud Hiſpanias.*

Hinc elicies HERACLEAM vrbem hanc, nequaquam fuiſſe ex tot illis vrbibus extra *Hiſpaniam* abs Geographis in toto Orbe conſignatis, ſed Noſtram eſſe in *Bætica Hiſpaniæ*, quam à Noſtratibus in freto Herculeo GIBRALTAR dicitur, & cuius meminere Strabo *lib.* 3. *Geograph.* hac clauſulâ: *Ad XL. inde Stadia vrbs* Calpe *vetuſta, & memorabilis olim ſtatio nauibus* Hiſpanorum. *Hanc ab Hercule quidam conditam, aiunt. Inter quos eſt* Timoſthenes, *qui eam antiquitus* HERACLEAM *fuiſſe appellatam refert, oſtendique adhuc magnum murorum circuitum, & nouale.* Dexter in *Chron. Ann.* 296. *n* 4. & *Ann.* 300. *Com.* 2. *num.* 19. P. Ioannes Mariana *Hiſtor. Hiſpan. lib.* 16. *c.* 2. Biuar. ad *Dextr. d. Ann.* 70 *num.* 2 *fol.* 157. & *fol.* 313. *num.* 4. & *fol.* 333. *n* 19. & Rodericus Caro in dictis *Dextri* locis.

*Confirmatur Tertia Opinio ex reuerentia Oppidanorum.*

HVIVS Tertiæ ſententiæ veritati ſuffragatur vetuſtiſſima Oppidanorum circumiacentium ad prædictæ vrbis ARSÆ ſitum habitantium reuerentia, quâ etiam nunc antiquiſſimæ illius ciuitatis diruta veſtigia proſequuntur. ARSA igitur jacet in Vlteriori Hiſpania in Bæticæ comprehenſione, non procul à Marianis Montibus, intra regionem, quam Beturiam Turdulorum vetuſtiores Geographi vocauere, ſic Plin. *Hiſtor. Natur. lib.* 3. *c.* 1. hac ſerie: *Altera* Beturia, *quam diximus* Turdulorum, *& Conuentus* Cordubenſis, *habet oppida non ignobilia,* ARSAM, *Mellariam, Mirobricam.* Sic & vniuerſi, inter quos & Aulus Halus meus in *Poëmat. de Aduent. S. Iacob. verſ.* 255. *fol.* 43. vrbes à S. Iacobo per Hiſpanias luſtratas ſcribens, ait:

*Arſa vbi ſita?*

*Altera, & ingenuos refouet* Bæturia *campos,*
*Multiiugaſque domos; hic prima eſt nominis* ARSA,
Illipa *quæ minor iſti nunc contiguior vrbi;*
*Mirobrica, & magnæ non bello ignota Cariſſæ*
*Agmina; & vrbs populis Regina obuerſa Latinis.*

*Situs deſcriptio.*

Hæc igitur vrbs, vt diximus, quæ in agro *Beturi-Turdulo* ſita eſt, ſecundo, vt aiunt, lapide Hiſpanico ab *Illipa Minori*, patriâ meâ diſtat, quâ & nunc iſta ſcribimus, ideoque neceſſario, totius huius ſitus ecphraſim ediſcere curauimus, vt Lectoribus veram relationem texeremus. Ergo hodie Oppidum eſt dirutum, antiquitatis veſtigiis plenum, in frondoſiſſimo ſilueſtrium arborum nemore, quod adhuc Nominis tinnitum ſeruans olim ARSALLEN auorum Noſtrorum tempore, vt ex pluribus Scripturis authenticis liquet, accentuabatur, hodie S. in G mutuata litera ARGALLEN dicimus. Ibidem caſtellum fortiſſimum perſeuerat, in excelſo Monte, & arduo, cuius inferiora, quæ ad Septemtrionem, vbi nunc ILIPA eſt, ſiue ZALAMEA DE LA SERENA, Patria mea, ſpectant, & vbi condita ARSA erat, denſis nemoribus veſtiuntur: ſuperiora alticomis interpuncta arboribus, quæ, ni illas incendia totondiſſent, horridæ greſſus interdicerent, & denſæ cœli claritudinem vſurparent. In vertice planicies maxima, vbi adhuc funeſta propter ruinam, licèt elegantiora propter artem, monimenta viſuntur antiqua, ad equi curſum continuantia, quæ ad Amphithæatri ſpeciem accedunt. Ad calcem nemoris, vrbiſque dirutæ, riuulus, cum vrbe, & nomine communis, qui fruticibus circundatus ſilueſtribus poſteriora ciuitatis tegmina pertingebat. In Montis cacumine Meridiem verſus, ex aquarum dilabentium, aut per cœli pluuias, aut per fontium exundantium exceſſus, copiâ, altus, latuſque congeritur lacus, cuius vndæ placidæ ſaxum immani magnitudine procerum, arte compoſitum, ſed abſque diligentiâ politum, imò ſectum, tantâ tenacitate complectuntur, & nimiâ adeò ſeueritate cuſtodiunt, vt vix accolarum oculis liberum permittant intuitum. Ibidem vt longæua, ab hominum memoria, traditio eſt, tanto incolas horrore fatigare, & noctu, diuque tranſeuntibus formidinem



dinem inferre ſilentium, aut ſitus opacitate ſilueſtris, aut lacus murmure vndantis, vt prorſus nemini pateat aditus. Illinc ineſſe theſaurum præſtigiis catenatum, & incantationibus occluſum, & Lemuris cuſtodiâ tutatum, opinio apud Oppidanos meos perantiqua eſt. Sed ſi me mea non fallit coniectatio (ô vtinam non!) crederem ſtuporem illum homopolis euenire, propter maius Deo reſeruatum myſterium, quin fortè propter SS. AQVILÆ, & PRISCILLÆ coniugis recondita pignora, in eo loco deliteſcentia, donec ad maiorem Dei gloriam, & Martyrum honorem, ipſe qui eos laureâ coronauit agonis, quorumque capitis capillos, ne pereant, enumerat, cuſtoditque, illa conſignato propalationis tempore, noſtris depoſcentibus orationibus, manifeſtet. Nec terrorem iſtum oppidanorum meorum paruipendendum, aut ex imaginario metu contractum fuiſſe, iudicabis. Quia ſimiles horroris aſſidui in certo loco ſucceſſus, potius reuerentiam timore commixtam ſignificant in Sacris literis. Exempla petis? Nota Iacob Patriarcham *Geneſ.* 28 qui poſt viſionem ſcalæ ſurgens, pauenſque: *Quàm terribilis eſt* (inquit) *locus iſte.* Daniel Propheta *c.* 7. 8. & 20. Abacu *c.* 3 Ierem. *cap.* 23. Act. Apoſtol. *c.* 10. S. Gregor. Magn. *lib.* 3. *Dialog c.* 23. cauſam explicat, nam cùm de horrore ad tumulum S. Petri Apoſtoli contracto, per Theodorum ipſius Baſilicæ manſionarium, ageret, & Petro in Dialogo interlocutori, dubitanti conuinceret, concludit: *Quid ſuper hac re miraris, Petre? Nunquid non mente excidit quia cum* Daniel *Propheta, magnam illam, & terribilem viſionem vidit, ex qua contremuit, protinus adiunxit*: Et ego elangui, & ægrotaui per dies plurimos. *Caro enim ea quæ ſunt ſpiritus, capere non valet, & idcirco nunquam, cum mens humana, vltra ſe ad videndum ducitur, neceſſe eſt, vt hoc carneum vaſculum, quod ferre talenti pondus non valet, infirmetur.* Hinc elicies qualiter ſimilis ſtupor proculdubio reuerentiam parit, licet cordibus noſtris grauatis pondere imbecillitatis, aliud imaginatione ſe ingerat, quàm in veritatis exiſtentia eſt. Hoc enim maximè accidit, vbi ſunt ſanctorum Corpora ſepulta, vt ex *D. Gregorio Magno* probat P. Petrus Tyreus *de Apparit. Spirit. c.* 14. & P. F. Emanuel Tamayo in *Apolog. pro SS. Vrgabon.* 3. *p. c.* 1. §. 1. & *c.* 3. §. 2. vbi aſſerunt, quòd ideò in hiſce locis horrorem ſæpius incutiunt Sancti, quia *ibi ſe mente atque cognitione, externis ſignis probant, vbi* Corpora, *in quibus militarunt Deo, conquieſcunt.* Quod *P. Tamayo*, demonſtrans, fatetur, aſſerens, locum illum, in quo reperta ſunt *Vrgabonenſium* Martyrum ſacra cadauera, ſuperioribus ſeculis terribilem, horridum, & formidabilem fuiſſe. Quod etiam adhuc hodie in noſtro ARSÆ nemore paſſim experimur. Adſit Deus, vt Noſtra ſacroſanctis Martyrum Coniugum deſideria compleat exuuiis.

*Formido, aliquando reuerentia eſt.*

IN fœdiſſimum errorem incidere, ſitus ignoratione, Archipreſbyter Iulianus in *Aduerſar. num.* 180. qui de Noſtra vrbe loquens, proſequitur: ARSA *in* Beturia Turdulana *eſt prope* Iornacam, *id eſt*, Hornachos, *nunc* Magazela, *vbi Caſtrum fortiſſimnm, eſt Bellamata.* Quis ſi locorum hic enumeratorum ſitus agnoſcit, & iſta legit, non ſoluet cachinnum, videns turpiſſimum *Geographiæ* inuolucrum? Laborant enim hæc *Iuliani* verba manifeſto gloſſemmatis vitio. Dictio autem MAGAZELA, cui ergo epitheton conſignabis? ARSÆ ne? An IORNACÆ? Si ARSÆ, attende, & deridebis ridiculam hanc lectionem. MAGAZELA, caſtrum nouum à Sarracenis conſtructum, vt ipſum opus liquidò manifeſtat, & totius prouinciæ inconcuſſa traditio, diſtans ab vrbe ILIPA cui erat contiguior ARSA, per XX. P. M. Si verò IORNACÆ, error erit peior priore. Nam IORNACA in Lectione *Iuliani*, correſpondet PHORNACIS *Ptolemæi*, iuxta ARSAM, cui hodie nomen HORNACHOS. Sed quanta diuerſitas ſit inter MAGAZELA oppidum, & HORNACHOS ipſus ſe ſe diſtinguit ſitus, cùm conſtet de vno ad aliud XL. P. M. intercedere. Verba illa vltima *Iuliani* dicentia: *Eſt Bellamata*: quid ſignificent prorſus ignoro: niſi ſit paſcuæ, ſeu prati latitudo, quercuum denſitate diffuſa, inter ILIPAM, ſeu ZALAMEAM, & MAGAZELAM ſita, licet ZALAMEÆ parens, quæ hodie dicitur MATA-VIEXA. Quidquid ſit, MAGAZELA, ab ARSA, ſitu, nomine antiquitate, & exiſtentiâ diuerſa eſt.

*Iuliani error in conſignatione ſitus vrbis Arſæ.*

SED & Ambroſius Morales in *Antiquit. Hiſpan verb.* Beturia *fol.* 90. à quo Abraham. Ortel. in *Theſaur. Geograph. verb.* ARSA. P. Biuar. *ad Dextr. in Chron. Ann.*

*Ambroſij Morales & aliorum lapſus.*

*Ann.*95. *n.*4 *fol.*191. alium prorſus errorem contraxere, aſſerentes ARSAM eſſe Oppidum, quod hodie AZVAGA dicimus, in eodem agro *Beturiano* ſitum. Sed proculdubio falluntur, nam AZVAGA etiam à Sarracenis conditum fuiſſe conſtat poſt Hiſpaniæ excidium ab AZVAGIS Mauritaniæ accolis, qui Oppido patriæ nomen impoſuere. Inſuper quia ſi ARSÆ contiguior vrbs erat ILIPA, & AZVAGA erat ARSA ex opinione *Morales*, & aliorum, falſa remanet *geographia* communis, quia Oppido AZVAGÆ contiguiores erant *Mellaria*, quæ diſtat ab AZVAGA tantùm XII. P.M. & ab ILIPA ad Meridiem XXVIII. P.M. & aliæ antiquiſſimæ vrbes in *Montibus Marianis*, prout & *Populi Emani*, vbi hodie *Alanis*; Callenſes, quorum caput *Cazalla*, & Tereſij quibus ſucceſſit *Guadalcanal*, vt diximus in *Not ad Poëm. Auli Hal. verſ.* 252. *fol.* 45. Nec eſt audiendus *Iacobus Moletius*, qui ARSAM conſtituit extra *Beturiam*, in *Bæticæ* interiori vmbilico, vbi nunc ARCOS Oppidum iacet.

*Roderici Caro lectio in Dextro diluitur.*

QVIBVS ſic abſolutis, meum *Lectorem* monitum volumus, quòd prorſus abs Roderici Caro, in *Notis ad Dextr. in Chron. Ann.* 95. *lit. Z. fol.* 52. *col.* 2. opinione diſcedat, quâ conatur legere *Dextrum* diuersâ à cæteris periodo, in conſignatione ſitus agonis Noſtrorum SS. Coniugum, ſic: IN ASIA MATIANA, credens ex *Ortellio*, auctoritate *Euſtathij*, & *Heroditi*, dictam ſic fuiſſe ASIAM ob Populos MATIANOS in ea ſitos. Sed proculdubio errorem contraxit, maximè ſi expungatur vocula HISPANIÆ, vt ipſe ſignificat: Nam certe *Dexter* de Sanctis apud *Hiſpanias* martyrio coronatis agere inſtituit, nec abſque propoſiti imagine, inducere voluiſſe Martyres alibi paſſos crediderim. Inſuper quia nequaquam apud *Geographos* inuenies, ASIAM cognomine MATIANAM nullibi fuiſſe dictam. Hinc retinebis lectionem *Biuarij*, & propter auctoritatem *Dextri*, & *Auli Hali*, & quia vt ipſe inquit *d. n.*4. *fol.* 191. agens de Romani Martyrologij lectione: *Certe moris fuit* Romano Martyrologio *vrbes, quibus Sancti quieuerunt, deſignare potius, quàm latiſſimas Regiones, confuſam* Geographiæ *notitiam relinquendo.* Quidquid ſit, apud Noſtros, SS. Coniuges Martyrio fuiſſe coronatos, traditionem inconcuſſam ex *Dextro*, & *Halo*, extitiſſe conſtat. Illâ igitur retentâ, de eis ſcripſere S. Luc. *cap.* 18. cuius Apoſtolicam hiſtoriam ſic Arator Diaconus *lib.* 2. *cap.* 9. carmine vertit.

*Scriptores*

*Attica diſcedens iam liquerat agmina Paulus*
*Eloquiis ſuperata piis; bimariſque Corinthi*
*Mœnia iuncta petens, populoſam reperit vrbem,*
*Quæ licet alterni contingeret æquoris vndas,*
*Perpetuas ſitiebat aquas. Ibi* Ponticus *ille*
AQVILA *tunc præceptor erat, Vir plurima laudis*
*Inſtrumenta gerens; cuius ſe Paulus amico*
*Contulit hoſpitio, ſociam dignatus adire*
*Artis amore domum: nam ſcenifactor vterque*
*Pollebant operis, ſtudiis, & dogmate legis.*

Item eorum meminit Paulus in *Epiſtol. ad Roman. c.* 16. dicens: *Salutate* Priſcam, & Aquilam *adiutores meos in Chriſto Ieſu (qui pro anima mea ſuas ceruices ſuppoſuerunt, quibus non ſolus ego gratias ago, ſed cuncta Eccleſia Gentium) & domeſticam Eccleſiam eorum.* Sic legit Biuar. *d. Ann.* 70. *n.* 2. *fol.* 157. licet aliter legatur in Vulgatis, & apud Aluarum Gomeſium Noſtrum Toletanum, in *Muſ. Paulin. Epiſtol. ad Roman. c.*16. *fol.*93. & 94. his carminibus.

*Cum conſorte* AQVILAM *Chriſto ſaluere ſub vno*
*Dicite, & optatis pondus ineſſe piis:*
*Qui prò diuino (Chriſti eſt ea gloria) verbo*





*Ceruices plagis ſuppoſuere meis.*
*Et contra tauros, vrſos, aproſque Caneſque,*
*Inuicti noſtrum ſuſtinuere caput.*
*His meritis agimus grates in luce, ſimulque*
*Mecum Chriſtiani cætera turba chori.*
*Nam me ſeruantes tractaſſe negotia credunt*
*Publica, & electis dona dediſſe viris.*
*Cumque ſacris ducibus totam ſaluere cateruam*
*Optamus, Capiti conſona membra pio.*

Idem Apoſtolus Paulus ad *Corinthios* ſcribens *Epiſtol.* 1. *c.* 16. aſſerit: *Salutant vos in Domino multum* AQVILA, & PRISCA *cum domeſtica ſua Eccleſia, apud quos hoſpitor.* Quæ verba idem Aluarus Gomeſius in *Muſ. Paulin. d. Epiſtol.* 1. *c.* 16. ſic carmine vertit,

*Vos* AQVILA, & *vos* PRISCA *optat ſaluere, ſimulque*
*Oſcula dant ſocij ſancta ſed illa mei.*

Denique ſcribens ad *Timotheum Epiſtol.* 2. *c.*4. ait: *Saluta* PRISCAM & AQVILAM. Et licet à *Paulo* ſanctiſſima fœmina PRISGA vocitetur, tamen Lucas *d. c.*18. ſemper & vbique illam PRISCILLAM appellat; nam agens de coniugibus iſtis, proſequitur: *Poſt hæc egreſſus* Paulus *Athenis, venit Corinthum: & inueniens quendam Iudæum, nomine* AQVILAM, *Ponticum genere, qui nuper venerat ab Italia, &* PRISCILLAM *vxorem eius, acceſſit ad eos.* Et paucis interiectis agens de Apolline Alexandrino, concludit: *Quem cùm audiſſent* PRISCILLA, & AQVILA *aſſumpſerunt eum, & diligentius expoſuerunt viam Domini.* Hinc Euangeliſtæ in compoſitione Nominis conſignationem ſequentes omnes Scriptores Eccleſiaſtici, beatiſſimam fœminam RRISCILLAM vocitant. *An Priſca, an Priſcilla?*

De eis item ſcripſere S. Ioannes Chryſoſtomus *Homiliam*, quâ eorum laudes congeſſit, & cæteri Patres, qui in Acta Apoſtolorum, & in Pauli Epiſtolas relatas, Commentarios, & ſcholia fecerunt. Necnon Baronius eruditiſſimus Cardinalis in *Annal. Eccleſ. Tom.*1. *Ann.* 51. *num.* 1. & 2. *fol.* 380. & *num.* 75. *fol.* 399. & *Ann.* 52. *num.* 1. *fol* 403. & *num.* 15. *fol.* 408. & *Ann.* 53. *n.* 35. *fol.* 422. & *Ann.* 58. *n.* 55. *fol.* 542. Maſſutius in *Vit. S. Pauli d. lib.* 7. *c.* 1. *fol* 333. & alij, à quibus ACTA eligemus, nam alibi nequaquam ſcripta iunctim colligimus.

## *ACTA SS. AQVILÆ, ET PRISCILLÆ Coniugum, S. Pauli Apoſtoli Diſcipulorum, apud Arſam in Hiſpania Martyrum, ex Variis.*

*Origo.*

AQVILA, & PRISCILLA, *aliis* PRISCA, *ex Nazaræorum genere Iudæorum oriundi, & apud* Pontum *orti, & matrimonio coniuncti, in arte ſcenofactoriâ edocti, vitam humiliter tranſigebant. Sed opulentiam Romanæ vrbis, propriis commoditatibus ambientes, illuc perrexere, vbi artis ſuæ exercitia, continuo labore, complebant, & aſſiduâ manuum fatigatione, operabantur, quo vſque Petrus vrbem illam ingreſſus, & Chriſti Domini nomen, & miracula prædicans, Sanctiſſimi Coniuges eius ſermonibus adhærentes, cum aliis ſuæ nationis hominibus Chriſto nomina dedere. Tunc cætera Iudæorum turba, quæ vbique gentium Apoſtolorum fidem Chriſti docentium, veritatem impugnabat, videns, quo pacto Petrus Euangelium Romæ felicibus auſpiciis,*

*Romam pergunt.*

*Conuertuntur ad fidem.*

*prædicaret, illudque indies magis inter Gentiles, imò & inter Iudæos, aſſiduis miraculis propagaret, turbas ſæpius aduerſus Apoſtolorum Principem concitauit, cæteroſque Chriſtianæ Religionis pediſequos, qui perfidis iſta machinantibus reſtitêre Iudæis. Hinc inter vtriuſque factionis duces continuæ concertationes exortæ, & immenſæ diſſenſiones emanatæ cauſam dedere, vt à* Claudio *Imperatore tota Iudæorum ſoboles, tàm quæ in ſua pertinacia, obduratis viſceribus perſiſtebat; quàm quæ cognitâ fidei veritate, Chriſtum verum Deum, toto cordis conamine fatebatur, Româ publicis expelleretur edictis.*

*Româ expulſi Corinthi ſiſtunt.*

HORVM *quippè animaduerſione compuncti Beati Coniuges, relictâ Orbis maximâ vrbe, & principe, Corinthum deuenere Chriſtiani, vbi & artis ſuæ miniſterio operantes, & fidei ſuæ zelo, Deo ſeruientes, vitam pacificam peragebant. Sed Dominus eorum recordatus fidei, cùm iamiam illos Euangelij miniſtros, & operatores conſtituiſſet, diſpoſuit, quòd* Paulus *Apoſtolus, & Gentium prædicator, Athenis Corinthum veniens, ad hanc ſanctam familiam, tanquam ad priuatam Eccleſiam accederet, vbi in eorum hoſpitio ſuſceptus, vi Chriſtianæ extitit charitatis. Quorum ſanè Coniugum domum, non eo tantum conſilio, quaſi ſuſtentari alienis opibus, aut laboribus cogitaret: quamuis admittere, quæ ad vitam erant neceſſaria, optimo ſuo iure tantus Euangelij Operarius, vbique potuiſſet: ſed quod ſummâ dignum eſt admiratione, ac ſi famulus, cum aliis eiuſdem officinæ laboratoribus victum illo ipſo opificio ſuis manibus ſibi adquiſiturus, admiſit. Ergo B. Apoſtolus apud eoſdem aliquantulum ſiſtens, & Chriſti fidem, vt eius erat moris, vbique prædicans, grauis Corinthi aduerſus eum perſecutio excitata eſt, cuius impetum ſuſtinuere ſanctiſſimi Coniuges, ita vt Apoſtolum, ſuppoſitis ceruicibus, cuſtodirent. Sed eo peruenere conturbia ſeditionis, quòd Paulus domum* SS. AQVILÆ, & PRISCILLÆ *relinquere, & ad ædes Titi cognomento Iuſti demigrare compelleretur, donec à Domino Syriam pergere, & Corinthum deſerere iuſſus, Spiritus-Sancti monitis ſatisfecit.*

*Paulum hoſpitio ſuſcipiunt.*

*Ab eorum domo diſcedit.*

*Syriam cum Apoſtolo petiit.*

IGITVR *Sancti Coniuges* Paulo *adhærentes, & eius ad Syriam comites facti, cum eo profecti, Epheſum deuenere, vbi cum Apoſtolo per Tres Menſes commorantes, eius doctrinam magnâ comprehenſione bibebant. Aſt poſt hoc trimeſtre tempus, cùm* Paulus *Syriam ſoluere decreuiſſet,* AQVILAM, & PRISCILLAM *apud Epheſum relinquens, Syriam petens, Cæſaream Paleſtinæ, Antiochiam, & Eccleſias Minoris Aſiæ peragrauit Relictis equidem SS. Coniugibus Epheſi, abſente Paulo, euenit, quòd quidam Iudæus Apollo nomine, Alexandrinus genere, Vir eloquens deuenit Epheſum, potens in Scripturis. Hic erat doctus viam Domini, & feruens Spiritu loquebatur, & docebat diligenter ea, quæ ſunt* IESV, *ſciens tantùm baptiſma Ioannis. Hunc ergo audientes* SS. AQVILA, & PRISCILLA *dùm fiducialiter in Synagoga Iudæorum concionaretur, ſuſceperunt eum, & diligentiùs expoſuerunt ei viam Domini. Poſt hæc Epheſum rediit* Paulus, *& inuentis SS. Coniugibus, cum eis per biennium in eadem vrbe permanſit, donec è viuis ſublato Claudio Imperatore, Romam pergere deſtinauit, eo quòd Nero edictum Claudij deceſſoris, de non recipiendis in vrbe Iudæis, imò expellendis caſſauerat. Cuius indulgentiâ commotus & Romam viſendi conſtrictus itineris neceſſaria parauit; ſed cùm hæc Numine aliud diſponente, exequi non valuiſſet, SS. Coniuges acceptâ ab Apoſtolo benedictione Romam perrexere, & ibidem aliquantulum permanſere, donec iterum Româ in Aſiam ſecedentes, Pauli recommendationem per epiſtolam datam Timotheo recepere; à quo cum etiam didiciſſent, Paulum iam iam Romam pergere properaſſe, cum eodem Timotheo ab Apoſtolo Romam euocato, in vrbem rurſus nullâ interpoſitâ morâ conceſſere: vbi permanſere, donec Paulus vrbem ingreſſus, ab eis fuit chriſtianâ charitate, & inenarrabili lætitiâ ſuſceptus; & illis Apoſtolus in Chriſto* IESV *benedixit.*

*Apollini exponunt viam Domini.*

*SS. varia itinera.*

*Hiſpanias veniunt.*

POSTMODVM *cùm Apoſtolus* Hiſpanias *perluſtrare decreuiſſet,* SS. AQVILAM,



SS. AQVILAM, & PRISCILLAM *in eam regionem præmiſit, vt prædicationis primordiis incumberent, quo vſque ille Prouinciam illam Occidentalem ſuis aſpectibus conluſtraret. Iuſſionis igitur Apoſtolicæ decreto SS. Coniuges recreati, Româ diſcedentes,* Hiſpanias *nauigant, & ad Herculeum ſoluentes fretum, apud* Heracleam *ſiſtere compulſi, ſpiritus feruentis zelo verbum Dei ciuibus prædicare Gentilibus cæpere, adeò vt ſermonum ſemine maturato, plurimos in Eccleſiæ horreo fructus includerent. Hiſce inſuper miniſteriis ſedulò SS. Coniuges operantes, totas illius freti maritimas vrbes colluſtrarunt, donec* Hiſpanias *demùm Magiſtro appulſo, SS. Coniuges ad eius pedes accurrerunt illicò prouoluti, qui eos in Chriſto benignè ſuſcipiens ſocios per totum* Hiſpaniæ *circulum, ſanctiſſimos permiſit diſcipulos. Munere ergo per Paulum abſoluto, iterum Romam remeare diſpoſuit, & SS. Coniugibus, vt totam Regionem Beticæ luſtrantes Euangelicæ veritatis ſemina porrigerent, præcepit; & vale dicto, Romam contendit. Tunc SS. Coniuges fide roborati, per* Hiſpanias *curſitantes, Magiſtri præceptum, inuictâ conſtantiâ, complentes, plurimos Gentiles Domino peperere. Sed cùm demùm* Bæturiam Turdulanam, *tunc Bæticæ regionis fructum, deueniſſent, & per eius præcipuas vrbes Euangelium prædicaſſent, & feruenti charitatis ſtudio, fructus haut exiguos feliciter collegiſſent, apud* ARSAM *illius regionis celebrem vrbem, pro Chriſti nomine tenti, & carceribus mancipati, glorioſum, ob eius amorem, quàm citiſſimè ſpectabant agonem. Quorum fidelitatis inſtantiam Dominus remunerari conſtituens, poſt varios tormentorum cruciatus, ad æterni præmij palmam, abſciſis capitibus, eorum ſpiritus reuocauit,* VIII. Idus Iulij, *Anno Domini* XC. V. *Sedem Apoſtolicam moderante* Clemente I. *Pont. Max. &* Domitiano *Imperij habenas obſcæniſſimo Imperatore tenente.*

*Heracleæ ſiſtunt*

*Ad Bæturiam Turdulorum accedunt.*

*Comprehenduntur, & coronantur.*

Hactenus ACTA, quæ potuimus ex Variorum Scriptorem placitis recenſere, & in vnum colligere, quorum ecphraſim, ad morem illuſtrare cupientes, vt omnibus legentibus vnaquæque clauſula, à quibus illam deſumpſimus, innoteſcat, eam ſequentibus propalabimus.

*Quæſitum I. An Nazarei, & Pontici?*

PRIMVM Quæſitum. Quo iure SS. Coniuges diximus, fuiſſe ex *Nazareorum* genere orti, & ad *Pontum* nati? De primo Baronius eſt Auctor. *d. Tom . Ann.* 53. *num.* 35. vbi S. Lucæ locum in *Act. Apoſtolor. c.* 18. in illis verbis: *Fratribus valedicens, nauigauit in Syriam, & cum eo* AQVILA, & PRISCILLA, *qui ſibi totonderat in Cenchris caput*: exponens; *Nazareos* origine fuiſſe commemorat. De Secundo, an *Pontici?* Textus eſt expreſſus Lucæ in *d. c.* 18. vbi AQVILAM ex proprio genere *Ponticum* appellat, quaſi ibidem natus, & ſimili modo etiam PRISCILLA *Pontica* nuncupatur.

*Quæſitum II. Quæ eorum ars ſcenofactoria?*

SECVNDVM. Quæ, & qualis erat eorum ars *ſcenofactoria*? De quo plura apud Patres dicta comperimus, vt Baronius *d. Tom.* I. *Ann.* 52. *num.* 18. & Maſſutius in *Vit. S. Pauli lib.* 7. *cap.* I. *fol.* 334. notauere, qui concludunt, illam artem eſſe, quâ *ex pellibus facienda conſueret tabernacula, quibus milites vterentur in caſtris.* P. Biuarius in *Not. ad Dextr. Ann.* 70. *n.* 2. *fol* 157. huius artis profeſſores apud Hiſpanos GVADAMEZILEROS vocitari contendit. *Scenofactoria* enim vox, bipartita eſt, ex Græca dictione Σκηνο: & Latina *Factor:* ita vt eius Opifices *Tabernaculorum factores* dicerentur, ſic Maſſutius *ſupr. d. c.* I. *fol* 334. vbi ad longum.

*Quæſitum III. Quo tempore, & à quo Chriſtiani facti?*

TERTIVM. Quo tẽpore & à quo fidem Catholicam SS. Cõiuges ſuſcepere? Reſpondet Maſſutius *ſupr. d. c.* I. *fol.* 332. aſſerens qualiter SS. Coniuges Romam deuenerant, proſequitur: *Illo igitur eodem tempore Vir nomine* AQVILA, *Iudæus genere, & à* Ponti *regione* Ponticus *cognominatus, cùm Romæ à* S. Petro *fidem Euangelicam, & Chriſtiana ſacra ſuſcepiſſet, inde ſimiliter compulſus eſt recedere cum vxore ſua* PRISCILLA; *tum, quia ambo erant profeſſione Chriſtiani; tum, quòd nati eſſent ex Iudæis, quos omnes edictum* Claudij Cæſaris *promiſcuè, ſicut alibi retulimus, comprehendebat.* Hæc igitur conuerſio, ſi Baronio *d. Tom* I *Ann.* 44. *num.* 61. credimus, effecta eſt Anno Domini XLIV. Nam eo, poſtquam apud contribules Iudæos prædicaſſet, non amplius apud eos permiſſus eſt agere, ſed à *Pudente* Senatore, qui Chriſto credidit, in domo ſua exceptus fuit, exindeque prædicatio ad Gẽtiles tranſlata eſt.

*Quæſitum IV. Quo Anno Româ expulſi?*

QVARTVM. Quo anno Româ expulſi, & à quo Imperatore, quave cauſa: Totam huius Quæſiti rationem breuiter Baronius *d. Tom.* 1. *Ann.* 51. *n.* 1. complectitur, & aduerſus *Panuinum* inſectatur in *Faſt.* qui perperam Anno VI. Claudij Cæſaris hoc eueniſſe ſcribit, cùm re verâ, ex *Oroſio* Noſtro, & aliis Scriptoribus conſtet, edictum Cæſaris de expellendis ab Vrbe Iudæis, tàm iam Chriſto conuerſis, quàm pertinacibus prodiiſſe, Anno IX. Imperij eiuſdem, & Domini Natalis LI. ob contentiones, & rixas inter vtriuſque factionis ſectatores obortas.

*Quæſitum V. Quæ illa aſſumptio Apollinis?*

QVINTVM. Quo ſenſu *aſſumpſerunt Apollinem* apud Epheſum? De quo ſic Euangeliſta Lucas *d. c.* 18. *verſ.* 24. *&* 25 loquitur: *Quem cùm audiſſent* PRISCILLA, *&* AQVILA aſſumpſerunt *eum*, *& diligentius expoſuerunt ei viam Domini.* S. Auguſtinus *lib.* 8. *de Confeſſ. c.* 12. intelligit verba illa: *Aſſumpſerunt eum*, id eſt, in *domum, ſiue hoſpitium* AQVILÆ, *&* PRISCILLÆ *fuiſſe receptum*, vt ibi Apollo commodius tanquam hoſpes Epheſi, per dies aliquot inſtrueretur. Alia eſt aliorum opinio, vt inquit Maſſutius *ſupr. lib.* 8. *c.* 7. *fol.* 399. dicentium, ideo Apollo dici *aſſumptum* ſiue *ſuſceptum*, in ea ſignificatione, qua baptizati ſuſcipiebantur, ſiue eleuebantur eccleſiaſticâ ceremoniâ ex fonte baptiſmatis à ſuis patrinis, qui propterea *Suſceptores* ex Dionyſio de Eccleſiaſt. Ierarch. c. de Baptiſmo. ſiue *Sponſores*, ex Tertulliano Libr. de Baptiſm. Plura de hoc *Maſſutius.*

*Topographia.*

QVATENVS in ACTIS retulimus SS. Coniugum *Aduentum in Hiſpanias*, ibidemque apud vrbem ARSAM meam in Bæturia Turdulana agonem, iam ſupra probatum euidenter relinquimus. Nunc hocce Octaſtichon pij Poëtæ auſculta.

Ponticus *ille* AQVILA *hic caſtâ cum coniuge* PRISCA,
*Conditur, at quiuis culmina celſa tenet.*
ARSA *ſuos primùm contriuit corporis artus:*
ARSA *ſuos rurſus eſt venerata Lares.*
*Temporis eſt lapſus, quin belli incommoda, prorſus*
*Sarcophagi tumulum occuluere fidum.*
*Sed Dominus dabit, hæc quòd noſtris cognita Diuum*
*Pignora ſint populis, vt venemur ea.*

Quatenus ad ARSÆ vrbis *topographiam*, iam plura ſuperius accepiſti, quibus vtique in ſitus cognitionem deuenies. Illud hic tantum obſerua, ſecundum *Geographiæ* regulas, illam diſtare à Corduba XVIII. leucas Hiſpaniæ, ab Emerita XIV. & à Pace-Auguſta XXIII.

SEPTIMO



# SEPTIMO IDVS IVLII.

## DIES IX.

*A. Apud* THYAR *vrbem Ilercaonum Tarraconenſis Hiſpaniæ* S. ANATHOLIÆ *clariſſimæ fœminæ, T. Aurelij Hiſpani ſponſæ, & ſororis* S. Victoriæ *ad* Turbulam *in Baſſetanis paſſæ: quæ poſtquam ſororis agonem agnouit, in fidei confeſſionem robuſta, nec Iudicum minas, nec Præſidum pœnas exhorruit, quin potius ob Chriſti nomen comprehenſa, viriliter in eius prædicatione perſiſtens, ad palmam acceſſit, & glorioſum martyrij trophæum feliciter reportauit, conuerſo* AVDACE, *venefico.*

*B. Apud* IVLIAM-MYRTILIM *in Luſitania Hiſpaniæ* S. BRICCII *Epiſcopi Eborenſis: qui cùm à Martiano Hiſpaniæ Præſide, propter fidem Catholicam, quam maximo zelo profectionis infatigabiliter prædicabat, teneretur, nec reſipiſcens, ex quo cruciatuum imbre petitus, ad vltimum vſque perduceretur deliquium; ſed à* B. Petro Ratenſi *confotus, & à vinculis abſolutus, longè diſcedens, Euangelicæ prædicationis onera, rediuiuâ charitate ſuſcipiens, innumera Gentilium Eccleſiæ ſpolia retulit, & opima; quo vſque, virtutibus clarus, glorioſo fine quieuit.*

# NOTÆ.

*Hiſpanorum Sanctorum memorias ad tempus obliterauit incuria, & bellorum ſtrages.*

SANCTA ANATHOLIA Martyr Thyarenſis.] Paſſim in hiſce *Notationibus* querimur de Noſtratum incuriâ, & de bellorum *Hiſpanias* irruentium ſtrage, quibus Sanctorum Noſtrorum ACTA, & facinorum monumenta, aut conſopita, aut ignorata, anſam *Exteris* dedere vrbium homonomiâ protractis, ad tribuendum ſibi, & ſuis prouinciis Noſtrorum Sanctorum agones, *Hiſpanorum* ſpolia diuidentibus; fortè quia Nobis in reſtauratione *Hiſpaniæ* occupatis, & illi poſſeſſionem in conſignatione Sanctorum habentes, nequaquam aduentura tempora, quibus plagiarium detegeretur delictum, & vnicuique quod ſuum eſſet reſtitueretur, exiſtimantes. Aſt Domino placuit, quòd iſthæc nubila, temporum confuoſine, contracta, dilaberentur, vt Noſtris reſtituantur Diui, quos *Hiſpania* per fidei conſtantiam ſuppoſitis ceruicibus adquiſiuit. Inter hos proculdubio ANATHOLIA, quæ licet ciuis *Romana*, & deſponſata *Tito Aurelio* origine *Hiſpano*,

*Anatholia an Italæ Martyr, an Hiſpana.*

*Hiſpano*, apud THYAR vrbem in Ilercaonibus Hiſpaniæ ſitam, paſſa eſt. Ita Biuar. ad Dextr. *Ann.* 255. *num.*4. *fol.*286. his verbis: *Pari modo accidit nomen vrbis* S. ANATHOLIÆ *ſororis* Victoriæ *quærentibus. In* Adonis MSS. *Codicibus*, *legitur paſſa in ciuitate* Thyro, *& ſimiliter in excuſo: cuius verba ſunt*: VII. Idus Iulij. In Ciuitate THYRO paſſio SS. ANATHOLIÆ & AVDACIS ſub Decio Imperatore. *Cæterùm cùm crederetur in* Italia *occiſa*, *pro* THYRO *à nonnullis lectum eſt* THYRE, *& ab aliis* THVRIVM, *& in* Romano Martyrologio *additum eſt*: Ad Lacum VVLSINVM, *vt ita in* Tuſcia *paſſa aſſereretur. Tandem* Cardinalis Baronius *relatione*, *& hortatu* Curtij Franci, *Canonici S. Petri*, *verbum illud*: In Ciuitate THYRE ad Lacum Vulſinum, *abraſit*, *& eius loco ſcripſit*: In Ciuitate THORA ad Lacum Velinum; *quaſi liberum ſit vnicuique* S. ANATHOLIAM, *huc, illúcque mouere.* Et meritò, nam in ſcriptura vrbis, quâ martyrium compleuit Sanctiſſima Martyr, tot ſunt variantium lectionum opinationes, vt vix quâ pedem figas comperies: eſto quod nulla ſit ex Antiquioribus Martyrologiorum Scriptoribus deſumpta, quæ *Curtij Franci*, à quo *Baronius*, ſententiam tueatur. Omnium lectiones ediſcere cupis? Ipſum audi Purpuratum in *Not. ad hunc diem lit. C.* dicentem: *Legebatur in aliis Martyrologiis* TYRI ad Lacum Vulſinum; *ſed pro* THYRO, ſeu THVRIO, *vel* THYRE; THORA, *& pro* Lacu Vulſino, Velinus *eſt poſitus.* Hactenus Baronius. Sed à quo poſitus? Ab ipſiſſimo Cardinale, ex relatione *Curtij Franci*, vt ipſe teſtatur infra hac clauſulâ: *Hæc accepimus à R. D.* Curtio Franco, *Canonico S. Petri in Vaticano, qui in his perquirendis plurimum laborauit.* Hinc elicies

*Qualis in aliquibus Baronij perſuaſio?*

qualis fuerit in aliquibus huius eruditiſſimi Scriptoris Eccleſiaſtici perſuaſio. Hic ſolâ vnius hominis coæui relatione contentus, totam vetuſtiſſimorum Martyrologiorum ecphraſim, in loci palæſtræ conſignatione deturbat: & alibi nec antiquorum auctorita,tenec populorum firmâ traditione, nec Neothericorum Prouincialium aſſiduâ inuincibilibus rationibus manifeſtatione mouetur, vt quod ſemel aſſumpſerit, dimitteret, nec ab eius opinatione tenaci deſiſteret. Ergo vera, ex Noſtratum ſententiâ, lectio eſt THYAR, ex ſuperius dictis, & ex relatione Luitprandi in *Aduerſar. num.*91. apud Ramires *fol.*477. & *num.*76. & 77. apud Tamay. *fol.*21. ſi illam, vt in editis mendoſam, corrigis hoc modo: S. ANATHOLIA

*Gloſſemma in editis Luitprandi Aduerſariis detegitur.*

*ſoror* S. Victoriæ, *ſecuta* S. Victoriam *ad* Hiſpaniam: *quæ poſt ſorore effecta* Turbulæ *Martyre* XXIII. *Decembris*, *venit ad* THIAR, *vbi anno ſequenti* IX. Iulij *cum* Audace *paſſa eſt.* Nam lectio THORA in editis poſita, merum gloſſemma eſt; Cùm verbum illud penitus tempore *Luitprandi* ignotum fuit, & à ſolo *Baronio* inuentum, vt diximus. Noſtrorum opinioni adſtipulatur Exaſtichon *Auli Halimei* in *Codice MS. Carminum* hoc lemmate.

## PRO S. ANATHOLIA MARTYRE Thyarenſi in Hiſpania Citeriori.

Roma *mihi eſt patria*, *& fuit inde* Hiſpania *buſtum*:
*Illa mihi ſpecimen*, *iſta corona mihi.*
*Nomine* ANATHOLIA, *&* Tito *deſponſa marito*,
*Chriſti ſponſa fide*, *martyrioque fui.*
*Tandem expulſa*, *tuos relliqui* Roma *penates*;
*Limina ſed tinxi poſtque cruore* THIAR.

*Martyrologia.*

Hinc nequaquam ſunt audiendi recentiores Scriptores Itali, qui *Baronij* emendationem ſequentes, prorſus ACTORVM, & Martyrologiorum vetuſtiſſimorum lectionem reſpuentes, paſſionem Sanctiſſimæ Martyris ad THORAM Oppidum in Vmbriæ Italiæ confinio retulerunt, pro vt fecere Philipp. Ferrar. *in Catal. SS. Ital. h. d. fol.*419. & in *Topograph. SS. verb.* Thiora. *fol.* 124. *col.* 2. Martyrologium Romanum *Baronij*; Caſtellanum *P. Dion. Vaſq.* Luſitanum *P. Lupi*, & Italum *Conſtantij Felicis*; & alij plures qui iſtos ſunt inſecuti. Nec me mouet Opinio P. Franciſci

ciſci



ciſci de Bilches in *Hiſtor. SS. Baëcenſ.* 1. *p. c.* 16. *fol.*46. dicentis: S. Virginem Aurelij ſponſi interuentu *Italiam* fuiſſe delatam ex vrbe *Turbula*, & apud *Thoram* in Tuſcia coronatam, quia ex ſupra relatis rationibus, & Carmine Sepulchrali vetuſtiſſimo, omnia in contrarium dicta diluuntur. Tantùm hic ex ipſo P. Bilches *fol.*48. addendum erit, quòd Noſtræ S. V. & M. feſtiuitas recolitur officio *Duplici* in Epiſcopatu *Giennenſi.* ACTA verò retulit Sur. *Tom.*1. ea, ſed correctiora, prout ex Noſtris comprehenditur Hiſtoriis, damus.

## *ACTA SS. ANATHOLIÆ, ET Audacis Martyrum Thyarenſium in Hiſpania, ex Variis.*

*Origo.*

ANATHOLIA *Virgo* Romana *ex illuſtribus & honeſtis illius Vrbis familiis orta*, *Chriſtianam colens religionem*, *vnà cum ſorore ſua* Victoriâ, *in colligendis virtutum manipulis vitam tranſigebat. Quarum* Victoria *deſponſata erat* C. Lucio Eugenio *viro* Hiſpano *ex vrbe* Turbula *oriundo*, *quæ rogante* T. Aurelio *ſponſi homopolo*, *etiam* Hiſpano, *qui ſponſam* ANATHOLIAM *virginem habebat*, *ad ſuadendam eam*, *vt ei nuberet*, *perrexit*; *cui & dixit*: Audi me Domina ſoror ANATHOLIA; & Ego

*Victoria ſuadet ſororem ad nuptias.*

Chriſtiana ſum, & noui quia Deus nuptias non condemnat. Prophetæ, & Patriarchæ coniuges habuerunt, & poſteritas eorum à Domino benedicta eſt. Nunc audi me, & accipe virum, qui te non prodat, quòd ſis Chriſtiana: ſed per maritalem copulam fiat, vt ipſe Chriſtianis

*Anatholiæ conſtantia.*

conſentiat. *Hæc dicente*, Victoriæ *ſorori virgo* ANATHOLIA *reſpondit*: O Victoria vince diabolum, & eſto vera Victoria. Tunc quando tota terra vacua erat, dixit Deus hominibus: *Creſcite*, *& multiplicamini*, *& replete terram.* Nunc plena terra, poſtquam filius Dei de cœlo deſcendit, quotidie clamat: *Creſcite in fide*, *multiplicamini in charitate*, *& replete cœlos*: quia appropinquabit regnum cœlorum. *Subticuit* Vi-

*Viſio Anatholiæ.*

ctoria, *& iterum Virgo* ANATHOLIA *intulit*: Ego die quâ explicui pretium ornamentorum meorum in pauperes Chriſti, vidi per viſum Iuuenem aureo diademate ſplendidum, in veſtibus purpureis, atque

*Virginitatis encomia.*

gemmatis, qui gratâ facie, & læto vultu, me inſpiciens ait: *O Virginitas*, *quæ non in operibus tenebrarum*, *ſed ſemper in lumine verſaris.* Hæc ego audiens, euigilaui, & cœpi flere: & proiiciens me in pauimento, rogaui Dominum, vt is qui mihi loquebatur, dulciſſimos ſermones iterum proſequeretur. Sic mihi oranti & proſtratæ, idem qui ante loquebantur, talia mihi ſubſequitur: *Virginitas*, *purpura Regalis eſt*, *quam qui induit*, *reliquis ſit eminentior. Virginitas*, *gemma eſt pretioſa. Virginitas*, *theſaurus eſt Regis immenſus. Huic fures inſidias tendunt.* Hanc tu ſoror Victoria euigilans ſolicite cuſtodi, quantumque te plus habere cognoſcis, inſtantius recole, ne perdas. *Quibus dictis S. Virgo tacuit.*

*Româ expellitur.*

VICTORIA *verò ſororis ſermonibus incitata omne pretium monilium ſuorum*, *& ipſa diſtraxit pauperibus. Sicque factum eſt*, *vt agentibus ſponſis earum* Aurelio, *&* Eugenio, *quia nubere illis Virgines Chriſti noluerunt*, *à Decio Imperatore vrbe Româ pulſæ ſunt.* ANATHOLIA *verò in* Picenum *venit*, *vbi cùm ſe ieiuniis*, *& precibus maceraret*, *atque in ſuo exilio ita exultaret*, vt *ſibi videretur Paſchatis feſtiuitate gaudere*: *contigit filium* Diodori, *qui erat Conſularis Prouinciæ*, *nomine* Anianum, *à Diabolo vexatum*, *clamare*: DOMINA ANATHOLIA incendis me. *Interea* Diodoro *homine cum primis pagano*, *eum per lucos*, *& templa mittente*, *venit vbi erat* ANATHOLIA, *dirumpens catenas*, *quibus erat conſtrictus*, *& ante orantis Virginis pedes ſe abiecit*, *dicens*: *Tu es*, quæ me flammis orationum

*Dæmonem expellit.*

tuarum exuris. *Porrò S. Virgo exufflauit in eum*, *& ait*: Exi Diabole de homine iſto. *Et ſtatim exiit ab eo. Cùmque ille ſanus veniſſet ad patrem*

ſuum in faſcibus poſitum; iſque cognouiſſet eum curatum à S. ANATHOLIA, abiit ad eam cum vxore ſua, & filiis, adoranſque eam, obtulit ei infinitas pecunias. Sed S. Virgo nihil penitus accipiens, dixit: Vade, & egenis Chriſtianis, atque inopibus eroga: tu vero crede in Chriſtum, vnà cum tuis, & liberaberis.

*Hiſpanias SS. Sorores ducuntur.*

EXIIT vero opinio S. ANATHOLIÆ per totam Piceni prouinciam, & deferebantur ad eam infirmi, quos medici deſperabant, & omnes ſanabantur credentes in Chriſtum. Interea ſuggerentibus Idolorum Pontificibus, & Aurelio, & Eugenio SS. Virginum Sororum ſponſis, Hiſpanias ad eorum prædia ductæ ſunt, eo decreto Præfecto Prouinciæ, nomine Fauſtiniano impoſito, vt eas interficeret, niſi Diis ſacrificia offerre, & ſponſis nubere vellent. Igitur Turbulanam vrbem in Baſtetanis, ſeu Baſſetanis SS. Sorores ingreſſæ, cùm Victoriam Iudex ob fidei Catholicæ, & virginitatis conſtantiam martyrio coronaſſet die XXIII. Decembris Anno Domini CC. LII. Beatiſſimam Virginem ANATHOLIAM ſecum ad vrbem THYAR deferens, iuſſit eam diuerſarum plagarum genere vexari: ac deinde ſuſpenſam in equuleo, lampadibus aduri. Interrogabat autem eam, num thura vellet Diis incendere, & libera abire, quò viſum eſſet. Illa reſpondit: Miſer, & infelix, ſi non receſſeris à cultura Dæmonum, vnà cum illis perpetuo incendio cremaberis. Vocauit poſtmodum Præfectus ad ſe AVDACEM, veneficum, & dixit ei: Ego hanc iubeo includi in cubiculo: tu verò immitte ſerpentes in eam, qui eam comedant, & multa à me accipies, & in amicis meis numeraberis. Reſpondit AVDAX, qui & MARSVS dicebatur: Tu multos ſerpentes dicis, ego verò vnum ſolùm dimittam, & ſtatim interficiet illam. Cùm ergo ANATHOLIA in anguſto eſſet incluſa cubiculo, MARSVSque ſerpentem in illud immiſiſſet, totâ nocte Virgo in hymnis, pſalmis, & orationibus durans, acerrimum ſerpentem illum manſuefecit. Mane facto, MARSVS Mercurium, & Mineruam inuocans, cubiculum aperit, & ecce ſerpens in eum inuolans, collum eius cingit, comedere eum volens. Sed S. ANATHOLIA manu ſuâ ſerpentem comprehenſum, in nomine D.N. Ieſu Chriſti iuſſit abire in locum ſuum: quod ille mox cum ſummâ manſuetudine fecit. Eo viſo, AVDAX MARSVS adorauit eam; dicens: Verè Deus Chriſtus eſt.

*Dirè cruciatur.*

*Serpens nihil ei nocet.*

*Magus credit.*

Vt autem reſciuit Præfectus MARSVM Chriſtum confiteri, illi ad ſe accito, ait: Si illa magicis artibus ſerpentem à ſe depulit, num tu propterea, in Deorum contumeliam, Chriſtum Deum credere debuiſti? AVDAX dixit: Ego Chriſtum, verum Deum credo, quem illa inuocans, ſerpentem atrociſſimum à gutture meo, ſuâ manu abſtraxit. Iudex dixit: O te miſerum! Habes auri, & argenti plurimum, habes familiam copioſam, habes vxorem, & liberos, & his omnibus poſthabitis, mori non times? AVDAX reſpondit: Ego ſcio, & comperi virtutem nominis Chriſti, & idcirco mori iam non timeo. Non vides quam à me ferum ſerpentem eius nominis inuocatio profligauit? Præfectus ait: Relatio fiet de te, & ea efficiet, vt eandem cum Chriſtianis ſententiam excipias. Miſſus igitur AVDAX in cuſtodiam, dùm iret relatio, & veniret reſponſum, agente ANATHOLIA, interim Chriſtianâ religione initiatus eſt, ac deinde pro Chriſti nomine capite damnatus eſt. Sancta verò Virgo, extenſis manibus ſtans ad orationem, ita gladio tranſuerberata eſt, vt à dextro latere, vſque ad ſiniſtrum confoſſa cerneretur: atque hoc exitu triumphantem Chriſtus excipiens, & Virginem ſacratiſſimam ſibi & Martyrem conſecrauit, VII. Idus Iulij Anno Domini CC. LIII. Ciues autem Thyarenſes rapuerunt Corpus S. Virginis, & vbi reuelatum eis fuit, ibi retulerunt illud. AVDACIS autem Martyris Corpus, vxor, & filij eius tulerunt, & nauigantes omnia ſua adſportarunt.

*Conſtantia Audacis.*

*Capite cæditur.*

*Coronatur Virgo.*

ISTA ſunt vera, & genuina SS. AVDACIS, & ANATHOLIÆ Virginis, & Martyrum ACTA, qui ambo vt liquet paſſi ſunt apud Hiſpaniam in vrbe Ilercaonum





caonum THYAR. Cætera ex ACTIS communia, niſi Nomina, & Patrias vtriuſque SS. Virginum ſororum ſponſi. De Nominibus videſis ACTA S. Victoriæ apud Sur. Tom. 6. Die XXIII Decembr. fol. 304. De Patria Luitprandum in Aduerſar. n. 93. apud Ramires fol 478. hac ſerie: Titus Aurelius, & C. Lucius Eugenius, Hiſpani Ciues Turbulani, vel Tribulani (vtroque modo dicitur) in ea vrbe, eiuſque territorio, verſus Hellenas, oppidum Græcorum, vbi nati, prædia habuerunt: profectique Romam, Victoriam hic, ille duxit ANATHOLIAM. ſequitur Biuar. ad Dextr. Ann. 255. n. 4. d. fol. 285. & 286.

*Nomina, & patria Coniugum SS. Virginum.*

CIRCA alia in ACTIS recenſita, de Dæmoniaco curato, & aliis, ſerpentis manſuetudine, MARSI, ſeu AVDACIS venefici conuerſione, & coronatione, audi Adelmum in ſuo carmine:

*Sic quoque famoſis felix* ANATHOLIA *ſignis*
*Claruit, exilium ſæui perpeſſa Tyranni.*
*Conſulis en ſobolem, conſtrictam nexibus arctis,*
*Expertem ſenſus, cum brutâ mente vagando,*
*Hoſtibus exploſis reparauit pectus anhelum.*
*Qui rumor fuſus, diuerſis peſtibus ægros,*
*Conduci fecit, ſtipantes agmine ſanctam:*
*Illis optatam reddebat Virgo ſalutem,*
*Necnon & MARSVM, qui toruam carmine dipſam*
*Efferet, ardebat ſanctos vt belua lacertos*
*Dentibus horrendis & rictu rodat aperto:*
*Curauit ſubitò, diſrumpens vincla chelidri,*
*Qui priùs in ſpira* MARSVM *ſinuarat inertem.*
*Idcirco curſum pergebat credere Chriſto,*
*Agnoſcens propriam tantâ virtute ſalutem.*
*Inſuper & meritum cumulauit ſanguinis oſtro,*
*Quem ſubiit binis ſertis mox candida Virgo:*
*Integritas nitidum, necnon & paſſio rubram,*
*Pingebant variam celsâ virtute coronam.*

Proculdubio eruditiſſimum Biuarium ſupra d. fol. 286. erraſſe fatendum eſt, quando ex hiſce carminibus affirmat, MARSVM quem ANATHOLIA conuertit ad Chriſtum, hoc nomine vocitatum, tanquam vnum ex illis hominibus, qui ſic ſoliti erant appellari, eo quod cum ſerpentibus bella gererent: ac ſi MARSVS iſte non fuiſſet Magus ille binominis, cuius induſtria Præfectus vtebatur ad cruciandam S. Virginem, qui & AVDAX, & MARSVS vocabatur, vt ex Actis conſtat à Sur. h. d. Tom. 4. recenſitis.

*Biuarij error.*

THYAR. Vrbs antiqua Hiſpaniæ Citerioris, viâ Tarracone Carthaginem Spartariam, vt in Antonini Pij itinerario apud Zurit. fol. 91. & apud Simlerum. fol. 183. ſic:

*Topographia.*

Ilicim. M. P. XXIIII.
THIAR. M. P. XXVII.
Carthaginem Spart. M. P. XXV.

Ieronymus Zurita in Not. fol. 550. fatetur, nullum de huiuſmodi manſione veſtigium reperiiſſe. Iulianus autem Noſter Archipresbyter Toletanus in Aduerſ. n. 88. & 89. meminit huius manſionis, fuiſſeque Oppidum à Græcis ædificatum, & eo nomine vocitatum, à copiâ lolij naſcentis ibidem. Et optimè, nam Θυαρ۞

*Conditores.*

Græcè, aliquando LOLIVM Latinis ſignificat, vt ex Dioſcorid. *lib. 1. c.* 25. probat Robertus Conſtantin. in *Leg. Græco-Lat. Tom.* 1. *fol.* 732.

*Etymon.*

S. BRICTIVS Epiſcopus Myrtilenſis Confeſſor. ] Ferè ſimilem ac de *S. Anatholia* cum Scriptoribus Italis, circa locum, quò S. Præſul vitam exuit, contentionem excitare compellimur; Nam iſti in *Vmbria*; Noſtri in *Luſitania*; Illi apud *Martam*; Noſtri apud *Martulam*, ſeu *Myrtilim* occubuiſſe contendunt. Vtrorumque ſententias referre opus erit, vt veritatis apex liquidò cognoſcatur. Qui illum S. Præſulem, *Italum* efficiunt, mouentur ex opinione aliquorum, qui *Carpophorum*, & *Abundium* dixere apud *Spoletum*, martyrio fuiſſe coronatos; cùm res geſtas S. BRICTII, ex ACTIS SS. Carpophorij, & Abundij omnes ferè Scriptores deſumant. Qui verò illum *Hiſpanum* Epiſcopum conſignant, ſuadentur ex receptiſſimâ ſententiâ Noſtratum (cui nec in aliquo fuit Baronius *in Not. ad Martyrolog. Rom Die X. Decembr. lit. B.* auſus minuere, imò pro Noſtrorum opinione ſtetit, dicens: *Sed quod præſtat his omnibus*; (poſt Italorum relationem) *Catalogus Epiſcoporum Hiſpalenſium*, Carpophorum *habet Epiſcopum, & Martyrem)* aſſerenti illos ſanctiſſimos Martyres apud *Hiſpalim* fuiſſe coronatos. Inſuper Noſtri pro ſe habent auctoritatem Flauij Dextri in *Chron. Anno* 308. vbi hæc verba leguntur: *Ciuitate* MARTVLA *in* Luſitania (*vt ex Martyrologio conſtat Euſebij Cæſarienſis, quod iuſſu Conſtantini Imperatoris ille compoſuit*) S. BRICTIVS, *vt creditur, Epiſcopus* Eborenſis; *qui comprehenſus à* Martiano Luſitaniæ *Præſide, pro fidei confeſſione multa perpeſſus eſt; qui prædicauit etiam ad* Caſtulonem *prope fluuium* Tagum, *qui illam vrbem præterfluit; deinde rediens ad* Segiſamonem Vaccæorum *vrbem, vbi prædicauerat prius, & poſtmodum prædicauit: peragratâque totâ fermè* Hiſpaniâ, MARTVLAM *reuerſus à præfato Iudice comprehenditur. Deinde in equuleo torquetur; poſt in carcerem coniicitur; ac deinde ſuborto graui per vrbem terræmotu, pariete corruente* Martianus *deprimitur. Deinde ſ.* BRICTIVS *à Petro (quidam putant) Epiſcopo Braccarenſi, & ab Angelo exhilaratus, à cuſtodiâ publicâ educitur, longéque ac latè per* Bæticam, Luſitaniam, & Tarraconenſem *prædicans, ad ſuam vrbem reuerſus*, VII. Idus Iulij, *plenus dierum, & ſanctorum operum, ad cælum victor commigrat; aſtanteſque confirmant eius animam inſtar candidiſſimæ columbæ, pulcherrimis meritis locupletatam, euolaſſe.* De quo plura apud Biuar. in *Not. ad Dextr. Com* 1 *n.* 1. *fol* 359. Roder. Car. *ibidem fol.* 112. *lit. V.* P. Quintana-Dueñas *Hiſtor. SS. Hiſpalenſ. fol.* 73. Vaſſeus in *Chron. Ann.* 300. qui ex Breuiario *Eborenſi* Noſtrorum ſententiam confirmat, quibus conueniunt *Flor. SS. Hiſpan.* & Pater Truxillo in *Theſaur Concionat. tom.* 2. *fol.* 2210.

*An Confeſſor in Italia, an in Hiſpania.*

*Scriptores pro Hiſpania.*

*Italorum opinio diluitur.*

NEC huic Hiſpanorum Scriptorum veritati obſtabit aſſertio *P. Ioannis Baptiſtæ Braſcebeſciĳ* Florentini in *Hiſtor. de SS. Spoletan.* relatus à Philipp. Ferrar. in *Catalog. SS. Ital. h. d. fol.* 418. quâ S. BRICTIVM, quem apud MARTVLAM vrbem Martyrologia omnia occubuiſſe referunt, *Italum* fuiſſe, & tortum in *Italia*, contendunt; quia facilè eorum opinatio diluitur, ex ſequentibus rationibus. PRIMA, quia hunc Sanctiſſimum Confeſſorem, infulas *Spoletanæ* Eccleſiæ induiſſe idem Philippus Ferrarius in *Catalog. General. SS Die IX. Septembr. fol.* 360. affirmat; cùm prius dixerat ipſe, & *P. Bracceſchus* occubuiſſe S. Virum, Epiſcopum MARTANVM. Hinc elicitur quanta inter Scriptores *Italos* confuſionis nebula inſit; cùm vix locum Præſulatus inueniant. SECVNDA, quia eſto, quòd vrbs quâ S. Antiſtes vitam exuit, appellabatur MARTVLA, & hæc nequaquam in totius Geographiæ tabulis, apud Italos inuenitur: perperam Sanctum ſibi arrogant BRICTIVM ſupracitati Itali Scriptores. Patet ſuppoſitum. Nam idem Philippus Ferrar. in *Topograph. SS. verb.* Martula. *fol.* 74. agens de *Itala*, proſequitur: *Ciuitas olim* Vmbriæ *ad Montis* Martani *radices ſita, à* Spoletio *paulò ſupra* III. M. P. *qua* Tudertum *itur, diſtans. Tametſi pro* MARTVLA, *potius* MARTA, *ſiue* MARTANA *legendum videtur.* TERTIA, nam hoc oppidum Vmbriæ MARTA, ſeu MARTANA recens eſt, necdum conditum tempore *Diocletiani*, quo paſſus eſt S. BRICTIVS, imò nec cognitum ab vetuſtis, ſiue recentioribus Geographis, vt videre eſt apud Leandr. Albert. *in ſua Italia, verb.* Vmbria. *fol.* 138. vbi Spoletanum depingit agrum & Raphael Volaterran. in *Geograph. fol.* 170. QVARTA, nam Oppidum

*I. Ex variatione Sedium.*

*II. Ex vrbis pronuntiatione.*

*III. Ex recenti Oppidi conſtructione.*



Oppidum illud, nunquam Sedem Epiſcopalem agnouit, nec tale quid inuenitur apud aliquem ex Scriptoribus, vt facile percipiet quiuis, qui *Notitiam Epiſcopatuum* Orbis legerit *Auberti Miræi.* Ergo Italorum Scriptorum ceſſabit in poſterum pertinacia, cognitâ veritate Noſtratum. QVINTA, quia nullibi apud Martyrologos inuenitur, S. BRICTIVM fuiſſe Epiſcopum MARTVLANVM, ſed alterius Vrbis & Sedis quam nullus exprimit: ergo perperam *Itali* ſanctiſſimum Confeſſorem inter Antiſtites *Martulanos*, & inter *Spoletanos* conſtituunt. Probatur antecedens ex relatione *Vſuardi*, à quo omnes, h. d. dicentis: *Ciuitate* MARTVLA *natalis* S. BRICTII *Epiſcopi, & Confeſſoris*: Non dixit Vſuardus: *illius vrbis Epiſcopi*, vt aſſolet, & mos eſt cæterorum Martyrologiorum, quando alicuius Sancti Sedem conſignant: prout nec Martyrologium Romanum, nec Equilinus in *Catalog. SS. lib. 6. c.* 74. qui quæſtionem diremit, dicens: BRICTIVS *Epiſcopus, in Ciuitate* MARTVLA *claruit.* Nam ſi illum Epiſcopum MARTVLANVM dicere decreuiſſet, orationem ſic, BRICTIVS, *Epiſcopus Ciuitatis* MARTVLANÆ *claruit:* ordinaret; hoc non fecit, ergo Pontifex non fuit *Martulanus.*

*IV. Ex defectu ſedis Epiſcopalis.*

*V. Ex inexiſtentia Præſulatus apud Martulā.*

His ſic controuerſis, venio ad ACTA, pro vt ex Noſtris deſumitur Scriptoribus, & Exteris, Sancti BRICTII, quæ etiam ex rebus geſtis *SS. Carpophori, & Abundij* dedu cemus, vt integram narrationem in hiſce à Nobis congeſtis actionibus, attexamus:

## *ACTA S. BRICTII EPISCOPI Eborenſis apud Martulam, ſeu Myrtilem vrbem Luſitaniæ Confeſſoris, ex Variis Scriptoribus Latinis.*

*Origo.*

BRICTIVS *origine* Hiſpanus, *Epiſcopus, vt creditur* Eborenſis *in* Luſitania, *cùm aliquantulum per ſuæ diæceſis terminos Chriſti fidem feliciter prædicaſſet, diuinâ admonitione præuentus ad* Vaccæos Hiſpaniæ *populos perrexit, vbi Euangelici ſemina verbi diſtribuens, & apud* Segiſamonam *ſiſtens, plurimos ab Idolorum adoratione, ad Eccleſiæ Catholicæ ſinum adtraxit. Hinc ad* Baſtetanos *pergens*, Caſtulonenſes, *quos iam diù veritas fidei oblimauerat, roborauit, & cæteros ad Crucifixi venerationem adduxit. Quibus ſic expletis, iterum ad* Segiſamonam, *quæ ſuum auxilium vehemētius efflagitabat, properauit, & repedauit: vbi compoſitis rebus ad religionem Catholicam ſpectātibus, ad proprias oues reuerſus eſt. Cum igitur* Iuliam Myrtilem *ſui Epiſcopatus vrbem quæ poſtea* Martula *dicta eſt attingeret, illicò ſuæ prædicationis munus exercuit; quo gregem ſibi commiſſum paſcuis ſalutaribus recreauit, & plurimos à fidei regulis alienatos compeſcuit, & ad Catholicæ veritatis gremium perduxit. Per hoc tempus* Luſitaniam *fere totam ſub* Martiani *Præſidis poteſtate extare S. Epiſcopus contuens, eiuſque in Chriſtianos ſæuitiam perpendens, grauiter doluit, ſed conſtanti ſpiritu omnem gregem in fidei confeſſione ſolidauit, cuius zelo ſuccenſus omnium locorum angulos viſitabat, & ad martyrium fideles inuitabat feruidus. Eius itaque* Martianus *Præſes ſollicitudinem agnoſcens, S. Præſulem carceri mancipare præcepit, ratus quòd ſi illum è medio tolleret, neceſſariò Chriſtiani ad Deorum adorationem, & cultum accederent, & Principum Romanorum iuſſa obtemperare haut negligerent. In cuſtodia igitur S. Pontifex conſtitutus, multa pro Chriſti nominis defenſione ſuſtinuit cruciamina, verbera, & cruciatus, ſed cùm in veritatis confeſſione perſiſteret, Præſidis iuſſu in equuleo poſitus à carnificibus denuò torquetur, & corpus ferociùs lancinatum vix in cadaueris formam depoſitum, iterum carceris ergaſtulum eſt expertum. Sic S. Epiſcopus intra fætidi ſpelæi parietes remanſit horridos ſine vocis oraculo, ſed cum cordis ſpiritu, mente integrâ laudans Deum, qui illi tantam conceſſerat fortitudinem, quâ potuiſſet pro eius fide tot vlcera ſuſtinere. Nec iſthæc conſtantia à cæleſtis præmij gratificatione vacauit; nam in medio noctis ſilentio, cùm S. Pontifex orationi pro-*

*Prædicat in tota ferè Hiſpania.*

*Myrtilim vrbem ingreditur.*

*Capitur.*

*Torquetur.*

*Apparet illi S. Petrus, qui S. Præſulem ſanat, & è carcere educit.*

*nus inſiſteret, ecce lux in ergaſtulo præluminaris apparuit, & inter cæleſtes radios S. Præſul coruſcans, Angelicis agminibus comitatus, qui S. Martyrem adlocutus, è ſolo erexit, & Sanctis verbis illum exhilarauit, ita vt prorſus ſanitati diuinitus reſtitueret. Tunc per totam vrbem magnus factus eſt terræmotus, ita vt videretur domuum compago penitus ruere; quod in ædibus* Martiani *Præſidis euenit, nam parietibus cubiculi, quo dormierat, corruentibus, ab ipſis miſer homo Dei Omnipotentis deprimitur iudicio. Tunc S Pontifex, qui* S. BRICTIVM *ab vlceribus liberauerat, ferreis catenis confractis Martyrem è carceris ergaſtulo eduxit, & illi Dei voluntatem periens, vale dicto, lucibus cæleſtibus inuolutus euanuit. Quo viſo S. Præſul gratias Deo agens* Bæticam *pergere aggreditur, deinde* Luſitaniam, & Tarraconenſem *perluſtrans, verbum Dei vbique indefeſſus miniſter prædicauit. Quibus placide itineribus abſolutis,* Eboram *ſuæ diæceſis ſedem reuerſus, plenus dierum & bonorum operum, ad cælum Confeſſoris titulo victor agoniſta commigrat,* VII. Idus Iulij, *Anno Domini* CCC.VIII *Cuius ſanctiſſima anima ab omnibus viſa fuit, illico ac ſpirauit, inſtar candidiſſimæ columbæ, inſignioribus ditata meritis ad cælos euolare.*

*Moritur.*

HVcuſque ACTA, quæ à diuerſis Scriptoribus excerpta ſingularem ſplendoris floſculum efficiunt; Hinc concordiam inter Hiſpanos Noſtros adnotabis, ſi legeris quæ de S. Præſule ſcripſere M. Ruſ. Puerta *Hiſtor. Giennenſ. 1 p. Secul 4. c. 5. fol.* 126. P. Franciſcus Bilches *de SS. Giennenſib. 1. p. c. 21. fol.* 58. D. Martinus Ximena Iurado *in Annal. Eccleſ. Giennenſ. Ann.* 308. *fol.* 55. qui vnanimiter fatentur S. Confeſſorem fuiſſe Epiſcopum *Eborenſem* in Luſitania, & prædicauiſſe apud *Caſtulonem* antiquiſſimam, & celebrem Bæticæ vrbem diœceſis *Giennenſis*, & ideò inter Diuos, quos diœceſis illa proprios agnoſcit, & quorum in recitatione Officij Diuini memoriam repetit hoc die, vnus S. BRICTIVS Epiſcopus & Confeſſor appingitur.

*Apud Giennenſe colitur officio Duplici.*

QVATENVS ad S. Pontificem, qui S. BRICTIVM à carceris vinculis abſoluit, quis ille fuerit adhuc ſub controuerſia eſt. Nam *Flauius Dexter*, qui proximè vixit temporibus S. Confeſſoris, illum fuiſſe PETRVM, & addit, quòd aliqui putabant ſuo tempore, fuiſſe PETRVM Epiſcopum *Braccarenſem*, quorum ſententiæ adhærere compellor; quia licet aliqui pro PETRO Apoſtolo contendant, qui hanc opinionem ſequuntur ſunt exteri, & de rebus ad Hiſpanias pertinentibus alieni; & credendum eſt, *Braccarenſem* ſoluiſſe vincula ſui homopoli, cuius doctrina per totas Hiſpaniæ oras felicibus auſpiciis pullulabat; & ſimiles Sanctorum apparitiones, & auxilia à Deo permiſſa, facilius, & ſæpius inter Diuos, & à Diuis vniuſcuiuſque prouinciæ contingunt, quàm ab alienigenis. Sed non ex hoc negamus potuiſſe Deum præmittere, & permittere, quod Princeps Apoſtolorum deueniret ad ſimile impartiendum S. Præſuli benificium. Noſtra enim elucidare ſtatuimus abſque aliorum præiudicio, ſed cùm dubia ſententia exiſtat, quid mirum ſi pro noſtris cauſam decernimus? Hinc Petrus de Natalibus *in Catalog. SS. lib. 6. c.* 74. fortè honimiâ deceptus Apoſtolum PETRVM pro PETRO Apoſtolo Braccarenſium ſubſtituere iudicauit, cùm vt ſuſpicor, apud aliquem legiſſet PETRVM abſolutè, & alterius PETRI ignoratione deceptus, Apoſtolo tribuit, quòd forte *Braccarenſium* Apoſtolo contigit; quod & nòtauit Biuar. *in d. Comment. ad Dextr. Ann.* 308. *n.* 1. *fol.* 360. ex ſententia Patrum Concilij *Braccarenſis*, PETRVS iſte *Ratenſis* Apoſtoluis fuit vocatus.

*An Petrus Apoſtolus, an Ratenſis ſoluerit vincula S. Præſulis?*

MARTVLA, ſiue IVLIA-MYRTILIS. Vrbs fuit in finibus Luſitaniæ, ad confluentem *Anæ* fluminis ſita, non procul à *Pace-Iulia*, iuxta Oppidum nunc *Alcotin* dictum. De ea Plin. *lib.* 8. *c.* 22. Ptolem. in *Geograph. in Tabul.* 2. *Europ. c.* 6. Andreas Reſendius in *Antiquit. Luſitan. lib.* 4. *cap.* 3. vbi plura de hac vrbe, quam hodie MERTOLA dicunt, reperies.

*Topographia.*

SEXTO



# SEXTO IDVS IVLII.

## DIES X.

A. *Apud* CÆSAREAM *Mauritaniæ in Africa* S. MARINI, *natione Hiſpani, qui cum alijs ſocijs aduenis, pro Chriſti nomine comprehenſus, & varijs tormentorum agonibus dilaniatus, tandem ſucciſſo capite, ad præmium Martyr properauit æternum.*

B. BARCINONE *in Hiſpania celebris, anniuerſario repetitur cultu, feſtiuitas* TRANSLATIONIS *ſacrorum pignorum* S. EVLALIÆ *ipſius Vrbis Ciuis, Martyris, & Patronæ: Cuius lipſana à Frodoario Epiſcopo primum inuenta, & in Cathedralem adducta Baſilicam; poſt in honoratiorem locum à Ferrerio Abellano Epiſcopo conlocata, ibidem accolarum pietate, & veneratione coluntur.*

C. ROMÆ *paſſio* S. PHILIPPI *Martyris, filij S. Felicitatis, qui cum aliis fratribus ad martyrij coronam acceſſit. Cuius ſacrum Corpus in Conuentu* S. MARIÆ *Salicienſi in Carpetania, Ordinis S. Franciſci, honorificè cuſtoditur.*

D. NICOPOLI *in Armenia* S. LEONTII *Martyris, qui cum aliis Sociis agonem admirabilem compleuit. Cuius exuuiæ ſacræ in Oppido Alcaudete, diœceſis Giennenſis, in Cænobio Monialium B. Claræ, debitâ cultus honorificentiâ ſeruantur.*

# NOTÆ.

SANCTVS MARINVS Martyr Hiſpanus.] Diuerſus omnino ab illo Milite Martyre apud *Cæſaream Palæſtinæ* paſſo, cuius memoriam retulimus ſupra *Tom.* 2. *Die III. Martij fol.* 58. *lit. B.* Nam licet vterque HISPANVS, attamen diuerſis in locis, & perſecutionibus Martyr. De illo videnda à Nobis recenſita. De hoc nunc agemus. MARINI ergo *Africani* Martyris, & *Hiſpani* Ciuis, meminere hac die *Beda, Vſuardus, Ado,* & cæteri recentiores, à quibus, Martyrologium Romanum *Baronij*, hoc elogio: *In Africa SS Martyrum* Ianuarij, MARINI, Naboris, & Felicis *decollatorum.* Cui adhærent Martyrologia Caſtellanum, *P. Vaſq.* *Martyrologia.*

Luſita

Luſitanum. *P. Lupi*; Italum *Conſtantij Felicis*, & Hiſpanum MS. *P. Higuera*, hac ſerie: *En* ARGEL, *antiquamente llamada* IOL, *deſpues en honor de Ceſar, dicha* CESAREA, *o como otros dicen* IVLIA-CESAREA, *que fue Metropoli de Mauritania Epiſcopal, padecio* S. MARINO Eſpagñol *de Nacion, y natural de* Liſboa *ſegun è leydo, con tres Compañeros* Ianuario, Nabor, y Feliz *en tiempo de Iuliano Apoſtata.* Quæ verba Latinitate donata, ſic leges: *Apud vrbem* ARGE, *olim* IOL, *poſt in honorem Cæſaris,* CÆSAREAM, *ſeu vt alij dicunt,* IVLIAM-CÆSAREAM, *vocatam, totius Mauritaniæ Cæſarienſis Metropolim; paßio* S. MARINI *origine* Hiſpani, & (*pro vt legi*) Vlyſipponenſis *genere, qui cum Tribus Sociis* Ianuario, Nabore, & Felice, *tempore Iuliani Apoſtatæ agonem impleuit.* Fortè hæc legit *R. P. Ieronymus Roman de La Higuera* in Elegia quadam ab *Andrea Reſcendio* conſcripta pro *SS. Olyſiponenſibus*, quam MS. habeo inter eius Poëmata ſacta, & prophana; vbi poſtquam ageret de aliquibus Martyribus Olyſipponenſibus, carmine heroico proſequitur:

*Scriptores.*

*Addere nunc libet his, quem olim dixere* MARINVM,
*Ciuem* Olyſipponenſem, *cui quoque verbera Maurus*
*Impegit* Iolenſis *atrox; quem Numina nobis*
*Commendant, vibrante ferox Apoſtata cultro,*
*Aduerſus Chriſti aſſeclas, quos perdere iurat.*

Hinc diſcrepantiam inter MARINVM Militem, de quo ſupra *die III. Martij fol.* 58. egimus, & iſtum agnoſces. Ille Martyr apud *Palæſtinam* coronatur. Iſte apud *Mauritaniam* conſtans agoniſta torquetur. Ille ſæuiente *Gallieno*: Iſte imperante *Iuliano*. Ille ad *Annum* Domini iuxta communem computationem CC.LXVIII. Iſte, pro vt Apoſtatæ perſecutio ſumpſit initium circa *Annum* Domini CCC. LXII. Eius ACTA nullus, quem viderim, ſcripſit, illa ſic coagulo.

## *ACTA S. MARINI OLYSIPPONENSIS Ciuis, & Martyris Cæſarienſis in Mauritania Africæ cum aliis Sociis, ex Variis Scriptoribus.*

*Origo.* MARINVS *ex* Marinorum *familiâ apud* Olyſipponem *nobiliſſimâ oriundus, cùm Chriſti veſtigia Catholicus ſequeretur,* Africam *transfretauit, vbi aliis fidelibus adhærens, Arianorum, & Donatiſtarum hæreticorum deliria deridebat. In hac igitur animi pace vitam cùm ageret intrepidus fidei defenſor, & apud* Cæſaream Mauritaniæ *demoraretur, perfidi Apoſtatæ* Iuliani *ad Romanum Imperium inaugurati edicta, quibus Chriſti nomen, & gentem extinguere conabatur, audiuit, & pœnas in eis comminatas, & aduerſus Chriſticolas, qui fidem Catholicam abiurare neglexerint, irrogandas ſpreuit. Hinc cum* Ianuario, Nabore, & Felice *ſociis in carcerem raptus, & poſtmodum ad Iudicis tribunal directus, cùm Chriſti laudes, & fidei Chriſtianæ ſacra iura abnegare noluiſſet, capite plexus cum ſociis æternam beatitudinem Agoniſta victor inuenit,* VI. Idus Iulij, *Anno Domini* CCC. LXII.

*Africam pergit.* *Capitur.* *Coronatur.*

*Marinorum memoria apud Olyſipponem.* Horum ecphraſis ACTORVM haut vllam expetit illuſtrationem, niſi circa familiam *Marinorum* apud *Olyſipponem* olim nobiliſſimam inuentam. De ea mentio eſt in marmore vetuſtiſſimo apud illam vrbem, à tergo Paræchiæ S. IACOBI incluſo, vbi hæc leguntur:

D. D.



D. D.
L. GAVLIO. L. F.
GAL. MARINO.
AEDILI.
VIBIA. MAXIMA.
AVIA. ET
MARIA. PROCVL.
MATER. HONOR.
CONTENTÆ.
D. S. P.

Quam Inſcriptionem refert D. Roderic. de Acuña in *Hiſtor Olyſippon.* 1. *p. c.* 7. *n.* 8. *fol.* 15. vbi ex *Comite D. Petro* plura de antiquitate, & nobilitate huius familiæ refert. Nos etiam de *Gallecianis Marinis* aliqua diximus ſupra. *d. Tom.* 2. *Die III. Martij fol.* 60. Quibus adde quæ reliquit ſcriptum *D. Petrus Seguinus* Epiſcopus Aurienſis, qui vixit ad Annum M. C. L I. in *Additionib. ad Seruandum* Epiſcopum Aurienſem: quorum Hiſtoriam MS. accepi, & iconibus illuſtrare curaui: & ibidem parma marinis vndis depicta conſpicitur, ſic: *Apud Galleciam.*



Et *D. Petrus Seguinus* proſequitur ſuo idiomate: MARINOS *Iſtos deſcenden de* C. MARIO, *Gouernador de* Galiza. *Tem ſeu Soar na Iſla de* Saluora, *e terra de* Goyas. *A iſtos ſe iuntaron os* Vargas, *e* Ribeyras. *Trahen pour diuiſa vnhas* Ondas azuradas *en carapo dourado.* Quæ ita Latina facies: MARINI *Iſti originem à* C. MARIO. Galleciæ *Prætore trahunt. Solum natale ſuum ad* Saluoram *Inſulam in agro* Goiano *habent. Quibus* Vargas, & Ribeyras *adhæſere. Quorum inſigne fuere vndæ ceruleæ, in aurea parma.* *Illorum Origo, & inſigne in parmis.*

CÆSAREA *Mauritaniæ.* Vrbs antiquiſſima olim *Archiepiſcopalis*, & totius *Mauritaniæ Cæſarienſis* Metropolis. Prius IOL, deinde in honorem Cæſaris, CÆSAREA, & IVLIA-CÆSAREA vocata. Vrbs maritima, noſtrâ tempeſtate florentiſſima, optimè munita, cum ingenti Turcarum præſidio, ipſiuſque Regni Mauritanici caput, ſedeſque Præfecti, ac Piratarum, qui Hiſpaniæ, & Italiæ littora aſſiduis incurſionibus infeſtant, tutiſſimum domicilium. Hodie ab Italis teſte Ferrario ALGER; à Noſtris Ludouico Marmolio *lib.* 5. *Hiſtor Afric. cap.* 50. *tom.* 2. *fol.* 215. auctore ARGEL; à Mauris, eodem atteſtante, GEZEYR, Arabum idiomate dicta. De qua plura apud Scriptores. *Topographia.*

TRANSLATIO *ſacrorum pignorum* S. EVLALIÆ *Virginis, & Martyris* Barcinonenſis] De ea meminere P. F. Ioannes Marieta *Hiſtor. SS. Hiſpan. lib.* 4. *c.* 2 *fol.* 86. Antonius Vincentius Domenec *Hiſtor. SS. Cathalon. lib.* 1. *fol.* 16. *col.* 2. Philipp. Ferrar. in *Catalog General. SS h d. fol.* 283. hoc elogio: BARCINONE *in Hiſpania* TRANSLATIO *Sanctæ* EVLALIÆ *Virginis, & Martyris.* Eamque commendant Tabulæ S. E. Barcinonenſis, & Florum SS. Scriptores Hiſpaniæ. Huius Tranſlationis res geſtas, pro vt illas recenſuit *Domenec* ſermone patrio, Latino dabimus. *Scriptores.*

## *ACTA TRANSLATIONIS SACRORVM Pignorum* S. EVLALIÆ *Barcinonenſis Virginis & Martyris, ex R. P. F. Antonio Vincentio Domenec.*

ANNO *Domini* DCCC. LXXVIII. *cùm* Sigebodus *Archiepiſcopus Narbonenſis in Gallia* Reliquias *aliquas* S. EVLALIÆ *Virginis, & Mar-* *Cauſa inuentionis.*

*tyris* Barcinonenſis *habere cuperet, ad conſecrationem Templi, quod in tantæ Virginis honorem extruere properabat*, Barcinonem *deuenit, vt partem aliquam ſacrorum pignorum reportaret. Sed licèt idem Archiepiſcopus, &* Frodoarius *Epiſcopus* Barcinonenſis *ſacras Martyris exuuias ſedulò quæritaſſent, nequaquam illas potuerunt, etſi pluribus diligentiis adhibitis, inuenire. Igitur* Sigebodo *Archiepiſco ad propriam ſedem reuerſo*, Frodoarius *Epiſcopus, triduano indicto ieiunio, & ſancto Miſſæ Rogationum D. N. Ieſu-Chriſto, eiuſque Sponſæ Virgini ſacrificio celebrato, in Eccleſia* B. MARIÆ, *quam de* Mare *dicunt, ſacra lipſana ibidem prolixius quærens, tandem foramen in ipſo Eccleſiæ ſolo percepit; cuius hiatum intuitus, Epiſcopalis baculi cuſpidè locum tangens, foſſoribus præcipit, vt illic foderent. Qui præceptum Præſulis exequentes, & hiatum circulariter extendentes, ſacratiſſimas B. Virginis, & Martyris exuuias, odore ſuauiſſimo præcedente, repererunt. Quas, nimiâ ſuffuſus hilaritate Prælatus, propriis manibus extraxit, illaſque ad Cathedralem Eccleſiam reducere, indicta proceſſione, curauit. His ſic ita diſpoſitis, cùm ſacra pignora ad forum, quod hodie* Del Blat *dicitur, perueniſſent, euenit, quòd qui ea portabant humeris, ſiſterent, & amplius procedere non valerent. Quæ cùm renuntiata fuiſſent Epiſcopo, negotium illud Domino commendauit, & ecce ſacerdos ad pedes Antiſtitis prouolutus, faſſus eſt, ſe digitum è ſacro corpore ſubripuiſſe, illumque Pontifici omnibus præſentibus obtulit. Quem cùm Præſul manu accepiſſet, & ori reuerenter admouiſſet, prunis adhibitis, illum in ignem, vt veritas probaretur, iniecit; & ſtatim illæſus euaſit. Tum* Frodoarius *digitum intra thecam cum cæteris exuuiis repoſuit; quæ protinus leuiores inuentæ, ad Cathedralem fuere facilius, omnibus demirantibus reportatæ. In huius igitur Baſilicæ ſacrario per Quatuor & amplius ſecula honorifice quieuerunt.*

*Inuentio.* — *Miraculum.* — *Aliud.* — *In ſacrario conduntur.*

ANNO *verò Domini* M. CCC. IX. *die verò* DECIMO *Menſis* IVLII, *cùm eſſet Epiſcopus Barcinonenſis* D. F. Ferrerus de Abella *ex ordine Prædicatorum, ſacra lipſana in honorabiliorem locum transferre curauit, & Capellâ ſub Maioris Aræ cauo, ſplendidè extructâ, ad opus* TRANSLATIONIS *acceſſit; ideò conuocatis Sereniſſimis* Petro *Aragoniæ, &* Iacobo *Maioricæ Regibus, &* DD. Petro, *&* Raymundo *Principibus, Iacobi demortui Regis filiis, nec non* Ferdinando *Iacobi Maioricæ Regis fratre; & Sereniſſimis horum Regum vxoribus Reginis, & aliis pluribus Comitibus, Comitiſſis, & illuſtribus Viris, & fœminis, vnà cum Illuſtriſſimo, & Reuerendiſſimo Domino* D. Bernardo de Albi S. R. E. *Cardinale, Epiſcopi Barcinonenſis fratre, & multis aliis Prælatis, Canonicis, & Clericis, prælibato Die* X. Iulij, *magno præſentium iubilo, Sacra pignora de Sacrario ad Cappellam tranſlata ſunt, & honorifice collocata. Cuius ſanctiſſmæ Virginis, & Martyris* EVLALIÆ *patrocinium deinceps Nauigantes feliciter experiere; & Agricolæ contra temporum ſiccitatem; præſtante D. N. Ieſu-Chriſto qui cum Patre, & S. Spiritu viuit in ſecula, Amen.*

*Tranſlatio ſecunda.* — *Regum, & Prælatorũ aſſiſtentia.*

Huius INVENTIONIS, & TRANSLATIONIS ſeriem prolixius, ex authentico teſtimonio, à *Marco Mayol* illius ſeculi *Notario* conſcripto, & in *Archiuo Sedis Barcinonenſis* inuento, deſcribit P. F. Franciſcus Diagus *in Hiſtor. Comit. Barcinonenſ. lib.* 3. *c.* 18. *fol.* 297. vbi Reges, Comites, Barones, Proceres, Epiſcopos, Abbates, & alios in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutos, enumerat; & Annum huius euentus fuiſſe M. CCC. XXXIX. contendit: & optime, nam *Ferrerius* Epiſcopus *Barcinonenſis*, cuius operâ fuit executa *Tranſlatio*, ad hanc Sedem aſcendit ad Annum M. CCC. XXXIIII. & ideo nequaquam potuit fieri Anno M. CCC. IX. vt ſcripſit *Domenec* & ita corriges eius ecphraſim. Quoad INVENTIONEM videſis eundem Diago in *d. Hiſtor. Comit. lib.* 2. *cap.* 9. *fol.* 65. vbi ad amuſſim.

*Verus Tranſlationis Annus.*

C. *Quis fuerit?* S. PHILIPPVS *Martyr Romanus.* ] Eum vnum fuiſſe ex *Septem* fratribus Martyribus filium *S. Felicitatis*, Romæ paſſum, *Beda, Vſuardus, Ado*, & cæteri recentiores fatentur. Quibus adhæret *Martyrologium Romanum* h. d. ſimili elogio: *Romæ*

*paſſio*



*paſſio* SS. Septem *Fratrum, filiorum* S. Felicitatis *Martyris, id eſt: Ianuarij, Felicis,* PHILIPPI, *Syluani, Alexandri, Vitalis, & Martialis, tempore Antonini Imperatoris, ſub Præfecto vrbis Publio, ex quibus* PHILIPPVS *fuſtibus mactatus.* Conueniunt *Martyrologia* Caſtellanum *P. Vaſq.* Luſitanum *P. Lup.* & Italum *Conſtantij Felic.* Eius ACTA inter Matris Martyris res geſtas deſcripſere Bonin. Mombrit. *Tom.* 1. Sur. *Tom.* 4. & Philippus Ferrar. *in Catal. SS Ital. h. d. fol* 420. Qui aſſerit occiſum Anno Domini C. LXXV. & Primo Soteris Papæ, & XIII. M. Aurelij Antonini. Quòd ſacra S. PHILIPPI pignora Româ *Hiſpaniam* in Montem Cœlium Carpetaniæ tranſlata fuerint, nuncque honorifico ſarcophago condita per Illuſtriſſimum *D. D. Petrum Gonzalez de Mendoza* illius Conuentus Minorum Auctorem, & Archiepiſcopum Granatenſem, exiſtant, ipſum conſule in *Hiſtor. Salicienſ. lib.* 4. *c.* 6. *fol.* 790. & Teſtimonium *c.* 3. *fol.* 760.

*Martyrologia.* — *Annus agonis.* — *In Hiſpaniam Trãſlatio.*

S. LEONTIVS *Martyr Nicopolitanus.* ] Memoriam tanti Agoniſtæ repetunt h. d. Græci in *Menologio*, cuius ſeriem reſumpſit *Martyrologium Romanum*, hiſce verbis: *Nicopoli in Armenia SS. Martyrum* LEONTII, *Mauritij, Danielis, & Sociorum, qui ſub Licinio Imperatore, & Lyſia Præſide variè excruciati, tandem in ignem coniecti, martyrij curſum confecerunt.* Illis adhærent *Martyrologia* Caſtellanum *P. Vaſq.* Luſitanum *P. Lup.* & Italum *Conſtantij Felic.* De eis Baron. *Annal. Eccleſ. Tom.* 3. *Ann.* 316. *num.* 46. vbi probat S. LEONTIVM & ſocios martyrio fuiſſe coronatos Anno Domini CCC. XVI. quando Licinius in Oriente aduerſus Conſtantinum Imperatorem, & eius Duces bella gerebat. Quod ſacra huius S. Martyris lipſana ſint apud Oppidum ALCAVDETE diœceſis *Giennenſis* tranſlata; & in *Conuentu Sanctimonialium S. Claræ* ipſius oppidi conlocata, teſtem habeo amicum erudítiſſimum, mihi ſemper venerandum, *P. Martinum Ximena Iurado*, S. E. Toletanæ Portionarium, qui in Libello MS. *de SS. & Reliq. Diœceſ. Giennenſ. cap.* 1. §. 1. ita profatur: *Monaſterium Monialium* S. Claræ *D. Alphonſus Fernandez à Corduba, & D. Maria de Velaſco coniuges, & huius Oppidi Comites, Alexandri VI. Papæ auctoritate, Anno* M. D. *condidere. Hic Corpus* S. LEONTII *Martyris, cuius memoriam recolit* M. R. VI. Idus Iulij. *Illud de manu Pauli V. Pont. Max. D. Ioannes Alphonſus Pimentel, Comes Benauentanus Anno* M. DC. VII. *accepit, quod & donauit D. Ioannæ Pimentel eius amitæ Comitiſſæ de* Alcaudetæ, *& iſta Monialibus S. Claræ, vbi honorificè ſeruatur.* Hactenus Martinus. Sed Ego ſuſpicor erraſſe amicum eruditum, & hæc pignora eſſe alterius LEONTII Martyris Romæ paſſi de quo agunt Maurolycus, Galeſinius, & Philippus Ferrar. in Gener. Catal. SS. die XI. Iulij. fol. 284. & ſuademur ex eo quod Comiti Beneuentano eius exuuias obtulit Paulus V. Pont. Max. extractas ex Romanis Cœmeteriis. nec hucuſque ſciatur Nicopolitani Romæ aduectas fuiſſe.

D. — *Martyrologia.* — *Annus paſſionis.* — *In Hiſpanias transfertur ſanctum Corpus.*

# V. IDVS IVLII.

## DIES XI.

*A.* ROMÆ *Natalis* S. BENEDICTÆ *Virginis, & Martyris, quæ cùm è patribus Hiſpanis ex Cæſarauguſta oriundis, nomen, & votum Chriſto dediſſet ſtrenua; à Nerone propter hoc comprehenſa, & variè cæſa, ita vt nudo corpore per vrbem adduceretur inuicta, etiam ſi à nullo viſa, quouſque ſuppliciis cedens in-*

*uictrix , coronam quam optauerat agoniſta promeruit.*

B. CORDVBÆ *in Bætica* S. ABVNDII *Martyris , ex Vico Ananellos in Montana oriundi , qui increpatis Mahumetis , eiuſque cultorum dogmatibus , & erroribus, fidem Catholicam exaltabat intrepidus ; ſed à Sarracenis comprehenſus facile perimitur ; cuius ſacrum corpus canibus , & beſtiis dilacerandum exponitur ; ſpiritus verò Angelicis comitatus phalangibus in cæleſtem patriam victor coronandus aſcendit.*

---

# NOTÆ.

*Huius nominis Quatuor diuæ, & quæ?*

SANCTA BENEDICTA *Martyr Romana.* ] Nullam huius nominis Virginem , & Martyrem *Romæ* paſſam , tempore *Neronis* , ex Eccleſiaſticis Tabulis depromere potuimus. *Quatuor* verò in *Romano* , & aliorum *Martyrologiis* inuenio: quarum alia *Romæ* Martyr cum *Priſco*, Die IV. Ianuarij *: alia Romæ* etiam , Virgo , ſine martyrij munere , *Die VII. Maij*. Tertia Virgo tantùm apud Senonem , *Die XXIX Iunij* ; de qua Nos ſupra *Tom.* 3. *eod. die lit. C.* diximus. Quarta verò , Virgo & Martyr *Lugdunenſis* in Gallia, *Die VIII Octobris.* Et licet iſta *Româ* diffugiens *Gallias* deueniſſet; proculdubio , diuerſam eſſe credimus à Noſtra *Cæſarauguſtana* , perpenſis verbis Luitprandi in *Aduerſar. n.*297. apud D. D. Laurent Ram. *fol.* 512 vbi hæc referuntur : S. BENEDICTA , *quæ tempore* Neronis Romæ *victrix occubuit, patribus* Cæſarauguſtanis *ex* Hiſpania , *Gentilibus tamen , nata fuit : quæ cum ad palmam , quam diù, multúmque concupierat , perueniſſet , ter , quateruè flagellis cæſa , nudo corpore per vrbem aducta , ſed Dei munere , minime nuda viſa* , XI. Iulij , *datis ceruicibus , euolauit ad ſponſum.* Hinc aliam à *Lugdunenſi* fuiſſe conuincitur , cum iſta diuerſis fuerit ſuppliciis affecta. Ergo , aut cuius meminit in *d. Aduerſ* 297. Luitprandus , adhuc in *Tabulis* non eſt ſcripta *Communibus* ; aut mendum in eius codice edito in nomine Virginis ineſt. Nos hoc vltimum probamus, & *Actorum* conuenientiâ , & familiaritate , nec non & *Nominum* conſonantiâ credere compellimur , quod vbi in *Aduerſario* legitur S. BENEDICTA, legendum erat S. BONOSA , quod amplector ex ſequentibus rationibus , & qualificatis coniectationibus.

*An Lugdunenſis quæ fuit Romana?*

*An* BONOSA *pro Benedicta?*

*Probatur I. ex nominis frequentia.*

PRIMA ex *Nominis* ſtructura. Familiare enim fuit *Hiſpanis* viribus agnomen BONOSI, ideò paſſim huius nominis viros inuenimus. Ambroſius Morales *Hiſtor. Hiſpan. lib.*9.*c.*49. BONOSVM contra *Probum* rebellantem refert , qui *Hiſpaniæ* natus Tyranni , ſeu Imperatoris nomen accepit ; de quo etiam Biuar. ad *Dextr. in Chron. Ann.* 285.*n.*1.*fol.* 300. BONOSI Martyris apud *Octogeſam* Hiſpaniæ , circa Annum C. X tempore *Trajani* Imperatoris meminit Luitprandus in *Aduerſar. n.* 74. apud D. D. Laurent. Rom. *fol.* 472. Item BONOSVM Martyrem , loco & Anno diuerſum agnoſcit *Dexter.* ad Annum C.LVI. ſuo *Antonino* Principe ; vt ex eius *Chron. Ann.*156. *n.* 2. patet ; & ibidem Biuar. *fol.*249. Denique alium BONOSVM etiam diuerſum vrbe , & ſeculò , idem *Dexter* apud *Vrgabonem*, Anno CCC.VIII. enumerat , vbi Biuar. *in Chron. Ann.*308.*n.*4. *Com.*1.*fol.*360. Imò & fœminæ hoc patronimico vtebantur , vt ex *Inſcriptione* apud me his caracteribus :

D. M. S.



D. M. S.
BONOSA. C. F. PPOCVLA.
ANNOR. XXXVIII.
H. S. E. S. T. T. L.
FAB. BONOSA. MATER
D. S. P. C.

Quam in marmore bruto *Egomet* excripſi , cùm primùm illud ex ruderibus ædificij campeſtris eruere curarem , in ſylua huic Oppido de ZAZAMEA contiguâ , quæ *El Rincondelas Yeguas* dicitur ; vbi plurium Inſcriptionum lapides inueniuntur.

*Ratio II. ex dubitatione originis.*

SECVNDA , quia ipſimet *Scriptores Itali* de Origine Romana S. BONOSÆ dubitant , vt animaduertit Anton. Gallon. *Hiſtor. SS. Virgin. Roman. fol.* 115. nec id ex Romano Martyrologio , & aliis tàm Scriptoribus , quàm Legendariis elicitur: ergo ſignum eſt, S. BONOSAM , aliam originem , quam Romanam trahere.

*Ratio III. ex Anni martyrij confuſione.*

TERTIA , Nam iidem inſuper *Scriptores Itali* nequaquam verum Anni , quo S. BONOSA impleuit agonem , computum percipiunt. Quia Georgius Galignan. *Legendar. SS. Virgin. & Martyr. Legend.* 33. *fol.* 146. illam paſſam credit Anno Domini CC. VII. Syluanus Razzi in *Hiſtor. SS. Virgin. Tom.* 4. *Die XV. Iulij. fol.* 47. fuiſſe martyrio coronatam Anno Domini CC. LXXV. cui adhærent Anton. Gallonius *vbi ſupra d. fol.* 115. & Philippus Ferrar. *ſupra in Catalog SS. Ital fol.* 436. qua varietate inſpectâ dubio datur locus , ita vt *Luitprandi* ſuſtineri poſſit aſſeueratio.

*Ratio IV. ex ſimilitudine cruciatuum.*

QVARTA & concludens , Nam hiſtoria relata à *Luitprando* nulli Virgini , & Martyri congruit luculentius , quam BONOSÆ, cum ter , aut quater virgis fuerit cæſa , & nuda lupanari tranſmiſſa , vt ex eius ACTIS apparet ; quæ omnia conueniunt relationi *Luitprandi* , in cuius codice facile amanuenſium incuriâ potuit mendum irrepere , & pro BONOSA Virgine , BENEDICTA Martyr exſcribi. Niſi forte B. Virgo binominis erat , & BENEDICTA BONOSA dicebatur, & alij Scriptores BENEDICTAM vt *Hiſpani* ; alij BONOSAM vt *Itali* appellitent. Nec nouum in hiſce Eccleſiaſticis eruditionibus. Nam *Memius Mantius* Epiſcopus *Eborenſis* & Martyr in *Hiſpania* , necnon Apoſtolus *Catalaunenſium* in *Gallia* , à Noſtris *Mantius* , à Gallis *Memius* vocitatur ; cùm re verâ , vnus , & idem ſit. De quo plura poſſemus exempla referre. His ſic recenſitis , & obtenta hac opinione , ſic S. Virginis , & Martyris BONOSÆ , ſeu BENEDICTÆ aſſuere curabimus ACTA.

## *ACTA S. BENEDICTÆ VIRGINIS, & Martyris aliàs* BONOSÆ *origine Hiſpanæ ex Luitprando , & aliis Italis Scriptoribus , & Legendariis.*

BENEDICTA , *ſiue* BONOSA , *origine* Hiſpana , *ex Patribus* Cæſarauguſtanis , *licet Gentilibus orta, vnà cum* EVTROPIO, *&* ZOSIMA *fratribus , quæ cùm* Romæ *à teneris annis demoraretur , ibidem in Chriſtiana religione erudita , ieiuniis , & orationibus vacabat ; ſed pro fide capta , & ad* Neronem *Imperatorem adducta , ſe Chriſti Domini , qui fecit cælum , & terram , & factus homo ex Virgine , hominem per mortem redemit , ſeruam liberè confeſſa eſt. Interrogata autem ; cur Deos immortales non coleret ? Eos homines ſceleſtos fuiſſe , & obiiſſe , & propterea haut venerandos eſſe , reſpondit. Quibus verbis Tyrannus incenſus , eam poſt verbera in carcerem Septem dies ſine cibo , & potu detrudi iubet ; vbi cum preces Chriſto fudiſſet , affuit Angelus eam ſolans , & ad certamen inflammans. Septimo die tranſacto eductam viuam , & lætam , miratur Imperator , & quis ei cibum miniſtraſſet percunctatur ; & vt Deos veneretur , ſponſum nobiliſſimum , & opes pollicitus ſuadet. Cui illa , Dei ſeruos , non in ſolo pane , ſed ex omni verbo , de ore Dei procedente , paſci ; ſeque Sponſo ſuo , qui Chriſtus eſt , & ſolus immortalis , totam con-*

*Origo. Fides. Capitur. Flagellatur. Carceratur. Conſtantia.*

*Iterum flagellatur.* *Milites conuertit ad fidem.*

*conſecraſſe, dixit. Cùm autem denudata dirè cæſa, aquiſſimo animo verbera toleraſſet, Iudici traditur, qui illam de ea mente deduceret, vel cruciatibus affectam, necaret. Qui illam, ſuas hortationes, & pollicitationes contemnentem, alapis cædi iuſſit. ſed brachia tortoribus ita obriguere, vt illis non valentibus eam cædere, imbecillitatem exprobraret; ac in Chriſtum non ſolum illi, ſed & plurimi Milites crederent. Iudex iratus Virginem Magicarum cantionum ream arguens, ad Idolorum cultum pertrahere conabatur. Sed illa conſtans, Dæmones Deos eſſe dicens, illud Prophetæ attulit:* Omnes Dij Gentium dæmonia; *& in equuleo ſuſpenſa, dùm torqueretur Chriſto gratias agebat. Depoſita igitur in carcerem reducitur, in quo ab Angelo, cibo cœlitùs delato, refecta, ad pugnam roboratur.*

*Flagellatur iterum.* *Ad lupanar nuda mittitur.*

*Iudex poſthæc S. Virginem plumbatis flagellis iterum cæſam, necnon rurſus blandiciis, & promiſſis à Chriſto abducere nititur; illa verò multis de altera vita diſſerens, iudicem ad Chriſtianam religionem inuitabat. Tunc ſæuus Iudex, Virginem nudam, & veſtibus deſtitutam ad impudicarum mulierum obſcœnum locum emiſit, vt abs lenonibus violaretur: ſed Dei prouidentiâ factum eſt, quod etiam ſi nudo corpore per vrbem aduceheretur, nequaquam nuda à nemine viſa eſt; imò & ipſi lupanaris inſeſſores, illius pudicitiam diuinitus defenſarunt.*

*Quartò verberatur.* *Coronatur.*

*Quo viſo Iudex S. Virginem poſt verberum imbrem, laminis candentibus ad latus admotis, aduri, ac in equuleo denuò extenſam, ferreis vngulis dilaniari, & cùm in tormentis lætior appareret, in carcerem reduci iuſſit. Vbi tertiò Angelica viſitatione roborata, fortiter dato capite, martyrium gladio conſummauit* V. Idus Iulij, *Anno Domini* LXXV. *Imperante Nerone Paſſi ſunt cum illa* EVTROPIVS *frater, &* ZOSIMA *ſoror illius. Eius nomini* Romæ *extat Eccleſia, in qua Corpus conditur.*

*Diei, & Anni vera computatio.*

Hæc ſunt ACTA ab *Italis* Scriptoribus concinnata, dùm de S. BONOSA loquuntur; vt videas Lector amice, quanta inſit conſonantia certaminis huius Virginis, cum relatione *Luitprandi.* Nec obſtat diſcrimen dierum, nam tempore *Diaconi Toletani* forte in *Hiſpania* hoc die Virginis, & Martyris cultus peragebatur. Nec minus annorum diſcrepantia, quia cùm *Luitprandus* fuerit antiquior potuit veriùs aſſequi computationem anni, quàm recentiores, qui adhuc in eius hallucinant conſignatione. Hinc *Cæſarauguſtanis* Noſtris (ſi placent coniectata) Tres Martyres Fratres reſtituimus.

*Martyrologia.*

S. ABVNDIVS *Martyr Cordubenſis.* ] Admirabilis eius memoria apud S. Eulogium in *Memorial. SS. lib. 3. cap. 12.* vbi Ambroſ. Moral. *in eius Notis:* A quo S. Preſbyteri nomen repoſuere in Tabulis Eccleſiaſticis, Martyrologium Romanum *Baronij* hoc elogio: *Cordubæ* S. ABVNDII *Presbyteri, qui cum in Mahumetis ſectam inueheretur, martyrio coronatus eſt.* Conueniunt Martyrologia Caſtellanum *Dionyſ. Vaſq.* Luſitanum *P. Lupi*, & Italum *Conſtantij Felicis*, necnon Hiſpanum *MS. P. Higuera* Aſt Philippus Ferrar. in *Catalog General. SS. h. d. fol.* 284. addidit

*An Socios Martyres habuerit?*

MARCVM & ſocios, quos cum S. ABVNDIO fuiſſe martyrio coronatos affirmat: hocque deſumpſiſſe fatetur ex *Tabulis S. E. Cordubenſis*; quod & confirmat R. P. Martinus de Roa *Hiſtor. SS. Cordubenſ. Die III. Semptembr. fol.* 139. *col.* 2. hac ſerie: *Eccleſia* Cordubenſis *olim per plures annos officium diuinum peregit, & recitauit de SS.* HABVNDO, MARCO, *& Sociis Martyribus, quorum hodie nulla alia in Hiſtoriis, & Martyrologiis inuenitur memoria, temporum noxâ, Scriptorum incuriâ, hominum obliuione, & quod eſt dolendum, inimicorum malitiâ.*

*Probatur Habundũ, diuerſum ab Abundio.*

Quidquid fuerit, in nuperrimis *S. Eccleſiæ Cordubenſis* Officiis nulla de SS. MARCO & Sociis mentio reperitur, imò & *S. Eulogius* qui S. ABVNDII Acta recenſuit, eos prorſus illius fuiſſe in agone Socios ignorat. Ideo crederem cum *P. Roa*, HABVNDVM cui adhæſere MARCVS, & Socij Martyres in palæſtra, diuerſum fuiſſe ab ABVNDIO de quo *Eulogius*, & Nos hoc die. Ratio in promptu eſt, nam idem *P. Roa* illos diſcriminat in contextura nominum, & in dierum conſignatione: ergo ſignum eſt fuiſſe diuerſos. Nos infra *Tom. 5. Die III. Septembris.* aliqua de hac diuerſitate dicemus: nunc ad Acta ex *B. Eulogio* tranſeamus.

ACTA



## ACTA S. ABVNDII PRESBYTERI, *Martyris Cordubenſis, ex D. Eulogio Martyre.*

*Origo.* *Ducitur ad Tribunal.*

ABVNDIVS *Presbyter ex vico* ANANELLOS, *qui eſt in Montana* Cordubenſi, *cùm ex hoc tempore, decem Menſibus interiectis, quorundam commento, vel fraude Gentilium ad martyrium fuiſſet pertractus, dùm ſacerdotium ſuum, in eodem vico vbi erat exortus perageret, euenit, quod Dei famulus, cùm ſe quadam vocatione, in ſacrificium verum cœlitus aptari conſpiceret, quò nolens ducebatur, grato animo adiit. Ac ſic interrogatus à Iudice, intrepidâ reſponſione rationem fidei pandens, vltimò ſceleroſum dogmatiſtem, eiuſque cultores, veridicis aſſertionum obiectis inculcat. Ideoque ſub celeri indignatione peremptus, canibus, & beſtiis deuorandus exponitur,* V. Idus Iulij, *Erâ* DCCC. XCII. *Anno Domini* DCCC. LIV.

*Coronatur.*

*Scriptores.*

ACTA hæc ſimili breuitate deſcripſit *S. Eulogius* Noſter, electus Archiepiſcopus Toletanus, & Martyr Cordubenſis, quem ſequuntur Ambroſ. Moral. *Hiſtor. Hiſpan. Tom. 3. lib. 14. c. 23.* Ioann. Marieta *Hiſtor. SS. Hiſpan. lib. 2. c. 68.* & Roa de *SS. Cordubenſ. d. fol.* 116. Cæteras ab eo res geſtas ſub ſilentio nobis tempora reliquere.

*Topographia.*

ANANELLOS olim vicum fuiſſe in Montana Cordubenſi aſſerit *Eulogius*, in qua Parochi munus obiiſſe S. ABVNDIVM affirmat *P. Martin. de Roa*, quemque hodie dictum (ſecundum aliquorum opinionem) BANNVELO refert. Aſt tamen pro HORNACVELOS ſententiam dicere conatur. Nos in hoc nihil deferimus, quando Prouincialium lites mediare non poſſumus locorum cognitione. Diſſidium igitur eſt inter illos, aliis vnum aſſerentibus, aliis illud negantibus. Ipſi viderint, remque ſuam agant.

# QVARTO IDVS IVLII.
## DIES XII.

A. Toleti *in Hiſpania* S. MARTIANÆ *Virginis, & Martyris, quæ dùm pro fide Sponſi Cœleſtis, caſtitatem, pro Chriſti pietate religionem defenſando congreditur, à Iudice comprehenſa, & obiecta beſtiis, à Tauro demùm dilacerata, corporis puritatem, & mentis candorem inter cruenta dilaniatæ compaginis vulnera conſeruauit ſtrenua, ita vt duplicem & fidei, & caſtitatis coronam, in vno adipiſceretur examine.*

B. *Apud* Serpam *in Bætica* SS. PROCVLI, *&* HILARIONIS *Martyrum, qui ſub* Trajano *Imp. &* M. Aurelio *Præſide propter fidem Catholicam comprehenſi, ille facibus in humeris, & ventre peruſtus, teliſque impetitus occubuit,*

*buit, iſte poſt varias ſuppliciorum anguſtias, obtruncato capite, adhuc fide exaltatâ deceſsit, & ambo ad palmam martyrio peruenerunt ſtrenui.*

# NOTÆ.

*Baronij lapſus.* SANCTA MARTIANA Virgo, & Martyr *Toletana.* ] Eminentiſſimus *Cardinalis Cæſar Baronius* fortè ignoratione rerum geſtarum Hiſpanorum Martyrum, confundere conatur duas huius Nominis Martyres, & Virgines, haſque Vnam tantùm fuiſſe ſuſpicatur, ſcilicet *Cæſareæ Mauritaniæ* paſſam; & *Toleti* in Hiſpania tranſlatam. Illum auſculta in *Not. ad M. R. h.d. lit. H.* dicentem: *Agitur de eadem*, Die IX. Ianuarij: *Sed altera eſt Dies Natalis; Altera verò Tranſlationis.* Quo ſignificare conſtat, MARCIANAM, cuius elogium congerit *Martyrologium Romanum Die IX. Ianuarij* dicens: *In* Mauritania Cæſarienſi S. MARCIANÆ *Virginis, quæ beſtiis tradita, martyrium conſummauit*: & MARCIANAM, quam hoc die idem refert *Martyrologium* hac clauſula: Toleti S. MARCIANÆ *Virginis, & Martyris, quæ pro fide Chriſti beſtiis obiecta, atque à tauro diſcerpta, martyrio coronatur*; vnam, eandemque fuiſſe, diuerſis in locis cultam, ſcilicet *Cæſareæ* *Probatur I.* *Mauritaniæ* propter agonem, & *Toleti* verò Hiſpaniæ ob tranſlationem. Sed proculdubio Sacer Purpurati calamus contraxit errorem, *Primò*, quia vt ex aliis conſtat Martyrologiis, MARCIANAM illam Cæſarienſem, nequaquam à Tauro, ſed à Leopardo dilaceratam refertur: pro omnibus adſit Petrus Galeſin. *fol. 6.* hac ſerie: *In Mauritania Cæſarienſi* S MARTIANÆ, *Virginis & Martyris: quæ Diocletiano Imperatore, beſtiis expoſita, demùm à* Leopardo *dilacerata, in ſumma fidei conſtantia, ad martyrij, & Virginitatis præmium abiit in cælum*: ergo diuerſa illa *Cæſarienſis* à Noſtra *Toletana*, quæ à *Tauro* diſcerpta fuit. *Secundo*, nam ſi antiquum *Probatur II.* *Romanum Martyrologium* inſpectamus, prout illud edidit *Roſuueydus*, illa Cæſarienſis Virgo & Martyr, minimè MARCIANA vocata eſt, ſed MACRA, vt ex ipſo patet, ibidem: *In Mauritania Cæſarienſi* MACRÆ *Virginis, & Martyris.* Igitur diſcrimen in nominum ſtructurâ, diuerſas fuiſſe Virgines, & Martyres perſuadet. *Probatur III.* *Tertio*, quia Annorum intercapedo, maxima inter vtriuſque Martyris agones interceſſit; cùm illa tempore *Diocletiani* ad Annum CCC.II. vt refert Baron. *Tom. 2. Annal. Eccleſ. Ann. 302. num. 125.* occubuit: & *Toletana* Noſtra tempore *Antonini* ad Annum C. LV. vt Dext. *in Chron. Ann.* 155. & Iulian. in *Chron. num.* 57. & cæteri infra referendi, recenſent *Quarto* quia hæc Noſtra ſanctiſſima Virgo, fuit vna *Probatur IV.* ex illis NOVEM Sororibus Martyribus *Gallæcianis*, filiabus *C. Attilij Reguli*, vno partu editis, quarum memorias vnico contextu ſupra *Tom. 1. Die* XVIII. *Ianuar. fol.* 183. retulimus. His ſic probatis, non eſt amplius ambigendum de origine, & martyrio apud *Hiſpaniam*, & *Toletum*, vt & affirmant antiquiores Chronographi. *Scriptores.* Flau. Dext. in *Chron. d. Ann.* 155. hac clauſula: TOLETI *patitur* S. MARCIANA *filia* C. Attilij *Reguli* Luſitaniæ, *ſororque* OCTO *aliarum Virginum, Ælio, & Licentio Coſſ.* Quo loco plura eruditiſſimus Biuar. in *Not. fol.* 247. & Roder. Caro *Ann.* 255. *lit. T. fol.* 87. qui editione *Cæſarauguſtanâ* deceptus, paſſionem Martyris glorioſæ poſt centum annos deſcripſit, vt & notauit optimè Biuar. *d. Ann.* 155. *fol.* 247. & patet ex *Iuliano* Archipreſbytero Toletano in *Chron. Ann.* 118. *n.* 57. *fol.* 21. vbi agens de NOVEM Sororum agonibus, proſequitur: MARCIANA *paſſa eſt* TOLETI *Anno* C. LV. *aliquantò poſt ſorores*, XII. Iulij. *Huius mentio fit in Martyrologiis.* Agunt etiam de eâ, vt de Hiſpanâ Virgine, & Martyre, idem P. Franciſcus Biuar in *Not. ad Dextr. Ann.* 134. *fol.* 240. Ambroſ. Moral. *Hiſtor. Hiſpan. tom. 1. lib. 10. c. 18.* P. F. Ioann. Mariet. *Hiſtor. SS. Hiſpan. lib. 4. c. 60.* D. Prudent. Sandoual *Hiſtor. Tudenſ à fol. 35. ad 45.* D. Rodericus de Acuña *Hiſtor. Braccarenſ. 1. p. cap.* 24. P. F. Ludouicus ab Angel. in *Viridar. Luſitan. 1. p. à c. 6. & ſeqq. fol* 33.



*fol* 33. Balthaſar Porreño *Hiſtor. S. Liberatæ. c. 2. & ſeqq.* Padilla *Hiſtor. Eccleſ. Hiſpan. Cent. 4. c. 26.* Truxillo in *Theſaur. Concionat. tom. 2 fol.* 450. Vaſconcell. in *Deſcript. Luſitan. fol.* 445. Brito in *Monarch. Luſitan. lib. 5. c. 18.* Sanchez in *Anacephal. Hiſpan. lib. 2. c. 2.* Franciſcus Piſa *Hiſtor. Toletan. lib. 5. c. 36.* D. Petrus Salazar de Mendoza *Hiſtor. Cardinal. fol.* 10. D. Martinus Carrillo in *Annal. Eccleſ. Hiſpan. Anno.* 138. & eius pediſequus F. Fernand. Camargo in *Chronolog. Hiſpan. Ann.* 138. D. Thom. Tamayo in *Not. ad Luitprand. in Chron. Ann. 676. fol.* 73. P. Antonius Quintana-Dueñas *Hiſtor. SS. Toletanor. Secul. 2. §. 1. fol.* 183. Eius ACTA genuina olim MSS. ad *Acta olim apud Fuldenſes Monachos, & alibi MSS.* *Cœnobium Fuldenſe* delata ex Hiſpania fuiſſe, ſuggeſtio Iuliani Archipresbyteri Toletani ad Albertum Abbatem in *Dedicatoria Epiſtola ad ſui Chronici* limen, hac clauſula: *Vitam* S. MARCIANÆ *Virginis, & Martyris* Toletanæ *obſecro veſtram admodum venerabilem Paternitatem mittatis ad Nos ex veſtra refertiſſima Bibliotheca*; indubitabiliter perſuadet. Ea poſtmodum *P. Biuarius* in Cœnobio Toletano Ciſterciensium Montis-Syon vetuſtiſſima, & MSS. itidem inueniſſe fatetur in *Not. ad Dextr. d. Ann.* 155. *fol.* 248. Alia denique etiam MSS. ſe vidiſſe, & legiſſe ſcribit *P. Quintana-Dueñas* in Bibliotheca S. E. Toletanæ in Legendario vetuſtiſſimo Smragdino. Nos quoque ea ipſa MSS. habemus; quorum talis eſt ſeries.

## *ACTA S. MARCIANÆ VIRGINIS, & Martyris Toletanæ ex MSS. Codicibus, & aliis Script.*

*Parentes.* FVIT *igitur quidam Regulus Nobilis inter finitimos Occidentis, nomine* C. Attilius, *cuius Regni caput* Balchagia, *quæ poſtea* Eſtuciana *ciuitas vocata fuit. Is nobilem vxorem* Calſiam *vocabulo ſortitus eſt. Accidit autem diuinâ permiſsione, vt præfata Calſia multiplici ſobole fœcunda, vnâ die* *Natiuitas.* *Nouem filias peperiſſet. Quod cùm compertum eſſet,* Galſia *maximo pudore acta, inhumano vſu, omnes filias interficere cogitabat, vt hoc factum ad viri, & populi notitiam non perueniret. Excogitato igitur malignitatis conſilio, vocans ad ſe obſtetricem, quæ ſibi familiaris, & ſecretorum eius conſcia erat,* Sila *nomine, iubet, vt totam illam Paruularum turbam latenter, & cautè ad flumen deferat, & ibi, nullo conſcio, omnes ſimul, in profundum gurgitis demergat. O mulieris, imò Diaboli inuentio! O fœmina omni ferâ ferocior. Quæ filias, quas vix in lucem ediderat, in ipſo vitæ ingreſſu, morte horribili extinguere cogitabat! Sed miſericors Deus, qui de malis hominum actis, bona conſueuit elicere, de his Infantulis aliter ſtatuit: nam præfata obſtetrix, infantularum pietate, & Dei timore commota, opportunitate adinuentâ, acceſsit ad vicum, qui in ſuburbio Ciuitatis à Chriſtianis habitabatur, & ibi quærens* *Educatio.* *nutrices idoneas, ſingulas puellas, ſingulis tradidit nutriendas. Quæ Infantulas ſuſcipientes, ſacro fontis lauacro illas regenerari fecerunt, Nomina eis imponentes huiuſmodi*: Gineuera, Victoria, Eumelia, Gemma, MARCIANA, Germana, Baſilia, Quiteria, & Liberata. *Quæ omnes tempore procedente, cùm iam adimpleuiſſent diſcretionis annos, per Chriſtianorum cohabitationem, & conlocutionem, genus ſuum, & ortum didicerunt.*

*Perſecutio.* CVM*que poſtea exorta eſſet à Romanis aduerſus Chriſtianos ſæua perſecutio, & per omnes vrbes ſatellites mitterentur, qui ad prophana ſacrificia fideles compellerent; Beatas iſtas Sorores, in illo vico reperientes, ante Reguli Patris ſui conſpectum crudeliter attraxerunt. Poſtquam verò illas facie decoras, & ætate pares Attilius inſpexit, & cuius generis, & religionis eſſent, interrogaſſet,* Gineuera *reſpondit*: Quatenus ad genus filiæ tuæ ſumus; quatenus ad conditionem Chriſti Domini Noſtri famulæ *Obſtupuit* C. Attilius, *& cognitâ per vxoris confeſſionem veritate, illas blandis commonuit verbis, vt à Chriſti cultu diſcederent, & datis ad deliberandum induciis, vt ſibi adſentirent, dimiſit. Tunc ſanctiſsimæ Sorores ad montem diffugientes*

*Angeli admonitione, ibidemque orantes ſimul & flentes & ſe ſe alterutrum conſolantes, Dei nutu ab inuicem diſceſſerunt.*

*Toletum deuenit.*

MARCIANA *igitur à cæteris Sororibus ſeparata* Carpetaniam *adiuit, & apud vrbem* Toletum *ſiſtens, in Dei amore, & timore perſiſtens, vitam Angelicam tranſigebat; donec pullulante Gentilium perſecutionis procellâ, tanquam Chriſti ſponſa, & famula fidelis ad Præſidis tribunal rapitur, eo quòd Dianæ ſimulacrum ſupra fontis cuiuſdam marmor exiſtens, multorum ciuium conſpectibus, deieciſſet, & in fruſta minuta,* IESV *nomine inuocato feliciter reduxiſſet. Præſes Virginis audaciam, & irreuerentiam verbis increpans, & verberibus puniens, eius ſacrum corpuſculum penè ſine ſpiritu dereliquit, & demum ſic lacerum, in ergaſtuli fœdi hiatum includere præcepit. Poſthæc iterùm ad Præſidis conſpectum deducta eſt: quam vt vidit Iudex ſine læſione formoſam, illam ad publicum locum ducere præcepit, & cuidam gladiatori tradidit illudendam. Qui dùm nocte ad ipſam ingredi properaret; paries diuinitus ſe interpoſuit, & ne ad eam accedere poſſet, prohibuit. Quod & aliis pluribus obſcœnis adoleſcentibus euenit, ita vt Dei diſpoſitione Virgo penitus intacta remaneret. Omnia hæc Præſidi referuntur, qui laſciuientium iuuenum deluſorum voces aduerſus Chriſti famulam perſcrutatus, illam ad Amphitheatrum perducere, & beſtiis ſubiicere præcepit. Tunc Leo ſoluitur, qui ad Virginem dilacerandam accurrens, ad eius pedes manſuetus factus, illos lingere cœpit. Spectaculo aderat* Budarius *quidam Iudæorum Archiſynagogus, qui Leonis clementiâ lymphatus, vt Virgini Taurus indomitus laxaretur conſuluit, qui in arenam deſcendens, & S. Virgini vmbram inſpectans, impetu facto, oculum Martyris eruit, & denique lacerauit: ſicque immaculatum ſpiritum Chriſto reddidit,* IV. Idus Iulij, *Anno Domini* C. LV. *Antonino Pio Romanum Imperium moderante. Eius* CORPVS *à fidelibus in ipſa Ciuitate ſepultum eſt. Sed nec impij Archiſynagogi conſilium abſque punitione tranſiuit: nam vbi deuotæ Virginis ſpiritus exiuit de corpore, eo temporis puncto* Budarij *blaſphemi domus, cum omnibus qui ibidem fuerant, diuino arſit incendio. Frequenter à Iudæis* Budarij *parentibus ædificari tentata eſt, & cecidit in ruinam; multique qui exinde ad ſtructuram ſaxa collegerant, portare viſi ſunt ſepulturam. Manet vſque hodie de illa domo Martyris Beatæ ſententia, & in æternum manſura perdurat. Præſtante D. N. Ieſu-Chriſto qui viuit & regnat cum Patre, & S. Spiritu per ſempiterna ſæcula, Amen.*

*Capitur, & flagellatur.*

*Coronatur.*

*Miraculum.*

*An in Crucem acta?*

Hactenus ACTA, quæ in *MSS. Legendariis* circumferuntur; eaque proculdubio diminuta credimus, nam in *Miſſali Iſidoriano*, quod *Muzarabe* vocitamus, alia ſupplicia, & cruciatus referuntur à S. MARCIANA paſſi, vt conſtat ex *Miſſæ Inlatione* his verbis: *Implentur ſancto cruore vlcera laterum loca, vt per ſulcos cruentos liquor decurrit immaculatus. Dúmque ad ſimilitudinem* Crucis *exaltatur ligno, animam immobiliter fixam tenet in cœlo.* En ex hiſce verborum clauſulis, quo pacto B. Virgo, & Martyr etiam in *Crucem* acta, maiora pertulit tormenta, quàm in ACTIS ſuperius recenſitis referuntur. Ego proculdubio pro *Miſſalis* relatione ſtare compellor, & propter Collectoris Iſidori reuerentiam, & propter ipſius antiquiſſimi Miſſalis, & officij auctoritatem, quam in aliquo euacuare religio foret.

*Acta ex Hymno.*

Ferè totam ACTORVM ecphraſim breuiauit idem *Iſidorus* in Hymno à ſe compoſito, qui in *Breuiario Muzarabi* reperitur, hac ſerie:





# IN FESTIVITATE S. MARCIANÆ VIRGIN. ET MARTYRIS TOLETANÆ,

## HYMNVS.

*SAcræ triumphum Martyris*
*Celebret vox Eccleſiæ:*
*Camæna ſit cunctis vna*
MARCIANÆ *in laudem Virginis.*
*Quæ paßionis præmium,*
*Dum tendit adipiſcitur:*
*Vltrò ad palæſtram gloriæ*
*Audet prompta concurrere.*
*Hæc namq; aſtantem Dæmonis*
*Cernens, adliſit effigiem:*
*Sub cuius larga perpetim*
*Fluebat vnda greßibus.*
*Mox flagris cæſa trahitur*
*Celſa ad Prætoris atria:*
*Atque ludis illicitis*
*Proſternit membra Virginis.*
*Quam prædo pudicitiæ*
*Dùm inter vmbras ſequitur,*
*Oblata extemplò cœlitùs*
*Secluditur maceria.*
*Vincta deinde ſtipite*
*In formam* Crucis *tollitur:*
*Sed pœnas fert blaſphemia,*
*Ruinas, & incendia.*
*Emiſſa namque beſtiis,*
*Leo percurrit percitus;*
*Adoraturus veniens,*
*Non comeſturus Virginem.*
*Taurus dehinc proſiliens,*
*Formâ, & mugitu horribili:*
*Sulcabat eius teneras*
*Papillas, ictu vulnerans.*
*At fera pernix corpore,*
*Et maculoſo tegmine;*
*Læthali dente ad vltimum,*
*Membra Puellæ laniat.*
*Poſt hos triumphos anima*
*Vinclis elapſa corporis;*
*Plaudens petit ad libera*
*Summi Poli faſtigia.*

Nec in hac tantum Hymni ſerie Sanctiſſimæ Virginis, & Martyris Toletanæ agonis recenſetur relatio, ſed etiam in vetuſtiſſimo Epigrammate olim abs *Aulo Halo* (vt credimus) ſcripto; nam inter eius *Codicis MS.* carmina reperitur, hoc lemmate.

*Acta ex Epigrammate.*

### PRO S. MARTIANA VIRGINE, ET Martyre Toletana, Carmen Elegiacum.

MARCIA *Virgo, ſimul Martyr ſub marmore clauſa*
*Condor* Toleti *mœnia pulcra tuens.*
*Impius ergo meos compreßit verbere Præſes*
*Artus; quòd Chriſti Numina ſancta colo.*
*Hinc Diuûm ſimulacra ruunt, nam forma Dianæ*
*Lapidea in fontis vertice ſculpta cadit.*
*Túncque ferox populus commotus fœdere honoris*
*Diuorum, in noſtros irruit vltrò Lares.*
*Me capit, & flagris cædit, me ſtipite vinctum*

*Extollit ; Chriſto ſed mea corda paro.*
*Denique ſuſtinui brutorum cornua , dentes :*
*Quo in Chriſto exultans ſpiritus , aſtra petit.*
*Sic* Tolete *tua inluſtraui mœnia , ſicque*
*Naſcentis Solis eſt via ſacra mihi.*

Ex hoc igitur *Epigrammate* illuſtratur Luitprandi locus in *Chron. Ann.* 676. *n.* 128. vbi agens de reparatione mœnium vrbis *Toletanæ*, aſſerit quatenus portam Orientalem dedicauerit Wamba S. MARTIANÆ Virgini & Martyri Toletanæ : eius auſculta verba : *Rex Vuamba, victo Paulo , ac profligatis omnibus hoſtibus ſuis , glorioſa fruitur quiete :* Toletum *Ciuitatem Regiam laxat, ac muris ambit; portam quæ reſpicit Septemtrionem S. Thyrſo Toletano ciui , Martyrique foris paſſo , dedicat : ſimiliter & S. Leocadiæ Virgini, & Martyri ; & eam quæ reſpicit* Orientem B. MARCIANÆ *Ciui, Martyrique , ac Virgini ſanctiſſimæ.* Hactenus *Luitprandus*, cuius verba conueniunt cum relatione *Carminis* 2. *& vltimi Diſtichi.* Hinc etiam lucem accipient illa verba *Iuliani Petri* Archipresbyteri Toletani in *Chron. Ann.* 1079. *n.* 510. vbi de Rege Alphonſo VI. Toletum obſidente agens, vt vrbem Regiam caperet, & in ſuam reduceret ditionem, mediis interpoſitis temporalibus, proſequitur : *Inuocauitque Vrbis* Patronos *ad ſuam opem, S. Marcum Marcellum Eugenium ; S. Iulianum; S. Thyrſum Martyrem , Ciuem Toletanum ; Obduliam , &* MARCIANAM *Martyres Toletanas.* Ex quibus verbis colliges S. Virginem inrer vrbis Toleti PATRONOS antiquitus fuiſſe electam & ab Alphonſo Rege nominatam. Sic etiam illam vocitat P. Quintana-Dueñas *vbi ſupr. fol.* 193.

*Toletanæ vrbis Patrona.*

QVATENVS ad miraculum, Dei prouidentiâ, patratum in domo *Budarij Archiſynagogi Toletani*, quo ſcilicet illius domus incendio conſumpta eſt, ob conſilium de Tauro immittendo Virgini, patet ex Hymno ſuperius recenſito, & abs Iſidoro Archiepiſcopo Hiſpalenſi ( vt creditur) concinnato, ſic :

*Miraculũ de ruina domus Budarij probatur.*

*Sed pœnas fert blaſphemiæ*
*Ruinas , & incendia.*

Et ex relatione Petri de Natal. in *Catalog. SS. lib.* 2. *c.* 58. dicentis : *Dum Archiſynagogus domum rediiſſet , igne cæleſti cum omni familia , & domo conſumptus eſt : quæ domus nunquam deinceps permanere potuit, ſed in miraculi teſtimonium, pluries reparata, ſemper corruit.* Quod & notarunt Biuar. *ad Dextr. d. Ann.* 155. *n.* 1. *fol.* 248. Quintana-Dueñas *de SS. Toletan. d. fol.* 191.

NEC obſtat quod incendium hoc *Equilinus* enumeret in Actis S. MARCIANÆ Cæſarienſis Martyris, quia plus eſt deferendum *S. Iſidoro* tanquam antiquiori, & de Hiſpanorum Martyrum inſtructo, quàm *Equilino*, qui alienus à cognitione rerum geſtarum in Hiſpania, homonomia ſacrarum Virginum, vtriuſque Acta abſque diſcretione commiſcuit.

*Equilini confuſio diluitur.*

MINVS obſtabit aliquorum ſententia, ſi dicatur S. MARCIANAM inter Martyres adnumerandam non eſſe, eo quod occiſa à Gentilibus ipſa refertur in Actis, quòd ſimulacrum ſupra fontem ſculptum fregerit, repugnante Concilij Iliberitani *Canon.* 60. placito, quo præcipitur, quod ſi quis idcirco occidatur à Gentilibus, quòd idolum fregerit, nequaquam inter Martyres ſcribatur : quia vt optime notauit Biuar. *d. Ann.* 155. *fol.* 249. tempore S. MARCIANÆ nondum lex illa lata erat, ideo nec comprehendere viſa eſt eius prohibitio præteritis Martyribus, ſed futuris ; nec iſtis poſt decretum *Conſtantini Magni* ex rationibus à Cæſare Baronio relatis in *Not. ad Martyrol. Rom. Die IX. April. lit. D.* vbi agens de *S. Euſychio* plura ad propoſitum concinnauit.

*Concilij Iliberitani canon explicatur.*

TOLETVM. Vrbs antiquiſſima Hiſpaniæ, Carpetanorum caput Imperatorum Romanorum æuo; Gothorum Regum tempore Sedes Regia. De ea plura ſupra *Tom.* 1. *Die I. & XXIII. Ianuar.* & *Tom.* 2. *Die VI. April. fol.* 525. egimus ; nunc qualiter *Alcides* illam condiderit ex *Ruffo Feſto Auieno* Poëta Hiſpano, prout eius carmina referunt Alphonſus Tellez Meneſſius in *Hiſtor. Orbis MS.* 1. *p. Tom.* 2. *lib.* 4.

*Toleti conditor Alcides probatur.*



*lib.* 4. *cap.* 10. *fol.* 175. P. Ieronymus Roman. de la Higuera *Hiſt. Toletan.* 1. *p. lib.* 2. *cap.* 7. *fol.* 8. Comes Morenſis *Hiſtor. Toletan.* 1. *p. lib.* 2. *c.* 2. probabimus : en Carmina.

*Et* Carpetanos *inter pro verſe ſub Auris*
TOLETVM, *labor* Alcide *præclaraque gentis*
*Metropolis, ingente* Tago *ſeſe vndique reſtat :*
*Inque tardigradus conſpectat parte Trionis.*
*Haut pater* Alcides *( vt dicunt ) condidit vrbem ,*
*Mox vbi tergemino victor Gerione perempto ,*
*In Latium meditatur iter Dionyſij quondam*
*Primum dicta fuit , de fundatoris honeſti*
*Nomine ,* Toletum *alij dixere Coloni.*

Idem *Ruffus Feſtus* alibi etiam ipſam opinionem de *Alcidis* conditore proſequens, ex recenſione ipſius *Comitis Morenſis*, adiecit:

TOLETVM *opus victoris* Alcidis, *vado*
*Simul hæc , dicta nunc Dionyſia*
*A Conditore : at ſpacia per longiſſima*
*Vaſtum cauatur antrum ; at vnda longior*
*Moreſque multa gurgitis diſtenditur.*

Sed quia diximus S. MARCIAM Noſtram ad *Orientalis portæ* viam, cultam extitiſſe, ex *Vuambanis* placito, dùm mœnia reficerentur ; hic inſcriptionem Romanam in marmore inciſam, & ad illam portam inuentam, vt ipſe Comes Morenſis 1. *p. lib.* 2. *c.* 15. refert, ſubiiciemus :

EX AVCTORITATE. DD. NN. IMPP.
C. AVREL. VAL. DIOCLETIANI.
ET. M. AVR. VAL. MAXIMIANI. HERCVL.
PIORVM. FELICIVM. SEMP. AVGG.
L. MASINDIVS. LONGVS.
DOMO CORDVBENSIS. LEG. P. DACIAN.
HH. PRAES. CVRATOR. ALVEI.
ET. RIP. FLVM. TAGI.
ET. CLOACARVM. TOLETI.
PROXIMAM. CYPP. RIPAM. TERM.
PEDES. CC. XXIIII.
VBI. CLOACAE. FLVV. EXONER.
ET. IN. LOCO. SVBTERRANEO. ET.
OBSITO. CLOACINAE. DEAE.
ALIQVOT. HOMINES.
GENTIS. SVPERSTITIOSAE.
EIDEM. DEVOVIT.

DVO ex hac Inſcriptione colliges : *Alterum* de huius CLOACINÆ Deæ ætymologiâ, & nomine. Hanc Lactant. Firmian. *de Falſ. Relig. lib.* 1. *c.* 20. à Cloaca vbi dictam refert, hac ſerie : CLOACINÆ *ſimulacrum in Cloaca maxima repertum, Tatius conſecrauit , & quia cuius eſſet effigies ignorabat , ex loco illi nomen impoſuit.* Conueniunt. Lil. Gyrald. *de Diis Gent. Syntagm.* 1. *fol.* 75. Roſſinus *Antiquitat. Roman. lib.* 2. *c.* 21. *fol.* 260. Eamque cloacis præeſſe affirmat Claud. Salmaſ. *ad Librum Tertulliani de Pall. fol.* 293. Alterum de intelligentia verborum Inſcriptionis in

*Cloacina Dea quæ.*

in fine quibus ſignificatur L Maſindium Longum deuouiſſe huic Deæ *aliquot homines Gentis ſuperſtitioſæ.* Sed quæ hæc Gens ſciſcitaberis. Crederem hic intelligendos eſſe Chriſtianos, quos ſuperſtitioſæ religionis vbique Gentilitas ſectatores vocabat, vt probat Cæſar Baron. *Annal. Eccleſ. Tom.* 1. *Ann.* 49. *num.* 2. vbi Cornel. Taciti *lib.* 11. *Annal.* Claudij Imperatoris S. C. referentis in hæc verba: *Retulit deinde ad Senatum ſuper Collegio Aruſpicum, ne vetuſtiſſima Italiæ diſciplina per deſidiam exoleſceret: & quia externæ* SVPERSTITIONES *valeſcebant.* &c. proſequitur ſacer Purpuratus: *Quem per externas* SVPERSTITIONES, *Chriſtianam quoque Religionem, in vrbe iam ante Quinque annos diſſeminari cæptam ſignificare voluiſſe, nullus iure poterit dubitare.* Videndus etiam de hoc amicus Noſter D. Didacus Portocarrer. *Hiſtor. Ercauicenſ. c.* 14. *fol.* 144. vbi alteram Inſcriptionem, & Numiſma ſimili voce vtentia compaginat. De quo ſatis.

*Chriſtiana Religio ab Ethnicis ſuperſtitio vocata.*

B. SS. PROCVLVS & HILARION Martyres *Serpenſes.* ] Iſtorum agonem, abſque aſſignatione loci quo pro Chriſti nomine ſanctiſſimi Pugiles decertarunt referunt Græci in *Menologio h. d.* ſequenti periodo. *Eodem die SS. Martyrum* PROCVLI, & HILARII. *Primùm* S. PROCVLVS *Trajano Imperatore comprehenſus in iudicio ſiſtitur, fidemque apud Maximum Præfectum liberè profeſſus, illius iuſſu ſtatim facibus in humeris, & ventre aduritur; poſt ſaxo pedibus alligato, ſublimis appenditur in ligno, deinde telis denſiſſimis vulneratur, quibus confoſſus abiit ad Dominum. Deinde* HILARIVS *Beati* PROCVLI *conſobrinus Chriſtianum ſe eſſe confeſſus, ſuſpenſus verberatur; & ad Tria Millia tractus, abſciſſo capite, cum* S. PROCVLO *depoſitus eſt* Eadem licet breuiori clauſulâ Martyrolog. Roman. *h. d.* vbi Baron. in *Not. lit. F.* Quibus conueniunt Martyrologia Caſtellanum *P. Vaſq.* Luſitanum *P. Lupi*; Hiſpanum MS. *P. Higuer.* & Italum *Conſtantij Felicis*; apud quos nulla de loco palæſtræ mentio. Hinc *Petri Galeſinij* audaciam demiror, qui, nullo duce, illos in *Græcia* paſſos ſcribit; eâ ſolâ raptus conſideratione, quòd SS. Martyrum agones à *Græcis* in *Menologio* deſcriptos inuenerit. Sed huius *Protho Notarij* auiditatis frequentiam pluries in hiſce *Notationibus* propalauimus, & reprobauimus, pro vt & illam etiam detegere, & confutauere *Biuarius*, & alij Scriptores paſſim. Sed vt eius lapſum certiùs agnoſcas audi Flauium Dextrum in *Chron. Ann.* 308. vrbem paſſionis referentem: SERPÆ *in Bætica SS Martyres* PROCVLVS & HILARION, *quos etiam Græci celebrant, ob ſanctitatis gloriam; qui ſub* Trajano *Imperatore, M. Aurelio Præſide paſſi ſunt.* PROCVLVS *primò facibus in humeris, & ventre aduritur, deinde telis frequentibus vulneratus obiit.* HILARION *verò poſt varios cruciatus, tandem capitis abſciſſione, martyrium conſummauit.* En ex verbis *Dextri* qualiter SS. Martyres huiuſmodi non in *Græcia*, vt ſomniauit *Galeſinius*, ſed in *Hiſpania* agonem apud *Serpam* compleuere; quod & fatentur P. Biuar. *in Not ad Dextr. d. Ann.* 308. *n.* 2. *Comment.* 1. *fol.* 360. Roderic. Caro ibidem. *fol.* 112. *lit. Z.* & in *Corograph. Conuent. Hiſpal. lib.* 3. *c.* 71. *fol* 199. Sed Petri Protho Notarij elogium ſubijciamus, vt *Dextri* in ecphraſi conuenientiam, & vtriuſque in locorum diuerſitate cognoſcas: *In Græcia Sanctorum* PROCLI, & HILARIONIS *Martyrum. Primò* PROCVLVS, *Trajano Imperatore comprehenſus, in iudicio ſiſtitur, fidemque apud Maximum Præfectum liberè profeſſus, illius iuſſu ſtatim facibus in humeris, & ventre aduritur; poſt ſaxo pedibus alligato, ſublimis appenditur; deinde telis denſiſſimis vulneratur, quibus confectis abiit ad Dominum. Deinde* HILARIO *poſt varios in fidei confeſſione cruciatus, tandem datis ceruicibus, coronatur.* Eorum ACTA adhuc ſub ſilentio latitant; illa pro vt moris noſtri eſt prolixius extendemus:

*Menologium.*

*Martyrologia.*

*Galeſinij lapſus.*

*Quo iure Hiſpani iſti SS. Martyres?*

## *ACTA SS. PROCVLI, & HILARIONIS Martyrum Serpenſium in Hiſpania, ex Dextro.*

*Origo.*

S. PROCVLVS *origine* Hiſpanus, *& Ciuis* Serpenſis *vrbis in Bætica olim, nunc in Portugallia ſitæ, Chriſto nomen dederat, & in Catholica fide* HILARIONEM *eius conſobrinum erudierat, tempore, quo Eccleſiæ perſecutiones diu conſopitæ, hautquaquam aduerſus eius membra pulſabant; quarum taciturnitas, ſic fidelibus dedit vbique anſam creſcendi, vt meritò Hiſpaniarum*



*niarum Regiones Chriſtianorum cætibus pullularent. In hac igitur pace viuentes Catholici, numerus augebatur fidelium, & eccleſiaſticus ordo felicioribus roboratus auſpiciis, radios ſacri luminis extendebat, & multorum vmbras Gentilium, viſcerum abſcondita deturpantes expendens, ſub Eccleſiæ ſuaui iugo connectens, plurimos ad Chriſti obſequium perduxit. Aſt ſerpentis antiqui liuor nequaquam tantam Chriſti gloriam ſuſtinere valebat, & ideo ſublimato ad Imperium* Trajano, *Hiſpaniæ Noſtræ lumine, ſic eius cordis latebras veneno ſuperſtitionis impleuit, & vlcere falſæ religionis tuendæ ſpiritum boni Principis maculauit, vt prorſus ad ſæuiſſimam aduerſus Chriſticolas perſecutionem totis viribus incitaret. Arſit illo æuo totius Imperij globus imperialibus edictis, quibus Gentilium rabies vires aſſumens, protinus Chriſti nomen, & numen obliterare credebat. Huius ſæueritatis procellam ſtatim agnouit* Hiſpania, *& in Catholicos deſæuiens, plurimas Chriſto obtulit pro eius defenſione coronas. Iſtas inter cæteros* PROCVLVS *recepit primus, poſt* HILARIO *eius conſobrinus; nam* Bæticam *luſtrante M. Aurelio Vlterioris Hiſpaniæ Præſide,* SERPAM *illius ditionis vrbem, Maximum Præfectum dimiſit, qui Imperatoris edicta aduerſus Chriſtianos exequeretur ad vnguem. Ille oblato per ſatellites* PROCVLO, *eius fidem blandis abſtergere alloquiis fiducialiter cogitauit, ſed Martyris conſtantiam conſiderans, ad verbera proceſſit; & ideò Sanctum Pugilem facibus in humeris, & ventre ſuperpoſitis adurere præcepit. Quibus expletis, & in confeſſione fidei illum perſiſtere noſcens, Martyrem in ſublimi appenſum, & ſaxo pedibus alligato, telis denſiſſimis vulnerare diſpoſuit: quorum imbre, breui confoſſus* PROCVLVS, *animam Domino tradidit inuictus Agoniſta. Tunc eius conſobrinus* HILARIO, *cognito auunculi martyrio, Chriſtianum ſe eſſe confeſſus eſt: qui ad Iudicis tribunal ductus, & in fidei confeſſione perſiſtens, ad verberum ſupplicium rapitur. Tunc ſtipite flagellatur ſuſpenſus, donec quaſi exanimis redderetur, qui deinde ad Tria Millia ab vrbe Serpenſi tractus, abſciſſo capite coronatur,* IV. Idus Iulij, *Anno Domini* C. X. *Quorum ſcilicet SS. Martyrum cultus adhuc ſequentibus ſeculis apud eandem vrbem, piâ deuotione durauit.*

*Perſecutio.*

*Vincula.*

*Cruciatus.*

*Corona.*

*Cultus.*

Hæc ſunt quæ potuimus ACTA contexere, in quibus nihil quod illuſtretur inuenies, niſi cauſam quæras, cur in *Dextri* codice eorum memoria reponatur Anno CCC. VIII. cum re verâ paſſi videantur Anno C. X. tempore Trajani? Cui quæſito facile reſpondet Roder. Caro *in Not. ad Dextr. fol.* 112. *col.* 2. *lit. A.* dicens; *Qui cùm ſub Imperatore Trajano paſſi fuiſſent, eorum memoriam ob populi deuotionem, & in pretio Anno CCC. VIII. eſſe refert Dexter.* Sic notabis, quòd eo Anno non paſſionem, ſed cultum adeſſe, quem tantum eo tempore floruiſſe ſcribit.

*Eorum cultus poſt duo ſecula apud Serpam.*

SERPA. Ciuitas vetuſtiſſima *Hiſpaniæ*, quam olim in *Bæticæ* populis ſitam fuiſſe contendunt ſcriptores, hodie verò in *Portugalliæ* regno cognoſcimus; de ea Itinerarium Antonini Pij apud Zurit. *fol.* 96. & apud Simlerum *fol.* 190. hac ſerie.

*Topographia.*

Eboram. M. P. XLIIII.

SERPA. M. P. XIII.

Fines M. P. XX.

Et licet Biuar. *ad Dext. d. Anno* 308. *n.* 2. *fol.* 360. eius ſitum indagare non valuiſſet, & per plures diuagatus vrbes penitus hallucinaſſet, ſciendum eſt, vrbem hanc adhuc nomen retinere vt patet ex Roder. Car. in *Corograph. Hiſpalenſ. lib.* 3. *c.* 71. in qua lapis cum hac Inſcriptione.

D. M. S.
FABIA. PRISCA. SERPENSIS.
C. R. AN. XX. H. S. E. S. T. T. L.
C. GEMINIVS. PRISCVS. PATER.
ET. FABIA. CADILA. MATER.
POSVERVNT.

Quam

Quam Inſcriptionem etiam refert Andreas Reſend. *lib.4. Antiquitat. Luſitan. Tom. 2. Hiſpan. Illuſtrat.fol.*952. & Coneſtag. de *Obtent. Portugall. eod.tom fol.*1142. *lin.* 56. & alij Scribentes.

# TERTIO IDVS IVLII.

## DIES XIII.

*A.* Sedacia *in Vaſconibus* S. MAXIMILIANI *Epiſcopi* Calagurritani *Martyris, qui poſtquam milites* Aluendibilenſes *ad fidem Catholicam perduxiſſet, ſacroque fonte lauaſſet, à Diocletiani, & Maximiani ſatellitibus tentus, glorioſum pro Chriſti nomine decertauit agonem.*

*B.* Scalabi *in Portugallia veneratio* B. BERNARDI *ex Ordine Prædicatorum alumni, qui cum duobus* Puerulis, *à* IESV *Paruulo inuitatus ad eſcas, die conſignato, ſpitualibus vallatus commeatibus, & indutus veſte nuptiali, ad cæleſtem agni menſam, vnâ cum Pueris, æternum fruiturus aſcendit.*

## NOTÆ.

*Scriptores.*

SANCTVS MAXIMILIANVS *Epiſcopus* Calagurritanus, *& Martyr.*] Licet huius S. Pontificis, & Martyris memoria à Martyrologiis exciderit, tamen illam adhuc conſeruauit Scriptorum diligentia, ne penitus in Noſtratum offenſionem obliteraretur. Hinc eam è tenebris eruentes *Calagurritanis* Noſtris & Præſulem, & Martyrem reſtituimus. Sic *Iulianus Petri* Archipreſbyter Toletanus in *Chron. Ann.* 288. *num.* 121. eius compaginat elogium: *Imperatoribus Diocletiano, & Maximiano, ciuitate* SEDACIA *in Vaſconibus,* S. MAXIMILIANVS *Epiſcopus, & Martyr, qui creditur baptizaſſe milites Aluendibenſes, Pompilium Varum, & Lucium Varum fratres, & egregios Chriſti Martyres.* Sedem Epiſcopalem, & Diem martyrij licet *Archipresbyter* omiſerit, omnia *Epigrammatarius* vetuſtus in meo *Codice MS. Carminum* ſuppleuit, ſequenti lemmate, & elogio.

*Epitaphiū.*

### PRO S. MAXIMILIANO EPISCOPO Calagurritano, & Martyre, Carmen.

MAXIMILIANVS *iacet hoc in marmore clauſus*
*Martyrij ſpecimen, Religionis apex.*
Calagurris *erat Diuo firmiſſima Sedes,*





*Quâ plures duxit en tibi Chriſte choros.*
*Verbera poſt, Diuus, poſthinc certamina, Chriſto*
SEDACIA, *Martyr obtulit vltro caput.*
*Tertius ergo dies Quintilis Menſis & Idus*
*Martyrium vidit, concelebratque ſimul.*

*Topographia.*

Hæc ſunt quæ potuimus de hoc S. Pontifice, & Martyre compulſare, cæteræ eius res geſtæ ſub ſilentio latent: prout de vrbe SADACIA, ſeu SEDACIA, cujus penitùs ignoro ſitum, nec eius apud *Geographos* nomen inuenio. Crediderim eam ſitam prope LOCRONIVM *Calagurritanæ* diœceſis vrbem fuiſſe: nam ALVENDIBILIS hodie ALVELDA haut procul ab vrbe LOCRONIO, hodie LOCRONO, eſt, vt notauimus ſupra *Tom.*2. *Die VIII. Aprilis fol.* 549. vbi de *S. Exuperio Aluendibilenſi* Martyre egimus. *(Opinio I. ſitus.)* In Hiſtoria *Petri* Regis Caſtellæ, cognomento *Crudelis*, quam ſcripſit *Petrus Lopez de Ayala,* & apud me MS. vetuſtiſſimam ſeruo, *Ann* 11. *huius Regis c.* 11. *&* 15. refertur qualiter *Guillelmus Cardinalis Bononiæ*, & Innocentij Pontificis Maximi Legatus Hiſpanias adierat, vt pacem inter Reges Caſtellæ, & Aragoniæ componeret, & *d.c.* 11. aſſerens, quòd Reges promiſere Oratores, & plenipotentiarios ad vrbem *Nauarræ*, quam eligeret Legatus, dimittere, proſequitur Hiſtoria: *E el Cardenal de* Boloña *fue para vna villa de* Nauarra, *que dicen* Xatiua, *alias* Sanduna, *alias* Sadacia, *que es frontera de Aragon.* *(Opinio II.)* Et in *d c.*15. dicitur: *Otroſi en eſte Año mèſmo eſtando el Rey en Seuilla, embio mandar por ſus Cartas à Gutierre Fernandez ſu Repoſtero Mayor, el qual eſtaua frontero en* Molina *contra Aragon, que ſe fueſe para* Nauarra, *à vna villa que dicen* Xatiua, *alias* Sanduna, *alias* Sadacia, *do eſtaua el Cardenal de Boloña, Legado del Papa.* Hinc crederem SADACIAM quâ occubuit S. Præſul, hanc ipſam eſſe, & apud *Nauarram* ſitam.

*B. Scriptores.*

B. BERNARDVS & Pueri Scalabitani.] Horum memoriam nonnulli ex Scriptoribus Portugallenſibus repetunt, dùm *Scalabitani* Prædicatorum Cœnobij monumenta recenſent, inter quos P. Antonius Vaſconcellos in *Deſcriptione Portugall. fol.* 553. *num.*12. vbi hæc verba: *In Cœnobio S. Dominici Scalabitano, illud interim locupletant reliquiæ* B. F. Bernardi, *&* Puerorum, *quos* IESVS *Puer conuiuantes cœlo inuexit.* Eorum etiam meminit F. Ludouicus de Souſa *Hiſtor Prædicator. Portugall. lib.*2. *c.*36. D. Rodericus de Acuña *Hiſtor. Olyſipponenſ.* 2.*p. c.*64. *n.*4 *fol.*195. P. Raderus in *Viridar. SS. fol.*518. qui eorum ACTA ſic deſcribunt.

### ACTA B. BERNARDI SCALABITANI, ex Prædicatorum Ordine, & Duorum Puerorum, ex Var. Scriptoribus, & Radero.

*Origo.*

BERNARDVS *origine* Gallus, *ex Oppido* Morlans *in Vaſconia oriundus è patribus nobilibus & diuitibus,* Pariſios *pergens ſtudiorum causâ, inde* Hiſpanias, *tandem* Cæſarauguſtam *deuenit Aragoniæ, vbi habitum à B. Ægidio Hiſpaniæ Prouinciali ſuſcepit, qui eum pòſt* Scalabim *traxit.* *(Exercitiū.)* *In eo Cœnobio ſacriſtæ munus exercuit, & eius præcipua cura in edocendis pueris illius Oppidi literarum rudimenta verſabatur. Inter alios igitur pueros, qui ad Eccleſiam Cœnobij, vbi erat ſchola, conueniebant, aderant Duo Pueruli habitu Prædicatorio induti, qui quotidie, vt moris eſt, ientacula è propria domo ad Cœnobij Scholam deferebant.* *(Pueri inuitant Ieſum ad ientaculum.)* *Ij ante Altare B. Virginis* MARIÆ *puerum* IESVM *in vlnis tenentis ſoliti ientare, euenit, quod vnus ex pueris videns* IESVM *eos proſpicientes, illum protinus inuitauit. O res mirabilis! Ex templò* IESVS *puer, relictis Parentis brachiis, cum puerulis ientare incipientibus ſociatus ſumma alacritate comedit, & finito ientaculo, ad Matris brachia re-*

*nerſus eſt. Quod ſimile conuiuium pluries continuatum, tandem ad certum diem* IESVS *pueros inuitauit, vt in domo ſua comederent. Annuit vtriuſque pueri voluntas, qui alacres, & læti cæleſte conuiuium admiſerunt. Omnia hæc occultè inſpectabatur* BERNARDVS, *& vocatis ad ſe puerulis, quid eis euenerat ſciſcitatur: omnia Magiſtro fatentur, & conuiuium promiſſū à* IESV *in certum diem declarant. Stupet Magiſter, & tertium ſe conuiuam ſpondet. Dies conſignatus accedit, conuiuæ ſe præparant, &* IESV *adueniente,* BERNARDVS, *& Pueri ante Aram Dei-Genitricis, flexis genibus, expectantes verba promiſſionis, ſpiritus reddidere, quos* IESVS *ſecum aſſumens, cæli conuiuas effecit* III. Idus Iulij *Anno Domini* M. CC. LXXVII. *Accurrit populus ad miraculum, & gratiis actis Deo, eorum Corpora in marmoreo tumulo ſepeliuntur, magna hucuſque veneratione.*

*Accedit Bernardus & Ieſu ferculum efflagitat.*

*Omnes genuflexi aſtra petunt.*

*Encomion.* Hæc eſt ſynoptica ACTORVM ecphraſis, quam relati Scriptores recenſent, in cuius probationem multa ſcripſerunt Poëtæ Portugallenſes apud Emanuelem Campos de *Reliq. Vlyſipponenſ. fol.* 396. Vnum auſculta:

*Prandia cum pueris caperet dum blandus* IESVS,
*Nobilis infantum molle cor eſca fuit.*
*Non epulas caperet, Pueri niſi corda dediſſent,*
*Cumque habeat cœli fercula, corda petit.*
*Hoſpes vt accedat cor dulce appone Tonanti,*
*Nobilis hæc ſoli conuenit eſca Deo.*
*Cùm ferat æthereos nunc* Luſitania *flores,*
*Vbere cœleſti fertilis annus erit.*

*Annus euentus.* Falluntur qui conuiuium hocce eueniſſe contendunt ad Annum M. CCC. L. cùm re verâ acciderit tempore *D. Matthæi* Epiſcopi *Vlyſipponenſis,* qui infulas illius Sedis induit ad Annum M.CC.LIX. & computatur XXI. illius Eccleſiæ Epiſcopus, vt probat D. Rodericus de Acuña *Hiſtor. Vlyſipponenſ. 2. p. cap. 50. fol. 171. & c. 64. n. 10. fol. 196.* F. Ludouicus de Souſa in *Hiſtor. Ordin: Prædicator. Portugall. d. lib. 2. c. 36.* & cæteri ſuperius relati.

# PRIDIE IDVS IVLII.

## DIES XIV.

A. *Apud* Lucum *in Gallæcia Hiſpaniæ* S. PHOCATI *eiuſdem Ciuitatis Epiſcopi, qui poſt magnas virtutum glebas, ad Dominum, cuius amore languebat, Confeſſor inclytus euolauit.*

B. *In Collegio* Baëcenſi *in Bætica fratrum SSS. Trinitatis Excalceatorum depoſitio* S. IVSTI *Martyris Romæ paſſi; cuius ſacra pignora Hiſpaniam allata, prædicti Ordinis Miniſter Generalis iſti Collegio eſt eadem impartitus, vbi honorificè coluntur.*

C. Abulæ



C. Abulæ *in Hiſpania* Feſtum *ipſius Eccleſiæ* Dedicationis, *quod anniuerſario recolitur apparatu; & magnifico repetitur cultu.*

# NOTÆ.

SANCTVS PHOCATVS *Epiſcopus* Lucenſis *Confeſſor.* ] Diuerſus ab illis quos recenſet Baron. *in Not. ad Martyrolog. Roman. h. d. lit. C.* & ab alio, cuius meminit Petr. de Natalib. in *Catalog. SS. lib. 6. c. 98.* Nam Noſter PHOCATVS nomine, ille PHOCAS, vt ex Martyrologiis *Adonis, Bedæ, Vſuardi,* & aliorum liquet, licèt perperam apud *B. Notkerum* PHOCATI vocabulo recenſeatur. Nec tantùm in ſtructura Nominis differentia; Sed etiam in aliis qualitatibus. Noſter Epiſcopus & Confeſſor; illi alter Epiſcopus & Martyr; & alius ſecularis Martyr. Noſter vixit ad Annum CCC. LXXXV. ille ad Annum C. I. Noſter in *Hiſpania* apud LVCVM *Gallæciæ;* ille in *Ponto* apud SYNOPEM *Græciæ.* Denique de Noſtro diuerſimodè ſcribit *Equilinus,* vt patet ex *Lib. 11. Catal SS. c. fin. n. 193.* hoc breui elogio: PHOCATVS *Epiſcopus, ipſo die* (ſcilicet Pridie Idus Iulij) *in Chriſto dormiuit.* Quod & primum dixerat Flauius Dexter in *Chron. Ann.* 385. hac periodo: *In* Luco Auguſto *in Hiſpania* S. PHOCATVS *Epiſcopus.* Ex quibus rationibus, & auctoritate *Flauij Dextri* colligitur, S. Præſulem, quem *Equilinus* h. d. inter Sanctos enumerat, eundem eſſe, cuius memoria apud Dextrum *d. Ann.* 385. vbi P. Biuar. *n. 2. fol.* 409. & Roder. Caro *fol. 138. col. 2. lit. R.* P. Philippus de la Gandara *Hiſtor. Gallæc. 2. p. lib. 1. c. 4.* licet perperam nomen Præſulis apud ipſos FORCATVS ſcribatur. De huius S. Pontificis rebus geſtis, altum ſilentium apud Noſtros, & Exteros ſcriptores, ideo hoc ſolo anamneſis tinnitu, ad alia pergimus, ne, cùm ſolidiora in Noſtris Notationibus monumenta cupimus interſerere, incerta, & apocrypha proferamus.

A. *Plures huius Nominis Diui.*

*Epiſcopus & Confeſſor Hiſpanus.*

*Nominis vera ſtructura.*

S. IVSTVS Martyr. ] Eius agonem ſcribunt Græci in *Menologio h. d.* vt notauit Baron. in *Not. ad Martyrolog. Roman. lit. B.* vbi in textu ſequens elogium: *Romæ* S. IVSTI, *Militis ſub Claudio Tribuno, qui apparente ſibi diuinitùs* CRVCE, *credidit in Chriſtum, & mox baptizatus omnia ſua pauperibus erogauit: tentus deinde à Magnetio Præfecto, verberari neruis, galeâ ignitâ contegi, & in rogum immitti iuſſus, nec in capillo quidem læſus, in confeſſione Domini reddidit ſpiritum.* Quibus verbis conueniunt cætera Martyrologia recentiora. ACTA penitùs periere. Eius CORPVS in *Hiſpaniam* tranſlatum, *Collegio Baëcenſi* Fratrum Excalceatorum SSS. Trinitatis attributum, ibidem honorificè requieſcit, vt ex authentico teſtimonio tenoris ſequentis, patet.

*Martyrologia.*

*Corpus in Hiſpania.*

IN DEI NOMINE, AMEN. Præſenti publico Inſtrumento cunctis vbique pateat euidenter, & ſit notum, quòd Anno à Natiuitate eiuſdem D. N. Ieſu-Chriſti M. DC. XL. Indict. VIII. Die verò XXVI. Menſis Auguſti, Pontificatus autem SS. in Chriſto Patris, ac Domini Noſtri *D. Vrbani* diuinâ prouidentiâ PP. VIII. in mei Notarij Publici, teſtiúmque infraſcriptorum præſentiâ, præſens, & perſonaliter conſtitutus admodum *R. P. Ioannes ab Annuntiatione* Fratrum Diſcalciatorum, Ordinis SSS. Trinitatis, Redemptionis Captiuorum, & dicti Ordinis Procurator Generalis, ac Eminentiſſimi ac Reuerendiſſimi D. Card. Barberini. S. D. N. Vrbani PP. VIII. ſecundum carnem ex fratre Nepotis Confeſſarius, nec non Miniſter Venerabilis Conuentus S. Caroli ad Quatuor fontes de Vrbe, mihi Notario optimè cognitus, aſſerens reuerenter habuiſſe & recepiſſe ab Illuſtr. & Reuerendiſſimo *D. Ioanne Baptiſta de Alteriis,* Nobili Romano, olim Epi-

ſcopo Camerinenſi, & Eminentiſſimi, ac Reuerendiſſimi D. Almæ Vrbis Cardinalis Vicarij, Viceſgerente, nonnulla Sanctorum, & Sanctarum Corpora, aliàs ab Illuſtriſſimo, & Reuerendiſſimo D. Viceſgerente ex Calixti cœmeterio de Mandato eiuſdem S. D. N. Vrbani extracta, & ſignanter infraſcripta Corpora, videlicet *SS. Feliciſſimi, Maximi,* IVSTI, *Innocentij, Hilarij, Iuſtini, Mauri, Feliciani, Hyacinthi. Vitalis, Alexandri, Gratiani, Ioannis, Vincentij, Bonifacij, Valentini, Dionyſij, Claudij, Valentini, Calixti Martyrum*; & Sanctarum *Concordiæ, Floræ, Fabianæ, Aureliæ, Reſtitutæ, Victoriæ, Candidæ, & Eugeniæ* Virgin. & Martyr. prout ex literis patentibus ab eodem Illuſtr. & R. D. Viceſgerente ſubſcripti ſibi conceſſis, quarum copiam præ manibus habens in medium exhibuit, mihique Notario tradidit, de quo fidem facio. Ideò perilluſtris & *R. P. Ioannes* vtens, pro infraſcriptis validè peragendis, licentiâ, & facultate ſibi à dicto Illuſtriſſ. & R. D. Viceſgerente conceſſis, & attributis prout in eis continetur, ſponte &c. Omni meliori modo &c. Supradicta SS. Corpora donauit, & elargitus eſt *R. P. F. Iſidoro de S. Ioanne,* Miniſtro Generali Fratrum Diſcalceatorum Ordinis SSS. Trinitatis, Redemptionis Captiuorum, *Matriti* reſidenti, & hinc licet abſenti perilluſtri D. Henrico de la Fluet Belgico, & Excellentiſſimi Domini Oratoris Majeſtatis Catholicæ familiari, & continuo commenſali, pro eo præſenti & acceptanti, & eâ, quâ decet, reuerentiâ, & deuotione recipienti, ad habendum tenendum &c. Actum Romæ in Conuentu S. Caroli ad Quatuor Fontes Ordinis &c. Præſentibus, &c.

Quæquidem Sanctorum Corpora *Madridium* adlata, idem *R. P. F. Iſidorus de S. Ioanne* Miniſter Generalis præfatus vtens facultate ſibi conceſſa per ſupra memoratum *R. P. F. Ioannem de Annuntiatione* ſupra dicta SS. Corpora inter ipſius Ordinis Conuentus Hiſpaniæ diſtribuens, Collegio BAECENSI ſacrum S. IVSTI Martyris Corpus attribuit; vt patet ex Diſtributione ab eodem confecta, & typis excuſſa Madridio XXX. *Die Martij,* Anno Domini M DC. XLI. coram *Lamberto Tito* Notario Apoſtolico.

C. DEDICATIO S. E. ABVLENSIS.] Hanc eſſe *Apoſtolicam* Eccleſiam nullus hactenus dubitauit, nam S. SECVNDVS primò IACOBI, poſt *Petri* Apoſtolorum Diſcipulus illam Euangelij ſemine conſtruxit, vt ſupra probauimus *Tom.* 3. *Die II. Maij.* Poſtea tempore Magni *Conſtantini* Imperatoris, datâ Eccleſiis pace, Sedes ABVLENSIS firmata eſt, & ſub *Emeritenſium* Metropolitanorum ſuffragio poſita. Deinde tempore *Vuambani* Regis Gothorum ipſa eadem ſedes confirmata, & eidem Metropolitæ *Emeritenſi* conſeruata, & diœceſis terminos circumſcripſit Rex, & Sedis auctoritatem adauxit. Aſt eueniente *Hiſpaniæ* per Sarracenorum gladios, ruinâ, ſedes illa penitus exciſa, ſub ſilentio iacuit ad Annum vſque DCC. XL. quo *Alphonſus* Catholicus vrbem in ſuam poteſtatem redegit, & ad Annum DCC. LXVII. obtinuit, & poſſedit. Sed illam poſtea recuperauit *Muza Abencazin* Rex Toleti, & eius ſucceſſores eam poſſedere vſque ad Annum Domini DCCC. LXIV. quo *Alphonſus Magnus* illam iterum recepit; ſed *Abderramen* poſtmodum Anno DCCC. XCVI. eam adquiſiuit. Iterum Anno DCCCC. X. in *Ramiri II.* poteſtatem deuenit, quâ perditâ Anno DCCCC. LXVIII. illam expugnauit *Alhagib Almanzor,* & Comes Garſia Ferdinandi ipſam ab eius faucibus Anno DCCCC. LXXXI. redimiuit. Aſt Anno Domini DCCCC. LXXXV. vrbem ferè totam ſolò æquauit *Almanzorius,* & Comes Sanctius veſtigia vrbis recepit, ſecum deferens ciues, & gentem omnem, quam in eius ruderibus inuenit. Sic vrbs celebris vltimam paſſa eſt ruinam, donec *Comes Raymundus,* inſtante Alphonſo VI. Rege, ABVLAM reparauit, populauit, & Eccleſiam Cathedralem extruxit Vrbani II. Pont. Max. decreto, necnon & Sedem Epiſcopalem reſtituit circa Annum M. XC. IV. Cuius cathedra adhuc perſeuerat, in qua ſequentes ſediſſe cognoſcimus Præſules, licet plurimorum memoria exciderit.

*Abulenſis Sedis extructio.*

*Euentus ſidiner.*

*CATA-*



## *CATALOGVS EPISCOPORVM S. Abulenſis Eccleſiæ in Vettonia antiqua Hiſpaniæ, nunc in Regno Caſtellæ Vteeris.*

I. S. SECVNDVS huius nominis I. Epiſcopus Abulenſis I. & eius vrbis Apoſtolus, S. IACOBI Diſcipulus, in eadem vrbe Martyr & totius diœceſis Patronus Anno Domini coronatur XC. vel circiter. 90.

II. S. IVLIVS huius nominis I. Epiſcopus Abulenſis II. ad quem ſcripſit S. Clemens Pont. Max. de quo Dexter in Chron. Ann. 94. eius memoria ad Annum C. 100.

III. IVSTINIANVS huius nominis I. Epiſcopus Abulenſis III. (exploſo ab hoc Catalogo Priſcilliano hæretico) interfuit confirmationi Decreti Gundemari Anno DC. X. 610.

IV. THEODOIGIVS huius nominis I. Epiſcopus Abulenſis IV. Concilio Toletano IV. interfuit ad Annum DC. XXXIII. 633.

V. MAVRISIVS huius nominis I. Epiſcopus Abulenſis V. interfuit Concilio VII. Toletano ad Annum DC. XLVI. 646.

VI. AMANVRIVS huius nominis I. Epiſcopus Abulenſis VI. interfuit Toletano Concilio VIII. ad Annum DC. LIII. 653.

VII. ASPHALIVS huius nominis I. Epiſcopus Abulenſis VII. interfuit Concilio Emeritenſi celebrato Anno DC. LXVI. ex Toletano XII. ad Annum Domini DC. LXXXI. 681.

VIII. VNIGIRVS huius nominis I. Epiſcopus Abulenſis VIII. interfuit Concilio Toletano XIII. ad Annum DC. LXXXIII. 683.

IX. IOANNES huius nominis I. Epiſcopus Abulenſis IX. interfuit Conciliis XV. ad Annum DC. LXXXVIII. & XVI. ad Annum Domini DC. XCIII. 693

*Huius Præſulis tempore Sarracenorum euenit excidium, ita vt fere omnes Sedes abſque Pontificum gubernatione remanerent; & hæc per fere CCC. LXXX. annos Præſulum aſſiſtentia iacuit deſtituta.*

X. D. PETRVS huius nominis I. Epiſcopus Abulenſis X. firmauit votum, quod Rex Ramirus emiſit pro S. IACOBO Hiſpaniarum Apoſtolo poſt victoriam Clauiſij; Eius memoria ad Ann. DCCC. XXXII. 832.

XI. D. DOMINICVS huius nominis I. Epiſcopus Abulenſis XI. cuius memoria reperitur ad Annum M. LXXXVII. 1087

XII. D. IERONYMVS huius nominis I. Epiſcopus Abulenſis XII. de quo eſt mentio ad Annum M. C. III. 1103

XIII. D. PETRVS huius nominis II. Epiſcopus Abulenſis XIII. cuius tempore Cathedralis Baſilica perfecta eſt, eius memoria peruenit ad Annum M. C. XXVI. 1126

XIV. D. SVERIVS huius nominis I. Epiſcopus Abulenſis XIV. & hanc Sedem rexit vſque ad Annum M. C. XXX. 1130

XV. D. IOANNES huius nominis II. Epiſcopus Abulenſis XV. qui huius Eccleſiæ infulas tenuit ad Annum M. C. XXXIII. 1133

XVI. D. ENECO huius nominis I. Epiſcopus Abulenſis XVI. cuius baculum peruenit ad Annum M. C. LIII. 1153

XVII. D. PETRVS huius nominis III. Epiſcopus Abulenſis XVII. qui cum aliis interfuit conſecrationi Eccleſiæ S. Iſidori Legionenſis, ſub Era M. C. LXXXVII. quod ſi ita eſt perperam Ioannem prædeceſſorem ad Annum M. C. LIII. perueniſſe ſcripſit M. Ægidius

 Gonzal.

Gonzal. in Theatr. Abulenſ. tom. 2. fol. 243. Quidquid ſit iſte Præſul peruenit ad Annum M. C. LVI. 1156

XVIII. D. DIDACVS huius nominis I. Epiſcopus Abulenſis XVIII. cognomento *de Lugo*, obiit Anno M. C. LIX. & apud Placentiam creditur ſepultus. 1159

XIX. D. SANCTIVS huius nominis I. Epiſcopus Abulenſis XIX. qui vnà cum nobiliſſimis, & fideliſſimis proceribus Abulenſibus Regem Alphonſum IX. infantulum nutrire curauit, cuſtodiuit, & tutauit. Obiit Abulæ Anno M.C. LXXX. ſepelitur extra chorum Eccleſiæ. 1180

XX. D. DOMINICVS huius nominis II. cognomento *Blaſco*, Epiſcopus Abulenſis XX. compoſuit iurgia inter Abulenſes, Placentinos, & Bejarenſes, & Nunium Rabiâ. Obiit Anno M.C.LXXXII. iacet ſepultus in Capella S. IACOBI Cathedralis Eccleſiæ. 1182

XXI. D. DIDACVS huius nominis II. Epiſcopus Abulenſis XXI. qui obiit Anno M. C. LXXXVII. F. Ludouicus de Ariz Hiſtor. Abulenſi alium DOMINICVM aſſignat, & apud Placentiam ſepultum affirmat. Sed dubius M. Ægidius cum hac relatione tacet. 1187

XXII. D. DOMINICVS huius nominis III. Epiſcopus Abulenſis XXII. Obiit Anno M.C.XC. ſepelitur iuxta chori oſtium. 1190

XXIII. D. DIDACVS huius nominis III. Epiſcopus Abulenſis XXIII. dedicauit Eccleſiam Parœchialem S. Nicolai in vrbe Abulenſi, vt ex inſcriptione lapidis liquet. Obiit Anno M. CC. III. 1203

XXIV. D. BENEDICTVS huius nominis I. Epiſcopus Abulenſis XXIV. interfuit fundationi Monaſterij S. Spiritus Præmonſtratenſium. Obiit Anno M. CC. X. ſepelitur in Choro Eccleſiæ. 1210

XXV. D. PETRVS huius nominis IV. cognomento *Inſtancio*, Epiſcopus Abulenſis XXV. conſecrauit Eccleſiam S. Bartholomæi vrbis Abulenſis, & Baſilicam S. Dominici Silenſis, vt ex Inſcriptionibus in prædictis Eccleſiis legitur. Obiit Anno M.CC.XIII. 1213

XXVI. D. IOANNES huius nominis III. Epiſcopus Abulenſis XXVI. Obiit Anno M. CC. XVI. ſepelitur in Monaſterio S. Petri Spinenſi Ordinis Ciſtercienſis. 1216

XXVII. D. PETRVS huius nominis V. Epiſcopus Abulenſis XXVII. cuius memoria adhuc in Eccleſia S. Iſidori vrbis eiuſdem ſeruatur. Obiit Anno M. CC. XX. ſepelitur iuxta Altare S. Nicolai. 1220

XXVIII. D. DOMINICVS huius nominis IV. cognomento *Dentudo*, Epiſcopus Abulenſis XXVIII. interfuit expeditioni Cordubenſis Vrbis Obiit Die IV. Septembris Anno M. CC. XXXIX. 1239

XXIX. D. BENEDICTVS huius nominis II. Epiſcopus Abulenſis XXIX. conſecrauit Aram S. Ioannis Baptiſtæ in Cœnobio Matæplanæ Ordinis Ciſtercienſis Anno M. CC. LIV. vt ex hac mamoris epigraphe, patet.

ANNO DOMINI M.CC.LIV. TERTIO NONAS IVLII Conſecratum eſt hoc Altare in honorem S. IOANNIS BAPTISTÆ à D. BENEDICTO Venerabili Epiſcopo ABVLENSI. In quo Reliquiæ prædicti Baptiſtæ, SS. Apoſtolorum Simonis, & Matthæi, Ligni Crucis ſalutiferæ, Petræ Menſæ Domini, Laurentij Martyris, Mantij Martyris, Chriſanti, & Dariæ Martyrum, Agnetis V. M. honorifice poſitæ conſeruantur, ipſumque pro patrocinio vindicantes in ſignum ſuæ præſentiæ Sanctitatis.

Huius Præſulis æuo maximè ſplenduit memoria S. Petri Cymbenſis, vulgo *del Barco*, cuius anamneſim ſcribemus, Deo annuente, infra Tom 6. Die I. Nouembris. Epiſcopi vita peruenit ad Annum M. CC.LVI. 1256

D. F. DOMI-



XXX. D. F. DOMINICVS huius nominis V. cognomento *Suarez*, Epiſcopus Abulenſis XXX. fuit Orator Regis Alphonſi Sapientis ad Alexandrum IV. Pont. Max. pro recuperatione Imperij Germanici. Obiit Anno M. CC. LXXII. 1272

XXXI. D. SANCTIVS huius nominis II. Epiſcopus Abulenſis XXXI. eius rerum geſtarum memoria periit, creditur obiiſſe Anno Domini M. CC. LXXX. nam ſequenti fuit electus ſucceſſor 1280

XXXII. D. F. AYMARVS huius nominis I. Epiſcopus Abulenſis XXXII. Alphonſi Sapientis iuſſu Romam adiuit pro recuperatione Imperij, ſed ſine fructu. Obiit Anno M. CC.LXXXIV. 1284

XXXIII. D. FERDINANDVS huius nominis I. Epiſcopus Abulenſis XXXIII. Regi Sanctio apud Valliſoletum commoranti plurima detulit fidelitatis obſequia. Obiit XV. Auguſti, Anno M. CC. XC. 1290

XXXIV. D. SANCTIVS huius nominis III. cognomento *Dauila*, Epiſcopus Abulenſis XXXIV. totius Regni Caſtellæ Notarius Maior, conſtruxit Monaſterium Sanctimonialium Ciſtercienſium S. Annæ, obiit Anno Domini M. CCC. LIII. 1353

XXXV. D. GVNDISALVVS huius nominis I. cognomento *dela Torre*, Epiſcopus Abulenſis XXXV. Eius memoria ad Annum M CCC. LVIII. 1358

XXXVI. D. ALPHONSVS huius nominis I. cognomento *de Cordoua*, Epiſcopus Abulenſis XXXVI. Eius memoria ad Annum M. CCC. LXIX. 1369

XXXVII. D. ALPHONSVS huius nominis II. Epiſcopus Abulenſis XXXVII. erexit auctoritate Pontificis Cœnobium Ieronymianum apud Guiſandum, Obiit Anno M. CCC. LXXVIII. 1378

XXXVIII. D. DIDACVS huius nominis IV. cognomento *de los Roëles*, Epiſcopus Abulenſis XXXVIII. Eius tempore tres Conuentus Religioſorum conſtruxit deuotio, ſcilicet Carmelitanum de vrbe, Mejoradenſe Ieronymianum, & Arenenſe Auguſtinianum. Obiit Præſul ad Annum M. CCC. XC. vel circiter. 1390

XXXIX. D. ALPHONSVS huius nominis III. cognomento *de Cordoua*, Epiſcopus Abulenſis XXXIX. in viuis erat Anno M.CCC.XCVII. vt patet ex Bulla Benedicti XIII. Antipapæ. 1397

XL. D. IOANNES huius nominis IV. cognomento *Guzman*, Epiſcopus Abulenſis XL. ex Epiſcopo Calagurritano, Obiit Anno Domini M. CCCC. XXIV. Die VI. Octobris. 1424

XLI. D. IOANNES huius nominis V. cognomento *Ceruantes*, Epiſcopus Abulenſis XLI. & S. R. E. Cardinalis, & Archiepiſcopus Hiſpalenſis: hanc ſedem dimiſit Anno M. CCCC. XLIV. Obiit Anno Domini M. CCCC. LIII. de eo plura Tom. 2. Die XI. Mart. fol. 198. 1444

XLII. D. F. LVPVS huius nominis I. cognomento *Barrientos*, Epiſcopus Abulenſis XLII. ex Sede Segobienſi tranſlatus, poſt Conchenſis, ex ordine Prædicatorum Ioannis II. Regis Confeſſarius; & Henrici IV. Magiſter, Salmanticenſis Academiæ Theologiæ ſacræ Primarius, hanc Sedem diſceſſit Anno M. CCCC. XLV. vitam Anno LX. 1445

XLIII. D. ALPHONSVS huius nominis IV. cognomento *Fonſeca*, Epiſcopus Abulenſis XIII. ex hac ſede ad Metropoliticam Hiſpalenſem tranſlatus eſt Anno M. CCCC. LIV. obiit M. CCCC. LXXII. 1454

XLIV. D. ALPHONSVS huius nominis V. cognomento *Toſtado*, Epiſcopus Abulenſis XLIV. ex Doctore Salmanticenſi, qui tantâ rerum ſacrarum cognitione excelluit, vt eo ſeculo doctior, & ſapientior

ſit

ſit inuentus nemo. Memoriam quoque eam habuiſſe fertur, quâ lecta à ſe c: ta veluti theſauro contineret. Laboris verò patientia vſque eò euenit, vt quod de Didymo Alexandrino iactatum ferunt, ænea habere inteſtina putaretur. Vixit ad Annum M.CCCC. L V. & in eius ſepulchro diſtichon hoc. 1455

*Hic ſtupor eſt mundi qui ſcibile diſcutit omne.*

XLV. D. MARTINVS huius nominis I. cognomento *Vilches*, Epiſcopus Abulenſis X L V. Obiit Die III. Nouembris, Anno Domini M. CCCC. LXIX. ſepelitur in Apoſtolorum Capella. 1469

XLVI. D. ALPHONSVS huius nominis VI. cognomento *Fonſeca*, Epiſcopus Abulenſis X L V I. pòſt Anno M. CCCC. L X X X V. tranſlatus ad Sedem Conchenſem, & demùm ad Oxomenſem, quâ obiit. 1485

XLVII. D. DIDACVS huius nominis V. cognomento *Saldaña*, Epiſcopus Abulenſis X L V I I. qui cùm regulam B. Mariæ de Mercede Redemptionis captiuorum profiteretur, Commendatarius factus, & Regum Catholicorum Confeſſarius obiit Anno M.CCCC. XCIII. 1493

XLVIII. D. F. FERNANDVS huius nominis II. cognomento *Talauera*, Epiſcopus Abulenſis X L V I I I. ex ordine S. Ieronymi Reginæ Catholicæ Confeſſarius, poſtmodum ex hac ſede Abulenſi ad Granatenſem tranſlatus Anno M. CCCC.XCIV. Obiit ſanctitatis opinione celebris Anno M. D. VII. 1494

XLIX. D. FRANCISCVS huius nominis I. cognomento *de la Fuente*, Epiſcopus Abulenſis XLIX. Decanus Toletanus, & Granatenſis, Orator ad Galliæ Regem pro concordia Comitatum Ruſcinonis, & Cerdaniæ, promotus ad Sedem Cordubenſem Anno M CCCC. XCVII. Obiit Menſe Septembri Anno M. CCCC. XCIX. 1499

L. D. ALPHONSVS huius nominis VII. cognomento *Carrillo*, Epiſcopus Abulenſis L. Canonicus Toletanus, & totius Ordinis Benedictini per Hiſpanias moderator, poſt Epiſcopus Cathanenſis apud Siculos, Pręſes I. Granatenſis; Obiit Anno M. D. XIV. 1514

LI. D. F. FRANCISCVS huius nominis II. cognomento *Ruiz*, Epiſcopus Abulenſis LI. ex ordine Minorum, primum Epiſcopus Ciuitatenſis. Obiit Anno M.D.XXVIII. 1528

LII. D. RODERICVS huius nominis I. cognomento *Mercado*, Epiſcopus Abulenſis L I I. ex Præſule Maioricenſi, & Vice-Rege Nauarræ S. Cruciatæ Commiſſarius Generalis, & Præſes Granatenſis: Obiit Die XXV. Ianuarij Anno M. D.XLVIII. 1548

LIII. D. DIDACVS huius nominis V I. cognomento *Alaua y Eſquiuel* Epiſcopus Abulenſis L I I I. vnus ex Conſiliariis Ordinum, Calatrauenſi Cruce ſignatus, Præſes Granatenſis, & Valliſoletanus, & tranſlatus ad Sedem Cordubenſem Anno M.D. LIX. & Obiit Die XVII. Martij Anno M. D. LXII. 1559

LIV. D. DIDACVS huius nominis VII. cognomento *De los Cobos*, Epiſcopus Abulenſis L I V. ex Archidiacono Caurienſi Valliſoletanus Auditor, & Supremi Generalis Inquiſitionis Conſilij Conſiliarius, poſt Anno M. D. LX. ad Giennenſem infulam tranſlatus, obiit Anno M. D. LXV. 1560

L V. D. ALVARVS huius nominis I. cognomento *Mendoza*, Epiſcopus Abulenſis L V. interfuit Concilio Compoſtellano: transfertur ad Sedem Palentinam Anno M.D.L.XXVII. Obiit Valliſoleti, Die XIX. Aprilis, Anno M.D.LXXXVI. Huius tempore vixere S. TERESIA à IESV, & Venerabilis MARIA DIAZ, vtraque Sanctitate illuſtris, de quibus plura in Chronicis Abulenſibus. 1577

L V I. D. ANTONIVS huius nominis I. cognomento *Mauricio de Pazos*, Epiſcopus



Epiſcopus Abulenſis L V I. ex Epiſcopo Siculo, poſtea Caſtellæ Præſes, cuius muneris penſum, vt agnouit, incompatibile cum Epiſcopatu fore, Sedem renuntiauit Anno M.D.LXXVIII. Poſtea fuit electus ad Cordubenſem vbi obiit Anno M.D.LXXXVI. 1578

LVII. D. SANCTIVS huius nominis IV. cognomento *Buſto de Villegas*, Epiſcopus Abulenſis LVII. qui fuit & Valliſoletanus Auditor, S. Generalis Inquiſitionis Conſiliarius, Archiepiſcopatus Toletani Gubernator, & Canonicus Hiſpalenſis. Obiit Anno M. D. LXXXI. 1581

LVIII. D. PETRVS huius nominis VI. cognomento *Fernandez Temiño*, Epiſcopus Abulenſis LVIII. ex Canonico Toletano, & Calagurritano Inquiſitore, ad Conſilium Supremum S.G. Inquiſitionis tranſlatus; Obiit XXIX. Auguſti Anno M. D. XC. 1590

LIX. D. IERONYMVS huius nominis II. cognomento *Manrrique*, Epiſcopus Abulenſis LIX. ex Carthaginenſi Sede tranſlatus, poſtea Generalis Inquiſitor; eius expenſis conſtructa Capella in Eccleſia Abulenſi S. SECVNDO dignoſcitur, ad quam eius Sanctum tranſtulit Corpus, vbi honorificentiſſimè cuſtoditur. Obiit Epiſcopus Madridij Pridie Kal. Septembris Anno M.D.XCV. ſepelitur in eadem Capella, & hoc Epitaphio Sarcophagus decoratur. 1595

D.D. HIERONYMVS MANRIQVE DE
LARA. OLIM CARTHAGINIS. IN
HISPANIA. POSTEA VERO ABVLENSIS.
EPISCOPVS. AC TANDEM. IN REGNIS
HISPANIAE GENERALIS INQVISITOR.
HOC SACELLVM
PROPRIIS IMPENSIS RELIGIONIS ERGO
CONSTRVXIT. ET. B. SECVNDO. PRIMO
ABVLENSIVM EPISCOPO
SACRAVIT.
OBIIT. PRID. KAL. SEPTEMBRIS. ANNO
DOMINI. M. D. XCV.

LX. D. F. IOANNES huius nominis VI. cognomento *Velazquez de las Cerebas*, Epiſcopus Abulenſis LX. ex Ordine Prædicatorum Prouincialis, & Archiducis Alberti Confeſſarius Obiit Anno M.D. XC.VIII. 1598

LXI. D. LAVRENTIVS huius nominis I. cognomento *Otadui*, Epiſcopus Abulenſis LXI. ex Canonico Conchenſi Epiſcopus Lucenſis in Gallæcia; Obiit Die IV. Decembris, Anno M.DC. XI. 1611

LXII. D. IOANNES huius nominis VII. cognomento *Aluarez de Caldas*, Epiſcopus Abulenſis LXII. ex Canonico Seguntino, Barcinonenſis Inquiſitor, & S. G. Inquiſitionis Conſiliarius, Prior Aracenenſis, & Epiſcopus Ouetenſis, & ex Abulenſi Sede ad Malacitanam tranſlatus Anno M. DC. XV. 1615

LXIII. D. FRANCISCVS huius nominis III. cognomento *Gamarra*, Epiſcopus Abulenſis LXIII. qui & fuerat electus Canarienſis, Aſtarienſis, & Carthaginenſis Præſul, Synodum Abulenſem congregauit, quâ finita obiit die XI. Decembris Anno M. DC. XVII. 1617

LXIV. D. IOANNES huius nominis VIII. cognomento *Gallo*, Epiſcopus Abulenſis LXIV. ex Valleſoletana Sede tranſlatus, obiit antequam poſſeſſionem Abulenſis acciperet Anno M. DC. XVIII. 1618

LXV. D. FRANCISCVS huius nominis IV. cognomento *Marquez de Gacéta*, Epiſcopus Abulenſis LXV. ex Conſiliario Caſtellæ, Valleſoletanæ Cancellariæ Præſes, Obiit Anno M. DC. XXXI. 1631

LXVI. D. PETRVS huius nominis VII. cognomento *Ciſontes*, Epiſco-

pus Abulenſis LXVI. ex Inquiſitore Conchenſi, Cordubenſi, & Granatenſi, Supremi S. G. Inquiſitionis fiſci Patronus, & S.E. Toletanæ Theſaurarius; obiit Anno M. DC.XXXVI. 1636

LXVII. D. F. ANTONIVS huius nominis II. cognomento *Perez* Epiſcopus Abulenſis LXVII. ex Ordine Benedictino, Scriptor nobilis, ex Sede Vrgellenſi, & Ilerdenſi Archiepiſcopus Tarraconenſis, ſcripſit Opuſcula ſequentia: Laurea Salmantina. Pentatheucum Fidei. Super Euangelia ſelectiſſima Commentaria Tomis IV. diſtincta. Aliud Super Epiſtol. ad Corinthios. Super Regulam S. Benedicti aliud. Item Sermones de Aduentu, & Quadrageſima Tomis IV. diuiſos. Obiit Kal. Maij, Anno M.DC. XXXVII. 1637

LXVIII. D. DIDACVS huius nominis VIII. cognomento *Arze, Reynoſo*, Epiſcopus Abulenſis LXVIII. Dominus meus, cuius auſpiciis, & impenſis hæc qualiacumque Commentaria digeſſimus; qui poſt obtentis apud Salmanticenſes publicis Cathedrarum ad vſque Primariam Legum muneribus, & ſtipendiis Collegii Conchenſis togatus, Granatenſis Cancellariæ Auditor effectus, Hiſpalenſis Regens, Supremi Caſtellæ Conſiliarius Senatus, Tudenſis Epiſcopus, & Abulenſis, quem obtinuit ad Annum M. DC. XXXIX. 1639
quo ad *Placentinam* Sedem tranſlatus eſt, è qua Generalis Inquiſitoris munus accepit Anno M. DC. XLIII. eamque dimiſit Anno M. DC. XLIX. cuius dimiſſio admiſſa fuit Anno M. DC. LIII. Adhuc in viuis eſt, *& ô vtinam viuat ad mei, & eruditorum protectionem!*

LXIX. D. IOANNES huius nominis IX. cognomento *Velez de Valdiuieſo*, Epiſcopus Abulenſis LXIX. ex Sede Lucenſi in Gallæcia ad hanc promotus, hinc ad Carthaginenſem vbi obiit Anno M. DC. XLV. 1645

LXX. D. IOSEPHVS huius nominis I. cognomine *Argaiz* Epiſcopus Abulenſis LXX. ex Epiſcopo Almerienſi in Bætica adhuc ſub honore baculi laborat.

Iſti ſunt illuſtriſſimi Præſules, qui *Abulenſem* Sedem feliciter moderantes eorum memoria in benedictione eſt. Plures Eccleſia hæc poſſidet Sanctorum RELIQVIAS, inter quas CAPVT Sancti Martyris DIONYSII *Areopagitæ* ſe iactat habere, quod in Sacrario venerabiliter cuſtodit, & eius feſtiuitatis die, ſolemni proceſſione factâ illud in Maiori Ara collocatur, & omnium ciuium plauſu, & deuotione veneratur; de quo teſtis ocularis ſumus, dum *Prouiſoris* munere fungeremur. Cætera quæ ad Præſules *Abulenſes* ſpectant, videre poterit eruditus apud *M. Ægidium Gonzalez Dauila*, Regium Chronographum. *Tom. 2. Theatr. Eccleſ. à fol.* 189. *& ſeqq.* licet cautè legendum erit opuſculum illud, quia Typographi incuria multa ſunt impreſſa à tanto Viro, & Hiſtoriæ Hiſpanicæ Magiſtro aliena.

*Caput S. Dionyſij apud Abulam.*





# IDIBVS IVLII.

## DIES XV.

*A.* Sexifirmij *in Hiſpania* S. EPOENETI *ipſius vrbis Epiſcopi, qui à* S. Petro Apoſtolo, *cuius erat Diſcipulus, ordinatus, & ibidem conſtitutus, ita in opere ſe geſſit commiſſo, vt* B. Pauli *mereretur encomium, tandem conſummato peregrinationis itinere, fuit ad æterna tabernacula tranſlatus.*

*B.* Secuntiæ *in Hiſpania* Depoſitio *ſacrorum pignorum* S. LIBERATÆ *Virginis, & Martyris* Hiſpanæ: *Quæ ſacra lipſana cùm primum in Cœnobio* S. Dorotheæ *Benedictinorum, ad vrbem* Florentiæ *in Italia ſeruarentur, Eccleſiæ* Secuntinæ *reſtituta, demum honorifice tranſlata illinc venerabiliter requieſcunt.*

---

# NOTÆ.

SANCTVS EPOENETVS, Epiſcopus *Sexifirmi* in Hiſpania.] Illum inter Domini Diſcipulos adnumerat Equilin. in *Catalog. SS.h.d.lib.* 6.*c.* 100. & Primus Cabilonenſ. *in Catalog. Diſcipulorum fol.* 120. qui hæc exſuxere ab Dorotheo in *Synopſ. De Septuagint. Diſcipul. Dom.n.*17.*fol. mihi* 273. vbi hæc verba: EPOENETVS, *cuius Apoſtolus in Epiſtola ad Romanos mentionem facit; Epiſcopus* Carthaginenſis *factus.* Sed cuius *Carthaginis* an Africanæ, an Hiſpanæ non exprimit. P.Biuar. ad *Dextr.Ann.*64.*n.*2.*fol.* 123. aſſerit nequaquam in Africana *Carthagine* illo tempore potuiſſe Pontificatum habere: nam his diebus præerat illi S. *Creſcens.* Pro Hiſpana *Carthagine* ſtat doctiſſimus Pater, & D. Franciſcus Caſcales *Hiſtor. Carthaginenſ. Diſcurſ. fin. c.*6.*fol.*425. quorum opinione moti & Nos inter Præſules Carthaginenſes ſupra *Tom I. Die XXIV. Ianuar. fol.* 278. repoſuimus. Sed contra hanc ſententiam vetuſtiores Chronographi clamant, audi Flauium Dextrum in *Chron. Anno* 50. Sedem S. Præſulis indigitantem: *Petrus vt Chriſti Vicarius* Hiſpanias *adiit; Imagines Antiochiâ delatas affert.* EPOENETVM Sexifirmij *in Bætica reliquit Epiſcopum.* Iulianum Archypresbyterum Toletanum in *Chron. Ann.*60.*n.*19. auſculta: *S.Petrus ad* Hiſpanias *ſe contulit. Vt Paſtor vniuerſalis oues inuiſit, illas præſentiâ ſuâ, doctrinâque nobilitat.* Firmij, *vel* Sexi-Firmij EPOENETVM *Epiſcopum reliquit.* Et in *Aduerſar.n.*196.*fol.*41. dicentem: *S. Petrus veniens ad* Hiſpaniam, *in Bætica reliquit Epiſcopum ad* Sexifirmium (*nunc vocatur* Frigiliana) EPOENETVM. Hanc controuerſiam dirimere conantur Biuarius, & Caſcales *ſupr.* dicentes, quod S. Petrus reliquit S. EPOENETVM *Sexifirmi* Epiſcopali decoratum infulâ, ſed poſtmodum ad Sedem *Carthaginenſem* Hiſpaniæ tranſlatum. Quorum aſſertioni

*A. Quâ vrbe Epiſcopus?*

*An Carthaginis Hiſpaniæ?*

*An Sexifirmij in Bætica.*

*Quid tenendum?*

aſſertioni adhæreo, vt *Dextri* & *Iuliani* auctoritas, necnon *Dorothæi*, *Equilini*, & *Cabilonenſis* placitum ſuſtineatur. Hinc liquet nullibi ſcriptum inueniri S. EPOENETVM fuiſſe Epiſcopum *Africanum*; nam vt Cardinalis Cæſar Baronius *Annal. Eccleſ. Tom. I. Ann.* 58. *n.* 56. aſſerit: *Nulla eius rei mentio reperitur apud* Africanos *Scriptores Eccleſiaſticos.* ergo ſignum eſt, nequaquam fuiſſe Epiſcopum Africanum. His ſic diſcuſſis venio ad ACTA, quæ licet nullus ſcripſerit, ea ex Patrum, & Scriptorum fragmentis, in floſculum coagulabimus.

*Nunquam fuit Epiſcopus Africanus.*

## *ACTA SANCTI EPOENETI Carthaginenſis in Hiſpania Epiſcopi, ex variis Scriptoribus.*

*Origo.*

EPOENETVS *ex Aſia (vt creditur) oriundus, & fortè primus qui in illis Regionibus Chriſto nomen dedit, cum illum Primitiuum Aſiæ in Chriſto vocitet Apoſtolus* Paulus, *cui valde charus fuit, vt ipſe teſtatur, ſcribens ad Romanos, quibus vt ſalutent* EPOENETVM *præcepit. Is igitur Beatiſſimus Vir adhærens* Petro *Apoſtolorum Principi, eius pediſequus factus, plurimas Prouincias, quas Apoſtolus ſuâ præſentiâ nobilitauerat, conluſtrauit. Nam cùm non diù Apoſtolus manſiſſet apud Romanos, & ſancto baptiſmo multos regeneraſſet, & Eccleſiam conſtituiſſet, Linúmque Epiſcopum ordinaſſet, venit* Tarraconam, *in qua cùm* Epaphroditum *ordinaſſet Epiſcopum, venit* Syrmium *ciuitates* Hiſpaniæ, *quo in loco cùm* EPOENETVM *conſtituiſſet Epiſcopum, deuenit* Carthaginem *ciuitatem* Africæ, *in qua* Creſcentem *ordinauit Epiſcopum. Huius igitur Africanæ peregrinationis Petri excurſum non inuiſit* EPOENETVS, *nam apud* Sexifirmium *ſiſtens, oues ſibi commiſſas Euangelij prædicatione roborauit, & multos ad fidem conuertens, veritatis pabulo ſaturauit, & catholici dogmatis illuſtratione nutriuit.*

*Comes peregrinationum S. Petri.*

*Hiſpanias adiit & Epiſcopus conſtituitur.*

POST *hæc cum plurimos deuiciſſet labores in conſtructione Eccleſiæ* Sexifirmienſis, *ad Sedem* Carthaginis Spartariæ *tranſlatus eſt, nam ſublato per martyrium* Baſilio *iſtius vrbis Epiſcopo, & S.* IACOBI *Diſcipulo, à quo infulam Carthaginenſem acceperat, protinus* EPOENETVS *in eius locum ſubrogatur: qui vt opus ſibi commiſſum totis viribus adimpleret, munus Euangelicæ prædicationis exercens, ſic manus ad aratrum appoſuit, vt breui multi, & quidem illuſtres prompto, & alacri animo fidei obedirent. In huius igitur negotij occupatione detentus, euenit, quòd* Paulus *Apoſtolus,* Hiſpaniæ *inuiſendæ cauſâ raptus, Romam deſerens,* Carthagine *ſoluit, cuius aduentum agnoſcens* EPOENETVS *ad Apoſtolum acceſſit, & eius officij munus Apoſtolo referens, quidquid in exercitij onere expleuerat recitauit. Cuius* Paulus *diligentiam conlaudãs aſſiduam, & vt in Domino operaretur commendans, exploſo S. Epiſcopi comitatu, in interiora* Hiſpaniæ *receſſit; ita vt omnes Regionis prouincias cordialiter viſitaret.*

*Carthaginis Spartaniæ Epiſcopus.*

*Ibi hoſpitatur Paulum Apoſt.*

VIX *igitur* Paulo *valedixerat* EPOENETVS, *quando ad operis admiſſi continuationem accenſus, Chriſti fidem prolixiùs prædicare conſtituit. Quod ſic totis viſceribus exequebatur, vt non tantùm viri, ſed & fœminæ nobiliſſimæ, relictis Idolorum erroribus, ad Chriſti veritatem, & Euangelij ſalutem accederent, ita vt etiam quæ impudicitiæ nexibus aſtringerentur, iamiam honeſtatis & pudicitiæ vota conquirerent. Hæc cùm Ethnici conſpectarent, libidinis furore obcæcati immaniſſimam aduerſus S. Pontificem perſecutionem excitare cœpere; quâ ſic S. Vir vndequaque ſeſe impetitum agnouit, vt prorſus illam quam huc vſque conceperat animi quietem breui temporis interuallo deperderet. Nec ex hoc ſpiritus fortitudo Præſulis cecidit, quinimo S. Spiritus robore vallatus, Gentilium errores frequentiori prædicatione detexit, & eorum ignorantias aperuit. Sed illorum tenax odium tanto præſumptionis conamine creuit, quòd S. Præſulem ab vrbe tumultuum concitationibus expelleret. Tunc* EPOENETVS *à propria Sede violentia Gentilium exul,* Hiſpaniæ

*Quanta pro fide paſſus?*

*Moritur.*

*circulos*



*circulos perluſtrauit, vbi perpeſſis innumerabilibus laborum anfractibus, tandem ad propriam Cathedram reſtitutus glorioſo fine quieuit* XV. Die Iulij *Anno* LXIV. *Imperante Nerone, & B. Petro Apoſtolo Pontificatum Romæ moderante.*

Hæc ſunt ACTA quæ de Sanctiſſimo Præſule coagulare potuimus, quorum ecphraſim illuſtrare præciſum. *De Aduentu S Petri in Hiſpaniam* plura diximus ſupra *Tom.* 3. *Die XXIX. Iun. lit. A.* De conſtitutione EPOENETI in Sede *Sexifirmienſi*, ſeu *Syrmienſi* Hiſpaniæ poſt *Dextrum*, & *Iulianum*; & alios, audi *Metaphraſtem* apud *Lipomanum*, & *Surium Tom.* 3. *in Vit. SS. Petr. & Pauli*, dicentem: *Venit* (Petrus) *Tarraconem, in qua cum Epaphroditum ordinaſſet Epiſcopum, venit* SYRMYVM *ciuitatem Hiſpaniæ, quo loco cùm* EPOENETVM *conſtituiſſet Epiſcopum venit* Carthaginem. En ex Simone Metaphraſte etiam roborata Noſtratum opinio. Cætera in Prolegomeno probata relinquimus; illud tantum deficit, de *Anno tranſitus*; hunc eueniſſe Anno Domini LXIV. liquet ex Dextr. *Ann.* 64. *Chron. num.* 2. his verbis: EPOENETVS *cùm multum, diúque in* Hiſpania *laboraſſet, tandem fine beato in vrbe ſua quieuit; dubium an Martyr.* Conueniunt Biuar. in *Commentar. d. n.* 2. *fol.* 123. Roder. Caro *lit. O. fol.* 22. Caſcal. *d. fol.* 425. *& alij.*

*Aduentus in Hiſpanias.*

*Quo anno moritur?*

SEXIFIRMIVM, SEX, FIRMIVM, & SYRMIVM. Sic vrbs hæc quadrupliciter vocitatur; vt pluribus probauimus ſupra *Tom.* 2. *Die XXVI. Martij fol.* 407. vbi diuerſorum opiniones recenſuimus. Hanc hodie vrbem eſſe FRIGILIANA in Regno Granatæ ſuſpicatur Iulian. in *Aduerſ. n.* 196. niſi ſit in textu gloſema. Quidquid ſit ea fuit Ciuitas in Hiſpania, vt ex ſupra relatis, & Simeone Metaphraſte patet.

*Topographia.*

B.

TRANSLATIO S. LIBERATÆ Virginis, & Martyris.] Huius Sanctiſſimæ Virginis & Martyris Diem agonis conſignat Eccleſia *XIII. Kalendas Auguſti*, quo die originem, paſſionem, & cæteras eius res geſtas compilabimus. Hoc etenim Die *vltimam* S. Virginis *Tranſlationem* ſacrorum pignorum S. E. concelebrat SEGVNTINA, vt ex eius *Tabulis Eccleſiaſticis* liquet; & ex Philippo Ferrar. in *Catalog. General. SS. h. d. fol.* 291. hac periodo: SEGONTIÆ *in Hiſpania Tranſlatio* S. LIBERATÆ *Virginis, & Martyris*, Conueniunt P. F. Ioann. Marieta *in Kalendar. SS. h. d.* & in *Topograph. SS. Hiſpan. lib.* 22. *verb.* Siguenza. *fol.* 40. *col.* 2. Balthazar Porreño *Hiſtor. S. Liberat. c.* 5. *fol.* 38. & 47. *cap.* 6. *fol.* 62. *c.* 8. *fol.* 79. *col.* 2. & *c.* 10. *fol.* 99. D. Didacus Portocarrer. in *Catalog. Epiſcop. Seguntinor.* §. 27. *fol.* 36. & §. 45. *fol.* 68. M. Ægidius Gonzal. Chronographus Regius in *Theatr. Eccleſ. Tom.* 1. *c.* 3. *fol.* 146. Dixi *Vltimam Tranſlationem*, quia plures factas inuenio, vt ex ACTORVM relatione patebit, quæ talis eſt:

*Scriptores.*

## *ACTA TRANSLATIONVM S. Liberatæ Virginis & Martyris, ad Seguntiam in Hiſpania collocatæ, ex variis Scriptorum ſchedis.*

LIBERATA *Virgo* Gallæcienſis *in Hiſpania filia C. Attilij Reguli, & ſoror* SS. Quiteriæ, *& aliarum Septem Virginum, & Martyrum Hiſpanarum vno partu editarum, poſtquam per varia cruciatuum certamina, ad coronam martyrij, Deo roborante peruenit, eius ſacrum Corpus à Chriſtianis noctu ſublatum honorifice tumulatum, diu apud* Amphilochium, *vbi agonem compleuerat, requieuit, per aliquot ſecula, donec tranſlatum creditur ad vnum ex Cœnobiis, quæ poſtmodum in* Gallæcia *conſtructa Benedictinorum fuere: à quo bellorum frequentium timore ad aliud Nagelenſe in Diœceſi Seguntina nuncupatum, deductum eſt, vbi per aliquot annos reconditum iacuit miraculorum frequentia, quo vſque* Bernardus *Epiſcopus* Seguntinus *S. Virginis, & Martyris deuotione compulſus ſacra eius pignora è Monaſterio* Nagelenſi *ad Eccleſiam Cathedralem* Seguntinam *transferre decreuit; ſed temporum, & accidentium turbine præpeditus illud perficere non valuit. Hinc Monachorum*

*Poſt martyrium Corpus honorificè ſepelitur.*

*Tranſlatio I. II. III.*

rum Nagelenſium temeritas cauſam arripuit, ne alius Seguntinus Præſul ſacras exuuias è Manaſterio deferret, vt eas ex Hiſpania perduceret, & in Italiam transferret, & apud vrbem Florentiam honorificè collocaret; melius eſſe Monachi arbitrantes ex tota Hiſpania ſacra lypſana Virginis, & Martyris exulare, quàm Seguntinæ Eccleſiæ, cuius erat Patrona, & Tutelaris Diua, piis precibus adhærere. AST cùm quotidie illius Sedis Pontificum, & totius diœceſis Ciuium vota pro recuperatione ſacrati Corporis raperentur, vllum lapidem non intermittere decreuere quem non mouerent, quouſque ad deſideratam reſtitutionis perfectionem totis viribus peruenirent. Annuit igitur Deus tantis Seguntinorum affectibus, & ideò quod olim Monachorum indiſcreta errauerat ignorantia, diuina efficaciter miſericordia ſubſanauit. Nam cùm ad Sedem Seguntinam Simon huius nominis I. cognomento Giron, Vir ſanctitate, & morum integritate celebris, doctrinâ, & eloquentia profundus adſcenderet, protinus ſuarum ouium deſideriis adhærens, ad reſtaurationem ſacrarum exuuiarum B. LIBERATÆ, ſuæ diœceſis Tutelaris animum applicuit, quod vt efficacius conſequeretur, Bonifacij VIII. Pontificis Maximi, cuius erat amicitiam ſæpius in cauſis grauioribus expertus, licentiam, interpoſitis ſupplicationum inſtantiis, obtinere curauit. Quarum Pontifex aſsiduitate permotus, & cognitâ Epiſcopi Simonis, totiuſque eius diœceſis iuſtitiâ, quâ noſcebatur, ſacra pignora Virginis, & Martyris occultè à Monachis ſublata, & Florentiam tranſlata contra Seguntinorum accolarum voluntatem, eoſque tanti theſauri ſpoliatos exiſtere, decreuit quòd D. LIBERATÆ Corpus integrum Simoni Epiſcopo, & fidelibus Seguntinis abſque mora reſtitueretur. Ita factum, & Corpus ſacrum Seguntiæ tranſlatum eſt Anno Domini M. CCC. ad cuius depoſitionem idem Epiſcopus argenteam arcam, & ſumptuoſum extruxit ſacellum, quo per duo, & amplius ſecula collocatum, per S. Virginis, & Martyris interceſsionem plurima eſt Deus impartitus miracula.

IV.

Simon Epiſcopus Seguntinus celebris.

Tranſlatio V.

DENIQVE Illuſtris Federicus à Portugali Epiſcopus Seguntinus, & poſtmodum Cæſarauguſtanus B. Virginis & Martyris deuotione compulſus aliud Regale Sacellum conſtruere decreuit, vbi honorificentius ſacra Patronæ pignora tranſlata, ſæculis ſui voti demonſtraret ſpecimen; ſic vt cogitauit, exegit, & ideo Anno Domini M. D. XXXVII. Die verò XV. Iulij ſacrum Corpus miræ fragantiæ odores ſpirans in arca argentea, lapideâ incluſâ, editis miraculis honorifice tranſlatum eſt. Nam eiuſdem B Virginis, & Martyris camiſia, adeò recenti ſanguine perfuſa viſa eſt, ac ſi heſternâ die effuſus eſſet. Ad hanc Tranſlationem conuenit vndique infinitus populus, & vt S. Virginis, & Martyris patrocinium cognoſceret, & indulgentiis à Sanctiſsimis Adriano VI. Clemente VII. & Paulo III. Romanis Pontificibus conceſsis, huiuſmodi Tranſlationi intereſſentibus, frueretur.

Federicus à Portugali Epiſcopus.

Tranſlatio VI. & vltima.

Hæc ſanctiſſimæ Virginis, & Martyris pignorum vltima TRANSLATIO adhuc hodie in Eccleſia Seguntina honorificè celebratur, licet etiam illius penultimæ à Simone Epiſcopi factæ in Antiphona vetuſti Breuiarij meminerit, dicens: Gaudeat Ciuitas Seguntina pro tanti honoris gloria, quia hodie coronatur in cœlis B. V. LIBERATA, cuius ſanctiſsimum Corpus, inclytus SIMON Epiſcopus in Arca argentea, & optimo loco cum magno honore repoſuit.

Memoria in Eccleſia Seguntina de Tranſlatione à Simone Epiſcopo facta.

NECNON de hac vltima Federici Epiſcopi TRANSLATIONE meminit Breuiarium Antiquum Seguntinum in Lect. I. Matutinal. hac ſerie: Deinde Illuſtris Federicus à Portugali ſub huius B. Virginis nomine Regale Sacellum conſtruxit, vbi S. Corpus XV. Iulij Anno Domini M.D.XXXVII. honorifice in arca argentea, lapidea introcluſa, miraculis editis tranſlatum eſt.

Et à Federico Epiſcopo completâ.

DECIMO-



# DECIMO-SEPTIMO

## Kal. Auguſti.

## DIES XVI.

A. Celebris eſt in HISPANIA feſtiuitas TRIVMPHI S. CRVCIS, cuius ſacrum ſignum in cœlis apparens, Alphonſo Caſtellæ Regi apud Nauas Toloſæ dimicanti aduerſus Sarracenos, miraculoſam victoriam deſignauit.

B. CORDVBÆ in Bætica Hiſpaniæ S. SISENANDI Diaconi, & Martyris, qui è Pacenſi vrbe, cuius erat ciuis, Cordubam, ſtudiorum amore raptus, pergens, inter S. Aciſcli Eccleſiæ miniſtros adſcriptus, ſuauiſsimum de ſe virtutis, & doctrinæ præbuit odorem; demùm pro fide Catholica à Sarracenis interemptus, martyrio palmam agonis in cœlis adinuenit æternam.

C. CAMPANIÆ in Italia S. DIODORI Martyris, qui cum aliis pro fide comprehenſus, martyrio coronatur. Cuius ſacra pignora apud Valentiam in Edetanis, in Collegio Patriarchæ D. Ioannis de Ribera honore debito cuſtodiuntur.

D. SECOBIÆ in Hiſpania Citeriori DEDICATIONIS Eccleſiæ Cathedralis eiuſdem vrbis feſtiuitas annuatur, cuius celebritas magnifico recolitur plauſu, & deuoto repetitur affectu.

# NOTÆ.

TRIVMPHVS S. CRVCIS.] Feſtiuitas hæc communis & propria eſt Noſtrarum Eccleſiarum Hiſpaniæ, vt ex officio à Summis Pontificibus conceſſo, & in Corpore Noſtrorum Breuiariorum incluſo liquet. Huius feſtiuitatis cauſam retulere Noſtrates præcipue Archiepiſcopus Toletanus D. Rodericus Scemenius Hiſtor. Hiſpan. lib. 8. c. 10. à quo Lectiones huius officij. P. Ioann. Mariana Hiſtor. Hiſpan. lib. 11. c. 23. & 24. Odoricus Raynaldus Annal. Eccleſ. Tom. 13. Ann. 1212. n. 29. Antonius Balinghen in Kalend. Marian. fol. 375. Ferreolus Locrius

A. Cauſa feſtiuitatis.

Scriptores.

in

*in Maria Auguſta lib.* 2. *c.* 2. §. *fin. fol.* 94. Argote de Molina in *Nobiliar. c.* 41. & 47. Ioannes Bonifacius *Hiſtor. Deipar. lib.* 3. *c.* 13. F. Alphonſus de Vargas *Hiſtor. Virgin. Hortenſ. fol.* 32. Quam & Nos referemus, prout abs *Roderico* Archiepiſcopo coagulatur:

## *ACTA EXPEDITIONIS VICTORIÆ Regis Alphonſi VIII. ad Nouas Toloſæ, cuius occaſione feſtiuitas* TRIVMPHI S. CRVCIS *in Hiſpania celebris eſt.*

*Mahomat vaſtat vrbes Chriſtianorum.*

*Saluam-Terram capit.*

*Edictum contra veſtes ſuperfluas.*

ALPHONSVS *Caſtellæ Rex huius nominis* VIII. *cognomento* Nobilis, *& aliis Bonus agnoſcens vaſtationes, quas in Chriſtianorum populis Agareni cum Rege* Mahomat *apud* Saluam-Terram *oppidum munitum expleuerant, exercitum ſuum in confinia* Talaueræ *congregauerat, & cum vellet dubiæ ſorti belli ſe committere, præcipue ad inſtantiam filij ſui primogeniti* FERNANDI, *maturiori vſus conſilio, mandauit in ſequentem annum belli dubia prorogari, cum vtilior ſit dilata opportunitas quàm audaciæ præceps temeritas. Agarenus autem adeptus præſidium* Saluæ-Terræ *cum magna ſuperbia ad propria eſt reuerſus.* Alphonſus *verò Rex* Nobilis *habito cum Archiepiſcopo, Epiſcopis, & Magnatibus diligenti conſilio, ore eius vniuerſis acclamantibus eſt prolatum, melius eſſe in bello voluntatem cœli ſub diſcrimine experiri, quàm videre mala Patriæ, & Sanctorum. Fecitque edictum per omnes Prouincias Regni ſui, vt milites, equites, & pedites relictis ſuperfluis veſtium, & aurificij, & ornatus cuiuſlibet, quæ ad rem non pertinent, armis vtilibus ſe munirent, & qui prius in ſuperfluis diſplicebant, nunc in neceſſariis, & vtilibus Altiſſimo complacerent. Omnes autem à minimo vſque ad maximum voluntati Regiæ paruerunt.*

*Toleti congregatur exercitus.*

*Toletanus Pontifex Iudex inter Nationes conſtituitur.*

*Petrus Rex Aragoniæ venit Toletum.*

VERTENTE *autem anno, eo tempore, quo ſolent Reges ad bella procedere, ab* ALPHONSO *Nobili citatis gentibus, congregatis armis, victualibus comparatis, necnon & omnium cordibus ad bellum erectis, factus eſt concurſus omnium apud* Toletum, *quæ ſola potuit ſui opulentiâ omnium neceſſitatibus non deeſſe. Tunc cœpit vrbs Regia repleri populis, abundare neceſſariis, inſigniri armis, diuerſificari linguis, variari cultibus. Nam zelo belli ex omnibus ferè Europæ partibus, ad eam diuerſarum nationum varietas concurrebat. Nec erat qui poſſet alicuius rei cauſari defectum, cum & ipſa Ciuitas ſui abundantiâ occurreret, & prodiga manus Nobilis Principis omnibus omnia neceſſaria miniſtraret. Concurſus autem venientium à Menſe* Februario *particularis incepit, & multiplicationis paulatim incrementa ſuſcipiens per totum vernum tempus, & ampliùs creuit turbarum multitudine copioſâ. Et quia diuerſarum Nationum varietas diuerſitate morum, linguarum, & cultuum diſcrepabat, de voluntate Principis in eadem vrbe eiuſdem vrbis Pontifex morabatur, vt diſſidentium varietas per eius induſtriam ſedaretur. Et ſic factum eſt per Omnipotentis Dei gratiam, qui ſuo nutu omnia diſponebat, vt nulla ſeditio, nulla perturbatio exorta fuerit, quæ potuerit belli negotium impedire, licet per hoſtem humani generis fuerit ſæpius attentatum. Et quia de die in diem creſcebat numerus bellatorum ſtigmata Domini in corpore ſuo portantium, ne intra vrbis anguſtias arctaretur, Regis* Nobilis *voluntas fuit, eorum commodis prouidere, extra vrbem circa vrbis fluenta* Tagi *delicioſa viridaria, quæ ob Regiæ grauitatis recreandam maieſtatem coalita fuerant, eis expoſuit, vt ſub vmbraculis arborum æſtus iniurias euitarent, ibique ex fructiferis arboribus conſtructis tabernaculis, vſque in diem proceſſus ad bellum in Regis ſumptibus permanſerunt. Octauo itaque die poſt feſtum, quo Chriſtiana Religio* Pentecoſtem *celebrat,* Petrus *Rex* Aragonum *Nobilis* Alphonſi *fidelis amicus, ſecundum fœdus apud* Concham *initum, dietis plus faſtu Regio feſtinatis, die præfixâ venit* Toletum; *vbi*



*vbi à Pontifice, & toto Clero proceſſionaliter eſt receptus, ibique in viridario Regis fixis tentoriis gentis ſuæ præſtolabatur aduentum.*

*Vltramontanorum Magnates, qui?*

*Ex Regno Aragoniæ qui?*

*Caſtellæ Concilia plurima militum copia.*

*Epiſcoporum nomina.*

ETIAM *venire cœperunt Magnates de partibus* Galliarum, Burdigalenſis, & Nanetenſis *Epiſcopi, multique Barones de iiſdem partibus, & Italiâ. Conuenerunt & ſimplices milites, necnon & de pedeſtri ordine plurima multitudo. Aduenit enim venerabilis* Arnaldus, *qui aliquando ſolitudine* Ciſtertij *functus, tunc regebat Eccleſiam* Narbonenſem, *& cum multitudine Citerioris* Galliæ *belligeris ſignis, & armis onuſtâ, Vrbem ingreſſus eſt* Toletanam, *in qua decenter à* Nobili *Rege, & eiuſdem vrbis Præſule receptus eſt. Conuenerunt etiam ad eandem vrbem plerique milites de partibus* Portugalliæ, *peditum verò copioſa multitudo, qui mirâ agilitate expeditionis onera facilè ſuſtinebant, & audaci impetu reportabant. Adhac Magnates Regis* Aragonum *ſtrenuitate inclyti, apparatu inſignes, armis, & equis honeſti,* Toletum *ad exercitum peruenerunt, inter quos fuerunt* Garſias *Romeri,* Eximinus *Cornelij,* Michael *de Luſia,* Aznarius *Pardi,* Gillermus *de Ceruaria Comes Empurenſis,* Raymundus *Fulconis, &* Guillelmus *de Cardona, & multi alij Principes, & Barones, & ſimplices milites, necnon balliſtariorum, & peditum copia gratioſa. Aderat in vrbe Regia cum* Nobili *Rege Magnatum ſuorum generoſa ſocietas, nobilitate, ſtrenuitate, & multitudine approbanda, quos ſic & morum elegantia, & curialitatis prærogatiua, & ſtrenuitatis ſupereminentia venuſtauerat, vt & in oculis hoſtium non ſolùm terribiles, verùm digni honoribus apparerent. Ciuitatum verò, & Oppidorum concilia, ſic copioſis phalangibus, & equis, & armis, & vehiculis, & victualibus, & omnibus ad bellum neceſſariis præmunita venerunt, vt non eſſent inter eos, qui aliquo indigerent, imò ſua aliis liberaliter communicarent. Fuerunt etiam ibi* Pontifices, *qui ſe, & ſua, pro vt Deus dedit, in ſumptibus, & laboribus deuotè pro fidei negotio impenderunt, in ſolicitudinibus vigiles, in officiis deuoti, in conſiliis prouidi, in neceſſitatibus largi, in exhortationibus ſeduli, in periculis ſtrenui, & in laboribus patientes. De Regno Caſtellæ* Rodericus *Archiepiſcopus* Toletanus, Tellius *Palentinus Epiſcopus,* Rodericus *Segontinenſis,* Menendus *Oxomenſis,* Petrus *Abulenſis, &* Dominicus *Placentinus. De Regno Aragonum* Garſias *Tyraſonenſis,* Berengarius *Barcinonenſis electus. De Seculari verò militiâ Regni Caſtellæ* Didacus Lupi de Haro, *Comes Fernandus de Lara, Comes* Aluarus, *& Comes* Gundiſaluus, *frater eius Comes* Lupus Didaci *de Haro,* Rodericus *Didaci de Camberis,* Gonſaluus *Roderici, & frater eius, & multi alij Nobiles, & magni, & ſtrenui, quorum nomina longum eſſet enumerare. Fuerunt etiam Fratres Calatrauæ ſub vno militiæ ſuæ Magiſtro* Roderico Didaci *(grata Deo, & hominibus fraterna ſocietas) Fratres militiæ Templi ſub vno Magiſtro* Gomezio Ramiri, *qui poſt bellum feliciter expirauit. Fratres etiam militiæ* Hoſpitalis, *qui fraternitatis charitati inſiſtẽtes deuotè zelo fidei, & terræ ſanctæ neceſſitate accenſi defenſionis gladium aſſumpſerunt, hi ſub vno Priore* Guterio Ermegildi. *Fratres etiã militiæ* S. IACOBI *ſub vno Magiſtro* Petro Ariæ. *Hi in partibus* Hiſpaniæ *multa opera militiæ decẽter egerũt. Multi etiam Chriſtianæ Religionis diuerſorum votorum, & profeſſionum milites Zelo, & compaſſione moti, inſigniti ſignaculo ſancto* CRVCIS *inibi conuenerunt. Omnibus igitur* Nobilis *Rex neceſſaria largâ manu eſt elargitus, & ſatisfacto omnibus per omnia* XII. Kalendas Iulij *exercitus Domini ab vrbe Regia eſt profectus: Vltramontani per ſe dato eis pro duce* Didaco Lupi *de Haro.* Petrus *ſtrenuus Rex* Aragoniæ *cum ſuis;* Alphonſus Nobilis *cum ſuis: qui licet ſeparatim procederent; modicum tamen ſpatium exercitus diuidebat. Primo die caſtra metati ſunt iuxta alueum* Guadararaz: *ſecundo iuxta* Guadacelet: *tertio iuxta* Algôdor. *Vltramontani verò iuxta* Daralferciam *caſtra fixerũt; & inde procedentes obſederunt præſidium* Malagonis, *& ſignum in bonum diuinâ gratiâ faciente, licet qui erant in arce ſatis viriliter ſe defenderent, inſtantiâ vero Vltramontanorũ, quæ magnâ ſtrenuitate feruebat pro Chriſti nomine mori deſiderans, virtutem*

*Magnatũ Caſtellæ.*

*Militiæ Cruce ſignatæ.*

*Exercitus profectio.*

*Malagon capitur.*

*reſiſtentium, & munitionum præſidium in nomine Domini minorauit, cepitque* Malagonem, *omnibus qui in eo erant interfectis. Sequentique die exercitus Regem aduenit, ibique ſubſtitit vno die, ſed licet aliquantulum victualia defecere, tamen occurrit induſtria Regis* Nobilis, *& fecit ea copioſiſſime exponi.*

*Agarenorum ſtratagema ad Calatrauam.*

INDE *igitur procedentes omnes pariter (inquit Archiepiſcopus Rodericus) peruenimus* Calatrauam. *Agareni autem qui inibi rebellabant, excogitauerunt tribulos ferreos fabricare, & per omnes tranſitus Anæ fluminis proiecerunt, & quatuor habentes aculeos, qualitercunque caderent, vno eorum erecto, pedibus hominum, & equorum vngulis figerentur. Sed quia humana artificia contra Dei prouidentiam nihil valent, ſic Deus voluit, vt pauciſſimi, vel nulli ferè illis tribulis læderentur, & gratiæ Dei manu ſuppoſitâ tranſiuimus flumen* Anam, *& Caſtra metati fuimus in circuitu* Calatrauæ. *Agareni autem Oppidum illud ſic in ſummitatibus turrium armis, & vexillis, & machinis munierant, vt volentibus expugnare ſatis difficile videretur. Præterea licet ſit oppidum illud in plano, tamen ex vna parte muri eius per tactum fluminis inacceſſibile inuenitur: ex aliis partibus ſic muro, & antemurali, foſſatis, & turribus, & propugnaculis eſt munitum, vt abſque longa machinarum impugnatione captu impoſſibile reputaretur. Erat autem ibi Agarenus quidam nomine* Aben-Haliz *longâ armorum aſſuefactione aſſuetus, & bellorum exercitia frequenter expertus. De huius induſtriâ plus ſe ipſis confidebat populus obſeſſorum, licet eſſet ibi in præſidio quidam* Almohat, *qui præſidij cuſtodiæ præſidebat. Cúmque in obſidione per dies aliquot moraremur, & Reges cum Principibus de impugnatione præſidij dubitarent, poſt longos tractatus, placuit omnibus non relinquere oppidum intentatum, licet impugnatio difficilis videretur. Plerique autem meliùs iudicabant, cœpto itinere ad bellum procedere, quàm impugnationibus caſtrorum inſiſtere, præſortim cum in talibus, & ſtrenui periclitentur, & exercitus fatigetur, cùm & ius adquiſitionis, & retentionis talium pendeat ex fine belli. Aſſumptis itaque armis, lociſque Oppidi ſpecialiter Regibus, & Principibus aſſignatis, voce fidei eleuatâ, Oppidum ſunt aggreſſi. Sicque per Dei gratiam factum eſt, vt die Dominicâ poſt feſtum* S. Pauli, *expulſis Arabibus, fuit* Calatraua *Regi* Nobili *reſtituta, quæ ſtatim à fratribus, qui dudùm ibidem reſederant, fuit munita, & Chriſtiano nomini redonata.* Nobilis *autem Rex de omnibus ibidem inuentis, nihil ſibi retinuit, ſed* Vltramontanis, *& Regi* Aragonum *cuncta ceſſit. Sed quoniam humani generis inimicus non ceſſat Chriſtianis actibus inuidere, miſit Satan in exercitum charitatis, & in corda æmulantium venena reſipiſcentiæ, quibus omnia turbauit, & qui ad certamen fidei ſe accinxerant, retrorſus à bono propoſito abierunt. Omnes enim ferè Vltramontani communi propoſito ſtatuerunt, vt relictis* Crucis *ſignaculis, omiſſis etiam belli laboribus, ad propria remearent. Rex autem* Nobilis *ſuorum victualia compartitus, quantum neceſſe erat omnibus eſt elargitus, ſed nec ſic propoſiti cœpta obſtinatio potuit reuocari, imò paſſim omnes inglorij receſſerunt, excepto Venerabili* Arnaldo *Narbonenſi Antiſtite, qui cum omnibus, quos habere potuit, & multis nobilibus de prouincia* Viennenſi, *ſemper in bono conſtans, à bono propoſito non receſſit: & erant etiam circiter Centum, & Triginta Milites, præter pedites, de quibus etiam aliqui remanſerunt. Etiam de partibus* Pictauiæ *remanſit* Theobaldus de Balzon, *homo nobilis, & ſtrenuus, & natione* Hiſpanus, *& genere* Caſtellanus. *Rex* Aragonum *cum omnibus ſuis vſque ad finem permanſit, indiſſolubili dilectione Regi* Nobili *fœderatus, & quia ſicut dicit Salomon:* Si poſſides amicum in tentatione poſſide illum: *hic probari potuit, quiſque qualiter diligebat. Sed quoniam diligentibus Dominum omnia cooperantur in bonum, licet ſchiſmatis huius periculoſus exitus timeretur, omnia tamen cœperunt de die in diem felicius proſperari.*

*Calatraua obſidetur.*

*Vrbis munitiſſimum præſidium.*

*Capitur, & reſtituitur Regi.*

*Vltramontani ab exercitu recedunt.*

*Recedentibus*



*Recedentibus itaque his qui* Crucem *Domini in* Angaria *receperunt, ſolì* Hiſpani *cum aliis* Vltramontanis *paucis ſuperius nominatis proficiſci cœperunt ad bellum Domini confidenter, & primò venerunt* Alarcuris, *ibique caſtra metati Municipium occuparunt, necnon Caſtella alia in vicino. In eadem manſione aduenit* Sanctius *Rex* Nauarræ, *qui licet à principio ſimulaſſet nolle venire, cùm ad diſcrimen peruentum fuit, ſtrenuitatis ſuæ gloriam à Dei ſeruitio non ſubſtraxit. Sicque Regum ternarius in SSS. Trinitatis nomine proceſſerunt; & primo die caſtra metati ſunt in circuitu* Saluæ-Terræ. *Dominicâ die ſequenti viſum fuit Regibus, & Principibus, vt totus exercitus armaretur, & etiam omnia tanquam ad bellum diſponerentur. Et per Dei gratiam talis apparuit multitudo armis, & ſignis, & equis ornata, vt intuentibus nobilis hoſtibus, & terribilis appareret, nobis amabilis, bello expediens diſceſſum abſentium compenſaret, ita quòd etiam corda Magnanimorum creuerunt, puſillanimes confortati, dubij confirmati, & diſcedentium ſchiſma, quod multos terruerat, receſſit à cordibus timidorum. Ibique etiam die altero ſpectantes, pòſt peruenimus ad aliam manſionem quæ dicitur* Fragineda. *Tandem peruenimus ad aliam eius nominis. Tertio verò die ad aliam manſionem in radice Montis* Muradal, *quæ dicitur* Guadalfajar.

INTEREA *dùm hæc agerentur* Mahomat *Rex Agarenorum prope* Giennum *congregauerat gentes ſuas, ibique præſtolabatur exercitum Chriſtianorum. Nec erat ei cordi pugnare, quia verebatur auxilia peregrina, ſed vt in reditu inſiliret, vt fortè Chriſtiani fatigati laboribus, diminuti mortibus, ei reſiſtere non valerent. Et ideò fortè conſilio Altiſſimi factum eſt, quod aduentitij diſcederent. Poſt diſceſſum enim eorum quidam initiati diabolo, clanculò de exercitu noſtro ſe furantes ad Arabes transfugerunt, eis ſtatum Chriſtiani exercitus, & defectum victualium detegentes, qui tamen ceſſauerat poſt diſſidium* Calatrauæ. *Sicque procurante prouidentiâ, quæ in ſui diſpoſitione non fallitur, fuit factum, vt Agarenus, mutato conſilio, aſſumptâ audaciâ, præſumens gloriam à partibus* Giennij *proceſſit contra nos properans,* Beatiam *vſque peruenit, & aliquos inde miſit ad* Nauas Toloſæ, *vt in anguſtia tranſitus, vbi eſt rupis ferè inuia, alueique vorago, Chriſtianorum tranſitum impedirent. Et ſi Chriſtiani ſummitatem Montium non cepiſſent, in Montis ſupercilio reſiderent, vt aſcenſum exercitus Domini prohiberent, ſicut capti in bello poſtea narrauerunt. Hac intentione obſeruabant tranſitum, vt tandem deficientibus victualibus, affecti tædio, & ediâ rediremus. Domino autem aliter faciente,* Didacus Lupi de Haro, *cui ducatus exercitus erat commiſſus, præmiſit filium* Lupum Didaci, *& duos Nepotes eius* Sanctium Fernandi, *&* Martinum Munionis, *vt præcederent ad Montis ſupercilia obtinenda. Verùm cùm illi de ſtrenuitate confiſi, aliquantulum procederent improuiſi, in ſummitate Montis, iuxta* Caſtrum, *quod* Ferral *dicitur, quoſdam Arabes inuenerunt, qui inſultum facientes in eos, ferè læſiſſent, niſi diuinâ gratiâ operante, acceptis armis prædicti Chriſtiani cum ſuis Arabes viriliter repuliſſent, & ſummitatem Montis per Dei gratiam obſeruarunt, ita quod ſtatim fixis tentoriis inibi remanſerunt. Quintâ autem feriâ circa horam Nonam venimus ad pedem montis, & eadem die plerique de Noſtris ad Montis ardua conſcenderũt: maior verò pars circa* Guadalfaxar *alueum remanſerunt. Sextâ feriâ in mane Tres Reges,* Alphonſus *de Caſtella,* Petrus *de Aragonia,* Sanctius *de Nauarra, inuocato nomine Domini aſcenderunt, ibique in quodam decliuo Montis fixis tentoriis reſederunt, & eadem die occupatum fuit à Noſtris* Caſtrum Ferral, *ſub quo ſunt quædam voragines, & in rupe anfractus, & Scopulorum præcipitia iuxta* Toloſam, *& tanta eſt ibi anguſtia tranſitus, vt etiam expeditos impediat difficultas. Ibique quædam phalanges Agarenorum per diem illum, & partem ſequentis Chriſtianorum tranſitus obſeruabant, ibique frequenter, illo die inter Noſtros, & ipſos quædam belli præludia interceſſerunt, ita quòd ex vtraque parte aliqui, non tamen plurimi ceciderunt. Dum hæc*

*Hiſpani bellum proſequuntur.*

*Sanctius Rex Nauarræ aduenit.*

*Oppida manſionũ.*

*Mahomat Rex Agarenorum dubitat de congreſſu.*

*Ad Nauas Toloſæ munitionem emittit.*

*Montis Ferral ſummitatem capiũt Chriſtiani.*

*Caſtrum occupant.*

 *age-*

*Impoſſibilitas tranſitus multos deterret.*

agerentur, Regum, & Principum deliberatio eligebat, quà eſſet ſine periculo procedendum, nam tranſitus Toloſæ non erat poſſibilis ſine damno. Et cum iam exercitus Agareni vicinior nobis eſſet, necnon & eius tentorium rubeum appareret affixum, diuerſorum de proceſſu exercitus diuerſæ ſententiæ ferebantur. Aliqui enim attendentes impoſſibilitatem tranſitus, retrocedere conſulebant, & per locum faciliorem ad Agarenorum campeſtria tranſmeare. Ad hoc Nobilis Alphonſus Rex Caſtellæ dixit: Et ſi hoc conſilium diſcretione fulgeat, periculum ſecum portat. Populus enim, & alij inexperti cùm Nos retrocedere viderint, non bellum quærere, ſed bellum fugere iudicabunt, & fiet diſceſſio in exercitu, nec poterunt retineri. Sed ex quo in vicino hoſtes proſpicimus, ad eos neceſſe eſt vt eamus. Sicut enim fuerit voluntas in cœlo, ſic fiat.

*Conſilium Regis Alphonſi prævalet.*

Cúmque hoc conſilium Nobilis Regis prævaluiſſet, Deus Omnipotens, qui negotium ſpeciali gratiâ dirigebat, miſit quendam hominem plebeium, ſatis deſpicabilem, & habitu & perſonâ, qui olim in Montanis illis pecora pauerat, & cuniculorum, & leporum ibidem captioni inſtiterat: is oſtendit facilem viam, omnino poſſibilem per decliuum lateris Montis eiuſdem. Nec oportet ab aſpectu hoſtium occultari, & ipſis videntibus, nec impedire valentibus, venire ad locum pugnæ congruum poteramus.

*Paſtoris cuiuſdam veritas comprobatur.*

SED quia in tanto diſcrimine tali perſonæ vix credi poterat, duo Principes præceſſerunt, Didacus Lupi de Haro, & Garſias Romerij, vt ſi inuenirent eſſe vera, quæ Paſtor dixerat, Montem quendam in ſummitate ſui habentem planitiem occuparent. Et dante Domino ſic euenit, vt ille tanquam Dei nuntius, qui infirma mundi eligit, verax inueniretur: & prædicti Principes Montis planitiem occuparunt, & Tres Reges die Sabbathi ſummo mane, ſuſceptâ benedictione Pontificali, & gratiâ Sacramenti ad prædictum Montem cum ſuis agminibus peruenerunt. Caſtrum Ferral, quaſi omnino tunc inutile eſt dimiſſum. Ipſi tamen credentes, Nos à prælio deuiare, eo quòd Toloſæ tranſitum non ſeruauimus, prædictum. Caſtrum cum magna lætitia occuparunt.

*Reges Montis planitiem occupant.*

Reges itaque poſtrema exercitus obſeruantes cun toto comitatu ad ſuos Principes, qui præceſſerant, peruenerunt. Quod attendentes Agareni non eſſe ſubterfugium, ſed proceſſum, grauiter doluerunt, & proſpicientes tentoria, quæ in prædicti Montis cacumine figebantur, cateruam militum deſtinarunt, vt à metatione caſtrorum primos agminis cohiberent. Nec enim propter viæ anguſtias porrecto agmine procedere cogebamur: cum Noſtris autem diutius confligentes, Domino faciente, viriliter Arabes ſunt repulſi; & Noſtri occupatâ planitie Montis, per Dei gratiam caſtra feliciter locauerunt. Hinc tentoriis vix metatis, videns Rex Agarenorum, quòd in obſeruatione tranſitus nihil ei proderant inſidiæ, neque doli, diſpoſitis aciebus, eadem die proceſſit ad campum, & præcipuam aciem, quæ eius erat cuſtodiæ deputata, ſuper quodam promontorio, ad quod erat difficilis aſcenſus, nobiliter collocauit, cæteris ſuis aciebus à dextris, & à ſiniſtris, prudentiſſimè ordinatis, & ibi ab hora Sexta, vſque ad veſperum ſpectarunt, putantes Nos eo die ad prælium proceſſuros.

*Mahomat acies ad bellum parat.*

Sed conſilij conſideratione habitâ, prouiſum fuit, vt bellum vſque ad Secundam feriam differretur, eo quòd equi erant Montium difficultate vexati, & exercitus fatigatus, vt etiam ſtatum eorum, & proceſſum poſſemus, in iſto medio, contueri. Cúmque intellexiſſet Agarenus, quòd non procedebamus ad bellum, elatus in gloriam, non ex cautela, ſed prouenire credidit ex timore.

*Eius arrogantia & elatio.*

Vnde Epiſtolas miſit Beatiam, & Giennum, quòd Tres Reges obſederat, intra triduum capiendos. Tamen aliqui altiùs cogitabant. Sequenti die Dominicâ, ſummo mane iterum egreſſus eſt Agarenus in campum, vt pridie, & manſit in campo vſque ad meridiem, diſpoſitis aciebus, & ad æſtus iniurias repellendas adlatum fuit tentorium rubeum ad vmbraculum Mahomat diuerſis artificiis adornatum, ſub quo glorioſius debito reſidens, conflictum, faſtu Regio expectabat.

*Chriſtianorum pietas.*

Nos verò ſicut pridie fecimus, eorum exercitum attendentes, obſeruatis caſtris, deliberabamus, qualiter in craſtino procedere deberemus. Toletanus



tanus autem, & cæteri Pontifices per ſingularum Ciuitatum, & Principum manſiones verbum exhortationis, & indulgentiæ deuotiſſimè proponebant. Eo die Illuſtris Rex Aragonum, conſobrinum ſuum Nuntium Sanctij accinxit cingulo militari. Agareni etiam in modum torneamenti circa vltimam partem caſtrorum, quædam belli præludia attendebant. Tandem inter Sextam, & Nonam, poſt longam expectationem Agareni ad locum, quo caſtra metati fuerant, ſunt reuerſi.

*Acierum diſpoſitio.*

SEQVENTI verò die circa mediam noctem vox exultationis, & confeſſionis inſonuit in Tabernaculis Chriſtianorum; & per vocem præconis inclamatum eſt, vt omnes ad bellum Domini ſe armarent. Celebratis itaque Dominicæ Paſſionis myſteriis, & factâ confeſſione, ſumptis Sacramentis, acceptis armis, ad campi certamina proceſſerunt. Diſpoſitíſque aciebus (ſicut iam dudum fuerat pertractatum inter Principes Caſtellanos) Didacus Lupi cum ſuis habuit primos ictus: Mediam aciem Comes Gonſaluus Nunij cum fratribus Templi, & Hoſpitalis, & Vcleſij, & Calatrauæ: Collateram habuit Rodericus Didaci de Camberis, & Aluarus Didaci frater eius, & Ioannes Gonſalui, & alij nobiles cum eiſdem:

*Caſtellanorum acies.*

In vltima acie Nobilis Rex Alphonſus, & Rodericus Archiepiſcopus Toletanus cum eo, & alij Epiſcopi ſupra dicti. De Baronibus Gonſaluus Roderici, & frater eius Rodericus Petri de Villa-Luporum, Suerius Telli, & Fernandus Garſiæ, & alij. In qualibet autem iſtarum acierum erant communia Ciuitatum, ſicut fuerat ordinatum.

*Aragonij acies.*

Strenuus autem Petrus Rex Aragonum exercitum ſuum diſpoſuit in totidem aciebus. Primos ictus habuit Garſias Romerij: Secundam aciem Eximinus Cornelij, & Aznarius Pardi: In vltima fuit ipſe cum aliis Magnatibus Regni ſui. Similiter & in collaterali acie alios de ſuis nobilibus collocauit. De communibus etiam Ciuitatum Caſtellæ habuit ipſe ſecum. Rex Nauarræ Sanctius ſpeciali ſtrenuitatis prærogatiuâ præcipuus, cum ſuis à dextris Regis Nobilis procedebat, & in comitatu ſuo communia Ciuitatum Segobiæ, Abulæ, & Medinæ. Diſpoſitis itaque aciebus, eleuatis ad cælum manibus, directis ad Deum oculis, cordibus ad martyrium excitatis, protenſis vexillis fidei, & nomine Domini inuocato, ad belli diſcrimina omnes pariter peruenerunt. Primi autem, qui primos ictus dederunt in acie Didaci Lupi de Haro, fuerunt ſuus filius & Nepotes ſuperius nominati ſtrenui, & audaces. Agareni verò in ſummitate quadam præſidium inſtar atrij firmauerunt de ſcriniis ſagittarum, infra quod erant præcipui peditum collocati, ibidemque Rex eorum reſedit habens iuxta ſe enſem, induens cappam nigram, quæ fuerat Abdel-Mumi, qui fuit principium Almohadum, & librum etiam ſectæ nefariæ Mahometi, qui dicitur Alchoranus.

*Regis Mahomat ſitus, & forma.*

Extra atrium erant aliæ acies peditum, quorum quidam tàm de interioribus, quàm de exterioribus ſibi ad inuicem colligatis, vt quaſi de fugæ præſidio deſperarent, conſtanter belli inſtantiam ſuſtinebant. Erat autem exterius ante atrium acies Almohadum militaris, equis, & armis, & infinitâ multitudine terribilis in aſpectu: à dextris autem ipſorum, & à ſiniſtris erant Arabes velocitate; & lancearum agilitate nocui inexpertis, qui & fugiendo impetum, & fugati ampliùs inſoleſcunt.

*Almohadum & Arabum officia & mores in bello.*

In planitie verò vbi volubilitati non obeſt anguſtia, nociuiores reperiuntur. Hi ſimiles Parthis, ſagittarum inſiſtunt negotiis, & in clauarum ponderibus vaſa ferunt vertiginis, & hi, & illi extraordinariis vagationibus intenti acierum ordinem non obſeruant; vt aduerſarios incurſionibus turbent, & ſuis ordinatè venientibus, ruptis agminibus, ex aduerſo graſſandi tribuant facultatem. Sed & iſtorum, & aliorum innumerabilem multitudinem, nullum credo de Noſtris potuiſſe veraciter extimare, niſi quòd poſtea ab Agarenis audiuimus, quod erant octuaginta millia militum, peditum verò turbæ non poterant numerari. Ad hæc dicebantur adeſſe quidam Agareni de partibus Azdore prope Marrochium minus accepti in oculis Regis ſui. Hi equis relictis, Regi ſuo, vt eius gratiam compararent, pedites aſtiterunt, & ex his omnibus nullus creditur euaſiſſe. Aſtabat etiam Regi eorum

quædam acies ſtupendâ multitudine ſtipata, & militaribus inſignibus mirabiliter adornata.

*Belli congreſſus incipitur.*

AGARENI autem ferè immobiles in loco manentes cœperunt repellere primos Noſtrorum, qui aſcendebant per loca ſatis congreſſui importuna, & in his repulſis aliqui ex Noſtris congreſſoribus, difficultatibus fatigati, aliquantulum ſubſtiterant. Tunc aliqui ex mediis aciebus Caſtellæ, & Aragoniæ in vnum agmen ad primas acies conuenerunt, & fuit ibi commotio magna, & res dubio periculoſa, ita vt etiam aliqui, non tamen de Magnatibus, viderentur fugæ præſidio inhiare; Sed primi & medij ex Aragonia, & Caſtellâ coniunctim congreſſui inſiſtebant, & collaterales acies etiam cum Agarenorum aciebus acriter dimicabant, adeò quod quidam eorum terga vertentes fugere viderentur. Quod attendens Alphonſus Nobilis, videnſque quoſdam plebeiâ vilitate, quid deceat non curare, dixit (omnibus audientibus) Pontifici Toletano: Archiepiſcope, Ego, & Vos hic moriamur. Qui reſpondit ei: Nequaquam, imò hîc præualebitis inimicis. Rex autem inuictus animo: Feſtinemus (inquit) primis ſuccurrere in periculo conſtitutis. Tunc Gonſaluus Roderici & fratres eius proceſſerunt ad primos. Fernandus verò Garciæ, vir ſtrenuus, & in militia induſtrius, retardauit ipſum Regem, conſulens, vt obſeruato moderamine procederent ad ſuccurſum. Tunc Rex inquit iterum: Hic Archiepiſcope moriamur, talis enim, & in tali articulo Nos decet. Et ille: Si Deo placet, corona victoriæ, non mors inſtat: Sin autem aliter Deo placuerit, vobiſcum mori omnes communiter ſumus parati. In his autem omnibus (teſtificor coram Deo) Nobilis Rex non mutauit vultum, nec geſtum ſolitum, nec loquelam, imò viriliter, & conſtanter, vt leo imperterritus, aut mori, aut vincere firmus erat, nec diutius valens tolerare primorum periculum, feſtinato greſſu, vſque ad atrium Agareni, dante Domino, hilariter vexillorum inſignia peruenerunt. Crux verò Domini, quæ coram Toletano Pontifice conſueuerat baiulari, præferente eam Dominico Paſchaſij Canonico Toletano, per Agarenorum acies miraculosè tranſiuit, & ibidem illæſo baiulo, ſine ſuis vſque ad finem belli, ſicut Domino placuit, perdurauit. Erat autem in vexillis Regum Imago B. MARIÆ Virginis, quæ Toletanæ Prouinciæ, & totius Hiſpaniæ ſemper tutrix extitit, & patrona. In cuius aduentu acies illa mirabilis, & turba innumerabilis, quæ hactenus ſatis immobilis permanebat, & rebellis Noſtris obſtiterat, cæſa gladiis, fugata lanceis, victa ictibus terga dedit. Tunc CRVX Alphonſo, quàm plurimiſque aliis in aëre viſa eſt, & quia primus qui eam viderat ex familia REYNOSI erat, ex tunc Rege Nobili iubente, illi, & cæteris de eius familia CRVX pro inſigni data eſt, quam hucuſque in parmis geſtant. Tunc ad inſtantiam germani ſui, qui Zeit Aben Zeit vocabatur, Rex Agarenus iumento varij coloris inſidens fugæ præſidio ſe commiſit, & cum quatuor militibus periculi ſociis Beatiam vſque venit, & Beatenſibus, quid facerent, ſciſcitantibus, dicitur reſpondiſſe: Nec mihi, nec vobis poſſum conſulere, Dominus ſit vobiſcum. Ibique mutato iumento, Giennium eâ nocte peruenit. Interea Aragonenſibus ex ſuâ, Caſtellanis ex ſuâ, Nauarris ex ſuâ parte inſtantibus cæſa ſunt multa Millia Agarenorum. Quo viſo, & audito Toletanus Pontifex hæc verba dixit Nobili Regi: Eſtote memor gratiæ Dei, quæ omnes defectus in Nobis ſuppleuit, & opprobrium aliquando toleratum hodie releuauit. Eſtote etiam memor veſtrorum militum, quorum auxilio ad tantam gloriam perueniſtis. His & aliis ad hunc modum dictis, ipſe Toletanus, & alij Pontifices qui ſimul aderant, cum lachrymis deuotionis, in laudis Canticum, eleuatis vocibus proruperunt, dicentes: Te Deum laudamus, Te Dominum confitemur. Campus autem ſic Agarenorum ſtrage plenus erat, vt etiam in robuſtiſſimis equis, vix ſuper eorum cadauera abſque periculo tranſiremus. Erant autem Agareni, qui iuxta prædictum atrium inuenti ſunt, ſtaturâ proceri, pinguedine dilatati, & (quod mirabile eſt

*Alphonſi Regis Conſtantia.*

*Crux Præſulis Toletani miraculosè cuſtodita.*

*Crux apparet in cœlo.*

*Mahomat Beatiam fugit.*

*Præſules canticis gratias agunt Deo.*



eſt dictu) licet iacerent in omnibus partibus corporis detruncati, & iam à pauperibus ſpoliati, in toto campo nec ſignum ſanguinis poterat inueniri. Quibus peractis Noſtri gratiæ Dei terminum nolentes imponere, per omnes partes vſque ad noctem eos infatigabiliter ſunt ſecuti, & ſecundun exiſtimationem creduntur circiter bis Centum Millia interfecta: de Noſtris autem vix defuere Viginti Quinque. Iſte belli finis; quare, & quod Chriſtianis ſymbolum, ac inſigne CRVX erat, Triumphus S. CRVCIS hæc præclara victoria compellata eſt, obtenta XVII. Kalendas Augusti, Anno Domini M.CC.XII.

*Occiſorum numerus de Agarenis, & Chriſtianis.*

En ACTA victoriæ, quæ abs Roderico Archiepiſcopo Toletano mutuauimus: Cætera apud ipſum prolixiora, & apud alios rerum Hiſpanicarum Scriptores, præcipuè apud P. Ioannem Mariana lib. 11. c. 24. qui c. 25. refert Epiſtolam, totum belli euentum continentem, quam Rex Alphonſus miſit Innocentio III. Pontifici Maximo, & Nos in Triumphis Catholicis ope MARIÆ Virginis perceptis Tom. I. Secul. 13. Triumph. 43. etiam aliam Epiſtolam reſponſiuam Innocentij III. Alphonſo Regi retulimus.

SED licet apud Hiſpanos meos hæc victoria CRVCI viuificæ ſpecialiter ſit tributa, & ideo feſtiuitas, TRIVMPHVS S. CRVCIS, vniuerſaliter appelletur; tamen Sanctiſſima Dei-Genitrix VIRGO MARIA haut quaquam defuit Noſtratibus, quinimo eam fuiſſe victoriæ cauſam referunt Scribentes, vt notarunt Balinghen, Coluenerius, & Ferreolus ſupra.

*Virgo MARIA item auxilium detulit Regibus.*

QVATENVS ad apparitionem Signi CRVCIS ſalutiferæ in aëre in conflictu certaminis, licet eam omiſerit Rodericus, illam referunt Argote de Molina vbi ſupr. c. 41. & 47. & alij Genealogici aſſerentes, ipſum ſignum primò vidiſſe militem quendam de familia nobili REYNOSORVM, Regique Alphonſo demonſtraſſe, qui protinus CRVCEM ad Calatrauæ formam militi detulit, vt eam, in memoriam tanti ſucceſſus, in eius parma præfigeret; prout & hucuſque gerunt.

*Reynoſorum familia nobilis, Crucem in parma gerunt; & quare?*

S. SISENANDVS Diaconus Martyr Cordubenſis.] Tanti Diaconi agonem breui calamo proſequitur S. Eulogius Noſter in Memor. SS lib. 2. c. 5. à quo elogium Martyrolog. Rom. h.d. vbi Baron. lit. F. & in Annal. Eccleſ. Tom. 10. Ann. 851. n. 5. Conueniunt Martyrologia Caſtellanum P. Vaſq. Luſitanum P. Lupi, Hiſpanum M.S. P. Higuer. & Italum Conſtantij Felicis. Subſcribit Philipp. Ferr. in Catalog. Gener. Die XVII. Iul. fol. 293. & in Topograph. SS. verb. Corduba. fol. 47. De eo Ambroſ. Moral. Hiſtor. Hiſpan. lib. 14. c. 9. F. Ioann. Mariet. Hiſt. SS. Hiſpan. lib. 2. c. 71. P. Martinus de Roa Hiſtor. SS. Cordubenſ. fol. 117. ACTA S. Martyris deſcripſit S. Eulogius hac ſerie:

B.

*Martyrologia.*

## ACTA S. SISENANDI DIACONI, & Martyris Cordubenſis, ex S. Eulogio Martyre.

SISENANDVS Leuita ſanctiſſimus, ex Pacenſi oppido ortus, Cordubam intuitu diſcendi aduectus eſt; ibique apud Beatiſſimi Aciſcli Baſilicam, quâ corpus eiuſdem Martyris requieſcit, digniter enutritus, vt ipſe familiaribus retulit, inuitantibus ſe Beatiſſimis Petro, & Vualabonio, iam cœlo Martyribus collocatis, martyrium quoque & ipſe aggreſſus eſt. Qui dum in carcere religatus maneret, tradunt, quòd prophetico illuſtratus ſpiritu, patibuli ſui horam præſcius nuntiauerit. Nam quodam die, cùm reſponſum cuidam amico ſe interroganti aptaret, eique reciprocationis ſchedam ſcriberet, tribus, aut quatuor iam digeſtis verſiculis, ſubito nimiâ hilaritate perfuſus, cœleſti quodammodo gaudio vegetatus, è loco ſeſſionis ſuæ conſurgens aſtanti puero ſchedulæ portitori, cui miles Chriſti reciprocare intendebat, ſemiſcriptam, vt erat, accommodans, multis audientibus, ait: Recede modò fili, ne impetu ſatellitum opprimaris, quoniam iam poteſtas tenebrarum vinculis me extrahere præcipiens, nunc decollandum ſibimet exhibebis

*Origo.*

*Studia.*

*Sui agonis horam præſciuit.*

*Capitur ad martyriū.* *Coronatur.* *Sepelitur.*

hibebit. *Poſt hanc prophetiam immobili ſemper greſſu ipſo perſiſtente, eodem momento vociferantes Lictores adueniunt, eumque præcipiti furore, ad locum, quo martyrium erat conſummaturus, pugnis, alapiſque cædentes perducunt. Pergit* Dei *famulus lætantibus animis, de corona victoriæ certus, qui ad cæleſte conuiuium exhortantibus Sanctis fuerat inuitatus. Sic namque Iudici præſentatus, eadem, quâ prius, conſtantiâ, in ſancta confeſſione perdurans, delicatus ephebus glorioſâ morte peremptus eſt, atque inhumatus præ foribus Palatij derelictus eſt*, XVII. Kalendas Augusti, *Anno Domini* D.CCC.L I. *Cuius oſſa poſt multos dies, donante Deo, à quibuſdam mulieribus inuenta inter lapillos aluei, in prædicti Martyris* Aciſcli *aulam deportata reconduntur; hodie in Eccleſiam* S. Petri *tranſlata cum aliis Sanctorum lipſanis venerantur.*

*Quâ ex vrbibus Pacenſibus ortus Martyr?*

Hactenus ACTA ex *Memoriali Sanctorum* Illuſtriſſimi Martyris *Eulogij*: in quibus *Duo* illuſtranda veniunt. PRIMVM ex qua vrbe PACENSI S. Martyr originem traxerit, an ex PACE-IVLIA, hodie BEIA in Portugallia? An ex PACE-AVGVSTA, hodie BADAIOZ in Extremadura? Cui quæſito, communis ſententia fuit ab *Ambroſio Moralio* excitata in *Not ad Memor. S. Eulog. lib.* 1. *c.* 5. *n.* 1. aſſerens PACEM, de qua *Eulogius*, eſſe BEIAM in Portugallia; cui ſententiæ adhæſere *Marieta*, & *Roa* abſque locorum diſcretione. Sed ſaluâ eorum pace, contrarium eſt tenendum, & S. Martyr reſtituendus eſt PACI-AVGVSTÆ, hodie BADAIOR, ex ſequentibus. PRIMO qua vt ſupra *Tom.* 3. *Die XXII. Maij. lit. C.* probauimus, PACEM-IVLIAM ab excidio Hiſpanico funditus fuiſſe dirutam, & hominibus vacuam, & PACEM-AVGVSTAM ad annum vſque *Milleſimum*, & amplius ſuos Epiſcopos, & Muzarabes conſeruaſſe, auctoritatibus irrefragabilibus obteſtati ſumus. Ergo perperam Scriptores contrariæ Sententiæ. SECVNDO quia ex PACE-AVGVSTA ortum S. Martyrem fatetur *Cyprianus* Archipreſbyter *Cordubenſis* in ſuis Carminibus MSS. apud me, hac ſerie:

*Ex Auguſta probatur I.* *Probatur II.*

SISENANDE *tuos cuſtodit theca* Leuita
*Artus ſacratos* Aciſcli *in limine ſancto,*
*Quos pia fœminei iunxit audacia ſexus.*
PAX-AVGVSTA, *Dei nutu, te prouida nobis*
*Conceſſit, noſtras vt perditeris, & Oras;*
*Martyrioque tuos* PACENSES *ſæpe beatos*
*Efficeres: noſtra abſterge hinc peccamina Martyr,*
*Vt tecum iuncti mereamur Regna Polorum.*

Cuius auctoritatem amplector, cum ſit Scriptor nobilis *Cyprianus*, & antiquior omnibus contraria dicentibus, & expreſſè PACEM-AVGVSTAM fuiſſe S. Martyris patriam fatetur.

*De Tranſlatione pignorum Auctores.*

SECVNDVM ad illuſtrationem *Quæſitum* eſt, circa *Tranſlationem* ad Eccleſiam *S. Petri Cordubenſis* ſacrorum pignorum. De quo videndi Ambroſ. Moral. *Tom.* 3. *Hiſtor. Hiſpan. lib.* 17. *à c.* 1. *vſque ad c.* 12. Roa *Hiſtor. SS. Cordubenſ. Die XXI. Nouembr. fol.* 163. Nos infra *Tom.* 6. *Die XXI. Nouembr.* & aliqua ſupra *Tom.* 3. *Die XV. Iunij.*

*Scriptores.*

S. DIODORVS *Martyr Campanus.* ] Fortè ille eſt, qui cum *Lucia* Martyre Die VI. huius Menſis, de qua Nos ſupra eodem die mentionem fecimus, agonem apud *Iuliobrigam* Hiſpaniæ compleuit. Si hæc ita, & martyrio eſt & poſſeſſione Noſter. Eius feſtum hoc die recolit *Collegium Patriarchæ D. Ioannis à Ribera* apud *Valentiam in Edetanis* Hiſpaniæ magnificè conſtructum, & mirificè elaboratum, vt teſtis eſt Solorzanus in *Sacrar. Valentin. fol.* 153. *col.* 2. de quo etiam Teſtimonium expreſſum, & impreſſum apud me. ACTA ſiquæris, illa ſupra *d. Die VI. huius Menſis* vnà cum rebus geſtis *S. Luciæ* perquire. De quo nihil aliud ſcribere poſſumus.

DEDICATIO



*Hierotheus Segobienſis Eccleſiæ extructor.*

DEDICATIO S. E. SEGOBIENSIS. ] Huius igitur Vrbis vetuſtiſſimæ accolas primus Deo propriâ prædicatione deuinxit S. IACOBVS Hiſpaniarum Apoſtolus, prout totius Prouinciæ Prædicator à Domino diuinâ ſortitione conſtitutus, qui licèt tunc temporis Sedem Epiſcopalem haut quaquam inibi cōſtruxiſſet, cùm non conſtet; tamen non ex hoc deſinit eſſe Eccleſia Apoſtolica, quia eius Sedis erectio tribuitur *S. Hierotheo*, B. Pauli Apoſtoli Diſcipulo, & S. Dionyſij Areopagitæ Magiſtro. Quòd probatur ex Flau. Dextr. *Ann.* 71. *Chron. n.* 3. Vbi Biuar. *fol.* 163. Luitprand. *in Aduerſ. n.* 236. P. Anton. Quintana-Dueñas *Hiſt. SS. Hiſpal. fol* 243. Mariet. *Hiſtor. SS. Hiſpan. lib.* 6. *c.* 1. P. Mart. de Roa *Hiſtor. SS. Aſtigitan. lib* 2. *c.* 4. Didacus Colmenares *Hiſtor. Segobienſ. c.* 4. §. 5. *fol.* 28. Excellentiſſimus Vir, Marchio Aſtapenſis in *Vit. S. Hieroth.* quam ſcripſiſſe refert Biuar. *in Not. ad S. M. Max. Ann.* 516. *n.* 8. §. 86. *fol.* 334. Aulus Halus in *Libr. Carmin. MS.* hoc lemmate:

DE S. HIEROTHÆO EPISCOPO
Segobienſi Carmen Sepulchrale.

*Ex genere* Hiſpanus *naſcens, fuit* Aſtigis *vrna:*
*Aſt* Hierothæus *poſt mihi nomen ineſt.*
*Dimittens patriam, patriam mihi præbet* Athenas;
*Hic Sophiæ myſtes iura ſeuera dedi.*
*Tunc* Pauli *inluxit clarum mihi dogma Magiſtri,*
*Cuius amæna fide verba ſacrata bibi.*
*Antiſtes gregem paui, ſed lumine carens*
*In patriam repedans lucis abyſſu fruor.*
*Chriſtum demonſtrans, tua priſca* Secouia *cerno*
*Mœnia; tuncque tui Præſulis onus amo.*

Quam etiam opinionem ſequitur *M. Ægidius Gonzal.* Regius Chronographus in *Theatr. Eccleſ. Tom.* 1. *fol.* 532. à quo, & abs *Didaco Colmenares* amico meo eruditiſſimo, iam (proh dolor!) vita functo, *Catalogum Epiſcoporum Segobienſium*, ſubiiciemus.

CATALOGVS EPISCOPORVM, S. E.
Segobienſis in Hiſpania ex Variis
Scriptor.

I. S. HIEROTHÆVS huius nominis I. Epiſcopus Segobienſis I. natione *Hiſpanus*, ex vrbe *Aſtigitana* oriundus, *Dionyſij* Areopagitæ Magiſter, *S. Pauli* in fide Diſcipulus, Epiſcopus *Athenienſis*, poſt *Segobienſis* in Areuacis Hiſpaniæ, ſanctitate mirabilis, cuius memoria ad Annum LXXI. 71.

II. PETRVS huius nominis I. Epiſcopus Segobienſis II. interfuit conſecrationi S. E. Toletanæ, & Concilio Toletano tempore Regis Recaredi Anno Domini D. LXXXIX. 589.

III. MINITIANVS huius nominis I. Epiſcopus Segobienſis III. interfuit Concilio Gundemari Toletano, Anno DC. X. 610.

IV. ANSERICVS huius nominis I. Epiſcopus Segobienſis IV. interfuit Conciliis IV. V. VI. VII. VIII. & IX. Toletanis ad Annum vſque Domini DC. LV. 655.

V. SINDVITVS huius nominis I. Epiſcopus Segobienſis V. per Liberatum eius Diaconum, & Procuratorem interfuit Concilio XI. Toletano ad Annum DC. LXXV. 675.

VI. Deodatvs huius nominis I. Epiſcopus Segobienſis VI. Conciliis XII. XIII. XIV. & XV. Toletanis, interfuit, cuius memoria ad Annum vſque DC. LXXXVIII. durat. 688

VII. Decentivs huius nominis I. Epiſcopus Segobienſis VII. interfuit Concilio XVI. Toletano ad Annum DC. XCIII. Cuius tempore Gothorum finiuit Imperium in Hiſpania, & Sarracenis paruit, quorum inſolentiam contuentes Chriſtiani Reliquias, & Imagines Sanctorum in locis abditis abſconderunt, inter quos Sacarvs Beneficiatus S. E. Segouienſis Imaginem Diuæ Virginis Deiparæ, quam hodie *De la* Fuenciſla vocitant, in Eccleſia S. Ægidij occuluit hacce epigraphe:

D. SACARVS, BENEFICIATVS HVIVS
ALMÆ ECCLESIÆ SEGOVIENSIS.
HANC TVLIT IMAGINEM. BEATÆ
MARIÆ DE RVPE SVPRA
FONTES. VBI ERAT IN VIA. ET CVM
ALIIS ABSCONDIT IN ISTA ECCLESIA.
ERA. DCC. LII.
MISERA HISPANIA.

Poſt multa tempora vix in Noſtris Chronicis nomen alicuius inuenitur Segouienſis Epiſcopi, vſque ad ſequentem.

VIII. Ilderedvs huius nominis I. Epiſcopus Segouienſis VIII. qui in ripa fluminis Aratry donauit fundum Gundiſaluo Legionenſi Epiſcopo, eiuſque Canonicis, ad Annum DCCCC. XL. 940.

IX. D. Petrvs huius nominis II. Epiſcopus Segouienſis IX. interfuit funeri Regis Alphonſi VI. Concilioque Lateranenſi II. & Ouetenſi, Apoſtolicam confirmationem Epiſcopatus, à Calixto II. Romano Pontifice obtinuit, Regiamque limitum aſſignationem ab Alfonſo Raymundi obtinuit. Tutelarium SS. Fructus & fratrum lipſana aſportauit. Cœnobium Ciſtercienſium S. Mariæ de Serra fundauit, & dotauit. Templumque Cathedralis Eccleſiæ conſtruxit, tandem ad Domini Annum M.C.XLIX. deceſſit. 1149

X. D. Ioannes huius nominis I. Epiſcopus Segobienſis X. ex ipſa vrbe oriundus, ad Eccleſiam Toletanam, Anno M. C. LI. transfertur, quâ obiit ad Annum M. C. LXVI. 1151

XI. D. Vincentivs huius nominis I. Epiſcopus Segobienſis XI. ab Alfonſo Raymundi donariis acceptis, obiit Anno M. C. LVI. 1156

XII. D. Gvillelmvs huius nominis I. Epiſcopus Segobienſis XII. interfuit Synodo Prouinciali à Ioanne Toletano Metropolita, ad Segobiam indictæ Anno M. C LXVI. Eius memoria ad Annum M.C. LXX. 1170

XIII. D. Gvndisalvvs huius nominis I. Epiſcopus Segobienſis XIII. Epiſtolam decretalem accepit à Clemente III. Pont. Max. quæ extat in Decretalib. lib. 2. titulo 21. vixit ad Annum M.C. XCII. 1192

XIV. D. Gvterivs huius nominis I. Epiſcopus Segobienſis XIV. cognomento *Giron*, aſſenſum præbuit Capitulo ad erectionem Cappellæ ad Annum M. C. XCV. quo obiit. 1195

XV. D. Gvndisalvvs huius hominis II. Epiſcopus Segobienſis XV. cognomento *Michael*, SSS. Trinitatis fratres collocauit in Suburbio, & alia plurima pro dignitatis honore ſtabiliuit, obiit Anno M. CC. XI. 1211

XVI. D. Gerardvs huius nominis I. Epiſcopus Segobienſis XVI. interfuit funeri Alfonſi VIII. & S. Dominicum Patriarcham in fundatione S. Crucis adiuuit, obiit ad Annum M. CC. XXV. 1225

D. Lvpvs



XVII. D. Lvpvs huius nominis I. Epiſcopus Segobienſis XVII. cognomento *Haro*, datus fuit Gerardo mente deſtituto Coadiutor, poſt ſucceſſor, obiit Anno M. CC. XXVII. ſepelitur in Regno S. Benedicti Najarenſi Cœnobio. 1227

XVIII. D. Bernardvs huius nominis I. Epiſcopus Segobienſis XVIII. ab Honorio III. Pont. Max. electus; ſuo tempore Cathedralis Eccleſia hoc die conſecratur, Anno M.CC. XXVIII. à Ioanne Cardinali Biſuntino Hiſpaniarum Legato; obiit Anno M. CC. XLVIII. 1248

XIX. D. Rodericvs huius nominis I. Epiſcopus Segobienſis XIX. ex Decano Segobienſis Eccleſiæ electus, obiit Anno M. CC. XLIX. 1249

XX. D. Raymvndvs huius nominis I. Epiſcopus Segobienſis XX. cognomento *Loſana*, Segobiæ alumnus, & altor, cùm Regi Fernando III. à libellis, à ſecretis, & à confeſſionibus adeſſet, ad Hiſpalenſem promotus ſedem Anno M.CC.LIX. tandem Anno M.CC. LXXXVIII. obiit. 1259

XXI. D. F. Martinvs huius nominis I. Epiſcopus Segobienſis XXI. ex fratre Minorum alumnus, vario regimine obiit, Anno M. CC. LXV. 1265

XXII. D. Ferdinandvs huius nominis I. Epiſcopus Segobienſis XXII. cognomento *Velaſquez*, ex Canonico Segobienſi electus, XIII. Kalend. Februarij, Anno M. CC. LXXVII. Romæ deceſſit. 1277

XXIII. D. Rodericvs huius nominis II. Epiſcopus Segobienſis XXIII. cognomento *Tello*, poſt varia cum Alfonſo, & Sanctio Regibus Caſtellæ diſſidia, exul factus, Tarraconenſem Sedem eſt aſſecutus, Anno M. CC.LXXXVIII. 1288

XXIV. D. Blasivs huius nominis I. Epiſcopus Segobienſis XXIV. ex ipſa oriundus, Eccleſiaſticæ immunitatis vindex, obiit Anno M. CCC. 1300

XXV. D. Ferdinandvs huius nominis II. Epiſcopus Segobienſis XXV. cognomento *Sarrazin*, Concilio apud Pennamfidelem interfuit, Bonifacij VIII. Pont. Max. diploma immunitatem Eccleſiaſticam decernens, publicauit, & tandem Anno M. CCC. XVIII. deceſſit. 1318

XXVI. D. Benedictvs huius nominis I. Epiſcopus Segobienſis XXVI. cognomento *Perez*, ex Archidiacono Segobienſi, obiit Anno M. CCC. XIX. 1319

XXVII. D. Amatvs huius nominis I. Epiſcopus Segobienſis XXVII. ex Archidiacono Septempublicenſi, obiit Anno M. CCC. XX. 1320

XXVIII. D. Petrvs huius nominis III. Epiſcopus Segobienſis XXVIII. cognomento *Cuellar*, Synodum diœceſanam celebrauit, & Prouinciali Concilio interfuit, Anno M. CCC. L. deficit eius memoria. 1350

XXIX. D. Blasivs huius nominis II. Epiſcopus Segobienſis XXIX. cognomento *Portugal*, vel à patria, vel à genere, obiit Anno M CCC. LIII. 1353

XXX. D. Petrvs huius nominis IV. Epiſcopus Segobienſis XXX. cognomento *Gudiel*, patriâ Toletanus, eius memoria ad Annum M. CCC. LIV. 1354

XXXI. D. F. Gvndisalvvs huius nominis III. Epiſcopus Segobienſis XXXI. Franciſcanæ familiæ alumnus, obiit Anno M. CCC. LVIII. 1358

XXXII. D. Ioannes huius nominis II. Epiſcopus Segobienſis XXXII. cognomento *Luzero*, ex ſede Salmantina tranſlatus, anniuerſariam

SS. Dei-Genitricis Conceptionis Puriſſimæ feſtiuitatem, à Gerardo Canonico antea firmatam, confirmauit, Anno M.CCC. LXII. 1362

XXXIII. D. MARTINVS huius nominis II. Epiſcopus Segobienſis XXXIII. cognomento *Cande*, cuius memoria ad Annum M.CCC. LXVII. 1367

XXXIV. D. IOANNES huius nominis III. Epiſcopus Segobienſis XXXIV. cognomento *Sierra*, Doctorum Doctor appellatus, Diœceſana Synodo celebratâ, XIV. Kalend. Martij Anno M. CCC. LXXIV. deceſſit. 1374

XXXV. D. GVNDISALVVS huius nominis IV. Epiſcopus Segobienſis XXXV. ex Catalogo Antiſtitum extractus, eius memoria ad Annum M. CCC.LXXV. 1375

XXXVI. D. HVGO huius nominis I. Epiſcopus Segobienſis XXXVI. cognomento de Alemania, cuius extinguitur notitia Anno M.CCC. LXXIX. 1379

XXXVII. D. GVNDISALVVS huius nominis V. Epiſcopus Segobienſis XXXVII. cognomento *Aquilar* eius memoria ad Annum M.CCC. LXXX. 1380

XXXVIII. D. IOANNES huius nominis IV. Epiſcopus Segobienſis XXXVIII. cognomento *Serrano*, ex Priore Guadalupenſi, ad Seguntinam Sedem promotus Anno M. CCC.XC. fuit. 1390

XXXIX. D. GVNDISALVVS huius nominis VI. Epiſcopus Segobienſis XXXIX. cognomento *Gonzalez de Buſtamante*, obiit Anno M.CCC XCII. 1392

XL. D. ALFONSVS huius nominis I Epiſcopus Segobienſis XL. cognomento *de Frias*, Imaginem Deiparæ ad pagum Nieua..... Ann. M.CCC.XCII. 1392

XLI. D. ALFONSVS huius nominis II. Epiſcopus Segobienſis XLI. cognomento *Correa* Luſitanus, Ioannis I. Caſtellæ, & eius vxoris Beatricis Cancellarius, ex Igeditano Præſule in Portugallia, obiit Anno M.CCC. XCVII. 1397

XLII. D. IOANNES huius nominis V. Epiſcopus Segobienſis XLII. cognomento *Vaſquez de Zepeda*, à patriâ *Tordeſillas* vulgariter nuncupatus, Exlegatus, ſeu Orator Regis Caſtellæ ad Pontificem Romanum, obiit Anno M. CCCC. XXXVII. 1437

XLIII. D. F. LVPVS huius nominis II Epiſcopus Segobienſis XLIII. cognomento *Barrientos*, ex Dominicana familia, & Ioannis II. Regis à Cõfeſſionibus, poſt ad Abulenſem Sedem Anno M.CCCC. XLII. inde ad Conchenſem tranſlatus, tandem Anno M. CCCC. LXIX. è vita diſceſſit. 1442

XLIV. D. IOANNES huius nominis VI. Epiſcopus Segobienſis XLIV. cognomento *Ceruantes*, S. R. E. Cardinalis ex Abulenſi, poſt ad Hiſpalenſem tranſlatus Anno M.CCCC.XLIX. Obiit ibidem. 1449

XLV. D. LVDOVICVS huius nominis I. Epiſcopus Segobienſis XLV. cognomento *Oſorio de Acuña*, Poſtea ad Cathedralem Sedem Burgenſem Anno M. CCCC.LVII. tranſlatus, obiit Anno M. CCCC. XCVI. 1457

LXVI. D. FERNANDVS huius nominis III. Epiſcopus Segobienſis XLVI. cognomento *Lopez de Villalſcuſa*, ex Theſaurario Segobienſi Archicapellanus Regius, & Conſiliarius, obiit Idibus Iunij Anno M. CCCC. LX. 1460

XLVII. D. IOANNES huius nominis VII Epiſcopus Segobienſis XLVII. cognomento *Arias Dauila*, ex Collega B. Bartholomæi apud Salmanticam. Sacra SS. Fructus, & Sociorum fratrum Segobienſium Tutelarium pignora, diù occulta quæſiuit, feliciter inuenit, & religiosè collocauit. Tres Synodos diuerſis temporibus celebrauit, Romam



Romam litium causâ adiens, ibidem è viuis diſceſſit V. Kal. Nouembr. Anno M.CCCC. XCVII. & ad Cathedralem transfertur. 1497

XLVIII. D. IOANNES huius nominis VIII. Epiſcopus Segobienſis XLVIII. cognomento *Arias del Villar*, ex Decano Hiſpalenſi, & Legato ad Regem Carolum VIII. Galliæ, nec non Epiſcopo Ouetenſi: Cancellariæ Valliſoletanæ Præſes vnà cum Epiſcopatu, obiit Anno M. D. I. 1501

XLIX. D. IOANNES huius nominis IX. Epiſcopus Segobienſis XLIX. cognomento *Ruitz de Medina*, ex Aſturicenſi, Pacenſi, & Carthaginenſi Sedibus euocatus, obiit Anno M. D. VII. 1507

L. D. FRIDERICVS huius nominis I. Epiſcopus Segobienſis L. cognomento *Portugal*, è Regia Luſitanorum Regum ſtirpe. Fuerat primùm Calagurritanus Epiſcopus, deinde ex Segobienſi ad Seguntinam Sedem tranſlatus Anno M. D. XII. demùm ad Cæſarauguſtanam in Aragonia Proregis titulo, obiit VIII. Idus Februarij, Anno M. D. XXXIX. 1539

LI. D. DIDACVS huius nominis I. Epiſcopus Segobienſis LI. cognomento *de Ribera*, patriâ Toletanus. Hic prima noui Templi Cathedralis fundamenta poſuit Anno M. D. XXV. obiit M. D. XLIII. 1543

LII. D. ANTONIVS huius nominis I. Epiſcopus Segobienſis LII. cognomento *Ramirez de Haro*, ex Epiſcopo Aurienſi, Ciuitatenſis, & Calaguritanus, ac denique Segobienſis, obiit Burgis Anno M. D. XLIX. 1549

LIII. D. GASPAR huius nominis I. Epiſcopus Segobienſis LIII. cognomento *Zuñiga* & *Auellaneda*, Comitum *de Miranda* filius, S.R.E. Cardinalis, Concilio Tridentino interfuit, ad Compoſtellanam Anno M. D. LVIII. tranſlatus, poſtea ad Hiſpalenſem Metropolim, tandem vitam exuit, Anno M. D. LXXI. 1558

LIV. D. F. FRANCISCVS huius nominis I. Epiſcopus Segobienſis LIV. cognomento *Benauides*, ex Ieronymianorum ordine primùm Carthaginis ad Indos Præſul, poſt Mindonienſis, denique ex Segobienſi ad Sedem Giennenſem tranſlatus Anno M. D. LIX. & obiit Idibus Maij Anno Domini M. D. LX. 1560

LV. D. MARTINVS huius nominis III. Epiſcopus Segobienſis LV. cognomento *Perez de Ayala*, Iacobeæ Religionis alumnus, primùm Accitanus Pontifex, poſt ad Valentinam Metropolim promotus Anno M. D. LXIV. interfuit Concilio Tridentino, & Segobiam reuerſus, ibidem ſeminarium inſtituit, Synodum diœceſanam habuit, obiit Valentiæ Anno M.D. LXVI. 1564

LVI. D. DIDACVS huius nominis II. Epiſcopus Segobienſis LVI. cognomento *Couarrubias*, & *Leyua*, patriâ Toletanus, omnimodâ eruditione clariſſimus, ex Auditore Granatenſis Cancellariæ, S. Dominici apud Indos Metropolita, poſt Epiſcopus Ciuitatenſis, inde Segobienſis, Synodum diœceſanam congregauit, Hiſpaniarum Præſes conſtitutus, demùm ad Conchenſem Eccleſiam tranſlatus, tandem obiit V. Kalend. Octobr. Anno M.D.LXXVII. 1577
De eo Aubertus Myræus in Bibliothec. Eccleſ. Tom. 2. fol. 240. c. 219. aliqua concinnauit encomia, eumque ſingulare Hiſpaniæ ornamentum fuiſſe dixit. Iacet in Segobienſi Cathedrali Baſilica, illuſtri tumulo, cum hoc epitaphio.

✠

ILLVSTRISSIMVS DOMINVS DOMINVS. DIDACVS DE
COVVARRVVIAS ALEYVA. HISPANIARVM PRÆSES SVB
PHILIPPO II. HVIVS S. E. SEGOBIENSIS EPISCOPVS.
H. S. E.
OBIIT. V. KAL. OCTOBRIS. ANNO DOMINI. M. D. LXXVII.
AETATIS SVÆ LXVI.

LVII. D. GREGORIVS huius nominis I. Epiſcopus Segobienſis LVII.
cognomento *Gallo*, patria Burgenſis, Theologus, & concionator
inſignis, Salmanticenſium Scholarium Magiſter, ad hanc ſedem
ex Orolienſi in Valentino Regno ſublimatus, VII. Kalend. Octo-
bris, Anno M. D. LXXVIII. deceſſit. 1578

LVIII. D. LVDOVICVS huius nominis II. Epiſcopus Segobienſis
LVIII. cognomento *Tello Maldonado*, patria Hiſpalenſis, Iuriſpru-
dentiæ peritiſſimus, apud Salmanticam Collegij Ouetenſis alum-
nus; Cordubenſis diœceſis Ordinarius Iudex, poſt Valleſoletanæ
Cancellariæ Auditor, deinde Regius Conſiliarius, religione &
pietate inſignis III. Idus Iunij Anno Domini M.D.LXXXI. mori- 1581
tur, & in Primario Templo Segobienſi ſepelitur ſub illuſtri tumulo,
& ſequenti epitaphio:

HIC IACET LVDOVICVS TELLOMALDONADO.
EPISCOPVS SEGOBIENSIS. VIR INTEGERRIM.
RELIGIONE. PIETATE. ET LITERIS. INSIGNIS.
OBIIT. XI. IVN. ANN. M. D. LXXXI. ÆTATIS.
SVÆ. LXIII.

LIX. D. ANDREAS huius nominis I. Epiſcopus Segobienſis LIX.
cognomento *Cabrera*, & *Bobadilla*, ex Comitibus de Chinchon
Segobiæ natus, egregius Theologus, ex Abbate Alcalæ-Regiæ in
Bœtica inauguratus, poſtquam Synodum diœceſanam congre-
gaſſet ad Metropolitanam Cæſarauguſtanam Sedem Anno M. D.
LXXXVII. tranſlatus, & Prorex Aragonenſium factus obiit Anno
M. D. XCII. Die VII. Kalend. Septembris. 1587

LX. D. FRANCISCVS huius nominis II. Epiſcopus Segobienſis LX.
cognomento *Reibera*, & *Ouando*, ex Caſtro Cereris in Extremadura
oriundus, Alcantarenſis Ordinis alumnus, in Supremo Fidei Se-
natu Cenſor, bimeſtri conſumptus eſt XVII. Kal. Octobris, Anno
M. D. LXXXVII. ſepultuſque in Templo Cathedrali hoc epi-
taphio.
1587

D. O. M.
D. FRANCISCVS DE RIBERA. ET OVANDO. OLIM
SVPREMO RERVM FIDEI SENATV CENSOR. POSTEA
HVIVS S. ECCLESIÆ SEGOBIENS. EPISCOPVS.
H. S. E.
OBIIT XVI. KAL. OCTOBRIS. ANN. M. D. LXXXVII.

LXI. D. ANDREAS huius nominis II. Epiſcopus Segobienſis LXI.
cognomento Pacheco, genere nobilis, literis nobilior, virtute
nobiliſſimus, Complutenſis Theologus, & Abbas: Synodum diœ-
ceſanam celebrauit, poſt modum ad Conchenſem Eccleſiam Anno
M. DC. I. promotus, & recuſatis Burgenſi, Compoſtellano, & 1601
Hiſpalenſi Archiepiſcopatibus, Senatus Fidei ſupremus Præſes
conſtitutus,



conſtitutus, & Indiarum Patriarcha, Obiit Madridij Anno M.DC.
XXVI.

LXII. D. MAXIMILIANVS huius nominis I. Epiſcopus Segobienſis
LXII. cognomento *de Auſtria*, ex Abbate Alcalæ-Regalis in Bæ-
tica, Gaditanus Antiſtes, ex Segobienſi ad Compoſtellanam Me-
tropoliticam Sedem tranſlatus Anno M. DC. III. Denique ſum- 1603
mum diem obiit Anno Domini M. DC. XIV.

LXIII. D. PETRVS huius nominis V. Epiſcopus Segobienſis LXIII.
cognomento *de Caſtro*, & *Nero*, ex Parocho Lancaitenſi in diœceſi
Abulenſi, apud Salmanticam Collegij Maioris Conchenſis alum-
nus, poſt Canonicus Abulenſis, deinde Toletanus, hinc Lucenſis
in Gallæcia Præſul: in Segobienſi Synodum congregauit. Sedem
ad Valentinam renuntiatus ante electionem Obiit Die XXVIII.
Octobris, Anno M.DC.XI. 1611

LXIV. D. ANTONIVS huius nominis II. Epiſcopus Segobienſis LXIV.
cognomento *Idiaquez Manrrique*, ex Canonico, & Archidiacono
Segobienſi Ciuitatenſis Eccleſiæ Præſul; B. Virginis MARIÆ ima-
ginem, quam *de la Fuenciſla* vocitant, è veteri Eremitorio, ad no-
uum & ſplendidum Templum ſolemnibus, celebratiſſimiſque en-
cæniis tranſtulit. Tandem XV. Kalendas Decembris Anno M.DC.
XV. obiit, Cuius corpus in Sacello Parœciali Cathedralis Baſilicæ,
illuſtri tumulo, & ſequenti epitaphio iacet. 1615

D. ANTONIVS IDIAQVEZ MANRRIQVE. PIETATE. LITERIS.
ET GENERE ILLVSTRIS. EX CANONICO. ARCHIDIACONOQVE
SEGOBIENSI. CREATVS EPISCOPVS CIVITATENSIS. INDE
SEGOBIENSIS. IN HOC SACELLO DOTATION. AMPLISSIM.
DECORATO. VNA CVM PARENTIBVS REQVIESCIT.
OBIIT. XV. KAL. DECEMBR. ANN. M. DC. XV.

LXV. D. IOANNES huius nominis X. Epiſcopus Segobienſis LXV.
cognomento *Vigil de Quiñones*, ex Ouetenſi diœceſi oriundus, Iuriſ-
prudentiæ Profeſſor, S. Pelagij apud Salmanticenſes Collega, de-
inde apud Valleſoletanos S. Crucis alumnus, ibidem Fidei Cenſor;
poſt ad ſupremum S. Inquiſitionis tribunal Senator conſtitutus,
Epiſcopuſque Valleſoletanus conſecratus, tandem Segobiæ obiit
Kalendas Septembris Anno M. DC. XVII. Sepultus in Cathedrali
Eccleſia, poſtmodum ad Ouetenſem vrbem tranſlatus. 1617

LXVI. D. ALFONSVS huius nominis III. Epiſcopus Segobienſis
LXVI. cognomento *Marquez de Prado*, patriâ Spinarenſis, diœceſis
Segobienſis, ex D. Bartholomæi Maiori Collegio, Canonicus
Conchenſis, & Fidei in Tribunali Barcinonenſi, ac poſtmodum
in Supremo Senatu Cenſor. Inde Epiſcopus Dertoſanus in Catha-
lonia conſecratus, diœceſanâ Synodo habitâ, dùm religionis zelo,
ex Templo ſiccarios eijcere conatur, plumbeis glandulis ſclopeto
expetitur, penè ad miraculum liberatus, ad Carthaginenſem Se-
dem, inde ad Segouienſem promotus, dum Synodum diœceſanam
celebrare parat, fato interceptus occubuit VII. Idus No-
uembris Anno M. DC. XXI. & in Cathedrali ſepultus iacet, hoc 1621
epitaphio.

D. ALFONSVS MARQVEZ DE PRADO. IN SVPREMO FIDEI SENATV CENSOR. OB PRÆCLARA MERITA IAM EPISCOPVS DERTVSENSIS. ET CARTHAGINENSIS. ET TANDEM. H. S. E. SEGOBIENSIS. PIETATE. LITERIS. ET GENERE CLARVS. IVSTITIÆ PROPVGNATOR ACERRIM.
H. S. E.
OBIIT. XVII. NOVEMBRIS. ANNO. M. DC. XXI.

LXVII. D. F. Inicvs huius nominis I. Epiſcopus Segobienſis LXVII. cognomento *de Brizuela*, patria Medina-Campeſtrenſis, ex Prædicatorum ordine, Archiducis Auſtriæ Alberti à confeſſionibus, & recuſato Archiepiſcopatu Cameracenſi in Flandria, Segobienbienſem Sedem admiſit, quâ in ſupremum Flandriæ Præſidem electus, hocce nequaquam munus acceptare voluit, niſi Epiſcopatum dimitteret, propter oneris Præſulatus reſidentiam. Denique ſedem renuntians Anno M. DC. XXIII. munus Præſidentis exer- 1623
cuit ad Annum M. DC. XXIX. quo è vita diſceſſit.

LXVIII. D. Melchior huius nominis I. Epiſcopus Segobienſis LXVIII. cognomento *Moſcoſo*, ex nobili Comitum de Altamira ſtirpe natus, ex Canonico Conchenſi, & Archidiacono Alarconenſi, à cortinis & Oratorio Regis Catholici Miniſter, & Regum Nouorum in Eccleſia Toletana Archicapellanus. Dimiſit Epiſcopatum, vt habitum Carthuſianorum indueret, ſed morte præuentus, opus adimpelre non potuit, Annno M. DC. XXXII. 1632

LXIX. D. Mendvs huius nominis I. Epiſcopus Segobienſis LXIX. cognomento *Benauides*, ex Comitum S. Stephani illuſtri progenie oriundus. in Cancellaria Valleſoletana Auditor, & cum ſtemmate Iacobæo in Regali Ordinum Senatu fiſci Patronus, poſt Senator integerrimus, deinde Supremi S. Inquiſitionis Conſilij Cenſor, Granatenſis Cancellariæ Præſes, & Abbas Aruccitanus, ex Segobienſi Sede Anno M. DC. XL. ad Carthaginenſem tranſlatus, quâ Anno M. DC. XLIV. diem clauſit extremum. 1640

LXX. D. F. Petrvs huius nominis VI. Epiſcopus Segobienſis LXX. cognomento *Tapia*, ex Prædicatorum ordine alumnus, in quo inſignis literis, pietate, & ſanctiſſimis moribus excelluit, poſt Segobienſem Sedem ad Seguntinam Anno M. DC. XLIV. tranſlatus eſt, deinde ad Cordubenſem, & tandem ad Metropoliticam Hiſpalenſem, cuius onera adhuc ſuſtinet infatigatus Vir Apoſtolicus. 1644

LXXI. D. Petrvs huius nominis VII. Epiſcopus Segobienſis LXXI. cognomento *Neyla*, ex Ordine Militari Calatrauenſi alumnus, Iudex Monarchiæ Regni Siciliæ, & Proregum Conſultor, Italiæ Regens, Archiepiſcopus Panormitanus, Obiit Segobiæ Anno M. DC. XLVIII. 1648

LXXII. D. F. Franciscvs huius nominis III. Epiſcopus Segobienſis LXXII. cognomento *Arauxo*, ex Ordine Prædicatorum, celebris literis, & pietate adhuc viuit.

Hactenus S. E. Segobienſis Præſulum Catalogus, quorum nomina, actiones, & munera recenſuimus, vt cunctis innoteſcat, quantis hæc Eccleſia illuſtretur Epiſcopis. De eis ſcripſere per Synopſin Didacus Colmenares in Hiſtor. Segob. per tot. & fol. 645. M. Ægidius Gonzalez Dauila Regius Chronograph. in Theatr. Eccleſ. Caſtell. Tom. 1. fol. 532.

DECIMO-



# DECIMO-SEXTO

## Kal. Auguſti.

## DIES XVII.

A. *Apud* Gerundam *Hiſpaniæ in Eccleſia Parachiali Oppidi* Celranenſis *Depoſitio* S. Sixti *Martyris, qui imperante Diocletiano, ſub Daciano Præſide ad martyrij coronam properauit ſtrenuus.*

B. Carthagine Spartariâ *Hiſpaniæ* SS. Sperati, Natalii, Cyrini, Donatæ, Secvndæ, Bessiæ, *& aliorum ſociorum qui à Saturnino Proconſule propter fidei confeſſionem apprehenſi, carcerali fragore damnati tandiu fuere, donec mucronis ictui iugulati ceruices Domino feliciter obtulerunt.*

# NOTÆ.

Sanctvs Sixtvs *Martyr Gerũdenſis.*] De eo vnà cum S. Eovaldo ſupra *Tom.* 3. *Die VII. Maij* egimus ex relatione Antonij Vincentij Scriptores.
Domenec *Hiſtor. SS. Cathalon. lib. 1. fol. 42. col.* 2. vbi etiam de eorum paſſione, & ſanctorum vtriuſque pignorum *Inuentione*, & *Tranſlatione* diſſeruimus: quam & Philippus Ferrar. in *Catalog. General. SS. Die VII. Maij fol.* 186. hac clauſulâ: *Apud* Gervndam *in Hiſpania SS. Martyrum* Eovaldi, & Sixti *ſub Daciano.* Et in *Notula* proſequitur: *Horum* Corpora Celrani *pago territorij, ſeu diœceſis* Gerundenſis *aſſeruantur, & coluntur.* Eorum Acta ſupra dedimus, & nunc dabimus deſumpta ex MS. Codice in eorum Eccleſia conſeruato, huiuſmodi:

## *ACTA PASSIONIS S. SIXTI Martyris & eius Inuentionis, & Tranſlationis Pignorum ſacrorum. Ex Antonio Vincentio, Domenec, & MS. Codice peruetuſto.*

Incipit in Nomine Domini, & Seruatoris Noſtri Iesv-Christi Legenda Inventionis Corporum Sanctorum Eovaldi, & Præfatio.
Sixti Martyrum *Hiſpanorum*, qui paſſi ſunt ſub *Daciano* Præſide, vt ab antiquis temporibus ſcripta eſt, quam in honorem Dei, & gloriam Sanctorum, in hunc codicem tranſtulimus, ex antiquo Gothico, ne memoria deperiret, & in futuris ſeculis, quid de illorum veneratione accepimus, cognoſcatur.

 Tem

*Fideles corpora Martyrũ abſcondebant.*

TEMPORE *quo Dacianus crudeliter fideles in* Hiſpania *perſequebatur, & cruciatibus diris illorum vitas perdebat, multa Sanctorum* CORPORA *Martyrum in locis abditis à Chriſtianis ſepulta ſunt, vt vix de eorum exuuiis penitùs ſciretur quouſque Deus illas ad ſui gloriam,& fidei exaltationem paulatim mirabiliter propalauit. Quod & euenit in* INVENTIONE *Corporum* SS. EOVALDI, & SIXTI *Martyrum, quæ hoc ordine detegere dignatus eſt.*

*Angelus apparet Agricolæ.*

ERAT *igitur in Oppido* CELRAN *quidam Agricola honoratus, iuſtus, & timens Deum, qui inter alia virtutum inſignia, quotidie Miſſam deuotè audiebat. Euenit ſi quidem, vt quadam nocte in ſomnis, Dei illi Angelus apparuit, cui nominatim dixit*: Serue Dei, accede ad vineam quam in loco *Valtorta*, iuxta Eccleſiam B. Virginis, & Martyris *Tedæ* habes, & ibidem DUO CORPORA inuenies Sanctorum, qui martyrium paſſi ſunt pro fide D. N. IESV-CHRISTI, vbi propter *Daciani* tyrannidem illa fideles illic condiderunt. *His vocibus ſeruus Dei ſtupefactus, & à ſomno excitatus, primo diluculo è lecto ſurgens, vt viſionem nocturnam examinaret, ad Eccleſiam properatò deuenit, ſicut mos illi erat, & Beatæ* MARIÆ *Virginis Miſſam celebrari diſponit, vt Deus precibus ſuæ ſanctiſſimæ Matris de hoc in ſomno eliceret veritatem.*

*Agricola vidit in vinea lumen.*

NOCTE *ſuperueniente ad vineam acceſſit, vbi Orationi intendens, cùm in illa per aliquot temporis perſeueraſſet, vidit in angulo vineæ ſuper cumulum veprium, & ruborum tantum luminis fulgorem, vt conuicinos agros, & oppida lux repleret cæleſtis. Quâ viſione lætus, gratias Deo egit, ex eo quod tale meruit reſpicere, & mane facto, iterum ad Eccleſiam deuenit, & auditâ de Spiritu Sancto Miſſâ, iterum de nocte vineam repedauit, vbi ſecundò lumen intuens, & ſic tertio, audito de Sanctiſſima Trinitate ſacrificio, eadem lumina oculatus inuenit, quo viſo, cum ligone, & aliis ferramentis agriculturæ ad vineam peruenit, & combuſtis rubis, & ſpinetis, aggerem lapidum occupantibus fodere incepit, & illico capſam ligneam inuenit, tali arte clauſam, vt nulla, in ea, ſciſſura cognoſceretur.*

*Capſas ligneas inuenit.*

POSTEA *iterum laborare proſequitur, & protinus aliam ſimilem capſam detexit. Quo theſauro inuento Sacriſtæ Eccleſiæ Oppidi de* CELRAN, *omnia quæ euenerant, aperuit. Qui ad Epiſcopum* Gerundenſem *accedens, eadem, vt ab Agricola acceperat, pro Sanctorum manifeſtauit honore. Epiſcopus relata prudenter penſans, & factâ inquiſitione, ad locum Inuentionis capſarum cum Clero, & Capitulo ſuæ Eccleſiæ deuenit, & acceptis capſis reuerenter, cum hymnorum cantu maximo ad* Gerundam *reuerſi ſunt.*

*Immobiles factæ ſunt.*

SED, *Domino aliter diſponente, cùm ad riuulum, qui Parœchias Oppidi de* CELRAN, & Compdota *diſterminat,* Corpora *Sanctorum perueniſſent, ita ſunt immobilia facta, vt nequaquam eminus pergere viſa ſint. Hoc viſo miraculo, Epiſcopus, qui Dei voluntatem agnouit, Reliquias in Eccleſia* Celranenſi *depoſuit. Quo facto præcepit, vt omnes tàm Eccleſiaſtici, quàm Seculares à Deo peterent, vt Sanctorum Nomina illis manifeſtaret; & oratione factâ, vnaquæque capſa per ſe aperta eſt, quo omnis populus* Corpora *vidit Sanctorum, in quarum vna Sanctus* EOVALDVS Martyr, *in alia* S. SIXTVS Martyr *legebatur: & protinus capſæ per ſe, vt prius, clauſæ ſunt. Tunc Epiſcopus duas erexit Aras, & in vnaquaque Corpus vnius Sancti Martyris conlocauit, vt ad ea populi deuotâ mente oraturi accederent.*

*Aræ pro collocatione captarum eriguntur.*

*Oppidanorum deuotio.*

HORVM *Inuentio, & Tranſlatio Sanctorum* Corporum, *ſtatim per circumiacentes populos diuulgata eſt, & ex tunc quotannis tantus, & ingens Oppidanorum concurſus ad locum illum, quo capſæ cum Reliquiis Sanctorum Martyrum collocatæ ſunt, fieri ſolet, vt vix tantam capiat Eccleſiæ ambitus* Celranenſis *multitudinem. Innumera ſunt quotidie miracula, quæ Deus interuentu Sanctorum ſuorum dignatus eſt operari, quorum numerum ipſe qui eos honore ſanctitatis condecorauit, & è veprium, & lapidum denſitate, ad locum honorabilem, mirabiliter ſublimauit, tantum ſcire valebit.*

POST



POST hæc Codex MS. aliquot S. EOVALDI miracula refert, quæ & Nos dedimus ſupra *d. Tom.* 3. *Die VII. Maij.* eaque hic non ſubiungimus, quia hautquaquam huic Noſtro Martyri conueniunt. De *Genere* paſſionis, & *Tempore*, quo agonem compleuit S. SIXTVS, altum ſilentium in ACTIS MSS. De Die vero feſtiuitatis apud *Cebranenſes*, mentio eſt apud *Domenec*, qui eius Sancti Martyris nomen in Miſſæ collectis pronuntiari aſſerit.

B.

*Baronij lapſus.*

SANCTI SPERATVS, NATALIVS, CYRINVS, DONATA, SECVNDA, & BASSIA *Martyres Carthaginenſes in Hiſpania.*] Adhuc circa horum ſanctorum locum palæſtræ ſingulare certamen literarium cum Eminentiſſimo *Baronio*, Eccleſiaſticæ eruditionis Magiſtro habere compellimur. Quia cùm fere omnes Scriptores hos Martyres CARTHAGINE abſque conſignatione Prouinciæ occubuiſſe fateantur, & Noſtratibus opinio communis fuerit, & ſit, eos agonizaſſe apud CARTHAGINEM *Hiſpaniæ*; Eminentiſſimus Purpuratus in *Not. ad Roman. Martyrolog. h.d. lit. B.* Noſtrorum reſpuens ſententiam, eos hallucinaſſe contendit, motus hymni carmine *S. Iſidori* relato in *Breuiario Toletano* in feſto S. SPERATI & Sociorum, hac ſerie:

*Hunc vrbs præpollens Africæ*
Carthago *ſeruat Martyrem:*

*Baronio ſit ſatis.*

Sed ſaluâ tanti calami pace, proculdubio conſeruanda eſt opinio Noſtratum; quia ſi *Baronius* ſequentia eiuſdem hymni carmina perpendiſſet, ſuum errorem prorſus euitaſſet; proſequitur enim *Iſidorus*.

*Amplectiturque Occiduus*
*Chriſto dicatus Populus*
*Floret eximiis eius*
*Hic tumulus virtutibus,*
*Et paſſionis gloriam*
*Amplificant miracula.*
*Hìc ſacris cum ſodalibus*
*Dum cogitur ad victimam,*
*Negauit ſe ſe fortiter*
*Thura libanda Idolis.*

*Id eſt Hiſpania.*

*Hymni verus ſenſus.*

Senſus enim carminum eſt, quod *Vrbs* CARTHAGO *Africæ ſeruat* (per tranſlationem ſacrorum pignorum) *S. Martyrem, quem amplectitur* (per martyrium) *Populus Occiduus, id eſt* Hiſpania, *vbi floret eximiis virtutibus eius tumulus, & vbi miracula amplificant gloriam paſſionis eius.* Nam hic, id eſt in *Hiſpania*, dùm cogitur ad *victimam cum Sodalibus, negauit conſtanter eſſe libanda Idolis thura.* Aduerbium enim HIC reſpicit vniuerſaliter vltimam partem orationis antecedentis, & cùm ea fuerit in carmine *Iſidoriano*, OCCIDVVS POPVLVS, hoc eſt HISPANIA, ſequentia Aduerbia HIC *tumulus*: HIC *ſacris cum ſodalibus*, ad *Hiſpaniam* referenda ſunt, tanquam ad partem vltimam carminis, & *Hymni Iſidoriani.* His ſic cum Cæſare decertatis, ad Scriptores venio, qui de Noſtris SS. Martyribus memoriam egere. Hinc poſt Martyrologia *Bedæ*, *Vſuardi*, *Adonis*, & recentiorum, de eis etiam Romanum *Baronij*; Caſtellanum *P. Vaſq.* Luſitanum *P. Lup.* Hiſpanum MS. *P. Higuera*; Italum *Conſtant. Felicij*, & aliorum. Ex Noſtris Marineus Sicul. *de Reb. Hiſpan. lib.* 5. *fol.* 339. P. Ioannes Marieta *Hiſt. SS. Hiſpan. lib.* 2. *c.* 73. D. Sanctius Dauila *de Venerat. Relig. lib.* 3. *c.* 8. *fol.* 294. D. Franciſc. Caſcales *Hiſtor. Carthagin. Diſcurſ. fin. c.* 6. P. Vargas *Hiſtor. Hortenſ.* §. 2. Breuiarium Antiquum *Hiſpalenſe*, vbi ACTA vnicâ Lectione comprehenſa *fol.* 203. Ex alienis Maurolycus in *Martyrolog. h. d.* & Petrus Cabilonenſis in *Topograph. SS. verb.* Carthago Noua *fol.* 99.

*Martyrologia.*

*Scriptores.*

*fol.*99. Prorſus à vera *Chorographiâ* palæſtræ Sanctorum horum Martyrum deuiauit Philippus Ferrar. *in Catalog. General. SS. Die* 19. *Iul. fol.* 297. cùm apud CORDVBAM paſſos *SS.* Martyres, *Galleſini* auctoritate, contendit; quia *Galeſinius* Noſtros Martyres, quos hic appingimus verè apud *Carthaginem* paſſos, non apud *Cordubam* ſcriptum reliquit, vt patet ex eius Martyrolog. *h. d. fol.* 101. SPERATVS autem, & ſocij, quos *Cordubæ* veneratos affirmat idem Galleſinus *Die XIX. Iulij fol.* 102. non quòd *Cordubæ* coronatos, ſed quòd ibidem fuiſſe cultos dixiſſe credendum eſt. Eorum ACTA ex *Breuiario* vetuſtiſſimo *Hiſpalenſi* dabimus.

## *ACTA SS. SPERATI, NATALII, Cyrini, Donatæ, Secundæ, & Baſsiæ Martyrum Carthaginenſium in Hiſpania, ex Hymno Iſidoriano, & Breuiariis vetuſtiſsimis Hiſpalenſi, & aliarum Eccleſiarum Hiſpaniæ.*

*Ciues Carthaginis Nouæ.*

SPERATVS, NATALIVS, CYRINVS, DONATA, SECVNDA, & BASSIA *Ciues* Carthaginis Spartariæ *in* Hiſpania, *Chriſti fidem tenentes, & ſub* Crucis *ſignaculo militantes*, *à* Saturnino *Romanorum in* Hiſpania *Proconſule ad eius tribunal propter Chriſti confeſsionem adducti ſunt; quos* Saturninus *talibus verbis adloquitur*: Poteſtis indulgentiam ab Imperatoribus Noſtris promereri, ſi Deorum Noſtrorum ceremonias obſeruaueritis. S. SPERATVS *dixit*: Nunquam male geſſiſſe conſcij ſumus; iniquitati opem, atque aſſenſum non præbuimus; nulli vnquàm maledixiſſe recolimus; ſed male tractati, ac laceſſiti Deo gratias ſemper egimus, orantes pro malefactoribus; & iſta norma ab Imperatore Noſtro nobis tradita eſt. S. CYRINVS *dixit*: Non te à nobis aliud oportet audire Proconſul, niſi ea, que ſocius Noſter SPERATVS confeſſus eſt. *Cuius verbis* S. DONATA *ſuæ quoque mentis conceptum adiecit*: Honorem Cæſari, quia Deus præcipit, reddimus, timorem autem, & cultum Chriſto præſtamus. *Sancta quoque* BASSIA *ſic eſt loquuta*: Hoc meditabitur cor meum ſemper, & labia mea pronuntiabunt, quia Chriſtiana ſum. S. SECVNDA *ſubinde dixit*: Ego quoque ſum Chriſtiana, & à profeſſione ſociorum meorum nunquam recedam. *Tunc* Saturninus *videns eos tàm conſtantes, & fortes ſententiam dedit, dicens*: SPERATVM, NATALIVM, CYRINVM, DONATAM, SECVNDAM, BASSIAM, & omnes, qui Chriſti ritum profeſſi ſunt, gladio placet interire. *Tunc* SPERATVS *dixit*: Deo gratias. NATALIVS *dixit*: Hodie in cælo Martyres ſumus, Deo gratias. *Proconſul vero iuſsit Sanctos decollari, ſcilicet*: SPERATVM, NATALIVM, CYRINVM, BETVRIVM, FELICEM, AQVILINVM, LETARIVM, IANVARIVM, GENEROSAM, BASSIAM, DONATAM, & SECVNDINAM, *qui lætantes ad locum martyrij venientes, beatas animas Domino tradiderunt, Die* XVI. Kalendas Auguſti, *Anno Domini* CC. XC. *vel circiter. Poſtmodum ſacra pignora* SPERATI *in Africam tranſlata fuere, deinde ex Africa Galliam transvecta, & Lugduni in Baſilica S. Ioannis Baptiſtæ honorificè fuere condita.*

*Capiuntur.*

*Damnantur.*

*Coronantur.*

Hactenus ACTA, quæ ad SS. Martyrum memoriam conſeruauit officium *Hiſpanicæ* Eccleſiæ in *Breuiariis* Antiquis, & in *Toletano* ſecundum regulam *S. Iſidori* iſte Hymnus.

SPERATI



SPERATI *Sancti Martyris*
*Palmam virtutis inclytam*
*Alternis inuicem choris,*
*Hymnis canamus myſticis.*
*Hunc vrbs præpollens Africæ*
Carthago *ſeruat Martyrem*
*Amplectitúrque Occiduus*
*Chriſto dicatus Populus.*
*Floret eximiis eius*
*Hic tumulus virtutibus,*
*Et paſsionis gloriam*
*Amplificant miracula.*
*Hic ſacris cum ſodalibus*
*Dum cogitur ad victimam,*
*Negauit ſeſe fortiter*
*Thura libanda Idolis.*

*Exclamat namque protinus*
*Chriſti miniſter ego ſum;*
*Quoſque videtis Socios*
*Tales adeſſe credite.*
*His dictis Præſul impius*
*Commotus irâ inſaniæ,*
*Ferire iubet gladio*
*Colla piorum Martyrum.*
*Poſt hoc trophæum fidei*
*Euolauerunt animæ*
*Petentes Patris ſolium,*
*Pares coronas capiunt.*
*Sicque gerentes ſtigmata*
*Chriſti in carne propria,*
*Conformes facti ſunt Chriſto*
*Cæleſti regno, & præmio.*

*Transfertur Corpus S. Sperati Africam. Poſt Lugdunum Galliæ.*

Quatenus ad *Tranſlationem* S. SPERATI Hiſpaniâ Africam conſtat ex Hymno *Carm.* 2. ibi: *Hunc* (SPERATVM) *Vrbs præpollens Africæ Carthago ſeruat Martyrem*, per Tranſlationem ſcilicet, vt ſupra diximus.

CIRCA ſecundam *Tranſlationem* Africâ *Lugdunum* Galliæ, teſtes ſunt Martyrolog. Rom. *h.d.* & Ado Viennenſ. in *Chron. Ann.* 806. Sigebert. Gemblacenſ. *in Chron. Ann.* 802. Baron. *Annal. Eccleſ. Tom.*9. *Ann.* 808. *n.*46. Amicus Andreas Sauſſay *in Martyrolog. Gallic. Tom.* 2. *Die X. Nouembr. in Supplement. fol.* 1194.

# DECIMO-QVINTO
## Kal. Auguſti.
# DIES XVIII.

*A.* Amphilochij *in Gallæcia Hiſpaniæ* S. MARGARITÆ, *ſiue, vt aliis*, MARINÆ *Virginis & Martyris, quæ cum aliis octo Sororibus adelphis ſanctiſsimis Virginibus*, Belcagiam *patriam*, & C. Attilium, *patrem, Numine diſponente, deſereret, Amphilochium aduenit, vbi ab Olybrio Præſide propter fidem Catholicam apprehenſa, poſt deuictos ſigno Salutiferæ* CRVCIS *diaboli in forma draconis aſpectus, & Præſidis in ſpecie dæmonis conſpectus, continuatione cæſa terri-*

 *bili,*

*bili, & per varios cruciatuum, lampadum, ligaminum, verberum, & facium agones exercita, ad palmas martyrij, & virginitatis alacri ſtrenuitate cucurrit.*

*B.* Carthagine *Spartariâ* S. GVDENIS *Virginis, & Martyris, quæ ob Chriſti Sponſi fidem à* Ruffino *Præſide comprehenſa, & quater in equulei machina, dilaniata, & extenſa, vngulis ferreis lacerata, poſtmodúmque carcerali cuſtodiâ diutiſsime afflicta, tandiu ſeceſſit, quouſque mucrone iugulata, ad gloriam repromiſſionis Martyr inuicta peruenit.*

*C.* BRIXIÆ *in Italia* S. PHILASTRII *Hiſpani, & ipſius vrbis Epiſcopi, qui doctrina conſpicuus, & virtutibus imbutus, ſic hiſce armis Arianorum errores compeſcuit, ſectarios ex diœceſi decertator fugauit acerrimus, vt ab ipſis comprehenſus, & cruci affixus, aliquantulum ſiſteretur; demum miraculis clarus obdormiuit in Domino.*

---

# NOTÆ.

A. *Marina, & Margarita, vna & eadem Virgo, & Martyr eſt.*

SANCTA MARGARITA, *ſiue* MARINA *Virgo, & Martyr.*] Duplici hoc nomine Sanctiſſima hæc Virgo apud *Hiſpanos* colitur, & ideo fœminæ aliquando MARGARITÆ, aliquando MARINÆ vocabulo nominantur. MARINÆ titulo, eius meminit Martyrolog. Roman. *h. d.* ſic: *Gallæciæ in Hiſpania* S. MARINÆ *Virginis, & Martyris.* Conueniunt & Caſtellanum *P. Dionyſ. Vaſq.* Luſitanum *P. Lup.* Hiſpanum. MS. *P. Higuer.* & Italum *Conſtant. Felic.* Vtroque nomine vtitur Flau. Dext. in *Chron. Ann.* 138. *n.* 5. dicens: *Amphilochij in Gallæcia Hiſpaniæ* S. MARINA, *vel* MARGARETA, *Virgo & Martyr, pro fide Chriſtiana, & pudicitia paſſa.* Et *Ann.* 300. Inuentionem ſacrorum pignorum eiuſdem aſſignans, inquit: *In Gallæcia, Prouincia Hiſpaniæ repertum eſt Corpus* S. MARINÆ, *vel* MARGARETÆ, *Virginis, & Martyris, ibidem paſſæ.* S. M. Maxim. in *Chron. Anno* 556. proſequitur: *Maximè viget in* Hiſpania *memoria* S. MARINÆ, *Virginis, & Martyris* Hiſpanæ *Gallicienſis (quam alij* MARGARETAM *vocarunt, alij* GEMMAM-MARINAM*) paſſam ad vrbem Amphilochium Gallæciæ, ſub Olybrio iudice, & Adriano Imperatore.* Quorum ſententiam ſequitur eruditiſſimus P. F. Franciſcus Biuarius

*Huius rei probationes congerit Biuarius.*

*in Comment. ad Dext. d. Ann.* 138. *n.* 5. *fol.* 234. vbi illâ, quâ pollebat efficaciâ euidentiſſimè probat, S. Virginem, & Martyrem quam Græci MARGARETAM dixere ſuo idiomate, hanc eandem eſſe, quam Latini, & maxime Hiſpani Noſtri vocauere MARINAM. Fundamenta quibus *Biuarius* vtitur, vt hæc probet, ſolidiſſima ſunt, quæ hic non repeto, quia Codex ille præ manibus vbique habetur. Hiſce igitur rationibus admiſſis, & probatis de S. MARINA, vel MAR-

*Scriptores.*

GARETA ſcripſere præter omnia *Martyrologia*, & totius Hiſpaniæ vniuerſa *Breuiaria*, Iulianus Archipreſbyter Toletanus in *Chron. n.* 58. *fol.* 22. Ambroſius Morales *Hiſtor. Hiſpan. lib.* 10. *c.* 18. P. Ioannes Marieta *Hiſtor. SS. Hiſpan. lib.* 4. *c.* 14. Bernardus de Brito *Monarch. Luſitan.* 2. *p. lib.* 5. *c.* 18. F. Ludouicus ab Angelis in *Viridar.*



*Viridar. SS. Portugall. fol.* 48. P. Antonius Vaſconcell. in *Deſcript. Portugall. fol.* 445. D. Prudentius de Sandoual, *Hiſtor. Tudenſ. fol* 41. Heribertus Roſuveydus *lib.* 1. *Vit. Patr. in Notation ad Vit. S. Marin.* D. Rodericus de Acuña *Hiſtor. Braccarenſ.* 1. *p. c.* 28. *fol.* 133. Ex Florum SS. Scriptoribus ACTA paſſim deducuntur, videlicet *Baſilio Santoro, Alfonſo Villegas, Thomâ Truxillo, Petro de Ribadeneyra*, & aliis, Nos illa dabimus ex vetuſto *Aſturicenſi Legendario*, huiuſmodi:

## *ACTA S. MARGARITÆ, VEL Marinæ Virginis, & Martyris Gallicienſis in Hiſpania, ex vetuſto Legendario Aſturicenſi MS. & aliis.*

PASSIO *Sanctæ, ac Beatiſsimæ* MARINÆ *Virginis, & Martyris, quæ paſſa eſt in campo* LIMIÆ *circa vrbem* Armeniam, *ſub* OLIBRIO *Præſide, die Quinto Decimo Kalendas Auguſti. Quæ igitur* B. MARINA C. Attilij Seueri *Luſitaniæ Reguli filia fuit, ex matre* Calſia, *quæ cùm vno partu Nouem filias peperiſſet in vrbe Belcagia, quæ poſtea* Eſtuniciana *dicta eſt, maximo pudore acta, inhumano auſu, omnes illas perdere cogitabat, vt hoc factum ad viri, & populi notitiam non perueniret. Excogitato igitur maligno conſilio, vocans ad ſe obſtetricem, quæ ſibi familiaris, & ſecretorum eius conſcia erat, Sila nomine, iubet, vt totam illam paruularum turbam, latenter, & caute ad flumen deferat, & ibi nullo conſcio, omnes ſimul in profundum gurgitis demergat. Sed miſericors Deus, qui de malis hominum actis bona conſueuit elicere, de his infantulis aliter ſtatuit: Nam præfata obſtetrix infantularum pietate, & Dei amore commota, opportunitate adinuentâ, acceſſit ad vicum, qui in ſuburbio ciuitatis à Chriſtianis habitabatur, & ibi quærens nutrices idoneas, ſingulas puellas, ſingulis tradidit nutriendas. Quæ ipſas ſuſcipientes, ſacri fontis lauacro, illas regenerari fecerunt, nomina eis imponentes. Quarum vna* MARINA *fuit, quæ cum aliis tempore procedente, cùm iam adoleuiſſet, per Chriſtianorum cohabitationem, & conlocutionem, ortum ſuum didicit & genus.* *Parentes.* *Natiuitas.* *Educatio.*

CVMque *poſtea exorta eſſet à Romanis aduerſus Chriſtianos ſæua perſecutio, & per omnes vrbes ſatellites mitterentur, qui ad prophana ſacrificia fideles compellerent,* B. MARINAM *cum cæteris ſororibus in illo vico reperientes, ante Reguli, Patris ſui conſpectum crudeliter adtraxerunt. Poſt multas autem interrogationes,* C. Attilius *filias ſuas, non ſine magno ſtupore* Galſiæ *vxoris ſuæ, ipſas eſſe cognoſcens, blandis eas verbis commonens, vt à Chriſti cultura reuocaret, datis induciis, vt ſibi aſſentirent. Sed ab Angelo admonitæ omnes fugerunt, & conſolantes ſe alterutrum, & orantes ſimul & flentes diſceſſerunt ab inuicem. Quæ omnes per diuerſa loca à perſecutoribus comprehenſæ martyrium conſummarunt, & coronas duplicis virtutis feliciter permeruerunt.* *Perſecutio.* *Fuga.*

IGITVR *à Sororibus* B. MARINA *ſeparata, ad campum Limiæ ſub vrbe* Armenia, *habente ſtadia Quindecim ab* Amphilochia *peruenit, vbi tota ſe dedit orationibus, & operibus Ieſu-Chriſti, & audiens Martyrum certamina, eorum particeps fieri vehementer deſiderabat. Cùm autem* Olybrius *Præſes* Amphilochiam *ciuitatem pergeret, ibi* MARINAM *in itinere obuiam habuit. Quam cùm comprehendere iuſsiſſet, illa inuocare Dominum cœpit, dicens:* Miſerere ancillæ tuæ Domine Ieſu Chriſte, & ne perdas cum impiis animam meam. *Vocauit igitur Præſes eam ad ſe, dixitque ei:* Ex quo genere, libera, an ancilla? MARINA *reſpondit:* Libera ſum, & ancilla Chriſti. *Tunc iuſsit eam in carcerem mitti, atque in ſequenti die eam ad ſe adduci præcepit; quam cum non poſſet à Chriſti amore ſeparare, iuſsit eam ſuſpendi, atque virgis acerrimis, vſque ad ſanguinis effuſionem laniari. Beata verò* MARINA *virtute Dei confortata, nec ſuſpirauit, nec gemuit, nec ſaltem* *Amphilochiâ ſiſtit.* *Capitur.* *Cruciatur.*

*Vincit tormenta & Tyrannũ.*

*Diabolum in forma Draconis.*

*Coronatur.*

*ſaltem vultum triſtem oſtendit. Et cùm adhuc Dominum prædicaret, putans ſe Præſes irrideri pectinibus ferreis iuſſit carnes eius vſque ad oſſa ſulcari, in tantum, vt populus, atque ipſe Tyrannus compaſſione moueretur, qui ad eam dixit:* Conſule puella iuuentuti tuæ, & mihi aſſenſum præbe, ne tuæ pulchritudinis florem amittas. *Ad quem* MARINA: O male conſiliator! Hæc cruciatio, animæ eſt ſaluatio. O impudens canis! inſatiabilis leo! Tu in carnem poteſtatem habes; ſed Chriſtus animam ſeruat, quam redemit. *Ad hæc Tyrannus*: Iam non parcam, iam non miſerebor, conſulentes ſibi deludit, Deos blaſphemat, tormenta contemnit. *In carcerem igitur recluditur obſcuriſſimum; ſed ſtatim immenſo lumine radiatur. Diabolus verò in forma Draconis, quaſi eam deuoraturi apparens, ſubitò ſigno* Crucis *oppoſito, euanuit. Sequenti verò die Virgo Præſidi præſentatur, & præſentibus populis ſacrificare nolens exuritur, & appoſitis ad latera facibus ardentibus, caro recens lacerata, vſque ad intima, concrematur; ita vt mirarentur omnes, quomodo tàm fragilis puella tanta poſſet tolerare tormenta. Sed inſanus Præſes cùm videret eam tot cruciatibus non poſſe ſuperari, ad vltimum decapitari iuſſit* XV. Kalendas Auguſti *Anno* C.XXXVIII.

Hæc ſunt ACTA quæ communiter circumferuntur à Noſtris Scriptoribus, licet in aliquibus *Breuiariis* Hiſpaniæ, veluti *Segobienſi, Hiſpalenſi, Toletano*, & aliis, loco *C. Attilij* Parentis S. Virginis, & Martyris reponitur THEVDIVS Idolorum Patriarcha. Sed huic difficultati occurrit P. Biuar. in *Comment. Dextr. ad Ann.* 138. *n.*5 *fol.*236. apud quem nodum diſſolutum inuenies.

*Armenia vrbs in Gallæcia.*

CIRCA vrbes ARMENIAM, & AMPHILOCHIVM, ſeu AMPHILOCHIAM in *Gallæcia*, de quibus mentio eſt in ACTIS; D. Petrus Fernandez de Boan *in Deſcription. MS. Eccleſ. Paræchial. S. Marin.* quam de AGVAS-SANCTAS vocant, aſſerit vrbem ARMENIAM conſtructam VIII. M. P. ab vrbe *Aurienſi*, quam & olim dixere AMPHILOCHIVM, fuiſſe abs Nepotibus Noæ, cuius nomen adhuc conſeruari decurtato vocabulo, vt *Gallæcorum* mos eſt, & dici hodie ARMEA in campo *Limiæ*, vbi ſacrum S. Virginis, & Martyris *Corpus* cuſtoditur honorificè conditum, & Eccleſiam inibi extructam *ab Alphonſo* cognomento *Magno* conſeruari contendit. Cætera quæ ad ACTA comprobanda deficiunt, communia cum aliis octo SS. Sororibus ſunt, quæ ſi repetere deſideras, vide ſupr. *Tom.* 1. *Die XVIII. Ianuar. fol.* 183. & R. P. F. Philippum de la Gandara in *Hiſt. Hierophiſotop. Gallæc. Tom.* 1. *lib.*6 *c.*23.

*Amphilochij Topographia.*

AMPHILOCHIVM, ſiue AMPHILOCHIA, vrbs vetuſtiſſima Hiſpaniæ, in *Galleciæ* finibus, quam hodie ORENSE dicunt, Epiſcopali Sede decoratam à *S. Petro Braccarenſium* Apoſtolo, cognomento *Ratenſi*, vt refert S. Athanaſius Cæſarauguſtanus in *fragment. apud Biuar. in Comment. ad Dextr. d. Ann.* 138. *n.* 5. *fol.* 234. Vide Ludouicum Nonium in *ſua Hiſpan c.*53.

*Martyrologia.*

*Ferrarij error.*

*Scriptores.*

S. GVDENES Virgo, & Martyr Carthaginis in Hiſpania. ] Omnia ferè Martyrologia ſcilicet *Bedæ, Adonis, Vſuardi*, & cætera recentiorum paſſionem huius Sanctiſſimæ Virginis, & Martyris ſimpliciter apud CARTHAGINEM conſtituunt abſque expreſſione *Africanæ*, aut *Hiſpanæ*, quorum ſilentium etiam Romanum *Baronij*, Caſtellanum *P. Vaſq.* Luſitanum *P. Lupi*, & Italum *Conſtantij Felicis* ſubſequuntur. Hinc neſcio à quo ductus Philippus Ferrarius *in Topograph. SS. verb.* Carthago Africæ *fol.* 33. *col.* 2. perperam inter illius vrbis *Africanæ* Diuos apponere auſus, cùm Venerabilis *Beda*, quem in margine citat, nihil tale dixit. Igitur, vt huius Scriptoris lapſum agnoſcas, audi Flau. Dextr. in *Chron. Ann.* 208. palæſtram conſignantem: CARTHAGINE in *Hiſpania, Getâ, & Plautiano Coſſ.* GVDENES *Virgo patitur* XV. Kalend. *Sextilis*. Quod & probant Martyrologium Hiſpanum MS. *P. Higuera*, P. Biuar. in *Not. ad Ann.* 208. *n.* 2. *fol.* 267. Rodericus Caro in *Not. ad Dextr. fol.*8 2. *lit. B.* D. Franciſc. Caſcales *Hiſtor. Murcienſ. Diſcurſ. fin. c.*6. P. Vargas *Hiſtor. Hortenſ.* §. 3. D. Martin. Carrill. *Annal. Eccleſiaſtic. Hiſpan. Ann.*208. Equilinus *Catalog SS. lib.*6. *c.* 112. D. Didacus de Caſtejon. *in Primat. Toletan.* 1. *p. cap.* 9. §. 14. *fol.* 179. Eius breuibus complexus eſt clauſulis ACTA

Petrus



*Petrus de Natalibus*, ſed ea ex *Legendario* vetuſto *Segobienſi* prolixiora dabimus.

## ACTA S. GVDENIS, VIRGINIS & Martyris Carthaginenſis in Hiſpania, ex Legend. Segobienſi.

*Origo.*

*Educatio.*

*Perſecutio.*

*Capitur.*

*Torquetur.*

*Coronatur.*

GVDENES *igitur ſanctiſſima Virgo, & fortiſſima Martyr apud* Carthaginem Spartariam Hiſpaniæ *nata, & ſanctis moribus educata, Chriſti fidem ab eius natiuitate retinuit, pro qua ſic feliciter militauit, vt animam prò eius defenſione relinqueret. Nam eueniente feriſſimâ Seueri Imperatoris per totius Imperij angulos perſecutione, ſic Iudicum ferocitas in* Hiſpania *contra Chriſti membra diſparuit, vt minutiora vicorum loca vexaret. Igitur* Ruffinus *Proconſul* Hiſpaniæ *Cæſaris edicta ſuſcipiens, cùm* Carthagine *demoraretur, protinus ad illa exequenda, totius diabolicæ machinationis embolia, vt fideles ad Idolorum attraheret cultum, & à Chriſti ſepararet adorationem, meditatus, illos per ſatellites quæritauit. Qui cum* GVDENEM *Virginem honeſtiſſimam ad* Ruffini *tribunal fidei causâ perducerent, & ab eo, vt errorem Chriſtianæ ſuperſtitionis deponeret, ſæpius blanditiis primum, poſt minis S. Virgo requireretur; nec obtinere valens, illam in equuleo ſuſpendi iuſſit, quæ licet continuò vexata, & vngularum horrenda laceratione cruciata, nequaquam Chriſti Sponſi amplexus conſtans agoniſta deſeruit. Ter igitur poſtea; tribus diuerſis diebus equulei repetitur ſtrages, ſed hiſce tribus vicibus Ruffini extenuatur auctoritas, qui ſe victum à fæmina fragili cognoſcens, eam in carceris ſqualore diu afflictam retinens, tandem illam gladio cæſam ſecreto, corpus reptilibus deſtinauit* XV. Kal. Auguſti *Anno Domini* CC. V. Getâ, & *Plautiano Conſulibus*.

Hæc ſunt ACTA, quæ nullâ indigent illuſtratione. Nam vt inquit Baron. in *Not. ad h. d. lit. B.* Annus agonis S. Virginis, & Martyris fuit CC. V. quia illo Conſulatum geſſere Septimius Geta, & Septimius Plautianus, temporibus Seueri Imperatoris.

*C.*

*Martyrologia.*

*Scriptores.*

*Hiſpanus natione.*

S. PHILASTRIVS *Epiſcopus Brixienſis Confeſſor.* ] Celebris eſt eius memoria in *Romano Martyrologio* tàm antiquo, quàm recentiori, hoc elogio: *Brixiæ natalis* S. PHILASTRII *eiuſdem ciuitatis Epiſcopi, qui aduerſus hæreticos, præſertim Arianos, à quibus multa perpeſſus eſt, plurimum verbis, ſcriptiſque pugnauit, demùm clarus miraculis, Confeſſor in pace quieuit.* Conueniunt Martyrologia Caſtellanum *P. Vaſq.* Luſitanum *P. Lup.* Italum *Conſtant. Felic.* De eo S. Auguſtin. *Libr. de Hæreſib. ad Quoduultdeum.* Baron. *Annal. Eccleſ. Tom.* 4. *Ann.* 374. *num* 9. & *Ann.* 381. *n.*83. Perr. de Natalib. in *Catalog. SS. lib.* 6. *c.* 115. Philippus Ferrar. in *Catalog. SS. Ital. h d. fol.* 445. qui expreſsè fuiſſe natione HISPANVM fatetur, ex Monumentis Eccleſiæ Brixienſis, & Helia Capreolo *lib.*3. *Chron.* & aliis. Eius ACTA ſcripſit *S. Gaudentius* eius ſucceſſor in Sede, quæ Lippoman. *Tom.* 2. & Sur. *Tom.* 4. *Vit. SS.* ſuis operibus inſeruere. Illa, pro vt ab eis accepimus, ſubiungemus.

## ACTA S. PHILASTRII BRIXIENSIS Epiſcopi, Confeſſoris, natione Hiſpani, ex Sermone S. Gaudentij, & Catalogo SS. Italiæ Philippi Ferrarij.

*Origo.*

*Hiſpaniam deſerit.*

PHILASTRIVS *natione* HISPANVS *diuinis, & humanis literis apprimè doctus, & eruditus, qui Deo credens fide pleniſſimâ, exiit de terra ſuâ, & de cognatione ſuâ, & de domo Patris ſui, & ſequebatur verbum Dei, ab omnibus ſeculi impedimentis exutus: ac propterea aſſequi meruit citò, quod ſequi ſtuduit expeditus. Exercens namque continentiam ſingularem, peruigil*

*Presbyter fit.* — *Arrianos oppugnat. à quibus verberatur.*

*in Scripturis ſanctis, Dei ſapientiam concupiuit, portionem ſuam Chriſtum reputans Dominum, in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ cæleſtis abſconditi. Quibus cum repleuiſſet deſiderium ſuum, deſideriorum cœleſtium vir, & per impoſitionem manus Presbyterij, diſpenſator fuiſſet diuini ſermonis electus, negligere gratiam Dei omnino paſſus non eſt. Sed circumueniens vniuerſum penè ambitum Romani Orbis, Dominicum prædicauit verbum, Pauli Apoſtoli idoneus imitator exiſtens. Sancto enim ſpiritu plenus, non ſolum contra Gentiles, atque Iudæos, verum etiam contra hæreſes omnes, & maximè contra furentem eo tempore Arrianam perfidiam, tanto fidei vigore pugnauit, vt etiam verberibus ſubderetur, & in corpore ſuo ſtigmata D. N. Ieſu-Chriſti portaret. Nam & in Mediolanenſi vrbe, idoneus enim cuſtos olim Dominici gregis fuit, Ariano repugnans* Auxentio, *priuſquam Beatus eligeretur* Ambroſius. *Romæ etiam non exiguo tempore moratus, multos, & publicâ, & priuatâ diſputatione eſt lucratus in fide. Sed neque per vicos, & caſtella diuerſarum præteriens regionum prædicare verbum Dei vnquam deſtitit fidelis Chriſti Diſcipulus.*

*Venit Brixiam.*

POST *illos itaque circuitus animarum plurium ſalutares, Brixia eum rudis quondam, ſed cupida doctrinæ promeruit Scientiæ quidem ſpiritalis ignara, ſtudio tamen diſcendi laudabilis. Excidit continuò imis ab ſtirpibus horrentem ſyluis diuerſi erroris bonus Agricola, & aratro doctrinæ pronus incumbens, inuertit crudam totis viribus terram, ſquallentemque humum ſulcis aſſiduis in noualia fœcunda conuertit, affatim ſemita vitalium mandatorum gremio eius inſinuans. Plantauit quoque vineam, cùm lætaretur ex fructu: quoniam vinum lætificat cor hominis. Oleas etiam pacis agreſtibus indidit oleaſtris, & aſperitati pomorum ſylueſtrium, germina pinguedinis, ac ſuauitatis inſeruit, vt haberet Apoſtolicus vir aliquem & in* Brixienſibus *fructum, ſicut & in cæteris gentibus. Et iſte quidem conſummati operis nunc apud Deum fructibus gratulatur, nam dignus eſt operarius mercede ſua: & laborantem agricolam opportet primò de fructibus ſumere.*

*Virtutes eius.*

IAM *reminiſcamur, vehemens ille ardor animi, quantam poſſederit in ſanctis moribus lenitatem: illa celſitudo ſcientiæ, quantâ fuerit humilitate ſublimis: illa cœleſtium rerum peritia, quàm fuerit ignara terreſtrium. Erat enim humanæ gloriæ neſcius; & acer diuini honoris exactor non quærens quæ ſua eſſent, ſed quæ Ieſu Chriſti. Amicitias ſeculi, & officia mundana contemnens, ſeruitio Dei iugiter adhærens, inter humana colloquia iugiter occupatus, nimirum ibi cor eius erat, vbi theſaurus. Illud etiam quale eſt, quod cum operoſa quæque huius ſeculi, ac pretioſa deſpiceret, viliũ rerum pauperrimos venditores miſericordi ambitione profuſus emptor augebat. Parum ſcilicet computans, quod profuſius egentibus largiretur. Erat idem S. Vir irâ breuis, indulgentiâ facilis, patientia ſupremus, humanitate deuincens: in corripiendo diſtrictus, in relaxando abſolutus, liber in agendo. Omni ætati, & conditioni, & ſexui ſtupendâ benignitate communis, & tum humilibus quibuſcumque coniunctior. Ipſe quoque in illo habitu veſtium totâ erat vilitate mundiſſimus, gratus ſine induſtria, contemptibilis ſine fuco, & planè, qui ipſo nil curante, mentis eius panderet puritatem.*

*Feſtus Dies.* — *Obitus.*

PAVCA *hæc de virtutibus hominis Dei breuiſſimo ſermone memoraui, ne Dies iſte, quo ad ſuperna migrauit* B. PHILASTRIVS, *Patronus Noſter, cuius hodie feſta celebramus, triſti ſilentio, inglorius præteriret. Nam cùm multa meritorum eius præconia, Quatuordecim iam per annos ſolemnitatis huius cultum renouans, auditui veſtro intulerim, plura quæ prædicari adhuc poſſint, intacta perſpicio.* XV. Kalend. Auguſti *exuit hominem, & migrauit ad eum, quem dilexit. Tam digni igitur memoriam Sacerdotis debito affectu veneremur, vt ipſius quoque ſuffragio, bona quæ poſcimus facilius impetremus. Largiente Dei Filio, cum Patre, & S. Spiritu, quibus eſt honor, & gloria Amen.*

Hucuſque ACTA à *S. Gaudentio* in ſcripta, quorum meminere *Baronius*, & *Ferrarius* qui ſpeciatim aliqua non prætermittenda addidit pro illuſtratione ACTO-

RVM



RVM Noſtri Sanctiſſimi Præſulis, quæ hic ſubiungere decreuimus, ne diminutas S. PHILASTRII res geſtas referamus.

*Athenas pergit.*

PRIMVM addit Ferrarius in *Catalog. SS. Ital fol.* 445. S. Virum *Athenas* aduenisſe, ibique magnos habuiſſe progreſſus refert, hac ſerie: *Nam &* Athenas *nauigans ibi breui ingentes progreſſus habuit.*

*Romam accedit.*

SECVNDVM (proſequitur *Ferrarius*) S. Virum Romam perrexiſſe; & ibidem à *S. Damaſo* homopolo ſuſceptum, & ibidem publicè docuiſſe profatur, ſic: *Romæque à* Damaſo *liberaliter tractatus publicè docuit.*

*Concilio Aquileieñſi interfuit.*

TERTIVM, Sanctiſſimum Præſulem Concilio *Aquileienſi* cum *S. Ambroſio* interfuiſſe meminit, hac clauſula: *Concilio Aquileienſi cum S. Ambroſio interfuit.* Quod & fatetur Aubert. Myreus in *Bibliothec. Eccleſ. Tom.* I. *fol.* 102. *in Not. ad c.* 3.

*Annus obitus.*

QVATENVS ad ANNVM dormitionis, ſeu obitus, omnes conueniunt cum *Baronio*, *Ferrario*, & *Myræo*, eueniſſe ad CCC. LXXX. ex rationibus ab ipſis adductis.

# DECIMO-QVARTO
## Kal. Auguſti.
## DIES XIX.

A. HISPALI *in Bætica Hiſpaniæ* SS. IVSTÆ, *&* RVFFINÆ *Virginum, & Martyrum, quæ cùm vrbem* Romulam *pro vendendis fictilibus vaſculis conceſſiſſent, eo die, quo Salambonæ feſtum peragere tur ab Ethnicis; vt aliquod Idolo exhiberent munus, à Sanctis ſororibus poſtulabat gentilitas; quæ cum nollent dare, à* Diogeniano *Præſide in carcerem coniectæ, viriliter Chriſtum ſponſum confitebantur, ſed grauibus afflictæ ſuppliciis, illa ergaſtuli ſqualore, iſta ceruice ſucciſa feliciter ad Dominum properauit.*

B. CORDVBÆ *in Hiſpaniæ Bætica* S. AVREÆ *Virginis Cœnobij* Cuteclarenſis *Sanctimonialis, quæ ex nobili* Hiſpalenſium *origine orta,* Adulphum *&* Ioannem *inclyto Martyres fratres agnouit; ſed cùm pro fide comprehenderetur incuriè, parum abfuit, quin religionis vincula prorupiſſet; aſt ſui, & ſuorum memor, ad Chriſtum conuerſa, mirabili conſtantiâ, & cordis dolore, anteactum errorem ſuo ſanguine lauit, & ad Sponſi vlnas martyrio coronata cucurrit.*

C. CÆSARAVGVSTÆ *in Hiſpania Citeriori* Inuentio *ſacro-*

*rum pignorum* S. BRAVLIONIS *ipſius Vrbis Epiſcopi, quæ ipſo reuelante, ex humili loco extracta, & in honoratiorem in Eccleſia* B. MARIÆ *Virginis, & Matris collocata, pientiſſimè venerantur.*

# NOTÆ.

A. *Martyrologia.*

SANCTÆ IVSTA & RVFFINA *Martyres Hiſpalenſes.*] Has, quas vitæ operibus pariles, ſociâque paſſionis conſummatione felices vocitat *Iſidorus* Noſter, celebrioribus encomiis extollunt vniuerſa penè Martyrologia *Bedæ, Adonis, Vſuardi,* & recentiorum. *Romanum* hoc elogio: HISPALI *in* Hiſpania *Sanctarum Virginum* IVSTÆ, *&* RVFFINÆ *quæ à Præſide Diogeniano comprehenſæ, primò equulei extenſione, & vngularum laniatione vexatæ, poſt carcere, inediâ, & variis torſionibus afflictæ: tandem* IVSTA *in carcere ſpiritum exhalauit;* RVFFINÆ *verò ceruix in confeſſione Domini confracta eſt.* Conueniunt Martyrologia Caſtellanum *P.D.Vaſq.* Luſitanum *P. Lup.* Hiſpanum MS. *P. Higuer.* & Italum *Conſtant. Felic.*

*Breuiaria.*

Subſcribunt omnia Hiſpaniæ Eccleſiarum *Breuiaria* vetuſta in quibus officia ſolemnia, ſub diuerſis ritubus, ſecundum vniuſcuiuſque Eccleſiæ, & diœceſis morem. De ea Bellouacenſis in *Specul.Hiſtor.lib* 3.*c.*3. Equilin in *Catal.SS.lib.* 6. *c.* 117. Ambroſ. Moral. *Hiſt. Hiſpan.lib.*10.*c.*16. D. Laurent. Padill. *de SS. Hiſpan.fol.* 19. Marieta *Hiſtor. SS.Hiſpan.lib* 4.*c.*11. Vaſſæus in *Chron. Annal.* 306. Stephan. Garibay. *in Compend.Hiſtor. lib.*7 *c.*45. P. Ioan. Marian. *Hiſtor. Hiſpan.lib.*4.*c.*12. D. Martin. Carrill. in *Annal. Eccleſ.Hiſpan. Ann.*287. Franciſcus Pila *Hiſt. Tolet.lib.*1.*c.*28. Blaſcus Lanuza *Hiſtor. Aragon. tom.*1.*lib.* 5. *c.* 1. *&* 21. Alphonſ. Morgado *Hiſtor. Hiſpal.lib.*1.*c.*4. Archiepiſcopus Rodericus Ximen. *Hiſtor. Hiſpan. lib.*3.*c.*13. P. Biuar. in *Not. ad Dextr. Ann.* 300. *n.* 1. *fol.* 338. Rodericus Caro *Hiſp. Antiquitat. Hiſpalenſ lib* 2.*c.* 11. *fol.* 70. *col.*2. D. Paul. de Spinoſa *Hiſtor. Hiſpalenſ.* 1.*p. lib.*1. *c.*14. P. Quintana-Dueñas *Hiſtor. SS. Hiſpalenſ. fol.* 73. M. Ægidius Gonzal. Chronographus Regius *in Theatr. Eccleſ. Tom.* 2. *fol.*100. P. Ioannes Baptiſta Maſculus in *Faſt. SS. Encom.* 229. Philip. Ferrar. *in Catalog. General. SS. Die XVII. Iulij fol.* 293. & in *Topograph. SS. Verb.* Hiſpalis *fol.* 61. *col.* 2. D. Franciſcus Padilla *Hiſtor. Eccleſ. Hiſpan. tom.*1. *Cent.*3.*c.*21. Syluanus Razzius *Hiſtor. SS. Fæminar. Tom.* 4. *fol.*64. *col.*2. Henricus Coquus *in Hiſpania Heroic. MS. apud me verſ.*666. Iulius Cæſar. Scalig. *in Poëmat ſacr. Titul.* DIVÆ *Epigramm.* 32. *fol.* 68. Earum ACTA collegerunt fere omnes Martyrologiorum Scriptores, Surius *Tom.* 4. Baſilius Sanctorus. Æmiliianus, Villegas, Trugillo in *Theſaur. Concionat. tom.* 2. Ioann. Maldonado Franciſcus Haræus, Graſius, Lipoolæus in *Act.SS. Tom.*3. P. Petrus Ribadeneyra, & alij plurimi poſt Legendaria MS. & edita S.E. Hiſpalenſis, Aſturicenſis, Toletanæ, Segobienſis, & Calagurritanæ: è quibus hæc ſequentia tranſcripſimus, quia omnia ferè communia.

*Scriptores.*

*Flores Sanctorũ.*

## *ACTA SS. IVSTÆ, & RVFFINÆ Virginum, & Martyrum Hiſpalenſium in Hiſpania Bætica, ex MSS. Legendariis Hiſpalenſi, Aſturicenſi, Segobienſi, & Calagurritano.*

*Hiſpalinatæ.*

MAGNA, *& plurimùm laudabilis eſt conſtantia virtutum, quæ paſſionis conſtantia coronatur.* IVSTA *ſiquidem &* RVFFINA *fæmineo ſexu fragiles,*

*& medio*



*& mediocri paupertate pertenues, patientes, caſtæ, & religioſæ curam domus ſuæ gerebant, nihil habentes, & omnia poſſidentes. Erat autem illis vſus mercandi fictilium vaſculorum, de quorum quæſtu indigentiam inopum ſatiabant, ſibique tantum quod ad victum diei, & tegumentum ſufficeret, procurabant. Quotidianis orationibus purè operam mandabant. Sciebant enim ſe non fruſtra, nec incaſſum mentem exhibere Deo. Sed quia ſemper Deo aduerſarius vetuſtiſſimus inimicus in ſeruos, & ancillas Dei æmulationis, & inuidiæ ſuæ flammas obiectat, grauiſſimas pœnas indicit, vt tormentis ſæuientibus bene fixas mentes euertat; vngulas, & gladios comminatur vt mentes terreat innocentes, & Deo dicata corda conturbet. Sed quibus debebatur in tanto certamine ſæuiſſima pœna, ſimul aderat & parata victoria. Iam tempus glorioſi certaminis feruebat, & ſpiritalis agonis ſtudium parabatur, nec differri quidem diutius poterant ſpectacula Dei.*

*Exercitiũ.*

*Virtutes.*

QVIPPE *inter hæc quæ agebantur, cùm ſanctiſſimæ fœminæ diſtrahendorum vaſculorum gererent curam, occurrit eis neſcio quod monſtrum, & immane portentum, quod perditorum Gentilium turba* SALAMBONEM *appellat, poſtulans ab eis aliquod beneficium dari. Quæ cùm audiſſent & dare nollent, dicentes: Nos* Deum colimus, non manufactum iſtud Idolum, quod nec oculos, nec manus, nec pedes habet, neque ſpiritum viuentem in ſe: ſed ſi eget ſtipe aliquâ, aut inopiam patitur, ipſe accipiat à Nobis, nam Nos ei aliter non damus. *Ille verò qui in forma Zabuli latens Idolum ita baiulabat, turbulenter inuectus eſt, vt quæcunque in vſu vaſcula mercandi habere poterant ſanctiſſimæ fœminæ omnia penitus contereret, & frangeret. Illæ verò religioſæ, & nobiles Virgines non damno paupertatis commotæ, ſed ad deſtruendum tanti dedecoris malum, Idolum repulerunt, ſtatimque ad terram corruit comminutum. Tunc veluti admiſſum ſacrilegium diuulgabatur ore Gentilium, reaſque eas, & morti obnoxias tanti criminis proclamabant.*

*Salambonæ Deæ ſimulachrum.*

*Vaſa Virginum conterit.*

*Virgines Idolum repellunt.*

ERAT *autem tempore illo* Diogenianus *Præſes deditus ritui, & obſeruationi Gentilium: ad cuius aures, cùm rem geſtam Nuntius detuliſſet, iubet protinùs deuotiſſimas Virgines in arctiſſima carceris recludi cuſtodiâ, & eaſdem ad Ciuitatem* Hiſpalenſem *deduci appoſitis idoneis, copioſiſſimiſque cuſtodibus. Cùm autem poſtmodum in eandem ciuitatem veniſſet Præſes iubet eas ſub tortorum metu ſuppliciis ſubiugari. Siſtuntur igitur deuotæ, & dicatæ Deo fœminæ in conſpectu crudeliſſimi Iudicis Diogeniani; & cùm nec dum adhuc pœnale illud reorum lignum per moras itineris cucurriſſent, telarias deferri iubet, ne tanti furoris crudelitas, aliquâ interueniente dilatione langueſceret. Suſpenduntur igitur ſtatim, non ad pœnam, ſed ad gloriam, & vngulis vexari iubentur. Madebant viſcera cruore purpureo, ſed martyrium promittebant. Præſidis interrogatio admiſſum ſacrilegium nuntiabat. Quas cùm Diogenianus vidiſſet hilares vultu, & lætis animis exultare, & tanquam nihil fuiſſent perpeſſæ doloris, ita pronuntiat:* Adhuc eas maiori ſqualore, & carceris cuſtodiâ, ac famis inopiâ cruciate.

*Capiuntur.*

*Torquẽtur.*

*Cõſtãtia.*

POST *aliquos autem dies, cùm ad* Montis Mariani *loca Diogenianus ire diſpoſuiſſet, iuſſit ſanctiſſimas Virgines, per aſpera, & fragoſa loca, nudis pedibus properare, ſed quia erant pedes calciati in euangelio pacis, nihil illis durum, nihil aſperum videbatur, quia totum illud iter, quaſi puluerem conculcabant. Interea cùm iam tempus immineret promerendæ victoriæ, & tot cruciatibus differri non poſſet digna, & Deo debita agonis corona,* IVSTA *ſanctiſſima afflauit in carcere animam, & purum Deo commendans ſpiritum obtulit conſecratum. Cumque hoc ad Diogenianum Præſidem cuſtos carceris retuliſſet, Corpus eius in altiſſimum valdè puteum præcipitari præcepit. Quod cùm cognouiſſet factum eo tempore vir religioſus; qui & Antiſtes* Sabinus, *extractum de puteo* S. IVSTÆ *corpuſculum in cœmeterio* Hiſpalenſi *honorificè collocauit. Beatiſſima verò* RVFFINA, *quæ in carcere remanſerat, iuſſione Diogeniani Præſidis, fractis ceruicibus, deuotum Deo emiſit ſpiritum. Cuius*

*Iuſta in carcere occubuit.*

*Sepelitur.*

*Ruffina fractis ceruicibus coronatur.*

*Corpus in amphitheatrum deferri mandauit, vt illic flammis atrocioribus cremaretur. Huius ſiquidem corpus, etſi igne combuſtum, ſed Deo deuotum, pari honorificentiâ eſt ſepultum. Sic Sanctæ Martyres Domini, conſimiles paſſione, licet exitu diſcrepantes, vnius tamen gloriæ beatitudinem conſequentes expectant e cælo cæleſtem iucunditatem. Merentur nunc coli, quia promeruerunt Abrahæ iam ſinibus collocari. Regnante Domino Noſtro Ieſu-Chriſto, qui Martyres ſuas in pace ſuſcepit, cui eſt honor, virtus, & poteſtas, in ſecula ſeculorum Amen.*

Hactenus ACTA, quæ etiam *B. Iſidorus Hiſpalenſis* Præſul, & Hiſpaniarum Doctor Hymno cecinit ſacro, & in *Gothico Muzarabum Breuiario,* coagulato, huiuſmodi:

*Adſunt punicea floſcula Virginum,*
*Cæleſti placido rore virentia:*
*Quarum vaſa Poli ſtigmate Syderum*
*Cæli flammigero igne probata ſunt.*
*Hæc primùm olei ignibus illita*
*Igneſcit faſcibus cordis in æthera:*
*Noctis perfidiam, hoſtis & impetum*
*Vincens fidei lumine optimo.*
*En* IVSTA *pariter atque* RVFFINA *eſt,*
*Quæ clarent meritis, moribus inclytis:*
*Diſcreto ſiquidem nomine Virgines,*
*Vno ſed ſtudij munere Martyres.*
*Theſaurum Domini legibus inclytæ*
*Vaſis fictilibus corporis vnicè*
*Geſtantes, pretio vaſcula diſtrahunt,*
*Quo quæſtu ſatient viſcera pauperum.*
*Sed his ſubſidiis callidus artifex*
*Frangit teſtacea vaſcula munda;*
*Ne teſta hominum ſcanderet æthera,*
*Et puluis fieret gloria cælica.*
*Hinc robuſta fides fragmine fictili*
*Gliſcens martyrium corporis excipit:*
*Præſtans fœmineo gloria ſexui,*
*Quo celſo valeant ſydere inlabi.*
*Ob hoc vita, ſalus, & via, veritas*
*Te ſummis precibus Chriſte repoſcimus:*
*Harum ſuffragio nos tibi conſecres,*
*Quarum tu fidei voce placatus es.*
*Mentis vos facite lampada Virgines,*
*Fluxu corporeo effici liberas:*
*Vt votis rigidis corda calentia*
*Geſtantes habeant regna cæleſtia.*



*Te noſtra iubilet gloria perpetim,*
*Qui ſolus Dominus Trinus, & Vnus es:*
*Iugi imperio ſecula continens,*
*Et cuncta dominans, omnibus imperas.*
*Amen.*

Et licet *Iſidorus* Noſter de hiſce Sanctis Virginibus *Hiſpalenſibus* relatum *Hymnum* tantùm in *Breuiario Gothico* repoſuiſſet, attamen ſeparatim alios duos de S. IVSTÆ eruditâ compoſitione retexit, quos quia nec *Biuarius*, nec *Quintana-Dueñas* repoſuere, hic eruditorum gratia ſubiungere decreuimus, ne tantæ antiquitatis monimenta depereant.

*Virginis ſacræ triumphum, plebs alumna parili*
*Concentu,* IVSTÆ *cæleſti paratum ex gratia*
*Reſonet, piis modis, almis pandens cantibus.*
*Cliens ex te Chriſte caſus addit vota dedicans*
*Martyris, vt prece queat, propriis vt piaculis*
*Horrendis ſemper carere, munitus ſuffragiis.*
*Hæc ſemper mundum, hoſtemque vicit ſimul impium:*
*Te cordis amore ſequens, tetrum calcat Zabulon:*
*Gemella ſerta corona, cœlo pollet perpetim.*
*Huius incolatu magis hæc ſors claret occidens;*
*Recinens ſemper triumphum, locis præſtet cæteris;*
*Ceſpite ſacrum cruorem cœlo arham vindicans.*
*Intrepida Deo ſæpe famulans, comminuit*
*Tenacis mundique vitam, ſimulachrum prophanum:*
*Illico Regis tremendam patitur ſententiam.*
*Variis afflicta pœnis, mentis calens ignibus,*
*Gladio confoſſa hoſtis, cœlo reddit ſpiritum:*
*Hinc puteo proiectum corpus, viuens Deo perpetim.*
*Sacris Virginum ſupernis accita conſortiis,*
*Sanguine contemnit hoſtem, mente vicit Zabulon:*
*Geminâ proinde cluit laureata gloriâ.*
*Hæc ſuperno ſoli Regi ouans, ſic perpetuis*
*Angelorum mixta choris, nouum pangit canticum:*
*Triumphat potita regno ſempiternæ gloriæ.*
*Inde cernui precamur, Rex ſerene, ſeruuli,*
*Et ſimul piaculorum pandentes facinora;*
*Iam medelis foue Pater, quos trementes conſpicis.*
*Huius ſacro impetratu terge noſtra crimina;*
*Scelerum nodos reſolue; da fomenta gratiæ,*
*Vt tecum ſemper victuri gloriemur agie.*
*Pelle iram, arce peſtem à Noſtris confinibus:*

*Gladium hoſtis retunde huius prece Martyris ;*
*Et ſupernam præſta quietem tuis Chriſte famulis.*
*Gloriam Patri canamus, Chriſtoque perpetuo,*
*Etiam cum Sancto ſimul vtriuſque Spiritu ,*
*Qui Deus vnus æternus regnat ante ſecula Amen.*

Alius Hymnus *S. Iſidori*, quem ad feſtiuitatem harum SS. Virginum Tutelarium vrbis *Hiſpalenſis* compoſuit, & *Breuiario Gothico* inſeruit *ad Laudes*, etiam de ſola S. IVSTÆ paſſione agit, & eſt huiuſmodi :

*Concentu parili* IVSTAM *canamus.*
*Virgo, quæ Deo placuit, pudore*
*A primis nutrita rudibus annis,*
*Deuicto libitu cælebs permanſit.*
*Hæc quæſtu laboris, vaſis fictilibus,*
*Victum pauperibus præbet; ſibique*
*Contemnens ſeculum, Chriſtum ſecuta ſic*
*Perenniter viuit ſemper in æthera.*
*Æternis denique pollens oraculis,*
*Confoſſum perimit portentum, vibrans*
*Cæleſtis ſpicula Regis, retundit*
*Sceptrum, perfidiamque ſæui hoſtis.*
*Illico ſubiens dira tormenta,*
*Altis ſuppliciis vitam reperit*
*Cæleſtem, meruit quam terra potens,*
*Solerſque famula victrix quæſiuit.*
*Hanc pro piaculis iam Chriſte Noſtris*
*Suffragatricem admitte ſemper:*
*Vt ciues ſtrenuè protegat, ſuo*
*Sanguine muniens, preceque tutans.*
*Æterni Prolis ingeniti Patris,*
*Cum Sancto Spiritu perenni, honor*
*Sit tibi, gloria ſemper*
*Pollens perpetim ſit, Amen.*

Hinc etiam Iulius Cæſar Scaliger in ſuis *Poëmatib. Diuar. fol.* 68. Beatiſſimas Virgines, & Martyres *Hiſpalenſes* introducit loquentes, hoc Epigrammate.

*Cur non interitum curatis ſanguine ? Nobis*
*Debita erant veſtro fata minora Deo:*
*Si Deus eſt : verum ecce latet. Si non Deus, ergo*
*Sic iaceat : vobis mens pia facta ferat.*
*Nec tamen aut* IVSTA, *aut* RVFFINA *hæc deprecor, imum*
*Quem puteum credis, Regna ſuperna puto.*

Ad



Ad *Monſtrum* illud, quod in ACTIS refertur nomine *Salambonam*, his carminibus reſpexiſſe videtur, cuius idolum Sanctæ Virginis confregere. Sed & antiquiſſimus quidam Epigrammatorius in meo *MS. Carminum*; etiam huius Idoli meminit in Carmine Sepulchrali ſic :

IVSTA *Dei famula, &* RVFFINÆ *proxima lege*
*Sanguinis, hoc ſaxo, Diua ſepulta iacet.*
*Hic quoque* RVFFINÆ *conduntur pignora, quarum*
*Antiſtes cineres nocte* Sabinus *habet.*
*Hæc monſtrum infringunt* Salambon *nomine dictum,*
*Quo Veneris plangens ſiſtit imago Deæ.*
*Hinc furor, hinc rabies Gentis in Virgines ardet:*
IVSTA*que ſic ſpirat, ſic Soror enſe cadit.*
Hiſpali *heu felix tantis ornata Patronis:*
*Ciuibus heu tantis vrbs veneranda, Vale.*

*Salambona Dea quæ? Opinio I.*

Sæpius igitur *D. D. Alphonſus Nuñez Godoy*, Vir omnigenâ literarum eruditione imbutus, & nunc in Nauarræo apud Pampilonenſes Senatu meritiſſimus Regens, mihi amiciſſimus, cum aliquando ACTA in *Breuiario* legiſſet *Segobienſi* Noſtrarum Virginum, & Martyrum, dubitauit de hac voce SALAMBONA, & qualis hic Deus, aut Dea eſſet ignorans, ſciſcitauit à me, quæ hæc vox eſſet, & cui Deorum, quos Gentilium ſuperſtitio coluit, hocce nomen, nullibi à ſe lectitatum, conueniret. Cuius Ego interpellationi ſatisfacere cupiens, totum myſterij ſymbolum, ex probatis exquirens Scriptoribus, aperui, ſic: SALAMBONA *nomen eſt* Syriacum, *iſtis*, Babyloniis, *&* Phænicibus *commune, quo* VENEREM *patrio compellitant idiomate*; *Sic* Heſychius : Σαλαμβὼ ἡ Ἀφροδίτη παρὰ Βαβυλωνίοις. Quem ſequitur Auctor Ætymologici Magni per hæc verba : καὶ Σαλαμβας ἡ δαίμων παρὰ τὸ ἀεὶ περιφέρεσθαι καὶ ἐν σάλῳ εἶναι, καὶ ὅτι περιέρχεται θρηνοῦσα τὸν Ἄδωνιν. *Hoc eſt* : SALAMBAS, Dea eſt ſic dicta, quod ſemper in Salo circumvehatur, & verſetur, & quod circumeundo Adonim plangat. *Huc reſpexit vetuſtus* Poëta *ſupra* :

*Hæc monſtrum infringunt* SALAMBON *nomine dictum,*
*Quo Veneris plangens ſiſtit imago Deæ.*

*Hinc colliges, quòd Deam quam Romani* Venerem; *Syri, Babylonij, & Phænices* SALAMBONAM *vocauere, de quo Auctores ſunt* Lilius Girald. de *Diis Gent. Syntagm.* 13. *fol.* 535. Ioannes Seldenus *de Diis Syris Syntagm.* 2. *cap.* 4. *fol.* 285. Helias Schedius *de Diis Germanic. Syntagm.* 1. *c.* 9. *fol.* 127. Qui omnes ex Suida, & Anacreonte *etymon à verbo Græco* Σαλαΐζειν, *hoc eſt plangere deduxere. Hinc etiam Veneris Adonidem plangentis ſimulacrum apud Ethnicos commune, cuius iconam apud Carthar.* de Imaginib. Deor. fol. 351. Ioannes *autem* Seldenus *diducto ore haſce Græcorum nugulas coturniſſat, contendens* SALAMBONÆ *nomen, tantum* è Syrorum *idiomate confictum, quod nihil cum Græco commune habuit; ita vt iſtam ex eorum dialectis originationem obtrudere, ridiculum ſuſpicetur.*

*Opinio II.*

R. P. F. *Luiſius Tineo* Præmonſtratenſis omni diſciplinarum genere excultus, qui literis ſacris iunxit elegantioris literaturæ, Linguæque Græcæ peritiam; dùm mecum hanc de SALAMBONÆ etymo, communicaret Quæſtionem, ſequentia in quadam *Epiſtola* mihi verba mandauit, quæ integra referam : FORTE *dùm* (inquit) *inter ganeatas dapes, vilis quandoque appetitur oliua, in tanta ac ſublimi Naſutorum ſerie, videamus etiam ſi & Nos ariolemur tucetum.* Breuiarium *antiquum* Seguntinum *de* SS. IVSTA, & RVFFINA *ſic recitat* : Quoddam Monſtrum occurrit, quod Gentiles SALAMBOVEM appellant. *Et licet* Ioannes Maldonatus, *Doctiſſimi* Baronij *elogio ſatis celebris, exſcribat* SALAMBONEM, *hæc mihi Lectio non*


*placet*

placet, ſed potius arridet Seguntina. Præſertim cùm nulli dubium, quia hac nomenclaturâ, ab ipſius pro ſuo Adonide planctu Venus apud omnes inſigniatur. Cùm perſpicuum etiam ſit Ægyptios Venerem, & Adonidem, ſub Iſidis, & Oſiridis nominibus coluiſſe. De quo inter alios Macrobius in Saturnalib. Quem quidem Oſiridem conſtat interfectum, & in Bouis ſpeciem poſtea transformatum apparuiſſe; atque ob id Serapim illo idiomate eſſe dictum, haut ambigendum videtur, conformius, & congruentius Venerem ſuum Apim, ſeu Oſiridem deplorantem, non vtcumque SALAMBONA, vt vulgo circumfertur, ſed potius, SALAMBOVEM, Latinè, vel SALAMBOA, Græcè; quod in accuſandi caſu nuncupandam, inflexâ voce Salambos, Salambouis, Latinè; Græce autem Σαλαμβοῦς Σαλαμβόος, nimirum à planctu Bouis, nempe Oſiridis, qui conuerſus eſt in Bouem, dùm interfectus plangitur. Accipe elegantiſſimum Tibullum, qui illo concinniſſmo Elego de Meſſalæ Natali, dum ad Nili laudes diuortit, ſic altè rem inſinuat, & ſcite meam ſtabilit coniecturam, Lib. I. Eleg. 7.

*Te canit, atque ſuum pubes imitatur Oſirim*
*Barbara, Memphitidem plangere docta Bouem.*

Vnde illud Ezechiel. c. 8. verſ. 14. dictum: Et ecce ibi mulieres ſedebant plangentes Adonidem; ſic meo iudicio debere intelligi pro comperto habeo. Ita ſanè, quòd mulieres illæ Præficæ, & lamentoſæ ſtatuam illam Bouinam circumlugerent: & quidem nomen hoc Atticum eſſe nequaquam dubito, confictumque ἀπὸ τοῦ σαλαιβεῖν καὶ ἀπὸ τοῦ Βοῦς, hoceſt, à plangendo Bouem: ſicque hoc cognomentum pro Babylonico ritu, Græcos vt tàm eximios mythologos ſuo proprio idiomate expreſſiſſe, inſuperque non ſolùm de nomine, quin potius de re, & munere huiuſmodi nomen idiomatizaſſe. Quod quidem etſi expreſſum in Græco aliquo hactenus non repererim, nihilominus à mea exiſtimatione adhuc ſto, vt cernere eſt apud Theocrit. in Epitaph. Adonid. ſic de Venere eiulante:

Ἀσσύριον βοόωσα πόσιν καὶ παῖδα καλεῦσα.

Aſſyrium clamans maritum, & puerum vocans.

Quis verò ignorat (vt ſerio iocatur Politianus) quamplures Atticiſmos citra mare periclitari, maximè inter Grammaticos, omnia quaſi per nebulam videntes, & Græca ferruminantes? Hactenus meus Luiſius, & Nos hactenus.

*Quis Salambonam Hiſpali inuexit.*

SED quorſum Hiſpali SALAMBONAM quæritabis? En tibi myſterium propono. Phænices vt diximus, & notat Seldenus de Diis Syr. d. Syntagm. 2. c. 4. fol. 280. in pño. & Hel. Sched. de Dijs German. d. Syntagm I. c. 9. fol. 138. Venerem colebant; hincque Phæniciam, Veneris terram ab Æſchylo in Supplicib. vocitatam, hoc carmine; monſtrat.

Τᾶς Ἀφροδίτας πολύπυρον αἶαν.

*Veneris igneam terram.*

Vbi Scholiaſtes huiuſmodi cauſam refert. Aſt cùm Phœnices Occeani littora Gadium incoluiſſent, vt notum lippis, & tonſoribus eſt, iſthac ſuperſtitionis epidemiâ finitimos populos macularunt, & in Noſtras Veneris lugentis ſimulachrum turpiter inuexerunt, nomine SALAMBONÆ. Quod poſtmodum Romam abs Heliogabalo aduectum inter Romanos adorationem promeruit. Sic Ælius Lamprid. in Heliogabal. dicens: SALAMBONEM, etiam omni planctu, & iactatione Syriaci cultus exhibuit, omen ſibi faciens imminentis exitij. Hanc fuiſſe Veneris imaginem, quam ſub nomine SALAMBONÆ colebant Hiſpalenſes ex Ioanne Bapt. Maſcul. ſupr. patet, ſic:

*Proferat nunc ſuas* HISPALIS *heroinas;*
*Nempe virtus* Hiſpanica *& in fœminis viget,*
IVSTA, *&* RVFFINA *duo dedere ſpectacula,*
*Alterum Religionis, alterum & conſtantiæ,*





*Alij aliis de Diis fecerunt ſtragem;*
*His vt Virginibus fuit hoſtile in* Venerem *odium.*
*Nihil putarunt à ſe fieri poſſe venuſtius,*
*Quàm vt ſimulachrum frangerent* Veneris;
*Comminutum redegerunt in puluerem,*
*Vt ipſa ſe ſe tumularet* Venus;
*Fecerunt verè Libitinam.*
*Vnum illa acceperat olim à Diomede vulnus,*
*Sed Homerica fuit fabula.*
*Ab his certe tot accepit vulnera,*
*Quot eſt in fruſta conciſſa.*
*Heſperus dicta Venus, aptè apud Heſperiam occidit.*
*Nunquam iuſtior fuit* IVSTA,
*Quàm cum idoneas de Venere ſumpſit pœnas.*
*Nempe frangi debuit,*
*Quæ ſtudet frangere corda mortalium.*
*Comminuta* Venus *non modo formoſa non fuit,*
*Sed omni caruit formâ.*
*Venuſtas omnis abiit in hoſtes* Veneris,
*Cùm pro Religione fuſo rubuerunt ſanguine,*
*Vt infractam ſe vi hominis virtus oſtenderet, fregit Deos.*

Hæc & alia Nuneſio meo de huiuſmodi SALAMBONÆ ſimulacro reſcripſimus, qui omnia gratâ humanitate probans, ſequentem mihi eruditiſſimam manifeſtâ propalatione dedit Epiſtolam.

## ERVDITISSIMO VIRO D.D. IOANNI Tamayo Salazario ſuo, D. Alphonſus Nuñez Godoy S. P. D.

SEMEL atque iterum legi SALAMBONAM; bis, imò pluries admiratus eruditionem, ſi hac Epiſtolâ ſemel gratuler, iterum debeam. Siccinè in ſterili, ac pertenui re fœcundiſſimum, ac facundiſſimum tuum germinauit ingenium? O bonarum artium, & remotæ, ac penè obliteratæ Antiquitatis fideliſſimum Archiuum! in qua dùm excutienda anxiè torqueri ſolent ingenia, tuum ita in pagina conſpiciendam exhibuit, vt neque plus illis temporibus deprehendi, quàm te delineante præſentibus liceat. Idem prope quod in caligine conſtitutis mihi accidiſſe fateor: inconniuis oculis lucem præſtolantur, tardi ſunt greſſus, figunt veſtigia, extentâ manus palmâ, ne quid offenſionis occurrat, præcauent; verberant tenebras; ſuſpenſo pede pauimentum examinant; quid mirum? furor eſt, in tenebris curſus: vſque dùm infuſum repente lumen phantaſias diſcreuit, confuſionem depulit, ac ſimul obumbratæ veritatis imaginem reddidit. Diu quidem hæſitans exiſtimaueram, vel à mari, vel à plangendo fortaſſis dictam SALAMBONAM, vel quòd ex mari nata Venus fingeretur, Auſonio teſte:

Nata ſalo, excepta Solo, patre edita cœlo.

Vel quòd Adonidem, prematurâ morte extinctum plangeret; vel ipſius

*Sacerdotes circumeundo, imò, vt exiſtimo circumſtando quaſi ſepulchrum in omnem adulationis habitum confictì ſuperſtitioſè elugere ſolerent. Iam equidem ſcio coniecturas, occultâ veritate bonas, eadem patefacta ridicula protuliſſe figmenta. Parum certe de veritate conſtitit, quandiu tuam deſideraueram ſatis eruditam ſententiam, quæ vt mihi gratiſſima, ita & commoda* Seldeni *videtur. Hæc parum compoſita, & ſine ordine iacentia, erudita ac beneuola comitas tua ex noſtro penu quantumuis tenui retraxit; quis enim contractior illo? Non vtique tibi miſſurus, niſi tuâ correctione meliora fieri poſſe ſperarem, & cum* Sanazaro, *pro* Salazario *meo rectiſſimè dicam:*

Deleat errores æqua litura meos.

*Vale, & chariſſimum Muſis caput tuum conſerua. Ex Domo Kalend Septembr. Anno* M.DC.L.

*Telaria martyrium quod?*

Hæc *Nunezius* meus, & hæc de SALAMBONA. Nunc ad alia pergere neceſſum. Et primum quærendum duximus de genere martyrij, nomine TELARIA, quo Noſtrarum Virginum, & Martyrum vtuntur ACTA, illis verbis: *Et cùm necdum adhuc pœnale illud reorum lignum per moras itineris cucurriſſent*, TELARIAS *deferri iubet, ne tanti furoris crudelitas, aliquâ interueniente dilatione langueſceret. Suſpenduntur igitur ſtatim, & vngulis vexari iubentur.* Huius ſupplicij machinæ licet necdum meminerint Scribentes, & præcipue *Baronius* qui Notas ad *Martyrologium Romanum* ſimilium cruciatuum formulis reſperſit, nec *Antonius Gallonius*, qui integrum Librum de *SS. Martyrum Cruciatibus* ſcripſit, attamen crederem TELARIAM, eandem ipſam eſſe ac Trochleam, nam vtrobique Martyres ſuſpendebantur. TELARIA enim *Hiſpanis* meis deducta eſt à TELONE, inſtrumento ruſtico longo ex ligno confecto, quo vtuntur ad aquam è puteis hauriendam, & illud ZIGVNNAL, vocitant, à ſimilitudine roſtri Ciconiarum. Quæ omnia in *Trochleis* deſiderant Vitruuius *lib* 10. *c.* 2. *& ſeq.* Iſidor Noſter *lib.* 19. *Etymolog. c.* 11. Hinc deprehendes SS. Virgines fuiſſe in TELONE, ſiue TELARIA ſuſpenſas, & ibidem vngulis vexatas.

*Annus agonis.*

QVATENVS ad Annum agonis, omnes conueniunt illuſtriſſimas Martyres occubuiſſe *Hiſpali* Anno Domini CC. LXXXVII. ſic *Morales, Truxillo*, & cæteri ex relatione omnium vetuſtiſſimorum totius Hiſpaniæ *Breuiariorum*, Traditionis S. E. Hiſpalenſis, & aliorum Scriptorum.

*Quo loco ſacra pignora?*

CIRCA locum, quo earum ſacra lipſana requieſcant: Varie à Noſtratibus circunfertur. Nam *S. E. Hiſpalenſis* traditio contendit eſſe ſub caua turris famoſæ eius Eccleſiæ, hoc miraculum comprobante. F. Alphonſus Saluador in *Hiſtor. Relig. SS. Iuſt. & Ruffin.* apud *Leodium* in Belgio, illic à Catholicis Hiſpanis deportata. D. Rodericus Ximen. *Hiſtor. Hiſpan. lib.* 3. *c.* 13. apud vrbem *Burgenſem* in Cœnobio Monialium, quas *Huelgas*, vocant. Ambroſ. Moral. *Hiſtor. Hiſpan. lib.* 10. *c.* 16. in quodam loco *Aſturiæ* prope *Santillana*. Vincentius Blaſco *Hiſtor. Aragon. tom.* 1. *lib.* 5. *c.* 21. in Monaſterio Aragoniæ *Sigenenſi* repoſita ſuſpicantur. Quid tenendum? Deo relinquamus quod inueſtigare non poſſumus,

*Templa in Hiſpania.*

PLVRA denique TEMPLA Sanctiſſimis Virginibus, & Martyribus, eaque celeberrima extruxit totius *Hiſpaniæ* deuotio; hinc Templum *Toletanum* à Gothorum temporibus extructum agnoſcimus, in quo, tempore captiuitatis Hiſpanicæ Toletani Præſules reſidebant, vt fatetur Iulianus Petri Archipreſbyter Toletanus in *Chron. num.* 376. & in *Aduerſar. n.* 127. Franciſc. Piſa *Hiſtor. Tolet. lib* 1. *c.* 28. & alij. TEMPLVM Vlyſipponenſe ab *Alphonſo Henrriquij* constructum, vt refert Ambroſ. Moral. *Hiſtor. Hiſpan. lib.* 10. *c.* 16. Aliud apud *Orioleſes* apud Valentinum Regnum, ob recuperatam hoc die vrbem à Sarracenis. Aliud apud *Huete*, ob liberatum oppidum ab obſidione *Aben-Iacobi* Marrochiorum Regis hoc ipſo die, Anno M. C. LXXII. vt idem Morales *d. lib.* 10. *c.* 16. & Pat. Quintana-Dueñas *d. fol.* 80. referunt, qui Tria intra Hiſpalim conſtructa olim recenſet.

B. S. AVREA *Virgo, & Martyr Cordubenſis.* ] Plura de ea ſcripſit S. Eulogius in *Memorial. SS. Cordub. lib.* 3. *c.* 17. à quo Martyrolog. Romanum *Baronij* h. d. ſe-

quenti



quenti elogio, Cordubæ S. AVREÆ *Virginis, quæ aliquando lapſa, ſed facti pœnitens, iterato certamine, hoſtem effuſo ſanguine ſuperauit.* Galeſinij prolixius ſic: CORDVBÆ *item, S.* AVREÆ *Virginis, & Martyris, quæ nobili genere nata, Ioannis, & Adulphi Martyrum ſoror, aliquando lapſa, pòſt facinoris intimè pœnitens, iterum accuſata, liberè, conſtanterque fidem profeſſa, libenti animo, datis pro Chriſto ceruicibus, martyrium ſubiit.* Conueniunt Vvion, & Hugo Menard. in ſuis *Martyrolog. Monaſt.* h. d. Cum Romano Martyrologia Caſtellanum *P. Vaſq.* Luſitanum *P. Lup.* Hiſpanum MS. *P. Higuera*; Italum *Conſtant. Felic.* & alia recentiorum. De ea poſt B. Eulogium, Ambroſ Moral. *Hiſtor. Hiſpan. lib.* 14. *c.* 17. P. Ioann. Marian. *lib.* 7. *c.* 15. Baron. *Annal. Eccleſ. Tom.* 10. *Ann.* 856. *num.* 30. Vaſſ. in *Chron. Ann.* 306. Gualter. in *Chronol Ann.* 800. D. Martin. Carrill. *Annal. Eccleſ. Hiſpan. Ann.* 856. Iacob. Bleda *Hiſtor. Sarracen. lib.* 7. *c.* 25. Ioann. Marieta *Hiſtor. SS. Hiſpan lib.* 4. *c.* 27. Roderic. Caro in *Antiquit. Hiſpalenſ. lib.* 2. *c.* 11. D. Paul. Spinoſa *Hiſtor. Hiſpal. lib.* 3. *c.* 19. P. Martin. de Roa *Hiſtor. SS. Cordubenſ. fol.* 119. P. Anton. Quintana-*Dueñas Hiſtor. SS. Hiſpalenſ. fol.* 169. Proculdubio errorem contraxit R. P. F. Didacus de Coria *Hiſtor. Carmelit. lib.* 2. *c.* 17. credens abſque Hiſtorica ſuffragatione S. AVREAM fuiſſe ex *Carmelitarum* ordine alumnam, cùm contra eius placitum ſint totius traditionis, & Scriptorum auctoritates. Eius ACTA Beatiſſimus Preſbyter *Eulogius*, & Toletanus Pontifex electus, nobis veraciter ſuppeditabit:

*Martyrologia.*

*Scriptores.*

*F. Didaci de Coria error.*

## *ACTA S. AVREÆ VIRGINIS, & Martyris Cordubenſis Sanctimonialis, ex D. Eulogio.*

*Origo.*

AVREA *Virgo* Hiſpalenſis *nobilis* SS. Adulphi, & Ioannis *Martyrum ſoror, quæ à tempore colliſionis eorum deuotionis præmio fungebatur, cùm reuelatis ſacræ Religionis ſtudiis in Cœnobio* Cuteclarienſi, *quod antiquitus Sanctæ, & glorioſæ Virginis* MARIÆ *nomini dicatum eſt, commaneret per annos ferme Triginta, & amplius, cunctis fidei ſuæ notitiam donans, nec vllis adumbrata pauoribus, conuerſationem Chriſtianiſmi ſui patulo gerebat congreſſu. Et quia erat ſtemmatis ortu præcincta, grandique faſtu Arabicæ traducis exornabatur, nullus exterorum Virginis fidem incurſare audebat, donec quidam ſuorum ex Prouincia Hiſpalenſi, vnde genus trahebat, diuinitus vt arbitror, concitati, quo iam debita antè mundi conſtitutionem Virgini corona martyrij pararetur, & præſtantius in cæleſtibus de conſummato lætaretur triumpho, cauſa explorandi ad ſe perlati rumoris fidem, ac propoſitum Virginis venientes callide contribulam ſuam gratiâ hoſpitandi ſe ſe inuiſere mentiuntur. Quam non ſolùm Chriſtianam, verumetiam ſacræ deuotionis inſignitam ſtigmate contuentes, confeſtim de ea Iudici referunt quæſtionem. Qui & ipſe iure natiuitatis eidem Virgini concretis adhærebat proſapiis. Tali ergo ſtimulatus relatione, ſuis eam aſſiſtere iubens obtutibus, quare ſe tàm nobiliter auctam, famulatu fidei Chriſtianæ degenerem reddiderit, vilique propoſito, tam præcelſi generis infecerit inſulam, clementi admodum exhortatu compellat.* Sed poteris (*inquit*) quàm properè totis abſolui pædoribus; debitamque interpollatæ originis recipere claritatem, ſi tui gerens conſultum, fidei noſtræ cultibus, intimis te votis admittendam elegeris, ſummiſque nobis affectibus parens, quod ſequimur ſequaris, & quo ducimur ire contenderis. Si verò, & contemptos nos, & etiam quæ colimus abrogaueris, & illos quos hactenus æmulata es, intuitu fidei ſectare decreueris: poſt varia diræ cruciationis tormenta, poſt multiplicium dolorum immenſa ſupplicia, quæ meritò tanti criminis rea rependens, poſtremò turpiſſimæ mortis ſupplicium incurres. *Ferunt eodem momento Virginem ſub Iudicis obiurgatione ceſſiſſe, & omne ſibi imperatum libenter exequendum polliceri. Et quia de rebus non expertis melius ſilendum eſt, quàm procaciter incognita*

*Inſtitutum.*

*Eius fides à propinquis experitur.*

*Iudex eius conſanguineus.*

*Iudicis perſuaſio.*

*Fidem abnegat.*



venti

*ventilare, cuius rei obtentu hæc ipſa negatio Martyrem futuram ſubrepſerit; vtrum formidine carnis, an cauſa diſponendi rem familiarem, incompertus teſtificare non audeo, niſi fortè ex ſubſecutis euentibus, quibus poſtmodum obſtinanter in profeſſione perdurans, promeritam adepta eſt lauream, vt ſeſe coniectura arbitratus humani habet, carnis illam infirmitate non ſuccubuiſſe credamus.*

*Dimittitur libera.*

IGITVR *poſt auditam Iudex oris eius profeſſionem, quâ iuxta omnes ritus legis ſuæ degere ſpoponderat; illico abeundi quocumque vult ſibimet libertate collata, è veſtigio domum regreditur. Ac ſicut prius militans Chriſto, nullatenus à propoſito ſanctæ fidei deſueuit, nec à fidelium contubernio ſe paſſa eſt diſgregari, quin potius illorum perſæpe ſe cœtibus conſerens, quos pietatis religio perluſtrabat, condignis fletibus, affectúque interno lapſum linguæ deplorans, ſpei ſuæ veram fiduciam ad Redemptoris adligat indulgentiam, ſi forte reatu præuaricationis obnoxiã famulam non repellat, qui adulteram ab exitio lapidationis eripiens, Petrum à maris fluctibus incubantem Apoſtolico functurum primatu receptat; furemque parricidio coinquinatum ſuo comitatui Paradiſum luſtraturum admittit. Nec obeſſe fidebat prælargæ, & incomparabili Domini pietati inutilis famulæ momentaneum crimen, apud quem multimoda miſeratio, & redemptio copioſa, & exuberans, præuenit gratiæ dono indignus, ex quibus ſtrenui laboris ſtipendia nulla ſuppeditant, conſultâ pietate iuſtificat. Auget præterea Virgo ſancta compunctionem, ſtudium lamentationis multiplicat, votis vota congeminat, & duplicato mœrore, affectúque mentem perurgens, ne ſupremo examine, aut de ſcelere condemnata, æterno mancipetur ſupplicio, aut à conſortio fratrum ſuorum* Adulphi *ſcilicet, &* Ioannis *Martyrum Beatorum congruis meritorum repagulis detrudatur, felicibus votis adnititur.*

*Eius pœnitudo.*

*Ipſius pœnitentia.*

*Fidelibus adhæſio.*

EXIN *claro, intrepidoque proceſſu frequenter Eccleſiam adiens, iamiamque in virtute Domini roborata, terrenis abſtracta contagiis, & cæleſti curiæ anhelat ſcribenda; ſi forte cuiuſquam recidiuo conteſtationis euentu in ius denuò mitteretur. Sed hæc callidus veterator non leuiter ferens, cùm fideliori conciliatu nuper elapſam, creatori ſuo nunc quam antea militare intelligit, nec in aliquo penitus profuiſſe circumuentionis ſuæ præſtigium contuetur, quin iniecto ſtupore neſcio cuius habitudinis tranſuerſam Virginis linguam à profeſſione veritatis, leuiter ac perfunctoriè conteſtauerat ore, non corde fuiſſe ſublatam aduertens: haut dubie condæmonibus de extenuato curſu conqueritur, dicens:* Hæc cælebs pridem me labiis fortuitu honorans, modò cor eius præcinctum virtute supernâ, grandi obiectu à meis diſparatur illecebris. *Et idcircò quendam in perſecutionem B. Virginis pruritans denuò ad perquirendam Tyronem fidei ſuæ compulit.*

*Diaboli malignitas.*

*Accuſatur.*

NONNVLLI *interea Gentilium eius explorantes conuerſationem, nihilominus iuxta priorem habitum Chriſti famulam reperientes, illicò de ea coram Iudice quæſtum deponunt, fidem aſſerunt, doloſque prætendunt, & vt tanti abuſus præſumptioni vindex occurrat, taleſque auſus legali auctoritate percellat, peruerſis linguis contendunt. Qui protinus vehementi irâ commotus, ferocium truculento ſatellitum miniſterio, ſuis eam attrahere conſpectibus iubens, illico exhibitam de contemptu nuper adepti cultus redarguit, de neglectu promiſſi comminatur propoſiti, & cur tanti viri decretum non reuerita ſit horriſonis percontatur clamoribus. Tum Virgo, quæ ſe nouerat ad tale iam diuinitus electam certamen, vt erat prudentionibus diſerta facundiis, ſancto iam perluſtrata reſpectu, Iudici refert.* Nunquam à Chriſto Deo meo ſeparata ſum, nunquam à religione pietatis eius diſceſſi, nunquam prophanationibus veſtris, vel ad momentum inhæſi; licet dudùm coram te, lapſu quodam ſermonis lingua ſuccubuerit. Erat autem cor meum fiduciam habens in Domino, qui me ſuarum promiſſionum introrſus adminiculis erigebat, dicens: *Qui credit in me etiam ſi mortuus fuerit viuet.* Inde quamuis verbo tenus laqueum præuarica-

*Conſtãtia.*

*Ioann. 11.*

tionis



tionis incurrerem, viuido tamen ſanctæ credulitatis tenore, cor præmunitum gerebam. Nam ſtatim, quo à te digreſſa ſum, & votis, & affectibus lachrymoſis, quem ab infantia mea didiceram cultum exercui, fidem ſeruaui, propoſitum geſſi. Reſtat ergo iam nunc, vt ſecundum prophanationis veſtræ ritum, aut gladio vindice puniar, aut ſi multum præterire factum huiuſcemodi poteſt, de reliquo totâ me libertate ad cohærendum Chriſto Domino prætermitte. *Tunc immaniſſimus arbiter Virginis aſſertione ſuccenſus facturus de ea Regi relationem, ergaſtulis mancipauit, ingentique vinculorum pondere coarctauit. Quam alio die per decretum Principis gladio trucidans, confeſtim exanime corpus eius, cuiuſdam homicidæ patibulo, qui ante paucos dies affixus fuerat, capite deorſum ſuſpendi præcepit. Cuius beatum cadauer cum cæteris furum membris, qui tunc ob flagitium interempti ſunt; Bæticis immerſum gurgitibus, nullum hactenus comparendi veſtigium præbuit. Coronata eſt ſanctiſſima Virgo* XIV. Kalend. Auguſti *Anno* DCCC.LVI.

*Capitur.*

*Coronatur.*

Hactenus S. Virginis, & Martyris ACTA ex *D. Eulogio* quorum contexturam Hiſpano idiomate vertere *Baſilius Sanctorus*, *Alphonſus Villegas*, *P. Martinus de Roa*, & cæteri *Florum Sanctorum* Scriptores. Cætera quæ in ACTIS illuſtratione digna notantur, eruditiſſime percurrit Ambroſ Morales Noſter in *Notationib. Eulogianis*, cuius hic tranſcribere ſcholia prolixum erit. Ad alia pergo:

TRANSLATIO *ſacrorum pignorum* S. BRAVLII *Epiſcopi Cæſarauguſtani.*] Eius ACTA & elogia dedimus ſupra *Tom. 2. Die XXVI Martij. fol.* 407. De hac TRANSLATIONE, ſeu eius ſacrati Corporis INVENTIONE agunt Philipp. Ferrar. in *Catalog. General. SS. h. d. fol.* 297. ſimili elogio: *Cæſarauguſtæ* INVENTIO *Corporis* S. BRAVLII *Epiſcopi.* Qui ex Tabulis Eccleſiaſticis S. E. Cæſarauguſtanæ illud deprompſit, & ex P. F. Ioanne Marieta *Hiſtor. SS. Hiſpan. lib.* 5. *c.* 40. Cui addo F. Didacum Morillo *Hiſtor. Cæſaraug.* 1. *p. c.* 28. *fol.* 238. *in fin.* P. Quintana-Dueñas *Hiſtor. SS. Hiſpalenſ. fol.* 166. & alij, qui eius res geſtas ſcripſere. TRANSLATIONIS, ſeu ſacri Corporis INVENTIONIS apud Cæſarauguſtam ACTA hæc accipe ex probatis Auctoribus:

*C.*

## *ACTA INVENTIONIS, SEV Tranſlationis Sacrorum pignorum* S. BRAVLII *Cæſarauguſtani Epiſcopi ex Breuiario, & aliis Scriptoribus.*

ANNO *Domini Noſtri Ieſu-Chriſti* M. CC. XX. *Die verò* XIX. *Menſis* Iulij *inuentum eſt Corpus* S. BRAVLII *Epiſcopi Cæſarauguſtani in Aragonia, in Eccleſia B. Virginis de* Columna, *ſequenti ſerie: Cùm enim tempore captiuitatis* Hiſpanicæ *Chriſtiani Sanctorum exuuias, ne in Sarracenorum manus deueniſſent, & eorum prophanationi, & irriſioni pateſcerent, ſingulari affectus deuotione occludere deſtinaſſent,* Cæſarauguſtani *fideles Sanctorum ſuorum pignora, inter quæ Beatiſſimi Præſulis* BRAVLII, *loco deuio condidere deuoti. Secula poſt amplius Quinque, cùm* Cæſarauguſtanæ *Eccleſiæ* Petrus *Pontifex conſtitutus exiſteret, noctis ſilentio Præſul albâ veſte indutus, & lucis coruſcatione perfulgens, venerabili formâ, & graui eloquio apparuit eidem, & locum, quo erant ſacra pignora abſcondita, & ignorata, monſtrauit, iubens vt ſequenti die* Petrus *cleri, & populi ſocietate vallatus, locum aperiret, ſacras glebas extraheret, & in honoratiorem locum reponeret. Annuit diuinæ iuſſioni* Petrus, *& eluceſcente die, conuocatis clero, & populo, quibus reuelationem aperuit, ad locum perrexit, quo effoſſo, ſepulchrum quo ſacra lipſana latebant, inuenit, extraxit, eleuauit, & proceſſionaliter ad B. Virginis de* Columna *Capellam, hymnis, & canticis ſacratis actum auctorantibus deſtinauit, & ſub Virginis Ara repoſita, ad Annum vſque* M. D. XV. *quieuere, quo aliud celebre marmoreum ſepulchrum conſtructum eſt, vbi*

*Annus Tranſlationis.*

*Corpus abſconditur.*

*Reuelatur.*

*Inuenitur.*

*nunc*

*nunc honorifice coluntur, & venerantur. Nec abſque odoris patefactione, & miraculorum frequentia hæc* TRANSLATIO *perfecta eſt, multa Deus per ſui Sancti Confeſſoris merita eſt impartitus, & operatus, cuius gloria, & poteſtas in ſecula ſeculorum Amen.*

*S. Valerius apparet Petro ſucceſſori.*

En ACTA; in *Breuiario* vetuſto S. E. Cæſarauguſtanæ, Anno 1556. edito, refertur, quod S. VALERIVS ipſius vrbis Antiſtes apparuit *Petro* ſucceſſori, vt Corpus S. BRAVLII extraheret, & in locum eminentiorem conlocaret; eius verba ſunt: B. BRAVLIONIS *Epiſcopi Cæſarauguſtani* CORPVS, *cùm diù incognito loco ſepultum iacuiſſet in Sede Cæſarauguſtana, per* S. VALERIVM *cuidam* (Petro) *Epiſcopo ſucceſſori ſuo extitit reuelatum: & ex eo tempore in Eccleſia* B. MARIÆ *Maioris Cæſarauguſtæ honorifice reconditum conſeruatur.* Cuius INVENTIONIS feſtum à ſucceſſoribus eſt religiosè inſtitutum; idque meritò, vt qui Eccleſiæ *Cæſarauguſtanæ* multipliciter præfuit, ac profuit, duplici ſolemnitate in eadem coleretur. Hinc *Cæſarauguſtæ* Duplex feſtiuitas, Altera *Tranſitus*, Altera *Inuentionis* diebus; Illa XVIII. *Martij*; hæc XIX. *Iulij*. S. Valerij apparitionem pro inueniendis lipſanis S BRAVLII probant P. Maurillo. *d. cap.* 28. *fol.* 239. Ludouicus Lopez *Hiſtor. Cæſaraug. lib.* 2. *c.* 12. *fol.* 481. qui *D. Petrum de Luna* Epiſcopum vocat, & hoc eueniſſe *Anno* 1317. aſſerit.

*Duplex feſtum de S. Braulio in Eccleſia Cæſarauguſtana.*

# DECIMO-TERTIO

## Kal. Auguſti.

## DIES XX.

A. AMPHILOCHII *in Gallæcia Hiſpaniæ S.* VVILGEFORTIS, *ſeu* LIBERATÆ *Virginis, & Martyris, quæ diuina reuelatione commonita, relictis patriâ, patribus, & ſanctiſſimis octo adelphis ſororibus, regionem luſtrauit, & fidem Catholicam populis prædicauit, ſed ob hoc apprehenſa, poſt dura ſupplicia, pro caſtitatis, & religionis confeſſione conflicta, ad cœleſtia præmia vtriuſque palmâ inſignita conſcendit.*

B. TOLETI *in Carpetania Hiſpaniæ* S. MAIORIANI *ipſius Vrbis Epiſcopi, qui expeditâ feliciter ad S. Leonem Pontificem legatione, infulis Eccleſiæ Placentinæ apud Italos ab ipſo Leone donatus, ſic vitæ Sanctiſſimæ expediuit excurſum, vt ad Dominum emigraret Confeſſoris titulo decoratus. Cuius ſacra lipſana Toletum tranſlata, ibidem, vt creditur, requieſcunt.*

C. CORDVBÆ *in Bætica* S. PAVLI *Diaconi, & Martyris, qui Beato adhærens Eulogio, in Eccleſia S. Zoili fideliter miniſtrabat. Sed cùm aliquando, & ſæpius proce-*





*res Saracenos de eorum cultus vanitate corrigeret, & pſeudoprophetæ impudentiſſimi commenta produceret, ab illis impetitus, in carcerem coniectus, & mucrone peremptus, ad gloriam ſtrenua confeſſione diſceſſit.*

D. CONIMBRICÆ *in Portugallia* S. COLVMBÆ *Virginis, & Martyris, quæ ex eadem vrbe oriunda, illam ſuo ſanguine decorauit, vt caſtitatis florem, & virginitatis candorem, quem Chriſto ſponſo promiſerat illibatum, in ipſo vitæ periculo conſeruaret.*

E. MADRIDII *in ſacrario Regis Capellæ depoſitio ſacrorum pignorum* B. MARGARETÆ *Virginis, & Martyris Romæ paſſæ: cuius lipſana* PHILIPPO IV. *Regi Catholico obtulit Miniſter Generalis SSS. Trinitatis Hiſpanicæ Congregationis.*

F. *Apud* BVRGOS *Dedicationis Eccleſiæ Cathedralis feſtiuitas repetitur, quâ & innumeris encomiis lucet apparatus, & inſignis demonſtrationum ſignis cultus ſplendeſcit.*

---

# NOTÆ.

SANCTA LIBERATA *Virgo, & Martyr.*] Binominis Martyr ſanctiſſima, & Virgo celeberrima, nam & VVILGEFORTIS, & LIBERATA dicta eſt, vt patet ex Flauio Dextro in *Chron. Ann.* 138. hac ſerie: VVILGEFORTIS, *vel* LIBERATA *C. Attilij Luſitanorum Reguli filia, paſſa eſt Amphilochij.* Eadem Iulianus Petri Archipresbyter Toletanus in *Chron. Ann.* 118. *n.* 57. VVILGEFORTIS nomine, eius meminere *Vſuardus*, & cæteri recentiores, à quibus Martyrologium Romanum *Baronij* hoc elogio: *In Luſitania* S. VVILGEFORTIS *Virginis, & Martyris, quæ pro Chriſtiana fide, ac pudicitia decertans, in cruce meruit glorioſum obtinere triumphum.* Conueniunt Caſtellanum *P. Vaſq.* Luſitanum *P. Lup.* Hiſpanum *P. Higuer.* & Italum *Conſtant. Felic.* LIBERATÆ nomine, eiuſdem etiam meminere Philippus Ferrar. in *Catalog. General. SS. fol.* 291. his verbis: *Segontiæ in Hiſpania* S. LIBERATÆ *Virginis, & Martyris*; & Ambroſius Morales *Hiſtor. Hiſpan. lib.* 10. *c.* 18. Don Franc. Padilla *Hiſtor. Eccleſ. Hiſpan. Tom.* 1. *Cent.* 4. *c.* 26. F. Ioannes Marieta *Hiſtor. SS. Hiſpan lib.* 4. *c.* 14. F. Bernard. Brit. *Monarch. Luſit.* 2. *p. lib.* 5. *c.* 18. Vaſconzel. in *Deſcription. Portugall. fol.* 445. Eduardus Nunius in *ead. Deſcription. c.* 43. F. Ludouicus ab Angelis in *Viridar Portugall. cap.* 6. *fol.* 33. D. Rodericus de Acuña *Hiſtor. Portucalenſ.* 1. *p. c.* 18. & *Hiſtor. Braccarenſ.* 1. *p. c.* 26. Iacobus Greſſerus *de Cruce lib.* 1. *c.* 98. vbi hæc verba notanda: *Die* XX. Iulij, *in Luſitania* S. VVILGEFORTIS *quæ fuit Regis Portugalliæ filia: aliqui* LIBERATAM *appellant, Germani* Oeuſſomer, *quaſi abſque mœrore, colitur religiosè multis Germaniæ locis.* Balthaſar Porrenno *Hiſtor. S. Liberat.* D. Didacus Portocarrer. *in Catalog. Epiſcop. Seguntin.* §. 27. Eius ACTA habentur in *Breuiario* Antiquo S. E. Seguntinæ cuius *Diua Tutelaris* eſt, & in alio *Manuali* edito Madridij Anno 1626. quorum hic tenor, pro vt & illa tranſcripſit Porrenno *c. fin. fol.* 121.

A.

*Martyrologia.*

*Scriptores.*

*Germaniæ culta, & quo nomine?*

## ACTA S. VVILGEFORTIS, VEL *Liberatæ Virginis & Martyris in Hiſpania ex Offic. Segunt.*

*Parentes.* *Natiuitas.* *Educatio.*

L. C. Attilius Seuerus *Præſes* Gallæciæ, *&* Luſitaniæ, *& eius terræ Regulus, ex* Calſia *coniuge eidem falſæ religioni dedita, vno partu (vt multarum in* Hiſpania *fert traditio) Nouem ſuſcepit filias.* Calſia *igitur cùm exiſtimaret hoc poſſe contra eam, aliquam violati thori, & intemperantis vitæ excitare ſuſpicionem, obſtetrici ſeuere indixit, vt occulte illam tot puellarum turbam in flumen proiiceret. Illa verò conſilium deteſtata, in proximum vicum progreſſa, Nouem filias totidem nutricibus paſcendas tradidit, à quibus ſacro fonte luſtratæ,* Gineuera, VVILGEFORTIS, *ſeu* LIBERATA, Victoria, Eumelia, Germana, Marina, Martiana, Baſiliſſa, *&* Quiteria *nuncupatæ, totas ſe Deo concepto virginitatis voto conſecrarunt.*

*Perſecutio.* *Captura.* *Parentum perſuaſio.*

INTEREA *dira perſecutio Chriſtianum nomen vrgebat, & ad* Balchagiam *C. Attilij ſedem progreſſa (quæ hodie dicitur* Bayona *in diæceſi* Tudenſi) *cultores Idolorum impulit, vt Virgines ſacras comprehenderent, &* C. Attilio *patri ſiſterent puniendas. Qui de genere, & religione ſciſcitatur, ita vt omnes Chriſtianas, & filias ſuas eſſe cognouit. Cùm autem omnia illis Regiâ liberalitate promitteret, omniaque ſupplicia Iudicis ſeueritate minaretur, vt eas à ſtudio Chriſtianæ Religionis abduceret, & maternæ preces, & lachrymæ his omnibus accederent; nihilominus ſacræ Virgines omnes, in ea, quam ſuſceperant, fide conſtantes permanſerunt.*

*Vvilgefortis ſeceſſus.* *Comprehenditur.* *Crucifigitur.* *Tumulatur.* *Pluries transfertur.*

CVM *autem Pater nihil proficeret, & in filiarum cædem raperetur furore; illæ tametſi martyrij cupidæ, patris tamen graue peccatum vitare cupientes, ab eius ſtatuerunt ſeſe poteſtate ſubducere. Quod fecere, non ſimul omnes, ſed ſeorſim aliæ aliò dilapſæ, vbi variis locis martyrium ſubierunt.* VVILGEFORTIS *verò, ſeu* LIBERATA *cum aliis Chriſtianis in eremum ſeceſſit, vbi aſperrimè viuens, ſyluestri cibo ſemel ad veſperam quotidie reficiebatur: donec iterum comprehenſa ab impiis Idolorum cultoribus, ad ſacrilegum Deorum cultum, & impudicitiam fuit blandiciis, & terroribus inſtigata: Illa verò nec ſuorum nece perculſa, nec minis, aut cruciatibus deterrita, tortoribus ſe læta obtulit, & poſt varia tormentorum genera, in* Luſitania *ad* Caſtraleuca *pro fide, & pudicitia decertans in Cruce meruit martyrij palmam adipiſci.* XIII. Kalend. Auguſti, *circa Annum Domini* C. XXX. IX. *Cuius ſacrum* CORPVS *à Chriſtianis de Cruce depoſitum, & loco occulto honorifice tumulatum, per aliquot ſecula abſque honore requieuit, donec tranſlatum creditur ad vnum ex Cœnobiis, quæ poſtmodum in* Gallæcia *Benedictinorum fuere conſtructa, à quo ad* Nagalenſe *in diæceſi* Seguntina, *hinc ad* Florentiam *Italiæ, demum à* Simone *Epiſcopo* Seguntino *ad ſuam Cathedralem Baſilicam, vbi nunc honorifice conditum, ſummâ religione, & Populorum frequentia colitur.*

*Roderici de Acuña error.* *Probatur I.*

Hæc ſunt ACTA quæ ex Officio *Seguntino* deſumpſimus. A veritatis apicibus diſceſſit D. Rodericus de Acuña *Hiſtor. Braccar.* 1. *p. c.* 26. *n.* 3. firmans, S. LIBERATAM, quam in Templo *Seguntino* veneratam conſpicimus, cuiuſque ſacra pignora ibidem aſſeruari cognoſcimus, eſſe S. Virginis huius nominis, apud *Comum* vrbem Italiæ, & *Florentiam* cultæ. Nam ſi illius Eccleſiæ monimenta legiſſet, proculdubio in hoſce erroris ſcopulos non impingeret. Ex illis igitur manifeſtum apparet, ſacra B. Virginis *Comenſis* lipſana Anno M. CCC. XVII. ex humili loco, in Baſilicam Maiorem Vrbis *Comenſis* fuiſſe tranſlata, vt ex *Lection. Breuiar. Comenſ.* à Philippo Ferrar. in *Catal. SS. Ital. Die XVIII. Ianuar. fol.* 36. adductis, liquet. Aſt (vt ipſe *Acuña* fatetur) ea quæ in *Seguntino* Templo conduntur, *Simon* Epiſcopus Seguntinus *Florentiâ Segontiam* attulit de licentia Bonifacij VIII. Pont. Max. Anno M. CC. XCIV. ergo nequaquam potuere *Segontiam* transferri, quæ



quæ poſtmodum, elapſis XXIII. annis, in Baſilicam *Comenſem* tranſlata fuere.

*Probatur II.*

SECVNDO, quia ſicut ex traditione *S. E. Seguntinæ* patet, ſacras Noſtræ S. Virginis, & Martyris exuuias à Monachis *Nagelenſibus* tranſlatas *Florentiam* Hetruriæ fuiſſe; eaſque exinde *Simonem* Epiſcopum *Seguntinum*, in ſuam Cathedralem Baſilicam reduxiſſe; quid commune habet *Florentia* Hetruriæ, cum *Como* Inſubriæ? Omnia hæc probabis ex dictis ſupra hoc ipſo *Tom.* 4. *Die XV. Iul.*

*An S. Vvilgefortis Hiſpana, ſit eadem ac illa à Germanis culta?*

ALIQVI ſuſpicantur Noſtram S. Virginem, & Martyrem VVILGEFORTEM, eandem etiam eſſe, ac illam, quam Germani ONT, COMMERAN, vt inquit D.D. Laurentius Ramirez de Prado, Vir vndequaque eruditus, cuius ipſi encomia nomen, in icone ad Iulianum *Aduerſ. n.* 249. *fol.* 54. ſiue OEY-FOMMER, ex Greſſero de *Cruce d. lib.* 1. *c.* 98. vocitant; in cuius rei probationem, hiſtoriam Noſtræ S. Virginis, & Martyris exprimunt. De quo ſæpe ſæpius dubitaui; quia nullibi in Noſtris *Breuiariis*, Chronicis, Scriptoribus, & Monumentis vetuſtiſſimis, aut recentioribus, miraculum de barba, quam Germani S. Virgini Hiſpanæ tribuunt, inuenitur. Forte hanc quam Germani colunt, eam PAVLAM Barbatam eſſe *Abulenſem* de qua & Nos ſupra *Tom.* 1. *Die XX. Februar. fol.* 193. vbi Epigramma P. Ieronymi Biderman. *lib.* 2. *Epigr.* 57. *fol.* 195. S. Vvilgeforti Barbatæ ſubiecimus. De Noſtra Georgius Cardoſo in *Offic. SS. Luſitan. Hymn. ad Veſper. fol.* 9. ſic:

> VVILGEFORTIS *vetus illa Luſa,*
> *Excitans verbis animos Sororum,*
> *Dexterâ ſæui periit Parentis*
> *In Cruce fixa.*

Et in *Relation. SS. Portugall. c.* 28. P. Bartholom. Riccius *de Triumph. Ieſu-Chriſt. Crucif. Don.* Prudent. de Sandou. *Hiſtor. Tud. à fol.* 33 *& ſeqq.* P. Biuar. in *Not. ad Dextr. Ann.* 138. *n.* 5. & Nos ſupr. *Tom.* 1. *Die XVIII. Ianuar. fol.* 183. *lit. A.* vbi ad longum de *Nouem Sororibus* egimus.

*Quâ vrbe paſſa?*

CIRCA locum agonis in varias itur ſententias. Flauius Dexter *d. Ann.* 138. apud Vrbem AMPHILOCHIVM Gallæciæ occubuiſſe refert: Iulianus Archipreſbyter Toletanus in *Aduerſ. n.* 249. *&* 380. apud CASTRALEVCA agonizaſſe contendit. Hinc Caſtellanorum, & Portucallenſium ſententiæ in contraria verſæ. Illi apud ORENSE in Gallæcia celebrem vrbem. Iſti apud PORTO inſignem ciuitatem. Ego pro Dextro tanquam antiquiori iudicium do: nec ex hoc, à ſuo ſenſu pio vnuſquiſque deficiat.

*B. Scriptores.*

S. MAIORIANVS *Epiſcopus Toletanus Confeſſor.*] Memoria eius celebris inter Toletanos Antiſtites, in quorum dyptichis numeratur, & abs Flauio Dextro in *Chron. Anno.* 429. hac ſerie: *Iſcius ſucceſſorem habet* MAIORIANVM, *qui quidem interfuit Concilio Africano Teleptenſi.* Prolixius S. Viri res geſtas proſequitur Iulianus Archipresbyter Toletanus in *Chron. Ann.* 436. *n.* 216. hac clauſula: MAIORIANVS *ſuccedit in Sede Toletana Iſcio Epiſcopo Toletano, & n.* 218. proſequitur: *Idololatriam per* Hiſpanias *repullulaſcentem Sanctus* MAIORIANVS *Toletanus, & Balconius Braccarenſis conantur euellere.* Et *Ann.* 447. *n* 220. ipſius S. Viri actiones recenſens, addit: *Cogitur ſub* MAIORIANO *Synodus* Toleti: *ibique contra Priſcillianiſtas additur de Spiritu-Sancto:* QVI A PATRE, FILIOQVE PROCEDIT. *Fuit hæc ſynodus celebris, & multorum Epiſcoporum numero coacta.* Et *Ann.* 449. *num.* 222. *&* 225. eius glorioſum tranſitum aſſignat: MAIORIANVS, *qui neceſſitatis causâ Legatus Hiſpanorum iuerat ad* Leonem *Papam, rectè, fideliterque rebus cum eodem compoſitis, reuerſus; iuſſus eſt à* S. Leone *remanere Epiſcopus in* Placentia *Italiæ; interfuitque Concilio* Mediolanenſi, *& eidem ſubſcripſit, Præſide* Euſebio *Mediolanenſi. Ibi obiit, & poſt oſſa eius allata ſunt* Toletum, *vt ipſe iuſſerat, & ſepultus eſt in æde* S. MARIÆ, *Alficenſi.* De Præſulatu Toletano MAIORIANI extat S. M Maximi in *Chron. Ann.* 435. *num.* 5. memoria, dicentis: MAIORIANVS *Epiſcopus* Toletanus *ſuccedit Iſcio.* MAIORIANVS *hic fuit frater Maioriani Auguſti.* Quam etiam fraternitatem Iu-

lianus Toletanus in *Chron. Ann.*456.*n.* 237. fatetur, ſic: *Dertoſæ in Hiſpania perimitur* Maiorianus *Auguſtus, frater S. Pontificis* MAIORIANI Toletani, *prædeceſſoris Caſtini.* Hinc valdè miror *P. Antonij Quintana-Dueñas* incuriam, qui in *Hiſtor. SS. Toletan. in Fundat. S. E. Toletan. c.* 27. *fol.* 106. inſtituens Præſules Toletanos è Regio ſanguine oriundos attexere, S. MAIORIANVM omiſit; & quòd peius eſt, nec inter Doctorum, & Sapientium, nec inter Sanctorum choros ſubiecit. At Nos illius omiſſionem ſupplentes, proſequimur. Igitur de S. MAIORIANO ſcripſere Garſ. Loays. *in Catal. Toletanor. Præſul.* D. Franciſcus Padill. *in Chronolog. Topograph. Epiſcopat. Hiſpan. verb.* Toletum *fol.* 59. D. Thom. Tamayo in *Verit. Dextr. Nouit.* 7. *n.* 20. *fol.* 110. P. Biuar. in *Comment. ad Dextr. Ann.* 429. *num.* 1. *fol.* 449. & in *Commentar. ad Maxim. Ann.* 435. *n.* 5. §. 20. *fol.* 129. Roder. Car *ad Dextr. d. Ann.* 429. *fol.* 152. & in Not. *ad Max d. Ann.* 435. *lit. Z. fol.* 161. D. Didacus Caſtejon *in Primat. Toletan. Tom.* 1. *c.* 2. §. 7. *fol.* 114. Eius ACTA à nullo in vnum congeſta fuere, illa ex ſupra relatis Scriptorum pittaciis, ſeu fragmentis aſſuemus, vt inſtituto pareamus.

*Quintana-Dueñas incuria.*

## *ACTA S. MAIORIANI EPISCOPI Toletani Confeſſoris ex Variis Hiſpaniæ Scriptoribus.*

*Nobilitas.*

MAIORIANVS *ex genere nobiliſſimo natus, auum habuit* Maiorianum *vtriuſque militiæ* Magiſtrum *tempore* Theodoſij *Imperatoris* Hiſpani, *& fratrem* Iulium Valerium Maiorianum *Cæſarem ad* Dertoſanæ *vrbis* Hiſpaniæ *limina occiſum; poſt vtriuſque ſacræ, & prophanæ ſtudia eruditionis, ad eccleſiaſticam doctrinam animum applicuit, quâ ſic eruditus euaſit, vt è viuis ſublato ſanctiſſimo* Iſicio, *Toletanæ Sedis Epiſcopo, protinus fuit ad illius faſtigium dignitatis Primariæ euectus, & in eius apice conſtitutus, illicò eius ſapientiæ, & virtutum inſignium ſpecimina reſpirauit. His ſiquidem præeuntibus, ad Concilium* Carthaginenſe, *quod* Teleptenſe *vocitat Dexter, euocatus, aduerſus Pelagium, & Cæleſtium hæreticos, eius ſeſſionibus interfuit, vbi eximiæ eruditionis, & zeli fidei clauſtra ſingulari diſpoſitione conſultus aperuit. Hic cognitis Sanctorum* Arcadij, Probi, Paſchaſij, *&* Eutychij *Martyrum* Hiſpanorum *in Vuandalica perſecutione occiſorum, agonibus, eorum relationem veridico, & illuſtri celebranit ſtilo, quorum Acta poſtmodum ab Eccleſia ſuſcepta, in pretio haberi cæpere.*

*Epiſcopatus.*

*Concilio Africano interfuit.*

*Acta Martyrũ ſcripſit.*

POST*hæc ad propriam reuerſus Eccleſiam, cùm per* Hiſpanias *idololatriam repullulare cognoſceret, eam toto viſcerum conamine euellere ſatagebat. Hinc etiam contra Priſcillianiſtas, coactâ* Toleti *Synodo, addidit in Symbolo fidei, dùm de Spiritu-Sancto agitur, verba illa*: QVIA PATRE, FILIOQVE PROCEDIT. *Demùm cum Romam Legatus Hiſpanorum ad* S. Leonem *Pontificem Maximum mitteretur, & rebus ſibi commiſſis feliciter compoſitis,* Hiſpanias *remeare decerneret, à Sanctiſſimo Leone detentus, & Placentinæ Eccleſiæ in Æmilia Epiſcopus factus, illius Sedis cathedram regere coactus eſt. In cuius dùm apice reſideret, & iura Eccleſiaſticæ animaduerſionis conſtanti ſpiritu figere cæpiſſet, ab* Euſebio *Mediolanenſi Epiſcopo Synodus coacta, illi interfuit, & ſubſcripſit; & ibi diem vitæ ſupremum geſſit* XIII. Kalend. Auguſti *Anno Domini* CCCC. LII. *Cuius ſacra pignora, eo iubente,* Toletum *tranſlata, in Eccleſia* S. MARIÆ, *poſtea dicta* de Alficen, *honorifice ſepulta, inſignium miraculorum frequentiâ quieuere, vt ex eius vetuſti ſarcophagi verſibus apparebat huiuſmodi.*

*Italiam pergit.*

*Fit Epiſcopus Placentiæ in Æmilia.*

*Moritur, & Corpus Toletum transfertur.*





*Pignora* MAIORIANI *exiſtunt Præſulis hic, ſed*
*Plura Deus Sancti meritis miracula patrat.*

*Epitaphiũ.*

Iam vides ACTA, in quibus aliqua veniunt illuſtranda, præcipue illa quæ ex *S. M. Maximo,* & *Iuliano* Noſtris deſumpſimus. Iam ex illis didiciſti qualiter MAIORIANVS Toletanus Præſul, & *Iulius Valerius Maiorianus* Cæſar fratres fuere, ergo eadem vtrique nobilitas ſpectabit. Tùm ſic, iſtius ex Sydonio Apollinari in *Panegyr. Carm.* 5 proſapiam auſculta:

*Nobilitas probatur.*

*Fertur Pannoniæ, quâ Martia pollet Achintus*
*Jllyricum rexiſſe ſolum, cum tractibus Iſtri*
*Huius Auus: Nam* Theodoſius *quo tempore SirmI*
*Auguſtum ſumpſit nomen, per vtramque Magiſtrum*
*Militiam, ad partes Regni venturus Eoas*
*Maiorianum* habuit.

Vbi plura Ioann. Sabar. *in Not. n.* 116. Hinc etiam Noſtri S. Præſulis nobilitatem agnoſces, & *P. Quintana-Dueñas* incuriam redargues.

QVOD ſcripſerit Acta *SS. Martyrum Hiſpanorum* in *Vuandalica* perſecutione paſſorum; teſtem aduoco Iulianum Noſtrum in *Chron. n.* 217. hac clauſulâ: *Primitiæ perſecutionis* Wandalicæ *in Africa, fuerunt Quatuor Viri fortiſſimi Milites in* Hiſpania, *ſcilicet* Arcadius, Probus, Paſchaſius, *&* Eutychius. *Arcadius fuit* Toletanus. *Eorum martyrium celebrat* MAIORIANVS. De hiſce Sanctis infra, Deo permittente, agemus *Tom.* 6. *Die XIII. Nouemb. lit. A.*

*Acta SS. Martyrum ſcripſit.*

CIRCA Synodum congregatam *Toleti*, quâ in Symbolo fidei additam eſſe vocem FILIOQVE *procedit,* aſſerit *Iulianus*, videndus P. Biuarius in *Not. ad S. M. Maxim. in Chron. Ann.* 435. *n.* 5. §. 27. *fol.* 130. vbi ad amuſſim de hac re diſſerit, & probat ex Baron. *Annal. Eccleſ. Tom.* 6. *Ann.* 447. *n.* 19. apud Noſtros primùm ſuperadditum Fidei Symbolo de Spiritu Sancto, A PATRRE, FILIOQVE PROCEDIT.

*Contrahit Synodum Toleti.*

QVATENVS ad *Synodum Mediolanenſem* ſub *Euſebio* eius vrbis Epiſcopo contractam Anno CCCC. LI. illius Acta extant poſt *Epiſtolam* 61. *S. Leonis Papæ* cum ſubſcriptionibus Epiſcoporum, qui ei interfuere, vbi MAIORIANVS Noſter, tanquam Epiſcopus *Placentinus* in Æmilia, hac periodo ſubſcripſit: *Ego* MAIORIANVS *Epiſcopus Eccleſiæ* Placentinæ *in omnia ſupraſcripta conſenſi, & ſubſcripſi: anathema dicens his qui de incarnationis Dominicæ ſacramento impia ſenſerint.* Quod & notauit *Biuar.* §. 29. *fol.* 133. & Baron. *d. Tom.* 6. *Ann.* 451. *n.* 12. vbi agit de hoc Concilio Mediolanenſi. Cætera probata remanent.

*Interfuit Concilio Mediolanenſi.*

S. PAVLVS *Diaconus, & Martyr Cordubenſis.*] Eius memoriam repetit *Vſuardus Maurolycus, Galeſinius,* & cæteri recentiores, qui S. Diaconi Acta ex B. Eulogio in *Memorial. SS. lib.* 2. *c.* 6. ſuxere; à quo etiam Martyrolog. Romanum *Baronij*, hoc elogio: Cordubæ S. PAVLI *Diaconi, & Martyris, qui cum infideles principes Mahumeticæ impietatis ac ſæuitiæ argueret, & Chriſtum conſtantiſſimè prædicaret, eorum iuſſu necatus, ad præmia euolauit in cælum.* Conueniunt Martyrologia Caſtellanum *P. Vaſq.* Luſitanum *P. Lup.* Hiſpanum *MS. P. Higuer.* & Italum *Conſtant. Felic.* De eo etiam ſcripſere Ambroſ. Moral. *Hiſtor. Hiſpan. lib.* 14. *c.* 10. Ioann. Mariet. *Hiſtor. SS. Hiſpan. lib.* 2. *c.* 70. P. Ioann. Mariana *Hiſtor. Hiſpan. lib.* 7. *c.* 15. P. Martinus de Roa *Hiſtor. SS. Cordubenſ. h. d. fol.* 122. Arnald. Vvion in *Lign. Vit. Tom.* 2. *lib.* 3. *h. d. fol.* 229. & Hugo Menard. in *Martyrolog. Monaſt. h. d. fol.* 62. Eius ACTA breui calculo deſcripſit *S. Eulogius* Martyr, ea dabimus:

*Martyrologia.*

*Scriptores.*

## *ACTA S. PAVLI DIACONI, & Martyris Cordubenſis ex D. Eulogio Martyre.*

*Patria.* *Educatio.* *Carceri mancipatur.* *Tyberinus Pacenſis Presbyter.* *Carceris Cordubẽſis deſcriptio.* *Paulus Tyberinũ à carcere liberat.* *Coronatur.* *Sepelitur.*

SANCTVS *verò* PAVLVS *contribulis noſter, & hic* Leuita *digniſſimus, cùm primo adoleſcentiæ flore venuſtaretur, è Ciuibus* Cordubenſibus *progenitus, ſimplex affatim, obediens, & humanus, ſemper carceratis opem miſerationis impendens; apud Baſilicam, quæ Corporis B. Martyris* Zoili *præſentia illuſtratur, ſpiritualibus enutritus eſt diſciplinis. Qui exemplo ſanctiſſimi* Siſenandi, *verboque inſtructus, principibus, & conſulibus adſiſtere non extimuit, eoſque de vanitate culturæ ſuæ, & ſceleroſi Vatis inſaniâ arguens, Chriſtum quoque Deum veraciter confitendo, peremptus eſt. Fertur tamen cùm adhuc carcere detineretur, imploratus à* Tyberino *Pacenſi Presbytero, qui ei ita dicebat:* Obtine ſolutionem meam coram Domino, Beate Miniſter, & digno interuentu tuo dùm coronatus Chriſto perueneris, longæuum à me carceris ſqualorem amoue. *Erat enim idem Sacerdos pene viginti annos ergaſtulo mancipatus, neſcio ob quod crimen accuſatus ab inimicis coram Rege Qui Presbyter florentiſſimâ adhuc iuuentute præpollens, ac virili præditus venuſtate, illi ſubterraneo ſpecui deputatus, pene decrepitus, & ſenio confectus, inde eductus, publicis demùm carceribus mancipatur. In his Martyres Chriſti vſque in horam mortis degebant. In his parricidarum, homicidarum, latronum, & ſcortatorum improbi auſus, & execranda temeritas, ac diuerſorum criminum rei ſub arctiſſimâ macerabantur cuſtodiâ. In his poſitus prædictus Sacerdos cauſam ſui carceris* B. PAVLO *commiſit. Cui Martyr Sanctus, de corona victoriæ confiſus, ſatisfacere optioni eius promittens, non poſt multos dies martyrij ſui fidelis ſponſor, eum carcere abſolutum, Deo fautore, propriæ vrbi reſtituit. Conſummauit autem Dei ſeruus* PAVLVS *martyrium ſuum in pace* XIII. Kalend. Auguſti, Feria II. *Anno Domini* DCCC. LI. *Cuius cadauer inhumatum, & ante fores Palatij derelictum, poſt nonnullos dies, quorundam fidelium curioſitate clàm ſublatum, cum* B. Theodomiri *Carmonenſis Monachi Corpore, apud Sanctuarium prædicti Martyris* Zoili *conditum eſt. Regnante D. N. Ieſu-Chriſto, qui Sanctos ſuos adiuuit, & coronauit in pace, in ſecula ſeculorum, Amen.*

*An Monachus?*

En ACTA, in quibus nihil de *Monachatu*, & cuculla S. PAVLI, ex quo valde miror, quâ occaſione ducti *Vvion*, & *Menardus*, ſanctiſſimum *Leuitam* inter *Benedictinos Monachos* adſcripſere, cùm in *Eulogio*, à quo omnes ACTA ſuxere, hautquaquam *Monachatus* mentio exiſtat. Hinc P. F. Antonius de Yepes in ſuo *Chron. Benedict. Tom.* 4. *Cent.* 4. *Ann.* 851. Eulogij ſilentio motus inter *Martyres Benedictinos*, quos hoc Anno *Cordubæ* paſſos commemorat, prorſus PAVLVM Noſtrum, tanquam *Clericum Secularem*, non *Monachum*, à ſuo reiicit edoctus catalogo. Et patet ex ſequenti deprecatione *Cypriani* Archipresbyteri *Cordubenſis* ad S. Noſtrum inter eius *MS. Carmina.*

PAVLVS *amor patriæ*, PAVLVS *contribulis vnà:*
*Chriſti* Leuita, *& ſacri Miniſter amoris;*
*Qui fidei regulas ſeruans, cum robore Chriſtum*
*Extollis; Vatem obſcœnum ſed verbere vocis*
*Confundis ſanctæ: quo factus Martyr in auras*
*Conſcendis celſas, & amici vincula ſoluis.*
*Eſto tui memor in Clero, cui vnus adhærens,*
*Viuenti Noſtros auxiſti corpore greges:*
*Vt Deus hic pacem tribuat, poſt, cœlica Regna.*





*Reſpondetur tacitæ obiectioni.*

Nec obſtabit ſi dicatur, quòd S. PAVLVS ex *Eulogio* fuit in ſpiritualibus nutritus in Baſilica S. Zoili, vbi erat Cœnobium Monachorum ex opinione. P. Ioannis Marianæ *lib.* 7. *Hiſtor. Hiſpan. d. c.* 15. quia licet eſſet Monaſterium, etiam erat cœtus Clericorum ſeparatus à Monachorum clauſtris, & ideo *Eulogius* conſulto dixit *apud* Baſilicam *ſpiritualibus enutritus diſciplinis*; non apud *Cœnobium*, ne crederetur Martyr, *Regularis*; ſed *Secularis* Diaconus: & ſic intelligenda ſunt *S. Eulogij* verba; & prorſus *Vvionis*, & *Menardi* commentum reſpuendum.

*Plures in Portugallia Columbæ.* *I. Eborenſis.* *II. Lamecenſis.* *III. Interamnenſis.*

S. COLVMBA *Virgo, & Martyr Conimbricenſis.*] Plures huius nominis Diuas *Luſitania* colit. PRIMA, quam apud diœceſim *Eborenſem*, in pago TOVREGA cum fratre Epiſcopo, & alia ſorore martyrio coronatam referunt P. Anton. Vaſconcel. in *Deſcript. Portugall. fol.* 553. *n.* 14. per hæc verba: EBORA *diſtat leucæ ſpatio Templum Deiparæ*, TVRAGIVM *vocant; non longæ videntur veteres parietinæ, & aquæductus, quo in loco fama eſt, multos pro Chriſti fide ſanguinem fudiſſe: quos inter Epiſcopus cum duabus Sororibus animam feliciter egerunt, quarum vna* COLVMBA *nuncupata. Vbi verò alia cruore terram imbuit, fons ſtatim proſiliit, à Noſtratibus fons Sanctus appellatus, quamobrem multi aduerſâ valetudine tentati in illo abluuntur.* Eadem Ludouicus ab Angel. *in Viridar. Portugall. c.* 17. SECVNDA dicitur S. COLVMBA *Oſores*, ſeu *Oſorij*; hancque fuiſſe Abbatiſſam in vetuſtiſſimo Cœnobio *Archenſi*, in diœceſi *Lamecenſi*, eo tempore, quo *Almanzor* Sarracenorum Dux Monaſterium illud ſolo æquauit, & Sanctam Virginem cum aliis Sanctimonialibus eiuſdem Cœnobij, ob fidei conſtantiam, & caſtitatis honorem decollauit, fatetur idem Ludouicus ab Angel. *in d. Viridar. c.* 46. *fol.* 130. Quod & probat ex vetuſtiſſima *D. Theudi* cuiuſdam donatione, facta Fratribus Ciſtercienſibus Monaſterij Taroucani, vbi hęc verba: *Sit itaque veſtra, prædicta hæreditas, cum Eccleſia de* S. MARIA *de* Archas, *vbi antiquè fuit Monaſterium vocitatum* Archenſe; *& mortua eſt inde Abbatiſſa* COLVMBA Oſoris, *cum Sororibus ſuis per manus cuiuſdam Mauri* Almanzoris. TERTIA etiam fuit Virgo, & Martyr *Interamnenſis* nomine COLVMBA in diœceſi *Braccarenſi*, de qua P. Anton. Vaſconcell. in *Deſcript. Portugall. fol.* 451. *n.* 20. hoc ſcriptum reliquit: *Multis poſtea elapſis annis* Irenem *animi conſtantiâ, pudoreque virgineo expreſſit Conimbricæ* COLVMBA *Virgo; Patriam habuit oppidum, quod vulgo dicimus Lamas de Orelham, ſpectat verò ad iudicialem Conuentum* Vimarani, *vbi metu Mahometanorum, qui tunc Luſitaniam occuparant, ſe ſe proripuit. Virginis cædes non longe à* Conimbrica *edita fuit, vbi Noſtrâ adhuc ætate paruum viſitur Sacellum, quod Virginis retinet integram memoriam, eiuſque in primis ob propugnatam caſtimoniam, martyrium teſtatur honeſtiſſimum.* Sed vt notauit Ludouicus ab Angel. in *d. Viridar. c.* 47. *fol.* 131. ex relatione *Gaſparis Aluari Louſada*, proculdubio *P. Antonius Vaſconcelos* confundit COLVMBAM hanc *Interamnenſem*, cum *Conimbricenſi*. Nam illa in diœceſi *Braccarenſi* per Sarracenorum manus occubuit, cuius hiſtoriam carmine heroico, idiomate Portugallenſi deſcripſit *Antonius Ferreyra*, cuius Poëma apud me. *Conimbricenſis* verò de qua Nos hoc die Gentilium tempore in crucem acta ſpiritum exhalauit. Harum TRIVM Sanctarum Virginum, & Martyrum hic coniunctim memoriam repetere placuit, quia Dies agonum huc vſque ignorati, locum in hoc Martyrologio non inuenerunt; & ideo hunc elegimus, quia de QVARTA Virgine, & Martyre COLVMBA anamneſis coagulatur. De hac igitur, memoria eſt in *Martyrolog. Luſitan. Die XXXI. Decembr. fol.* 16. hac ſerie, ſuo idiomate: *Em Coimbra* S. COLVMBA *Virgem, que vulgarmente ſe chama* S. COMBA, *à qual ſegundo tradizão antiga dos naturais da terra, foy morta em defeſão da caſtidade.* Quæ ſic Latine ſonant: *Apud Conimbricam* S. COLVMBA *Virgo, quæ vulgò* S. COMBA *dicitur, & ſtante antiqua traditione oppidanorum, pro defenſione caſtitatis occubuit.* De ea etiam breui calculo ſcribunt Eduardus Nunius in *Deſcript. Portugall. c.* 50. Georg. Cardoſ. in *Hymn. de SS. Portugal. Hymn.* 6. *ad Veſp. fol.* 8. his verſibus:

*IV. Conimbricenſis.* *Martyrolog.* *Scriptores.*

*Felix expertem genuit* COLVMBAM
*Terra, quæ doctos creat.*

& in *Catalog. SS. Portugallenſ. c.* 26. F. Ludouicus ab Angel. in *Viridar. Portugall. c.* 33. *fol.* 96. Emanuel Campos de *Relig. Vlyſipponenſ. fol.* 379. agens de S. Virgine hoc carmine ludit:

*Dùm vitam offerret pro virginitate* Colvmba,
*Si poſſet tales ederet ore ſonos:*
*Purpureum tortor de corpore funde cruorem,*
*Vt Sponſo occurram ſanguinolenta meo.*
*Eſt ruber, eſt niueus, ſic concolor alba* Colvmba,
*Si cruor hanc rubro murice tingat, erit.*

Noſtræ huius S. Virginis, & Martyris Acta nullus ſcripſit integra, illa confuſa contexuit F. Ludouicus ab Angelis *ſupr. d.* 33. cuius ecphraſim *Portugallenſi* ſermone conſcriptam, *Latinam* facimus ſic:

## *ACTA S. COLVMBÆ VIRGINIS, & Martyris Conimbricenſis ex F. Ludouico ab Angel.*

*Plures habet Eccleſias in Luſitania.*

Nostrvm *hoc* Portugallenſe *Regnum plures Eccleſias, & Oratoria cum titulo* S. Colvmbæ *habet, & licet plures huius nominis Diuæ fuerint, cuius hic res geſtas aggredimur enarrare, illa Virgo, & Martyr eſt, quæ apud* Conimbricam *è vita martyrio coronata diſceſſit, pro vt conſtans vrbis traditio eſt. Hæc ſiquidem nequaquam Sarracenorum æuo floruit, ſed* Gentilium *tempore, à quibus in Crucem acta conſpicitur, vt ex effigie, & carminibus illic affixis, in loco, quo creditur coronata, pateſcit. Agareni nempe nunquam fœminas crucibus affigebant, ſed Ethnici, pro vt cum* SS. Liberata, *&* Eulalia Emeritenſi, *& aliis fecere. Locus paſſionis* Colvmbæ, *adhuc iuxta illuſtre* Cellenſe *Cænobium, à* Conimbricenſi *vrbe haut diſſitum perſeuerat. Cauſſa agonis eiuſdem, & propter fidei Catholicæ confeſſionem, & propter caſtitatis obſeruandæ conſtantiam fuit. Commune omnibus accolis votum extat, illius loci limina viſitandi, præcipuè Diebus Veneris, quibus in Ara ibidem erectâ, continuo Miſſæ celebrantur ex voto. Iuxta S. Virginis Oratorium etiam caſſa exigua conſpicitur, quâ, vt traditio eſt, Corpus S. Martyris primo noſcitur tumulatum, è cuius humo puluis deſumitur, quo fideles pro variis infirmitatibus vtuntur, à quibus liberati, puluerem in pittaciis reuolutum iterum Oratorio perducunt, in ſignum ſalutis adeptæ. Hinc eſt, quò Domuncula illa hiſce ſcateat piis inuolucris.*

*Cruci affigitur.*

*Quo loco paſſa?*

*Cauſa agonis.*

*Miracula ad locum ſepulchri.*

*Prima tranſlatio.*

Eivs *ſacrum* Corpvs *primò ad Eccleſiam S. Ioannis iuxta Regale* S. Crvcis *Cænobium ſitam, tranſlatum fuit, vbi per plures annos in ipſo pariete, ad Dextrum latus Maioris Aræ iacuit incluſum, pro vt adhuc hodie Inſcriptio in marmore albo inciſa teſtatur, in cuius medio foramen viſitur, pro cuius circulo (fama eſt) fideles immittere ſolere pittacia huiuſmodi, quæ poſtmodum extracta, olei miraculoſi guttulis tincta conſpiciebantur, quibus ægroti tacti, ab ægritudinibus liberati gratias agebant Altiſſimo. Poſtea ſacra Virginis, & Martyris pignora ad prædictum* S. Crvcis *Regale Cænobium tranſlata, ibidem honorificè conduntur. Cuius notabilis Reliquia intra argenteæ iconis Virginis pectus incluſa conſpicitur in Ara Maiori Baſilicæ Cænobij, in fidelium deuotionem, & cultum. Eius feſtiuitas* Die XX. Iulij *apud* Conimbricenſes *feliciter annuatur, ad Dei gloriam cui ſit laus in æternum. Amen.*

*Oleum ex Corpore.*

*Tranſlatio II.*

*Dies cultus.*

Quibus verò annis hæc euenerint nullus aperit; quibuſve Tyrannis Martyrium compleuerit Virgo Beata, ſub ſilentio eſt. Non ſunt audiendi P. Lupus *in Martyro*



*Martyrolog. Luſitan. vbi ſupr. fol.* 16. nec Emanuel Nun. in *Deſcript. Portugall. c.* 50. S. Colvmbæ huius feſtum *Die XXXI. Decembris* conſignantes, quia vt inquiunt Cardoſo *d.c.* 26. & Ludouicus *d.c.* 33. iſte eſt verus Dies cultus.

*Aliquorū error.*

Plvra Miracula ex MSS. Codicibus vetuſtiſſimis excripſit Illuſtriſſimus *D. Ieronymus Maſcareñas* Calatrauenſis Eques, Luſitanorum gloria, & fidelium exemplar, quæ hic apponere prolixum erit, illa dabit ille in *Hiſtoria Conimbricenſi*, quam ſedulo edere deſiderat.

*Miracula.*

S. Margarita *Virgo, & Martyr Romana.*] Diuerſa hæc ab illa *Antiochena*, cuius memoriam recolit *Martyrologium Romanum h.d.* Nam iſtius ſacra pignora in Cœmeteriis *Romanæ Vrbis* inuenta ſunt, vt patet ex Diplomate abs *Ioanne Baptiſta de Alteriis*, qui ea extraxit, & *R.P.F. Ioanni ab Annuntiatione* SSS. Trinitatis Excalceatorum alumno conceſſit, quæ ſuperius dedimus *Tom. 2. Die II. Martij fol.* 45. *& ſeqq.* vbi non ſolum Corpora ibidem contenta, ſed etiam alia *Româ Madridium* tranſlata fuere, inter quæ Corpvs integrum Sanctæ Virginis, & Martyris Margaritæ Romæ paſſæ, vt ex ipſiſſimis Originalibus inſtrumentis liquet, apud Fratres Excalciatos SSS. Trinitatis Conuentus Madridenſis, quæ ſæpius mihi tradita ſunt. Vbi etiam diſtributio facta à Miniſtro Generali, qui corpora *S. Philippi* Martyris, & S. Magaritæ Virginis, in memoriam Nominum *Philippi III.* Hiſpaniarum Regis, & *Margaritæ Reginæ*, eius coniugis, *Philippi IV.* Regis Catholici Parentum, obtulit, & in *Regia Capella* collocata coluntur.

E.
*Tranſlatiò Româ Madridium.*

Dedicatio S. E. Bvrgensis *in Hiſpania.*] Hæc Cathedralis Eccleſia primum apud *Aucam*, hodie Oca dicitur erecta, vbi Epiſcopus per plura ſecula ſedem habuit. Sed eueniente Sarracenorum ingluuie, ſolo æquata, & ciuibus orbata, ad *Vallempoſitam*, hodie Valpvesta tranſlata eſt, quam *Alphonſus* Rex cognomento *Catholicus* priuilegiis, & ſubſidiis magnificis ditauit. Deinde inſtantibus *Vrraca, & Geloyra* Infantiſſis *Ferdinandi* I. cognomento *Magni* filiabus Sedes hæc ad Eccleſiam B. Mariæ *del Gamonal* mutata dignoſcitur, donec *Alphonſus* huius nominis VI. illam ad *Burgenſem* vrbem tranſtulit, conceſſis eius Regalibus Palatiis cum Eccleſia S. Laurentij, quibus exinde Cathedralis hæc extrueretur Eccleſia. Hic per C. XLVII. annos VI. Menſes, & XX. dies perſeuerauit; donec XX. Iulij Anno Domini M. CC. XXII. Feriâ IV. ad hanc, quam hodie vidimus, mutata eſt, præſentibus *Ferdinando* III. cognomento *Sancto*, & Alphonſo eius fratre, & *Mauricio* iſtius Sedis Epiſcopo. Huius Baſilicæ fabrica inſignis & mirabilis, inter omnes Hiſpaniarum, agnoſcitur, intus XXI. Capellis illuſtribus circumdata, quæ fabricæ decorem, & Baſilicæ honorem augent. Suprema, quæ vocatur Maior B. Virginis Mariæ Aſſumptioni dicata conſpicitur. Catalogus verò Epiſcoporum, qui hanc Sedem rexere, tàm apud *Aucam*, quàm alibi, & poſtquam in *Burgenſi* ſederunt vrbe dabimus.

F.
*Vbi primùm Sedes?*

*Tranſlationes.*

*Cui dicata?*

## CATALOGVS EPISCOPORVM S. E. Burgenſis in Hiſpania, & eius Archiepiſcoporum.

I. Asterivs huius nominis I. Epiſcopus Burgenſis, Olim Aucenſis I. interfuit Concilio III. Toletano, Anno Domini D. LXXXIX. & Cæſarauguſtano, Anno D. XCII. & alij Toletano Anno D. XCVII.

M. Ægidius Gonzalez Dauila *Chronographus Regius in* Theatr. Eccleſ. Caſtell. Tom. 3. fol. 57. *introducit* Theodorvm, *&* Stephanvm, *tanquam Epiſcopos* Aucenſes, *aſſerens, primum interfuiſſe Decreto Gundemari, ad Annum* DC. X. *& Secundum Concilio IV. Toletano ad Annum* DC. XXXIII. *ſed proculdubio errorem percepit Vir eruditus, & doctus; nam Epiſcopi illi, quos* Aucenſes *credit, fuere* Auſenſes, *ſiue vt notat Garſias de* 597

*Loayſa in* Not. ad Concil. 4. Toletan. fol. 362. Auſonenſis, *quæ Ciuitas fuit in Cathalonia, & adhuc cum ſede extat, & dicitur* VIQVE *ſiue* VALDAVSONA, *& ideo illos ab hoc Catalogo amando.*

II. AMANVNGVS huius nominis I. Epiſcopus Aucenſis II. interfuit Concilio V. Toletano Anno Domini DC. XXXVI. 636.

III. LITORIVS huius nominis I. Epiſcopus Aucenſis III. interfuit Concilio VIII. Toletano ad Annum Domini DC.LIII. 653.

IV. STERCORIVS huius nominis I. Epiſcopus Aucenſis IV. interfuit XIII. Concilio Toletano ad Annum DC. LXXXIII. & Concilio XV. ad Annum Domini DC. LXXXVIII. 688.

V. CONSTANTINVS huius nominis I. Epiſcopus Aucenſis V. Concilio XVI. Toletano interfuit, ad Annum DC. XC. III. Et iſte 693. Pontifex lachrymoſam Hiſpaniarum ſtragem propriis oculis vidit, qua Sarraceni omnia deuaſtantes vix lapidem ſupra lapidem reliquere. Hinc Sedes AVCENSIS diruta, ad Oppidum VALPVESTA tranſlata Eccleſia fuit, retento titulo antiquæ diœceſis.

VI. VALENTINVS huius nominis I. Epiſcopus Aucenſis VI. cuius tempore conditum fuit Cœnobium S. Michaelis Petroſenſe Ordinis S. Benedicti ad Annum Domini DCC. XLV. 745.

VII. FELINVS huius nominis I. Epiſcopus Aucenſis VII. qui Cœnobium Ferranenſe Ordinis S. Benedicti Anno DCC. LXXII. conſecrauit. 772.

VIII. FELMIRVS huius nominis I. Epiſcopus Aucenſis VIII. qui adfuit ad primam fundamenti erectionem Cœnobij S. Martini de Tama, in Valle Menenſi ad Annum DCC. LXXV. 775.

IX. OVECVS huius nominis I. Epiſcopus Aucenſis IX. Confirmat priuilegium Ranimiri Regis factum S. IACOBO Hiſpaniarum Apoſtolo ad Annum Domini DCCC. LXVII. 867.

X. ALMIRVS huius nominis I. Epiſcopus Aucenſis X. Cuius tempore paſſi ſunt Stephanus Abbas, & CC. Monachi ſocij apud Karadignam Die VI. Auguſti, Anno Domini DCCC. LXXII. 872.

XI. IOANNES huius nominis I. Epiſcopus Aucenſis XI. Cuius memoriam repetit Ambroſius Morales ad Annum DCCCC. 900.

XII. VINCENTIVS huius nominis I. Epiſcopus Aucenſis XII. qui Comiti Fernando Gonzalez indiuiduus comes fuit, cuius memoria ad Annum DCCCCIII. 903.

XIII. SEBASTIANVS huius nominis I. Epiſcopus Aucenſis XIII. Cuius ſeculo Comes Fernandus Gonzalez in Iudicem Caſtellæ electus fuit, Epiſcopo ſuadente, & auctorante ad Annum DCCCC. IV. 904.

XIV. DIDACVS huius nominis I. Epiſcopus Aucenſis XIV. Qui Præſulatum relinquens, habitum Ordinis S. Benedicti in Cœnobio Vallepoſitenſi recepit ad Annum DCCCC. XLVII. 947.

XV. ASSVRVS huius nominis I. Epiſcopus Aucenſis XV. Cuius memoria peruenit ad Annum Domini DCCCC. LI. 951.

XVI. SISEBVTVS huius nominis I. Epiſcopus Aucenſis XVI. fuit Benedictinus Monachus, & Abbas Cœnobij S. Æmiliani Cucullenſis, Obiit ad Annum Domini M. VIII. 1008

XVII. IVLIANVS huius nominis I. Epiſcopus Aucenſis XVII. confirmat priuilegium S. Petri Kadignenſis ad Annum M.XL. 1040

XVIII. D. GOMEZIVS huius nominis I. Epiſcopus Aucenſis XVIII. ex Abbate Cœnobiorum Karadignenſis, & Sahaguntinenſis, fundator Monaſterij Exilienſis. Interfuit Concilio Vſillenſi, vbi de Officio Gothico conſeruando actum fuit ad Annum M. XLII. 1042

XIX. D. SCEMENVS huius nominis I. Epiſcopus Aucenſis XIX. qui



qui vnà cum Najarenſi, & Alauenſi Epiſcopis Libros Gothicos Diuini Officij, quibus Eccleſia Hiſpana vtebatur Romam detulit Quibus ab Alexandro II. Pont. Max. viſis, & debita ſpeculatione perſpectis, illos Apoſtolica auctoritate probauit; quos ad ſuam Eccleſiam rediens, Aucenſem ad Oppidum Gamonal cum Sede tranſtulit, ſed Breui Apoſtolico, vt creditur, poſtea ad vrbem Burgenſem Caſtellæ caput Anno MLXXV. mutata dignoſcitur, vt conſtat ex 1075 Priuilegio Alfonſi VI. Ideo Epiſcopus iſte fuit Primus Burgenſis, & vltimus Aucenſis.

## *INCIPIT CATALOGVS EPISCOPORVM S. E. Burgenſis, ex Aucenſi Sede tranſlatæ auctoritate Vrbani II. Pontificis Max. Anno MLXXV.*

I. D. SCEMENVS huius nominis I. Epiſcopus Burgenſis I. poſtquam in hanc vrbem tranſlata eſt Eccleſia Aucenſis, interfuit Concilio Burgenſi à Richardo S. R. E. Cardinali, & in Hiſpaniarum Regnis Legato, congregato ad Annum M. LXXXV. 1085

II. D. GOMEZIVS huius nominis II. Epiſcopus Aucenſis, & Burgenſis II. plures annos ſuam Eccleſiam rexit, obiit Anno M XCVII. 1097

III. D. GARSIAS huius nominis I. Epiſcopus Burgenſis III. cognomento *Aragon*, hanc Eccleſiam rexit ad Annum M. C. XIV. 1114

IV. D. PASCHALIS huius nominis I. Epiſcopus Burgenſis IV. qui conſecrauit Eccleſiam S. Eugeniæ in Oppido Cordouilla XVIII. Kalend. Februarij Æra M.C. LVIII. Obiit Anno M C.XVIII. 1118

V. D. SCEMENIVS huius nominis II. Epiſcopus Burgenſis V. qui ſuam rexit Eccleſiam per XX. Annos, & obiit M.C. XXXVIII. 1138

VI. D. PETRVS huius nominis I. Epiſcopus Burgenſis VI. Sedem feliciter moderatus, & variis priuilegiis ſubſcribens, obiit Anno M. C. XLIX. 1149

VII. D. VICTOR huius nominis I. Epiſcopus Burgenſis VII. obiit in obſidione vrbis Cordubenſis tempore Alfonſi VII. cognomento Imperatoris Anno M. C.LX. 1160

VIII. D. PETRVS huius nominis II. Epiſcopus Burgenſis VIII. cuius nomen in pluribus inuenitur priuilegiis, obiit Anno M. C. LXXXVI. 1186

IX. D. MARTINVS huius nominis I. Epiſcopus Burgenſis IX. ſui Epiſcopatus diœceſim per XVIII. Annos rexit, & M. CC. IV. mortuus eſt. 1204

X. D. MATTHEVS huius nominis I. Epiſcopus Burgenſis X. origine Gallus, & primùm Epiſcopus Conchenſis, vbi Epiſcopales conſtruxit ædes, & alia honorifice fecit, obiit Anno M. CC. VII. Et ex Capella S. Gregorij vbi corpus iacebat, transfertur ad clauſtrum Cathedralis, in Capella, cui titulus ECCE HOMO, Anno Domini M.DC. XXI. & eius inuentum fuit corpus integrum, nec non veſtes Pontificales, ac ſi eo die tumulata omnia fuiſſent. 1207

XI. D. FERNANDVS huius nominis I. Epiſcopus Burgenſis XI. ex Regio ſemine ortus, nam fuit Alfonſi VIII. Regis Caſtellæ conſobrinus; ſuam Eccleſiam rexit feliciter, & vitam Anno M. CC. IX. exuit. 1209

XII. D. GARSIAS huius nominis II. Epiſcopus Burgenſis XII. cognomento *Contreras*, patriâ Giennenſis, obiit XVIII. Martij, Anno M. CC. XI. Eius tempore in vrbe Burgenſi Venerabilis

 P.F. Ioan-

P. F. Ioannes de Mata illuſtriſſimam Religionem SSS. Trinitatis fundauit, & Monaſterium erexit. 1211

XIII. D. MAVRITIVS huius nominis I. Epiſcopus Burgenſis XIII. origine Gallus. Iſte primum lapidem poſuit in ædificio Cathedralis Baſilicæ, quæ hodie inuiſitur, præſentibus Ferdinando Rege, & Alfonſo Infante Caſtellæ, obiit Anno Domini M. CC. XL. 1240

XIV. D. GARSIAS huius nominis III. Epiſcopus Burgenſis XIV. cuius memoria extat ad Annum M. CC. XLVI. ex donatione D. Ioannis Nuntij Cantabriæ Domini. 1246

XV. D. IOANNES huius nominis II. Epiſcopus Burgenſis XV. Archichancellarius Ferdinandi III. & eius Berengariæ Matris Regum Caſtellæ, Obiit Anno Domini. M. CC. LII. & in Cathedrali ſepultus eſt. 1252

XVI. D. APPARICIVS huius nominis I. Epiſcopus Burgenſie XVI. qui Eccleſiam ſuam rexit ſumma pace, & Anno M. CC. LXIII. vitam exuit, & ſepelitur in Annuntiationis Capella Cathedralis Eccleſiæ. 1263

XVII. D. MATTHEVS huius nominis II. Epiſcopus Burgenſis XVII. gubernauit ſuam diœceſim ad Diem XVII. Octobris Anno M. CC. LXV. 1265

XVIII. D. MARTINVS huius nominis II. Epiſcopus Burgenſis XVIII. cognomento *Gonzalez de Contreras*, obiit Anno M. CC. LXX. III. 1273

XIX. D. IOANNES huius nominis III. Epiſcopus Burgenſis XIX. cognomento *Villahoz*, in Sede duos Annos conſumpſit, & obiit Anno M. CC. LXXV. cuius obitu ſeptem vacauit infula. 1275

XX. D. GVNDISALVVS huius nominis I. Epiſcopus Burgenſis XX. cognomento *Garcia de Gudiel*, patriâ Toletanus, S. R. E. Cardinalis, qui ex Canonico Burgenſi, & Archidiacono Toletano Sedem Conchenſem primùm obtinuit, obiit Romæ Anno M. CC. LXXXVIII. & ſepelitur in Baſilica S. Mariæ Maioris, & tandem ad Toletanam transfertur. 1288

XXI. D. F. FERNANDVS huius nominis II. Epiſcopus Burgenſis XXI. cognomento *Couarruuias*, ex ordine Minorum alumnus, cuius famulatum Nicolaus III. Pont. Max. gratificari deſiderans, ei de hoc Præſulatu prouiſit; tandem obiit Anno M. CC. XCIX. 1299

XXII. D. PETRVS huius nominis III. Epiſcopus Burgenſis XXII. cognomento *Gutierrez Quixada*, S. R. E. Cardinalis, Sabinenſis Epiſcopus, interfuit electionibus Benedicti X. & Clementis V. Pont. Rom. Obij Auinione Anno M. CCC XI. licet alibi aliud dicatur. 1311

XXIII. D. GVNDISALVVS huius nominis II. Epiſcopus Burgenſis XXIII. cognomento *Hinojoſa*, fuit electus ad transferenda ſacra SS. Victoriæ, & Cæſarinæ Virginum & Martyrum ſociarum XI M. lipſana ex Colonia Burgim, decreto Sanctij IV. Caſtellæ Regis. Obiit Anno M. CCC. XIX. 1319

XXIV. D. GARSIAS huius nominis IV. Epiſcopus Burgenſis XXIV. cognomento *Torres*, in eius Baſilica baptizauit Petrum Caſtellæ Regem, cuius Magiſter fuit. E viuis Anno M. CCC. XXXV. ſublatus eſt. 1335

XXV. D. IOANNES huius nominis IV. Epiſcopus Burgenſis XXV. cognomento *de los Roëles*, hic fuit vnus ex Oratoribus ad Regem Galliæ pro obtinendâ in vxorem Regis Petri Blanca è Borboniæ ſtirpe. Obiit Anno M. CCC. LIX. 1359

XXVI. D. LVPVS huius nominis I. Epiſcopus Burgenſis XXVI. cognomento *Fonſeca*, ex Canonico, & Archidiacono Burgenſi, obiit Anno



Anno M. CCC. LXVIII. & ſepultus iacet in Capella S. Gregorij. 1368

XXVII. D. FERNANDVS huius nominis III. Epiſcopus Burgenſis XXVII. cognomento *de Vargas*, patriâ Madridenſis, Obiit Anno M. CCC. LXXVII. 1377

XXVIII. D. DOMINICVS huius nominis I. Epiſcopus Burgenſis XXVIII. cognomento *de Arroyuelo*, ex Canonico Burgenſi à ſemetipſo electus. Nam cùm inter electores maxima verſaretur diſcordia, inter partes conuentum eſt, quòd ille Epiſcopus proclamaretur, cuius *Dominicus de Arroyuelo* nomen exprimeret. Ipſe ne partibus aliqua iniuria exoriretur, ſemet ipſum Epiſcopum nominauit, quâ electione, à partibus probata, Auinionem proficiſcitur, & electionis confirmationem à Gregorio XI. Pont. Max. obtinuit. Obiit Anno M. CCC. LXXXV. 1385

XXIX. D. IOANNES huius nominis V. Epiſcopus Burgenſis XXIX. cognomento *Garcia Manrrique*, ex Canonico, & Archidiacono Talabricenſi in S. E. Toletana, & Calatrauenſi Archidiacono, Epiſcopus Aunienſis, poſt Seguntinus, deinde Burgenſis, & tandem Compoſtellanus. Eccleſiam Burgenſem rexit per Duos Annos, ad M. CCC. LXXVII. 1387

XXX. D. GVNDISALVVS huius nominis III. Epiſcopus Burgenſis XXX. cognomento *Vargas*, patriâ Toletanus, ex Sede Calagurritana ad hanc tranſlatus in qua per Quinque annos vixit, ad M. CCC. XCII. quô ad Hiſpalenſem Metropolim defertur, obiit Anno M. CCCC. poſtquam Hiſpali celebre Sanctitatis Monaſterium Carthuſianorum *de las Cuevas*, conſtruxit. 1392

XXXI. D. IOANNES huius nominis VI. Epiſcopus Burgenſis XXXI. cognomento *Villacreces*, ex Cancellario Catherinæ Caſtellæ Reginæ Epiſcopus Calagurritanus, poſt Burgenſis, obiit Anno M. CCCC. III. & in Cathedrali Baſilica apud Capellam S. Iacobi ſepultus iacet. 1403

XXXII. D. IOANNES huius nominis VII. Epiſcopus Burgenſis XXXII. cognomento *Cabeza de Vaca*, ex Epiſcopo Conchenſi ad hanc Sedem promotus, vixit ad Annum M. CCCC. XII. vt conſtat ex Sarcophagi epitaphio.

D.D. IOANNES CABEZA DEBACA. PRIMVM. 1412
CONCHENSIS. DEINDE. VI. ANN. BVRGENSIS.
EPISCOPVS. MIGRAVIT AD DOMINVM.
ANNO. M. CCCC. XII.

1412

XXXIII. D. ALPHONSVS huius nominis I. Epiſcopus Burgenſis XXXIII. cognomento *Illeſcas*, ex Epiſcopo Zamorenſi, fuit familiaris D. Petri Tenorio Archiepiſcopi Toletani, obiit Anno M. CCCC XIV. eius ſepulchrum abſque inſcriptione viſitur in Capella S. Luciæ, S. E. Burgenſis. 1414

XXXIV. D. PAVLVS huius nominis I. Epiſcopus Burgenſis XXXIV. cognomento *De Sancta Maria*, natione Iudæus, qui ad Catholicam conuerſus fidem, illuſtre fuit in Eccleſia Dei luminare, nam literis, & ſanctitate inſignis, ſupra candelabrum S. E. Carthaginenſis primùm meruit collocari, poſt ad Sedem Burgenſem transferri. Obiit Anno M. CCCC. XXXV. & in Monaſterio Prædicatorum S. Pauli cum hac inſcriptione iacet ſepultus. 1435

*HIC QVIESCIT CORPVS R. P. D. Pauli Miſeratione Diuina Epiſcopi* Burgenſis, *Magiſtri in Theologia, Archicancellarij, & Conſiliarij Sereniſſ. D. N. Regis* Ioannis *huius nominis II. Qui vener. Pontifex hanc Eccleſiam cum Sacriſtia, & Capitulo, ſuis ſumptibus ædificauit. Additiones ad Poſtillam M.* Nicolai de Lyra, *& Liber, qui dicitur* Scrutinium Scripturarum, *ad fidelium eruditionem, & infidelium impugnationem compoſuit. Et poſt hæc, & multa alia opera, liberatus de corpore mortis huius, profectus eſt ad Omnipotentem Deum Senex, & plenus dierum* XXIX. *Auguſti, Anno Domini* M. CCCC. XXXV. *Ætatis ſuæ* LXXXIII. *Clementia Diuina illum in gloria ſua collocare dignetur. Amen.*

XXXV. D. ALPHONSVS huius nominis II. Epiſcopus Burgenſis XXXV. cognomento *de Cartagena*, inſignis Iuriſperitus, & Theologus, Chronographus Regius, Compoſtellanæ Eccleſiæ Decanus. Interfuit Concilio Baſilienſi tanquam Regis Caſtellæ Legatus, cuius eruditione Concilium declarauit, Reges Caſtellæ præficiendos, & eius Oratores, Legatis Angliæ Regum in omnibus Summi Pontificis publicis actibus: & Reges Portugalliæ condemnauit in prætenſione adquiſitionis Inſularum Canariæ, quas Regibus Hiſpaniæ, ſcilicet Caſtellæ adiudicauit. Plura alia inſignia fecit, tùm Germaniæ, tùm Poloniæ, vt Legatus Caſtellæ Regis. Multa ſcripſit eruditione plena, quæ *Ferdinandus Perez de Guzman* eius ſeruus refert in *Valer. Hiſtor. lib. 8. tit. 6. c. 9.* Obiit apud Villam-Sandinum XII. Iulij, Anno M. CCCC. LV. 1455

XXXVI. D. LVDOVICVS huius nominis I. Epiſcopus Burgenſis XXXVI. cognomento *Oſſorio de Acuña*, Canonicus & Diaconus Legionenſis, Archidiaconus Palentinus, Abbas Carrazetenſis, & Valleſoletanus, & huius Cancellariæ Præſes, hinc Epiſcopus Lucenſis in Gallæcia, poſt Segobienſis, deinde Giennenſis, ac denique Burgenſis. Obiit XVI. Septembris, Anno M. CCCC. XCV. 1495

XXXVII. D. F. PASCHALIS huius nominis II. Epiſcopus Burgenſis XXXVII. cognomento *de la Fuenſanta.* ex ordine Prædicatorum alumnus, interfuit Concilio Lateranenſi ſub Iulio II. Pont. Max. Obiit Romæ Anno M. D. XII. & in Conuentu S. Mariæ ſuper Mineruam tumulatus cum hac epigraphe quieſcit. 1512

PASCHASIO



PASCHASIO HISPANO BVRGENSI EPISCOPO QVI EX PRÆDICATORVM ORDINE. DOCTRINA. VIRTVTIBVS EVECTVS. AMPLISSIMIS REDITIBVS. XV. ANNIS PIE DISPENSATIS. AD LATERANENSEM SYNODVM SVB IVLIO II. PONT. MAX. ASCITVS. VITA FVNCTVS EST. CHRISTI PAVPER INTER COMPAVPERES MORTVVS. ALIENIS SVMPTIB. TVMVLATVS. SERVITORES DOMINO POSVERE.
XIX. IVLII ANN. M. DXII.
VIXIT ANNOS LXX.

XXXVIII. D. IOANNES huius nominis VIII. Epiſcopus Burgenſis XXXVIII. cognomento *Rodriquez de Fonſeca*, ex Archidiacono Vlmetenſi, Abbate S. Zoili Carrionenſis, & Parracenſi, Epiſcopus Pacenſis, Cordubenſis, Palentinus & Burgenſis, cùm primùm fuiſſet Archiepiſcopus Roſanenſis, & Præſes Conſilij Regij Indiarum. Obiit XIV. Martij Anno M. D. XXIV. 1524

XXXIX. D. ANTONIVS huius nominis I. Epiſcopus Burgenſis XXXIX. cognomento *de Roxas*, ex Magiſtro Fernandi Infantis Caſtellæ, poſtea Romanorum Imperatoris Epiſcopus Maioricenſis, Archiepiſcopus Granatenſis, Caſtellæ Præſes, Indiarum Patriarcha I. Obiit Anno M. D. XXVI. 1526

XL. D. ENECO huius nominis I. Epiſcopus Burgenſis XL. cognomento *Lopez de Mendoza, & Zuñiga*, ex Epiſcopo Caurienſi, poſtea S. R. E. Cardinalitio galero à Clemente VII. Pont. Max. donatus, Obiit Romæ IX. Iunij, Anno M. D. XXXVIII. & ad Monaſterium Vitenſe tranſlatus. 1538

XLI. D. F. IOANNES huius nominis IX. Epiſcopus Burgenſis XLI. cognomento *Toledo*, ex Prædicatorum ordine procedens Cordubenſis Antiſtes, qui à Paulo III. Pont. Maximo rubrum S. R. E. galerum accepit, & poſtea ad Apoſtolicam Metropolitanam S. E. Compoſtellanæ infulam Anno M. D. LI. tranſlatus eſt. Fuit Epiſcopus Tuſculanus, & interfuit Romæ electionibus Marcelli II. & Pauli IV. Pontif. Maximor. cuius conſilio Romæ Congregatio S. Inquiſitionis ab ipſo Paulo erecta eſt. Obiit XVII. Kalend. Octobr. Anno M. D. LVII. 1551

XLII. D. FRANCISCVS huius nominis I. Epiſcopus Burgenſis XLII. cognomento *Mendoza, & Bobadilla*, ex Priore Arochenſi, Scholaſtico Salmantino, Archidiacono Toletano, Epiſcopus Caurienſis, deinde Burgenſis, S. R. E. Cardinalis, interfuit electioni Iulij III. Pont. Max. Fuit Gubernator vrbis Senenſis in Italia, obiit Kalendas Decembris Anno M. D. LXVI. 1566

*Hic finis Epiſcoporum* Burgenſium, *nam inſtante* Philippo II. *Rege Hiſpaniarum Catholico*, Gregorius XIII. *Pont. Max. Die XXII. Octobris Anno M. D. LXXIV. hanc Sedem* Burgenſem *in* Metropolitanam *erexit, cuius ſuffragio Epiſcopos* Pampilonenſem *in Regno Nauarræ, &* Calagurritanum *in Riogenſi Prouincia ſubiecit. Hinc origo Archiepiſcoporum* Burgenſium, *qui vrbem, diœceſim & populum ſibi commiſſum doctrinis paſcunt, & eleemoſynis vberrimè fouent. Quorum primus Antiſtes fuit.*

I. D. FRANCISCVS huius nominis II. Archiepiſcopus Burgenſis I. cognomento *Pacheco, ex Toledo*, Archidiaconus Camazenſis, & Canonicus Ciuitatenſis, & Toletanus, S. R. E. Cardinalis, & Hiſpaniarum Protector, nec non ex Generali Congregatione S. Inquiſitionis Romanæ Auditor. Apud vrbem ſuam XXIII. Auguſti, Anno M. D. LXXIX. vitam exuit. 1579

II. D. CHRISTOPHORVS huius nominis I. Archiepiſcopus Burgenſis

genſis II. cognomento *Vela*, ex Archidiacono, & Canonico Abulenſi, Epiſcopus Canarienſis, poſtea ad hanc Metropolitanam tranſlatus, cuius Pallium à D. Paulo de Mendoza Palentino Epiſcopo accepit in Monaſterio S. Ieronymi Valleſoletano, obiit Anno M. D.XCIX. 1599

III. D. ANTONIVS huius nominis II. Archiepiſcopus Burgenſis III. cognomento *Zapata*, ex Canonico Toletano, ipſius Tribunalis Inquiſitor, & Conchenſis, poſt Epiſcopus Gaditanus, deinde Pampilonenſis, ac demùm Burgenſis, quo electus fuit S. R. E. Cardinalis à Clemente VIII. Pont. Max. & Romam pergens interfuit electionibus Pauli V. & Gregorij XV. & Neapolim concedens Pro-Regis munus exercuit, quo finito Hiſpaniam repedans Supremi Generalis Inquiſitionis Conſilij Præſes renuntiatus Obiit Madridij XXIII. Aprilis Anno M. DC. XXXV. cùm Archiepiſcopatum renuntiaſſet Anno M.DC.III. 1603

IV. D. ALFONSVS huius nominis IV. Archiepiſcopus Burgenſis cognomine *Manrrique*, patriâ Placentinus in Vettonia, ex ordine Alcantarenſis Eques, Canonicus Magiſtralis Placentinus; Romam pergens, Philippi III. Regis Catholici negotia grauiſſima peregit. Ad ſuam reuerſus Sedem, Seminarium ex S. C. Tridentini decreto ſumptuoſum erexit. Pauper obiit diſpenſatis inter pauperes reditibus Anno M. DC. XIII. 1613

V. D. FERNANDVS huius nominis IV. Archiepiſcopus Burgenſis V. cognomento *Acebedo*, ex Ordine Canonicorum Regularium S. Iacobi, Regius Capellanus, Canonicus Legionenſis, & Toletanus, Inquiſitor Hiſpalenſis, & in ſupremo S. G. Inquiſitionis ſenatu Conſiliarius, pòſt Epiſcopus Oxomenſis, deinde Burgenſis Metropolita, Caſtellæ Præſes, Obiit Anno M.DC. XXX. 1630

VI. D. F. IOSEPH, huius nominis I. Archiepiſcopus Burgenſis VI. cognomento *Gonzalez*, ex Ordine Prædicatorum alumnus, qui propter eius continuas ægritudines ex Archiepiſcopatu Compoſtellano ad Burgenſem tranſlatus tantùm LXI. dies in illo vixit, & XXVIII. Martij Anno M. DC. XXXI. diem clauſit extremum. 1631

VII. D. FERNANDVS huius nominis V. Archiepiſcopus Burgenſis VII. cognomento *Sotomayor*, ex Canonico Palentino, & Archidiacono Carrionenſi, Canonico Hiſpalenſi, & Archidiacono Aſtigitano, Inquiſitor Hiſpalenſis, poſt Epiſcopus Palentinus, deinde Burgenſis Archipræſul, & demùm Compoſtellanus, ac Nauarræ Pro-Rex. Ex hoc Burgenſi ad Compoſtellanum tranſlatus fuit Anno M. DC. XLIV. cùm primum fuiſſet Epiſcopus Seguntinus. 1644 Obiit Anno M. DC. LV.

VIII. D. FRANCISCVS huius nominis III. Archiepiſcopus Burgenſis VIII. cognomento *Manſo, & Zuñiga*, ex Canonico Calagurritano, Archidiaconus Alauenſis, Granatenſis Cancellariæ Auditor, Rationum Regiarum Conſiliarius, & in Supremo Indiarum Senator, poſt Archiepiſcopus Mexicanus in Noua Hiſpania, deinde Epiſcopus Carthaginenſis in Hiſpania, & demùm Burgenſis Metropolita. Obiit Anno M. DC. LIV. 1654

Horum Burgenſium Præſulum, & Archipræſulum Catalogum ex variis Scriptorum ſchedis, & Regum priuilegiis deſumptum Hiſpano ſermone congeſſit M. Ægidius Gonzalez Regius Chronographus Tom. 3. Theatr. Eccleſ. à fol. 57. & ſequentib. Qui huius S. E. deſcriptionem, & diœceſis mirifice conſcripſit. Reliquiarum in ea ſeruatarum elenchum conſignauimus ſupr. Tom. 2. Die IX. April. lit. B. fol. 552.

DVODECIMO



# DVODECIMO Kal. Auguſti. DIES XXI.

A. CORDVBÆ *in Bætica* S. FELICIANI *Martyris Hiſpani, qui ſæuiente Neronis Imperatoris perſecutionis procellâ, crudelibus dilaceratus ſuppliciis pro fide, conſtanter ad glorioſum martyrij trophæum, ſine mora, peruenit.*

B. MASSILIÆ *in Gallia* S. VICTORIS *Militis, qui cùm ſago depoſito, fidei clamydem indueret, à Maximiano comprehenſus, quia Idolis ſacrificare renuebat, & Aſterio iudici traditus, tandiu tormentorum eſt flagra virili ſpiritu expertus, quouſque ſucciſſô capite, cum Alexandro, Longino, & Feliciano ſociis agonem compleuit. Quorum corpora iuſſu Cæſaris in pelago proiecta, Angelis miniſtrantibus, Victoris, & Alexandri Flauiobrigam ad Oram Occeani Cantabrici in Hiſpania peruenere; Longini & Feliciani ad oppoſitum littus natantia deuenere, vbi à Chriſtianis ſepulta ad eius tumulum innumera Deus patrat miraculorum inſignia.*

C. MAIORICÆ *in Balearibus Hiſpaniæ Inſulis, Depoſitio ſacrarum* B. PRAXEDIS *Virginis, exuuiarum, quæ corpore, & animo caſta; & doctrinæ apicibus erudita, ſic vitam contemplationi contexuit, ſic orationi, & vigiliis vacauit, vt ad coronam pulchritudinis ſuaui dormitione pertingeret. Cuius Corpus Maioricam delatum, & honorificè collocatum, ſummo Inſulanorum cultu recolitur.*

# NOTÆ.

A. SANCTVS FELICIANVS *Martyr Cordubenſis.* ] Huius ſanctiſſimi Martyris officium olim *S. E. Cordubenſis* recitabat ritu ſolemni ob eius apud vrbem illam *Patriciam* agonem, ſed aliquorum Scriptorum ignoratione palæſtræ, in dubium iſthæc fuit reuocata feſtiuitas, ita vt in poſterum ceſſaſſet ſolemnitas, quæ traditioni *S. E. Cordubenſis* innixa, locum eccleſiaſtico præbebat officio. Sed iam temporum reuolutione, huius S. Martyris memoria reuiuiſcit, vt *Cordubenſibus* reſtituatur honor, quem aliquorum Scriptorum dubitatione perdiderat. Hinc Petrus Galeſinius in ſuo *Martyrolog. h. d.* ſequens elogium adnectit: *Cordubæ in Hiſpania* S. FELICIANI *Martyris.* Conueniunt *Alexand. de Peregrinis, Maurolycus, Bellinus*, & aliqui ex recentioribus. Expreſſis vrbis *Iulianus* Archipreſbyter Toletanus in *Aduerſ. n.* 106. *fol.* 28. hac ſerie: *Celebris habetur memoria per Hiſpanias* S. FELICIANI *Martyris*, CORDVBÆ *paſſi*, XII. *Kalend. Auguſti, ſub Neronis imperio.* De eo P. Martinus de Roa *Hiſtor. SS. Cordubenſ. Die III. Septembr. fol.* 139. ita profatur agens de aliquibus Sanctis Cordubenſibus, quorum Acta periere: *Eundem euentum habuere res geſtæ* S. FELICIANI *Martyris, cuius memoriam recolit Petrus Galeſinius Die XXI. Iulij, qui in Notationibus aſſerit, Vſuardum, & Adonem in ſuis Martyrologiis, & in aliquibus Codicibus MSS. huius S. Martyris meminiſſe.* In MS. Legendario *Aſturicenſi*, eius licet breuiſſima ACTA habentur, hac ſerie.

*Martyrologia.*

*Scriptores.*

## *ACTA S. FELICIANI MARTYRIS Cordubenſis, ex Legendario MS. Aſturicenſi.*

*Patria.*

INCIPIT *paſſio Sanctiſſimi Martyris* FELICIANI *qui paſſus eſt in Ciuitate* CORDVBA *in* Hiſpania *Vlteriori* XII. Kalend. Iulij, *Iunio & Silio* COSS. *Erat enim iſte vir beatus, ex eadem ciuitate oriundus, &* L. Annæi Senecæ *familiaris, cuius contubernium cùm Romæ ſequeretur, Chriſti Apoſtolis adhæſit, & eorum doctrinam audiuit. Poſt modum verò cognitâ aduerſus Chriſtianos perſecutione, quâ eos reos incendij Vrbis temeritas efficiebat, è Roma fugiens, patriam repedauit. Sed quid valet ſubterfugium, quando Dei miſericordia præcedit. Igitur patriam ingreſſus, iam edicta aduerſus Chriſtianos* Cordubæ *publicè legebantur, ita vt protinus ad Iudicis Tribunal Beatus Martyr duceretur, qui cum idolis ſacrificia offerre noluiſſet, poſt verbera, & carceres, abſciſſis ceruicibus, Creatori ſpiritum reddidit, Præſtante D. N. Ieſu-Chriſto; qui cum Patre, & Spiritu Sancto viuit & regnat per infinita ſeculorum ſecula, Amen.*

*Romam pergit.*

*Patriam repedat.*

*Coronatur.*

*Annus perſecutionis & agonis.*

Annus paſſionis, ſi Conſulum faſtos percurrimus, incidit ad XI. Neronis, Pontificatus S. Petri XXIII. & Chriſti LXVII. quo Appius Iunius, & P. Silius Conſulatum geſſere, vt inquit Plin. *lib.* 8. *c.* 40. & notauit Cæſ. Baron. *Annal. Eccleſ. Tom.* 1. *Ann.* 67. *n.* 1. Qui etiam ex Sulpicio Seuer. *Hiſtor. Sacr. lib.* 2. refert qualiter à *Nerone* perſecutio excitata fuiſſet aduerſus Chriſtianos, datis ab ipſo publice edictis, ita vt vereretur Religio, nec palam eſſe Chriſtianum liceret. Nec Romæ tantùm hæc edicta lata, ſed etiam in omnibus Prouinciis Romano Imperio ſubiectis vt Auctor eſt Suetonius Tranquil. in *Neron. c.* 16. vbi Ioſeph. Scalig. *fol.* 571. Et maximè in *Hiſpania* in cuius terminis Fides Chriſti felici auſpicio vigebat, vt inquit Tertullian. *Aduerſ. Iudæos. num.* 41. vbi Iacob. Pamell. *fol.* 107. *n.* 41.

*Hiſpania tempore Neronis tota Chriſtiana.*

*Dextri locus obſcurus elucidatur.*

B. SANCTVS VICTOR *& Socij Martyres Maſſilienſes.* ] Vt horum Sanctorum exuuiarum aduentum in *Hiſpaniam* probemus, primùm Flauij Dextri locus obſcurus in *Chron. Ann.* 185. examinandus eſt, vbi hæc verba compaginat: *Flauiobrigæ*

in



*in Hiſpania* S. VICTOR *Martyr, & Socij eius, qui varia excruciamenta paſſi necati ſunt.* P. Franciſcus Biuar. *in Not. num.* 3. *fol* 260. credidit *Dextrum* illo loco locutum de SS. VICTORE, & Sociis, quorum dies feſtus agitur in Martyrologio Romano *die XVII. Octobris.* Sed proculdubio toto cœlo aberrauit *Biuarius*, nam SS. VICTOR, & Socij quorum memoria eſt in *Martyrologiis Romano*, & recentioribus, longe diuerſi ſunt ab illis, quos Dexter *d. Ann.* 185. compulſauit. Patet quia VICTOR ille, de quo *die XVII. Octobris* Epiſcopus erat, vt ipſe *Biuarius* ex Petro de Natal. *in Catal. SS. lib.* 11. *c.* 130. *n.* 293. his verbis fatetur: VICTOR *Epiſcopus, Alexander, & Marinus Martyres, ipſo die* (id eſt XVII. Octobris) *paſſi ſunt.* Ergo diuerſi ab illis, quorum *Dexter* meminit, cùm conſtet ex eius contextura, omnes à ſe propoſitos fuiſſe ſeculares, & quos ſubiungit *Equilinus*, alium *Epiſcopum*, in quo diuerſitas reperitur. SECVNDO error *Biuarij* detegitur, ex temporum diſtantia; nam quos *Dexter* recenſet ad *Annum Domini* CLXXXV. tempore Imperij *Commodi* agonizaſſe; quos verò *Equilinus*, & *Martyrologia*, die XVII. *Octobris*, tempore *Sarracenorum Hiſpanias* moderantium, *Anno* DCC. XLIII. occubuiſſe conſtat. Hoc probat *Iulianus* Archipreſbyter Toletanus in *Chron. Ann.* 743. *n.* 382. *fol.* 93. ſi locus reſtituatur in *Kalendis*, ſic: *Aliquanto prius, ſcilicet* XVI. Kalend. Nouembris *Beatiæ, quæ* Baeza *dicitur* S. VICTOR *Epiſcopus Braccarenſis* (lege Baëcenſis) *Alexander, & Mutianus conciues.* Egerat Iulianus *num.* 381. antecedenti, de morte *S. Verani Epiſcopi Tarraconenſis*, à Mauris à Sede expulſi, cuius tranſitum adſignauit *Die XIX. Octobris Anno* DCC. XLIII. & tunc *n.* 382. proſequitur: *Aliquanto prius*; Et hanc ſententiam tuentur D. Roder. de Acuña *Hiſtor. Braccar.* 1. *p c.* 101. *fol.* 425. Mag. Rus-Puerta *Hiſtor. Giennenſ.* 1. *p. ſecul* 8. *c.* 2. *n.* 1. *fol.* 219. P. Franciſcus Vilches *Hiſtor. Beacienſ.* 1. *p. c.* 33. *fol.* 85. Ex quibus error *Biuarij* liquido pateſcit.

*Biuarij lapſus.*

*Probatur I.*

*Probatur II.*

*Carmen, quo Dextri locus illuſtratur.*

HINC verum Dextri *d. Ann.* 185. *n.* 3. ſenſum ediſcere cupientes, in vetuſtum Epigramma incidimus inter Carmina MS. *Auli Hali*, ad S. VICTOREM Martyrem, & Socios *Maſſilienſes*, hac ſerie:

*Pignora ſacra tua emiſit* Maſſilia, VICTOR,  
Heſperiæ *plagis, quæ* Cantabra *terra recepit:*  
*Hiſque diù fruitur, ſed tandem tempore Gothus*  
*Sequenti partem* Recaredus *reddidit vltrò:*  
*Quâ, tantis frueris,* Maſſilia *prouida, ſignis.*

Cuius *Epigrammatis* auctoritate ſuffulti, *Flauij Dextri* ſenſum penetrantes, clariſſimum Virum dixiſſe credimus, quod Corpora SS. VICTORIS, & Sociorum Martyrum *Maſſilienſum* apud *Flauiobrigam Cantabriæ*, Angelo ducente, deueniſſe, & ibidem tumulata, fuiſſe honorificè culta, & ſic locus legendus erit: *Flauiobrigæ in Hiſpania* (ſepeliuntur, & coluntur) S. VICTOR *& Socij eius, qui varia excruciamenta paſſi, necati ſunt.* Nec his contradicunt ACTA, quin potius, *Epigrammatario* fauent, cùm in ipſis dicatur, apud Equilinum in *Catalog. SS. lib.* 6. *c.* 122. agens de SS. Corporum ſucceſſu: CORPORA *verò SS. Martyrum iuſſu Cæſaris in pelago proiecta, Angelis miniſtrantibus, ad* OPPOSITVM LITVS *enatantia deducta ſunt, & à Chriſtianis ſepulta.* Sed quale OPPOSITVM LITVS niſi *Hiſpanum*? Nam ſi ad eandem Maſſiliæ litoris oram pignora reuerterentur ſacra, exprimerent ACTA, hoc non faciunt, imò OPPOSITVM LITVS conſignant, igitur SS. Martyrum lipſana *Hiſpaniæ* littora ſuſcepere; & hæc etiam dixiſſe conſtat Carmen:

*Actorum verba probantur.*

*Pignora ſacra tua emiſit* Maſſilia, VICTOR,  
Heſperiæ *plagis, quæ* Cantabra *terra recepit.*

*Cantabricum littus, oppoſitum Maſſiliæ.*

Vbi in *Carm.* 2. *Heſperiæ plagis*, fortè legendum: *Heſperiæ ad plagas.* Nec obſtat, quod Mare *Cantabricum*, plurimùm diſſitum ſit à *Mari Gallico*, quia in hoc ſtat ſenſus ACTORVM, in quibus OPPOSITVM LITVS intelligitur de *Cantabrico*, quod

in oppoſitum litoris *Maßilienſis* conſpicitur, vt ex *Tabulis Geographicis* tam antiquis, quàm recentioribus conſpicitur. Hoc fortè irretitus nodo Andreas Sauſſayus *Tom.* I. *Martyrolog. Gallican.h.d.fol.*450. totam de hac Tranſlatione Corporum ſacrorum ecphraſim omiſit, hac ſolâ relatione contentus : MASSILIÆ, *triumphus* S. VICTORIS *Martyris, & Sociorum eius quatuor*, Alexandri, Feliciani, Longini, & Deutherij, *qui ſtrenui re verâ milites, fortiſſimè pro fide, Chriſtique ſummi Regis gloriâ dimicando, coronas immarceſſibilis honoris, furente Maximiano receperunt. Horum coriphæus* VICTOR, *iam ipſius nominis, omine auſpicato, triumphans, cùm nec ſub impio duce militare, nec prophana vellet numina venerari, primò in tenebricoſum carcerem coniectus, ibique ab Angelo viſitatus, deinde variis cruciamentis impetitus, nouiſſimè verò, nouo, atrocique addictus ſupplicio, in mola contritus piſtoria, illuſtriſſimum martyrium peregit.* Ioannes Bachor. in *Faſt. Chriſtian. h. d. fol.* 534. ſic de Martyris conſtantia loquitur.

*Tundite, carnifices, artus pietate liquentes*
*Vndique: de veſtris vncia ne vna fluat?*

Et proſequitur in *Notula* ad calcem Dyſtichi: *Ex omnibus carnificibus, & Eccleſiæ perſecutoribus non exprimeretur vna vncia pietatis, & humanitatis, ſi in vno mortario premerentur: ſed ex* S. VICTORE *in molâ piſtoriâ contrito, multùm fidei, conſtantiæ, & religionis extundebatur, victore ſcilicet & intacto remanente animo.*

*Obiectioni tacitæ reſpondetur.*

NEC omnibus ſupra à nobis recenſitis obſtat auctoritas Gregorij Turonenſis de *Glor. Martyrum c.* 77. ex qua probatur ſuo tempore apud *Maßiliam* ineſſe Sepulchrum S. VICTORIS miraculis clarum: Quia vt ex ſupra relato *Epigrammate* liquet, *Partem* ſacrorum pignorum S. VICTORIS reſtitutam à *Recaredo* Gothorum Rege Catholico, *Maßilienſibus*, illo ſeculo ſuæ ditioni ſubiectis, fuiſſe, quâ parte ditati innumera beneficia recepere; en carmina:

*Hiſque diu fruitur: ſed tandem tempore Gothus*
*Sequenti* PARTEM *Recaredus reddidit vltrò:*
*Quâ, tantis frueris (Maßilia prouida) ſignis.*

Et optime cùm *S. Gregorius* poſt *Recaredum* vixerit, aut ſaltim eo illo tempore, vt ex *Chronicis* liquido perſpicitur, & notarunt Philippus Ferrar. in *Catalog. General. SS. Die XVII. Nouembr. fol.*448. qui aſſerunt perueniſſe ad Annum DC. & amplius.

*Martyrologia.*

QVIBVS ſic prælibatis ad elogia venio. Horum SS. Martyrum memoriam recolunt *Beda*, *Ado*, & cæteri recentiores, ab illis Martyrolog. Romanum *Baronij* hac ſerie: *Maßiliæ natalis* S. VICTORIS, *qui cum eſſet miles, & nec militare, nec idolis ſacrificare vellet, primò in carcerem truſus, ibique ab Angelo viſitatus, deinde variis cruciatibus punitus, nouiſſime contritus in molâ piſtoriâ martyrium conſummauit. Paßi ſunt cum eo, & Tres Milites*, ALEXANDER, FELICIANVS, & LONGINVS. Conueniunt Martyrologia Caſtellanum *P. Vaſq* Luſitanum *P. Lup.* & Italum *Conſtant. Felic.* Eorum ACTA metro conſcripta in *Vaticana Bibliotheca* ſe inueniſſe fatetur Baron. in *Not. lit. C.* carmenque *Fortunati* de S Martyre refert. Illa etiam ſoluto ſermone deſcripſit Petrus de Natalibus in *Catalog. SS. lib.*6. *c.* 122. quæ appoſitis apponendis dabimus.

## *ACTA SS. VICTORIS, ALEXANDRI, Feliciani, Longini, & Deutherij Martyrum Maßilienſium in Gallia ex Dextro, Equilino, & aliis.*

*Comprehenditur.*

VICTOR *Martyr cum Sociis ſuis ſub* Commodo *Cæſare in Ciuitate* Maſſilia *paſſus eſt. Nam cùm quidam Maximinus Imperatoris decreto* Maſſiliam





*aduerſus Chriſtianos, datâ operâ, deueniſſet,* VICTOREM*que Militem, eidem de Chriſtianitate delatum comprehenderet, eundem ſub carceris cuſtodia iuſsit conſtringere, donec vellet Deorum numina venerari. Quem, cùm poſt tempus, ſacrificare nolentem inſpiceret, funibus per totam vrbem diſtractum, cuidam Aſterio Præfecto puniendum tradidit. Qui ipſum dudùm in patibulo afflictum, iterum in carcerem trudi iuſsit. Hic* S. VICTOR *cæleſti lumine, & Angelicâ viſitatione confortatus, ad maiora ſuſtinenda certamina ſpiritum exacuit inuictum. Cæleſtis igitur huius ſalutationis ſucceſſum, cùm* ALEXANDER, LONGINVS, & FELICIANVS *Milites* S. VICTOREM *cuſtodientes, vidiſſent, cordis contritione commoti, & viſibilis lucis ſplendoribus rapti, ſtatim ad Chriſtum conuerſi ſunt. Quorum cùm ad Iudicem conſtans fidei confeßio perlata ſonuiſſet, illos extemplò, in eorum Chriſti acclamatione decollari mandauit.*

*Torquetur.*

*Cuſtodes conuertuntur.*

*Coronatur.*

PRÆFECTVS *verò* VICTOREM *equuleo ſuſpenſum, & fuſtibus, ac neruis cæſum, iterùm in cuſtodia repoſuit, vbi fætoris, & caliginis continuatione ineſcatus, plurimùm afflictationis ſuſtinuit. Sed poſt triduum inde eductus, cùm ſtatuam Iouis ſibi oblatam, vt ei thura incenderet, pede, fidei zelo incenſus, euerteret, pes illi ſtatim, & abſque mora præſcinditur. Arſit Gentilium furor ſacrilegus, aduerſus Martyris conſtantiam, & ideo molæ molendini ſuppoſitus, diù crudeliter conteritur. Verùm poſt paululum machina ipſa diuinitus dißipata, dum adhuc Martyr Domini aliquantulum palpitaret, gladio cædente verè victor, ac triumphator efficitur, & ſpiritum Creatori ſuo emittens, in cælos victor, & coronatus adſcendit* XII. Kalendas Auguſti, *Anno Domini* C. LXXXV. *Eodem enim inſtanti vox de cælo audita eſt, eius victoriam inſinuans, & dicens:* Viciſti VICTOR Beate.

*Pluries torquetur.*

*Coronatur.*

CORPORA *verò* SS *Martyrum, iuſſu Præfecti in pelago proiecta, Angelis miniſtrantibus, ad oppoſitum littus* Cantabricum *enatantia deuecta ſunt, & à Chriſtianis apud* Flauiobrigam *ſepulta. Ad quorum tumulum, dùm puer* DEVTERIVS *nomine, & fide Chriſtianus perſecutionem fugiens, declinaſſet, orans emiſit ſpiritum, eiſdem ſanctis ſepulturâ ſociatus. Poſt hæc cùm Hiſpanica* Cantabrica *diù eorum ſacris pignoribus frueretur, &* Maſſilia *ſuorum Diuorum exuuiarum partem aliquam habere propoſuiſſet, illam à Flauio* Recaredo *Gothorum in* Hiſpania & Gallia *Rege Catholico, felicibus obtinuit auſpiciis. Quorum SS. Corporum* Reliquias *honorifico ſarcophago incluſas,* Maſſilia *debitâ deuotione veneratur. Nam ad eius ſepulchrum tanta diuinæ bonitatis virtus elucet, vt ſæpius ad eum accedentes infirmi à languoribus curati diſcedant: & plures energumeni multum ſe confidentes, & Martyrem declamantes, eiectis dæmonibus liberentur.*

*Corpora in Mari proiecta.*

*Hiſpaniam veniunt.*

*Reliquias Maßilia impetrat.*

*Miracula.*

Hactenus ACTA genuina, quæ proculdubio veritati in totum arrident. Hinc error ineſt in Scriptoribus circa paſſionis annum, fortè *Maximiani* nomen in codicibus vetuſtis ab ipſis lectitatum, credentes illum fuiſſe *Cæſarem*, ſocium *Diocletiani* & ideo SS. Martyrum agonem temporibus horum Principum repoſuere; cùm ex Dextro conſtet, occubuiſſe tempore imperij *Commodi*, ad Annum C. LXXXV. vt in ACTIS ſubiecimus.

*Annus agonis.*

FLAVIO-BRIGA. Ciuitas olim vetuſta, & in littore ad Mare *Cantabricum* appoſita, à *Flauio Veſpaſiano* aucta, & additum voci BRIGA, cui nomen erat, vocabulum FLAVIA. Hæc ad latus oppoſitum *Maßiliæ*, Pyrene interiacente, conſpicitur; ita vt vtraque ciuitas iaceat duplici *Promontorio*; iſta ad Mare *Gallicum* ad orientem; illa in Mari *Cantabrico* ad Septemtrionem. De ea diximus ſupra *Tom.* 3. *Die XXIII. Iunij. lit. A.* vbi plura congeſſimus. Hodie BERMEO.

*Topographia.*

C.

S. PRAXEDIS *Virgo, Romana.* ] Eius hoc die feſtiuitas agitur in Romano Martyrologio *Baronij* hac ſerie: *Romæ* S. PRAXEDIS *Virginis, quæ in omni caſtitate, & lege diuinâ erudita, vigiliis, & orationibus, atque ieiuniis aßidue vacans, quieuit in Chriſto, ſepulta que eſt iuxta ſororem ſuam Pudentianam, viâ Salariâ.* Conueniunt *P. Vaſq.* in Caſtellano. *P. Lup.* in Luſitano, & *Conſtant. Felic.* in Italo. Accedunt vetuſtiores *Beda*, *Vſuardus*, *Ado*, cæterique omnes recentiores. Eius ACTA

*Martyrologia.*

ſcripſere *Paſtor* Presbyter, Mombritius *Tom.* 2. Lipooleus *Tom.* 3. & alij Florum SS. Scriptores Illa ex R. P. Petro de Ribadeneyra *Tom.* 1. damus.

## *ACTA S. PRAXEDIS VIRGINIS Romanæ ex R. P. Petro de Ribadeneyra Soc.* IESV.

*Origo.* PRAXEDIS *Virgo, fuit ciuis Romana, filia Prudentis nobiliſſimi Senatoris, ſoror Nouati, Timothæi, & Prudentiani, qui fuerunt omnes ſancti, & vt tales ab Eccleſia celebrantur.* *Exercitia.* *Erat* PRAXEDIS *tota in precibus, vigiliis, ieiuniis, & id genus pœnitentiæ exercitiis, ſicut & in erogandis ſuis facultatibus ampliſſimis, quibus pauperum neceſſitati conſulebat. Cæterum ſingularia obſequia, & ſolatia iis impartiebat, quos impietas, Chriſtianæ Religionis ergo, vehementius affligebat. His neceſſaria ſuggerebat: ad hoc etiam vinctos inuiſebat,* *Pietas.* *horum vulnera curabat, hos ſalubribus, & opportunis monitis confirmabat, horum ſanguinem colligebat, & corpora humabat, ſicut & enixè precibus eorum, ſe commendabat: horum victoriis exultabat: hos imitari,* *Charitas.* *Chriſtique causâ mori (quo ſcilicet paris gloriæ particeps eſſe poſſet) deſiderabat. Ipſa ſanctos hoſpitio excipiebat, ſecum detinebat, omniquè officiorum genere demerebat. Ad eius ædes, velut ad ſecurum portum Chriſtiani rem diuinam facturi, auditurive, ſacramque Synaxim percepturi certatim confluebant.*

*Miſericordia.* CÆTERVM *cùm dira perſecutionis procella, quam* M. Aurelius *conflauat, nihil remitteret, ſed indies vehementius augeretur, & plurimus Chriſtianorum ſanguis ſpargeretur, Virgo tantam non ferens immanitatem, Dominum orauit,* *Moritur.* *vt ſi ſic videretur, & ad ſalutem ſuam faceret, ſe ſe mortalis vitæ miſeriis expeditam, ad beatam euocaret immortalitatem, itaque ſiſterentur lachrymæ, quas vſque fundebat, quòd adeò atrociter tot deuotas Deo famulas cerneret obtruncari. Audiuit piam ſuæ Sponſæ precem Chriſtus, eamque* XII. Kalendas *Auguſti, Anno Domini* C. LXIV. *Imperante M. Aurelio, ad cælites euocauit.* *Sepelitur.* CORPVS *eius, eodem quo Parentes, & fratres eius quieſcebant, monumento conditum eſt, à Sacerdote quodam, cui fuit nomen Paſtor, qui res eius geſtas conſcripſit.* *Transfertur.* *Poſtmodum ſacra S. Virginis pignora Româ Maioricam in Balearibus Hiſpaniæ Inſulis tranſlatum eſt, vbi honorificâ incluſum theca, & in Sacrario Maioris Baſilicæ conditum, ſummâ colitur veneratione.*

*Corpus Maioricæ.* Omnia ſuperius dicta, hautquaquam vlla indigent illuſtratione, ideo ad vlteriora, quæ in probatione *Tranſlationis Reliquiarum* S. Virginis Româ *Maioricam* verſantur, ptocedere compellimur. De huius igitur rei veritate, auctorem habeo Doctorem Ioannem Damet *Hiſtor. Ballear. lib.* 2. *tit.* 2. §.3 *fol.* 307. qui de exiſtentia ſacrati *Corporis* huiuſmodi teſtatur. Robert. Obrizius *Hymnor. SS. lib.* 7. *hymn.* 24. *fol.* 342. ſequentem ſcripſit, hoc lemmate:

### IN D. PRAXEDEM VIRGINEM ROMANAM mœrore intolerabili ob Chriſtianorum cædes confectam;

*Et ſapere, & fari, præſtare & maxima factis*
*Dat tibi Cunctipotens,*
*Virgo pudica, nec minus*
*Ipſa Dei, ſicco quantumuis funere, Martyr,*
*Idque iterum, & quoties*

*Firmas*



*Firmas futuros Martyres*
*Et re, & conſiliis, hortatu feruida, ne quis,*
*Curſibus in mediis,*
*Animo fatiſcat languidus.*
*Quod ſi contigerit, propriâ tu morte redemptum*
*Chriſtiferæ cupias*
*Infenſa gentis dedecus.*
*At furor inualuit; regnat toto orbe tyrannis*
*Neſcia ſuppliciis,*
*Chriſtique amantum cædibus*
*Expleri. Perculſa tibi præcordia rodit*
*Nocte, dieque dolor,*
*Vitaque acerbæ tædium.*
*Cælicolum Regem precibus, votiſque fatigas,*
*Tollere te è medio,*
*Ægre hæc ferentem, vt peruelit.*
*Annuit; optatâ commutat tædia morte:*
*Te ſuper aſtra vehit,*
*Cœli beatque gaudiis.*
*Si nunc Diua tuos tibi fas meminiſſe dolores,*
*Aſpice temporibus*
*His turbulentis anxios*
*Chriſtigenas numero ingenti, queis viuere pœna eſt,*
*Aſſiduè miſeris*
*Mors longa, lentius mori.*

MAIORICA. Vna ex *Inſulis Balearibus*, ad *Hiſpanias* pertinens, & ſub earum nomine comprehenſa. Hanc Antoninus in Itiner. COLVMBAM vocitat, S. Iſidorus Noſter eam *Aprodiſiadem* appellitat. Ciuitas eſt Epiſcopalis, & ſub corona Aragoniæ indigetatur. Hodie MALLORCA dicitur, de qua, & de *Minorica*, quæ alia Balearium Inſula eſt, ſcribunt Pompon. Mela in Geograph. lib. 3. c. 6. Ptolemæus, & cæteri Geographi.

VNDECIMO

# VNDECIMO.

## Kal. Auguſti.

## DIES XXII.

*A. In Regio* Onnienſi *Cœnobio prope Burgos Hiſpaniæ* B. TACTI *Epiſcopi* Ilerdenſis, *in Cathalonia, qui cognitis* S. Eneconis *illius Monaſterij Abbatis mirabilibus, relictâ Sede, Monachum induit, vbi celebris operatione virtutum, ad cælos Confeſſor inclytus migrauit. Cuius Corpus iuxta S. Abbatis ſarcophagum tumulatum, adhuc honorificentiſſimâ thecâ requieſcit.*

## NOTÆ.

*Scriptores.* SANCTVS TACTVS *Epiſcopus Ilerdenſis Confeſſor.*] Nunc primùm eius nomen in Martyrologiis ſcriptum videbitur, quia hucuſque S. Præſulis feſta ignorabatur dies, licet eius ſanctitudo, & venerabilis memoria, publica apud Cœnobitas Monaſterij Regalis *Onnienſis* à multis retro ſeculis extiterit. Eam nunc ſuſcitate compellimur, cùm Deo fauente, tanti Præſulis in Diei tranſitus cognitionem inciderimus. De eo plura in Actis *S. Eneconis* Abbatis *Onnienſis*, quæ ſupra *Tom.* 3. *Die I. Iunij.* dedimus. Aliqua P. Anton. Yep. in *Chron. Benedict. Tom.* 5. *Cent.* 6. *Ann.* 1011. & *Tom.* 6. *Cent.* 6. *Ann.* 1070. *c.* 2. & *ſeqq.* Ioann. Baptiſt. Damet *Hiſtor. S. Enecon. c.* 8. *fol.* 20. In meo *MS. Codice Carminum* inter Opera *Hali*, Epigramma hoc literis Gothicis ſcriptum inuenimus, in quo de *SS. Enecone*, & TACTO, loquitur Poëta ſic:

### AD S. ENECONEM, ET TACTVM ONNIENSES.

*Epigrãma.*

*Pignora ſarcophagô ſublimia nunc* Eneconis
*Abbatis Sancti* Onnia *læta capit.*
*Summa tegit necnon* TACTI *venerabilis oſſa*
*Præſulis, in cuius funere cuncta iacent.*
*Ille per ignotos tranans perſæpe caminos,*
*Eximius cœlum Paſtor adiuit ouans.*
Ilerdenſis *erat Præſul cum nomine* TACTVS
*Magnifico, quando viſcera iugo dedit.*
*Ille fide inſignis vitam cum morte mutauit,*
*Iunoni quo ſic Menſe, Kalenda litat.*

*Vltimus*



*Vltimus emoriens Vndeno plane Kalendis*
*Auguſti, Victor ſidera clara petit.*

Duo ex huiuſmodi *Epigrammatis* contexturâ depromimus, alterum, quòd S. TACTI Sedem Epiſcopalem, hactenus ignoratam, agnoſcimus: alterum, quòd hoc die, ſcilicet *XI. Kalendas Auguſti* vitam Sanctiſſimus Antiſtes, & Monachus obierit. Hinc ACTA eius attexere conabimur, pro vt ex Scriptorum minutiis colligere valebimus, vt inſtituto pareamus. *Dies obitus.*

## *ACTA S. TACTI EPISCOPI Ilerdenſis in Cathalonia, & Monachi Benedictini in Cœnobio Onnienſi, Confeſſoris, ex Variis Scriptoribus.*

*Origo.* TACTVS *natione* Hiſpanus, *intercedentibus eius virtutum, & doctrinæ meritis, ad Sedem* Ilerdenſem *in* Cathalonia, *cuius forte, vt illa ferebant tempora, Canonicus erat, omnium ſuffragiis, euectus eſt.* *Epiſcopus.* *Qui vix ad onus ſibi commiſſum acceſſit, quando totis viſceribus manum ad aratrum apponens, ouium ſuarum maculas abſtergere curauit, & ad fidei integritatis regulas earum operationes dirigere diſpoſuit. Hinc cleri, & populi pietas exuberans, totam diœceſim, ſingularibus virtutum repleuit odoribus: nam clerus, & populus Pontificis ſui ſanctitatis exemplaribus eruditus, facile proprias componit actiones, & facilius regentis exempla parili obſeruatione ſectatur.* *Exercitia.* *Igitur ſic Eccleſiam ſuam per aliquot tempus Vir diuinus adminiſtrauit, bonorum operum, & Sanctitatis exemplar, vt variis virtutum generibus excultus, vitæque ſanctimoniam, cum eruditione coniungens, vt omnibus prodeſſet hominibus, ſtatum Religionis extenderet, & iura Epiſcopalia aduerſus tyrannidem potentiorum redimeret.*

*S. Eneco Abbas Onnienſis.* EO *denique tempore, ex* Aragoniæ *præruptis ſcopulis, & ex* S. Ioannis Pinnatenſis *ſilentioſis ergaſtulis in* Caſtellam *prodierat ille ſanctitudinis apex,* Eneco *Onnienſis Cœnobij Abbas, cuius per vniuerſos* Hiſpaniarum *circulos talis virtutum fama concreuit, vt omnium piorum hominum animos, & Præſulum ſpiritus ad ſui cognitionem alliceret. Inter hos* TACTVS, *tantæ ſanctitatis diuinâ tactus æmulatione, vt* Eneconi *adhæreret, omnem ſuam apponens operam, Sedem dimittere cogitauit: quod & poſtmodum efficiens Apoſtolicâ authoritate vallatus,* Onnienſem *proficiſcitur Domum, vbi à* S. Enecone *charitatiuè ſuſceptus, poſtquam illi* TACTVS *ſuæ intentionis ſtimulum aperuiſſet, controuerſiis ſedatis, à S. Abbate cucullam deuotè ſuſcepit.* *Illi adhærere deſiderat Tactus.* *Tum S. Monachus, qui in ſecularibus fragoribus Cœnobitæ ſilentium obſeruabat, facilè in hoc loco quietis huius muneris penſum diù deſideratum, toto mortificationis ſpiritu, adimpleuiſſe credimus.* *Fit Monachus.* *Igitur Abbatis ſui veſtigia, in coaceruandis virtutum manipulis, quærens, eiuſque actiones ſedulus diſcipulus ebibens, ad tantam contemplationis vim, & orationis ſpecimen fidelis ſeruus acceſſit, vt penè æqualis Eneconi, in inſignium operatione virtutum, paſſim ab omnibus reputaretur, & ſimilis.* *Eius ſanctitas.*

*Infirmitas.* POST *hæc cùm aliquot annos in ſummâ vitæ aucteritate tranſegiſſet, aſſiduis corporis macerationibus confectus, ita vt pelle, & oſſibus tantum conſtare videretur, infirmitate correptus, vitalem vix vitæ halitum recipiebat; tandem Sacramentis Eccleſiæ communitus, ſpiritum Creatori reddidit,* XI. Kalendas Auguſti, *circa Annum Domini* M. XLII. *Cuius ſacrum* CORPVS *à Monachis* Onnienſibus *ſuſceptum, & honorifice ſepultum, diu delituit, donec eius ſanctitudine cognitâ, in honorificâ theca incluſum, iuxta* S. Eneconis *ſarcophagum tranſlatum, ibidem accolarum viſitationis, & votorum frequentia, & pietate veneratur, & colitur. Præſtante Patre luminum qui Sanctorum ſuorum mirabilia, poſt ſecula, patefacit. Amen.* *Mors.* *Sepultura.*



Hæc

*Annus obitus.* Hæc ſunt quæ potuimus ACTA deſcribere, cùm numeroſiora, hautquaquam nobis reliquerit temporum auara permiſſio. Eam ſic breuiter P. Anton. Yep. *d. Tom.* 5. *Cent* 6. *Ann.* 1011. *c.* 2. *fol.* 326. *col.* 3. ex MS. Codice vetuſto, enarrat; qui etiam obiiſſe S. TACTVM ad *Eram* M. LXXX. hoc eſt, *Anno Domini* M.XLII. affirmat, eumque ACTVM vocitat. Sed Nos Epigrammatis contexturam ſecuti, TACTI vocabulum retinemus.

*Topographia:* ILERDA. Ciuitas antiqua *Cathaloniæ*, Epiſcopali Sede inſignita, & olim in Hiſpania Citeriori, ſeu Tarraconenſi ſita, ad *Sicorim* fluuium; de qua Nos aliqua diximus ſupra *Tom.* 1. *Die XXIII. Ianuar. fol.* 270. vbi Ioannis Gerundenſis ſomnium circa conditorem propalauimus. Nunc & aliorum ætymon ſubiiciemus, *Vrbis ætymon ex aliis Scriptoribus.* qui, teſte Ludouico Nonio in ſua *Hiſpan. c.* 84. aſſerunt, ILERDAM dictam ab ILEO *Apolline*, quem ſic *Troiani* vocitabant *Phœbum*; & quia *Troianorum* aliquot Duces *Hiſpaniam* deuenere, & ad illas *Sicoris* amnis plagas pedem fixere, ab ILEO Apolline Troianæ gentis Tutelare, nomen vrbi ab ipſis extructæ, præeuntibus ſortibus apposuere. Sed quale ſit huius coniectationis commentum, conſule *Nonium*, & Pujades *Hiſtor. Cathalon. lib.* 1. *c.* 14. *&* 22. Infra hoc *Tom.* 4. *Die XXVII. Auguſt.* alia dicemus. Hodie hæc vrbs LERIDA.

# DECIMO.

## Kal. Auguſti.

## DIES XXIII.

*A.* COLONIÆ MARTIÆ *in Bætica Hiſpaniæ* SS. APOLLONII, *&* EVGENII *Martyrum, qui cùm pro fide ad agonis ſtadium cucurriſſent, in ipſo paſſionis ſtadio trophæi coronas viriliter perceperunt.*

*B.* *Apud* Zamoram *in Oppido* Albugenſi *Hiſpaniæ* S. SECVLINÆ *ſanctimonialis, quæ mortuo viro, in Monaſterio ab eius patre constructo, ſe, & ſua transferens, poſt vitæ puriſſimæ curſum, mirabilis ad Sponſum properauit Virago.*

# NOTÆ.

*Martyrologia.* SANCTVS APOLLONIVS, *&* EVGENIVS *Martyres.*] Breuis erit horum SS. Martyrum anamneſis, quia Scriptorum etiam eſt diminuta relatio. Attamen de eorum agone ſcripſerunt Græci in *Menolog.* & Latini in *Martyrolog. Romano*, hac clauſulâ breui: *Item Sanctorum Martyrum* APOLLONII, *&* EVGENII. Conueniunt Martyrologia Caſtellanum *P. Dionyſij Vaſq.* Luſitanum *P. Lup.* Hiſpanum *MS. P. Higuer.* & Italum *Conſt. Felic.* De eis ſcripſere Rodericus Caro in *Corograph. Hiſpalenſ. lib.* 3. *Scriptores.* *cap.* 51. *fol.* 170. P. Antonius Quintana-Dueñas *Hiſtor. SS. Hiſpalenſ. fol.* 287.

D. Martin.



D. Martin. Carrill. *Annal. Eccleſ. Hiſpan. Ann.* 105. Omnes iſti ſuperius relati hanc ſententiam exſuxere abs *Iuliano* Archipreſbytero Toletano in *Chron. Ann.* 105. *n.* 38. vbi de *Colonia Marcia* agens, proſequitur: *In Bætica* Marcheniæ, *quæ* MARCIA Colonia *dicitur* S. APOLLONIVS *cum Soc. pro Chriſti Domini confeſſione* *Error ſanatur in Codice edito Iuliani.* *perimuntur.* Sic legendum vt in correctioribus exemplaribus, & expuenda veniunt *Polonia*, *Sociis*, & *Perſecutione*, verba. Et reponenda *Colonia*, *Socio*, & *Confeſſione*, vt verum ſenſum exprimant. Eorum ACTA à nullo conſcripta credimus; ea latiori periodo, pro vt coniecturalis expetit epiicheia, deſcribemus.

## *ACTA SS. APOLLONII, ET EVGENII Martyrum, ad Coloniam Marciam in Bætica paſſorum, ex Iuliano, & aliis Scriptoribus.*

APOLLONIVS, *&* EVGENIVS *nobiliſſimi ex* Marcia Colonia *in Bætica Ciues, Chriſto nomina dedere; & in eius fide enutriti, toti ſe Crucis fa̧ſcibus ſubmiſere, tantâ religionis conſtantia, vt nec Gentilium minas, nec Iudicum edicta, nec Principum Romanorum decreta perhorreſcerent, imò ſic omnia hæc Æthnicorum terriculamenta deſpexere, fidei zelo communiti, quòd licet Vlpij Neruæ Trajani Homopoli, & Romanorum Imperatoris in Chriſtianos per totam* Hiſpaniam, *& maximè* Bæticam, *ſuis conſpectibus, experirentur ſæuitiam, potius ad agonis experimenta, quàm ad paſſionis diffugia cordis ſpiritus excitabant. Nec illis vacua ſuaſio fuit; nam eueniente* Marciam *vrbem perſecutionis examine, & Præfecti per regionem publicatis edictis, protinus Satellitum turba* APOLLONIVM, *&* EVGENIVM *ad conſpectum Iudicis perduxit, & tribunal. Hic denuò martyrij occaſione roborati, quidquid intus Chriſti occultauerat amor, per oculorum acies, & ora, extemplò eructauit incendia. Hinc fidei confeſſio ſublimis, nullis perterrita horroribus, nullis extenuata ſuppliciis, imò, eo paſſu, quo Iudicis ſæua crudelitas SS. Martyrum corpora dilaniabat, tunc Pugilum Beatorum fortitudo in vnum fidei viſcera catenabat. Ergo ad verbera ventum, plura, & continua SS. Martyrum conſtantia ſuperauit; donec abſciſſis ceruicibus vterque per paſſionum anguſtias, ad auguſtas cœlitum turmas augendas, emiſſis ſpiritibus properauit,* X. Kalendas Auguſti *Anno Domini* C.V. *Quorum* CORPORA *à Chriſtianis è patibulo ſuſcepta, & honorificè ſepulta; ibidem plura per ſecula quieuere.*

*Origo. Conſtãtia. Capiuntur. Torquẽtur. Coronãtur.*

Hactenus ACTA; in quorum probationem, illud PRIMVM venit illuſtrandum circa *Ciuilitatem* apud MARCIAM Coloniam Bæticæ, quam dubiè fatetur Quintana-Duenas *d. fol.* 268 in cuius probationem ſequens vetuſtum *Epigramma*, teſtem profero: *An Ciues Marciæ?*

### PRO SS. APOLLONIO, ET EVGENIO, Martyribus in Bætica Hiſpaniæ.

EVGENIVS *iacet hoc Martyr ſub marmore Sanctus:*
*Et ſimul à dextris Martyr* APOLLONIVS.
*Hos tulit eximios vrbs* MARCIA *Bætica Ciues;*
*Hos Neruæ gladius pro fide ſæpe necat.*

Illud in meo *MS. Carminum* vetuſtiſſimo reperitur, quod proculdubio *Iuliani* ſententiam confirmat. Item & SECVNDO quod ex ipſo *Epigrammate* conſtat *Quo Imperatore paſſi?* paſſos tempore TRAIANI, qui & NERVA propter adoptionem vocatus reperitur; de quo paſſim exempla apud Scriptores, & Inſcriptionum monimenta. Et



hoc

hoc verum maximè, quia tempore NERVÆ nulla noſcitur in Eccleſia Catholica perſecutio.

*Topographia.* MARCIA COLONIA. Ciuitas vetuſtiſſima in *Bætica* intra *Hiſpalenſis* Conuentus terminos, quam Paulus Merula in *Coſmograph. lib.* 2. *c.* 24. hoc titulo nominat, ſic: MARCIA COLONIA *olim ex antiqua baſi ex Onuphrio*; *hodie dicitur* MARCHENA *in territorio* Hiſpalenſi. Qui licet baſis epigraphem omiſerit, eam ex Roderico Caro *d.c.* 51. *fol.* 170. dabimus.

T. MARCELLINO. T. F. EX.
ORDINE. DECVR. MARCIÆ
COLONIÆ. OMNIB. HON.
IN. REP. SVA. FVNC. ET.
MVLTA. LIBERAL. IN. POP.
SVVM. VSO. ORDO. DECVRION.
POPVLO IMPERANTE.

Quam *Inſcriptionem* quondam apud hanc vrbem inuentam fuiſſe teſtantur *Andreas Scothus*, & *Ianus Grutherus* à *Roder. Caro* relati.

*Aquo condita?* EAM quoque conditam fuiſſe, ſiue vt credo in *Coloniam* deductam, tempore *M. Marcelli*, vel *L. Marci*, vt teſtatur Paulus Marula *d. c.* 24. hac clauſula: *Conditam putant quidam à* M. Marcello, *vel* L. Marcio, *qui Gneyo Scipione apud* Vrſaonem *mortuo, Romanorum ductauit in* Hiſpania *copias*. *Quis eius Dynaſta?* Quidquid ſit hodie vrbs hæc opulentiſſima paret Excellentiſſimis Ducibus de *Arcos*, ex Ferdinandi IV. Regis Caſtellæ cognomento *el Emplazado*, munificentiâ, ob eximias *D. Ferdinandi Ponze de Leon* bellicas virtutes, vt refert D. Petr. Salazar de Mendoza in *Elog.* 11. §. 7. *Chronic. Ponze de Leon.*

B. S. SECVLINA *Virgo Sanctimonialis.*] Vetuſtum S. Eccleſiæ *Abulenſis* Breuiarium hoc die celebrat feſtum huius ſanctiſſimæ Virginis; eamque fuiſſe *Monacham Benedictinam* & Abbatiſſam in Monaſterio *Albugenſi* diœceſis *Zamorenſis*, ſcriptum *Scriptores.* reliquere Luitprand. in *Chron. Ann.* 836. *num.* 285. *fol.* 425. hac periodo: *In territorio* Zamorenſi, *oppido* Albugenſi, *floret opinione raræ ſanctitatis* SECVLINA *Virgo* Benedictina. Iulianus Archipresbyter S. Iuſtæ Toletanus in *Chron. Ann.* 830. *num.* 428. *fol.* 103. hac clauſula: *In Territorio* Zamorenſi, *loco* Albugenſi S. SECVLINA, *Virgo Monialis S. Benedicti, multarum virginum mater, floret.* Eius etiam memoria eſt in *Martyrologio Hiſpano*, vt refert Pat. Ieronymus Roman de la Higuera in *Not. ad Luitprand. d. n.* 285. vbi hæc verba: *Anno* DCCC. XXXVI. *in Territorio* Zamorenſi, *oppido* Albugenſi, *vulgo* Albugela (*eſt Latinè* Albucella *Antonino*, & *Albocella Ptolomæo in Vaccæis*) *floret* S. SECVLINA *Virgo*, *Abbatiſſa, vt credo Ordinis Benedictini, cuius memoria eſt in Martyrologio Hiſpano, & in Breuiario Membranaceo S.E. Abulenſis,* XXIII. *Iulij. celebratur Simplex feſtum de eâ.* Nuſquam nec in Martyrologio, nec in alio, quàm in hoc loco *Luitprandi*, & in *Tabulis S. E. Abulenſis* de hac reperi. Nondum cùm hæc ſcripſit ad manus eruditiſſimi Patris, & de Hiſpaniæ Antiquitatibus optimè meriti, *Codex Iuliani* peruenerat, & ideo locum *Iuliani* omiſit, & ignorauit, quem ſubiungit D. Thom. Tamayo in *Not. ad Luitprand. d. Ann.* 836. *fol.* 189. Eius ACTA vt ex *Lection. Breuiar. Abulenſ.* apparet, ſequentia ſunt.





## *ACTA S. SECVLINÆ VIRGINIS, & Abbatiſſæ ex Ordine Benedictino, in Territorio Zamorenſi, Oppido Albugenſi in Hiſpania ex variis, & Breuiario MS. S. E. Abulenſis.*

SECVLINA *natione* Hiſpana, *ex vrbe* Albugenſi *diœceſis* Zamorenſis, *claris orta natalibus*; *cùm ab adoleſcentiæ exordio vitam ſic pudicam attexere deſtinaſſet, vt nullis virginitas macularetur ſtragis, ſed illam Domino puram, & immaculatam, in vltimum vſque ſpiritum reſeruaret, euenit quòd eius parentes, cognitâ S. Virginis eximiæ pulchritudinis ſpecie, & perſpecto Viraginis maturo iam ad matrimonium ſtatu, eam Nobili deſponſare Viro, qui nobilitatis decorem, & maiorum ſtemmata, in æuum filiorum procreatione perduceret. Annuit exterius. Parentum* SECVLINA *præceptis, aſt intùs Chriſti vlnas interemerata cupiebat: Sed cùm Chriſto placere in virginitate non poſſet maritata, cùm hæc euaneſcat connubio; pluries à Domino efflagitabat humiliter, vt ad ſeruandam pudicitiam, quam totis viribus eidem obtulerat expedita, viam ſecuram aperiret eidem.* *Origo.* *Pudicitia.* *Matrimonio deſpondetur.*

HIS *igitur continuis ad Deum emiſsis deprecationibus, certam in Domino ſpem habebat Virgo Beata, quòd licet illi Nobili Viro matrimonio fuiſſet coniuncta, adhuc in virginitate concupitâ eſſet remanſura, & ideò ſpe in Deum poſitâ, ſponſo cui matrimonio iuncta erat perſuaſit, vt continentiam in poſterum ſectaretur, pro vt fecit Nobilis, & ſtrenuus Vir donec vixit, vt coniugis caſtiſsimæ voluntatem, voti obſeruatione ſeruaret. Qui poſtmodum ex hac luce ſubtractus eſt, & à Coniuge ſepulturæ eius corpus datum, expletis funeralibus officiis, honorem conſuetum & debitum ſimilibus Nobilibus accepit. Tùm* SECVLINA *vt opportunius pudicitiam, abſque ſeculi anfractibus, cuſtodiret, Monaſticam vitam elegit, & in Cœnobio Parentum ſuorum expenſis, è Benedictinarum ordine Sanctimonialium, conſtructo, protinus ingreſſa cum aliis pluribus fœminis, & virginibus, Abbatiſſæ titulum recepit.* *Sponſum ad continentiam prouocat.* *Monaſticam vitam eligit.*

IGITVR *ſuſcepto* SECVLINA *velamine, & Cœnobij regimine, ſtatim ieiuniis, & orationibus vacare incipiens, cæteras ſibi commiſſas virgines obedientiam, & pietatem aliaque Religionis onera docebat, ſilentij munera, eiuſque priuilegia commendabat, & omnium animos ad humilitatem, & cæterarum virtutum ſpecimina dirigebat. Hiſce, & aliis ex puris cordis viſceribus, emanatis commonitionibus, ſic Sororum Virginum cœtum, ad perfectiſſimum vitæ ſtatum reduxit, vt potius paradiſus reputaretur Angelicus, quàm congregatio mulierum. Denique poſt plurima ſigna, congregatis ſororibus, datoque eis pacis oſculo migrauit ad Chriſtum* Die XXIII. Iulij, *Anno Domini* DCCC. XXXVI. *Cuius* CORPVS *ibidem ſepultum ſequentibus ſeculis fidelibus expoſitum, mirâ miraculorum frequentiâ floruit, & tantâ inſignium facinorum aſsiduitate claruit, vt Officium in Eccleſiaſticis Tabulis mereretur. Præſtante D. N. Ieſu-Chriſto, qui ſponſam ſuam tantis virtutum apicibus illuſtrauit.* *Fit Abbatiſſa.* *Moritur.* *Sepelitur.* *Colitur.*

*Probantur Acta.* ACTA huiuſmodi breui relatione contexuit *Breuiarium Abulenſe*, cuius verba Pater Ieronymus Roman in *Not. ad Luitprand. d n.* 285. recenſet, & ſunt huiuſmodi: S. SECVLINA *ex vrbe* Albugenſi, *claris natalibus orta, Nobili Viro, cui matrimonio iuncta fuerat, vt continentiam ſectaretur, Deo precibus annuente, perſuaſit. Quo ex hac luce ſubtracto, Monaſticam vitam eligens, Cœnobium ingreſſa, quod pater extruxerat, cum pluribus fœminis, ieiuniis & orationibus vacans, Deo humiliter ſeruiebat: vbi poſt plurima ſigna, congregatis ſororibus, datoque eis pacis oſculo, migrauit ad Chriſtum.*

*Topographia.* ALBVGENSIS Vrbs. Ea vt ex *Luitprando*, & *Iuliano* probauimus, ſita fuit in Territorio *Zamorenſis* vrbis, quam Geographi in *Vacceis* conſtituunt, eamque vo-

catam referunt ALBVCELLA, quæ inter manſiones ab *Emerita Cæſarauguſtum* conſignatas militibus, in *Antonini* Imperatoris *Itinerario* reperitur, hac ſerie apud Zurit. *fol.* 98. & apud Simlerum *fol.* 192.

Occellum Durij M. P. XXI.
ALBVCELLAM. M. P. XXII.
Amalobricam M. P. XXVII.

Huius quoque vrbis etiam & *Ptolomæus* meminit in *Geograph. lib.* 2. *Tabul.* 2. *Europ. c.*6.*fol.* 21. vbi cum interiores *Vaccæorum* vrbes referret, inter *Gellam*, & *Raudam*, Αλβοκελλα *reponitur*, vt & notauit Zurit. in *Not. fol.* 586. Hodie ALBVGELA cognominatur.

# NONO KAL. AVGVSTI.
## DIES XXIV.

*A.* EMERITÆ-AVGVSTÆ *in Luſitania* SS. VICTORIS *Militis*, STERCATII, *&* ANTINOGENIS *fratrum Martyrum, qui diuerſis propter fidem Catholicam examinati rigoribus, Diocletiani Imperatoris ſæuiente procellâ, poſt ſuppliciorum anguſtias, ad cælorum auguſtas ſedes intrepidi deuenerunt.*

*B.* ASTVRICÆ *in Citeriori Hiſpania* S. DICTINII, *eiuſdem vrbis Epiſcopi, cuius confeſſio adeſt in Concilio I. Toletano: qui poſt eius recidiuam profeſſionem Catholicæ Fidei, à qua deceptus deſciuerat, erroribus deploratis, ſic ſe in virtutum facinoribus exercuit, vt meritò ab Eccleſia Sanctus Confeſſor vocitetur Catholica.*

# NOTÆ.

A. *Martyrologia.* SANCTVS VICTOR *Miles*, STERCATIVS, & ANTINOGENES *Martyres Emeritenſes.* ] Celebris eorum memoria eſt in Martyrologiis *Vſuardi*, *Adonis*, *Galeſinij*, & recentiorum, à quibus Romanum *Baronij* hoc elogio: EMERITÆ *in Hiſpania* S. VICTORIS, *Viri Militaris, qui cum duobus fratribus* STERÇATIO, *&* ANTINOGENE, *in perſecutione Diocletiani, per diuerſa ſupplicia, martyrium conſummauit.* Conueniunt Martyrologia Caſtellanum *Patr. Vaſq.* Luſitanum *P. Lup.* Hiſpanum MS. *P. Higuer.* & Italum *Conſtant. Felic.* De eis agunt P. Truxill.
*Scriptores.* in *Theſaur. Concionat. Tom.*2.*h.d.fol.* 1332. Ambroſ. Moral. *Hiſtor. Hiſpan. lib.* 10. *c.* 20. Ioan. Vaſq. in *Chron. Ann.* 303. Steph. Garibay in *Compend. Hiſtor. lib.* 7. *c.* 44. Ioann. Marieta *Hiſt. SS. Hiſpan. lib.* 2. *c.* 64. D. Franciſc. Padill. *Hiſtor. Eccleſ. Hiſpan. Tom.* 1. *Cent.* 4. *c.* 14. D. Thom. Tamayo in *Αποσπασματ. de Reb. Emerit. fol.* 155. Barnabas Moren.



Moren. *Hiſtor. Emeritenſ. lib.* 2. *c.* 9. §. 5. *fol.* 113. Petrus de Natalib. in *Catalog. SS. lib.* 6. *c.* 132. hac ſerie: VICTOR *Militaris cum duobus germanis, videlicet* TRICHINO (repone STERCATIVM ex correctiori lectione) *&* ANTIOGENO (pro ANTINOGENE) *apud* HERMICAM (pro EMERITAM) *Hiſpaniæ ciuitatem paſſi ſunt: qui diuerſis examinati ſuppliciis, tandem pro Chriſti nominis confeſſione glorioſâ, gladio capite truncati, martyrij palmam percipere meruerunt* IX. Kalend. Auguſti. Eorum ACTA licet à nemine hucuſque edita ſint, illa ex Legendario MS. *Segobienſi*, dabimus.

## *ACTA SS. VICTORIS MILITIS, & ſociorum Fratrum Martyrum Emeritenſium in Luſitania ex MS. Legendario Segobienſi.*

INCIPIT *Paſſio trium Sanctorum Fratrum Emeritenſium in Hiſpania,* VICTORIS *videlicet Militis*, STERCATII, *&* ANTINOGENIS, *qui paſſi ſunt in vrbe Auguſta* Emerita Luſitaniæ *ſub Datiano Præſide Hiſpaniæ, Imperatoribus Diocletiano. & Maximiano.*

IGITVR *iſti Tres ſanctiſſimi Martyres, & Ciues* Emeritenſes, *cùm* *Origo.*
*Chriſti religionem colerent, ob fidei defenſionem carceralibus tenebantur ergaſtulis, quando Datianus immaniſſimus Præſes Hiſpaniæ,* Emeritam *properauit, & illius vrbis Auguſtæ mœnia fuit furibundus ingreſſus. Quorum cùm* *Captura.*
*cauſam capturæ cognoſceret, & eius animus ad ſimilia propiùs examinanda facinora raperetur, protinus ad tribunal eos perducere præcepit, quos videns, in furorem actus, ad eos talia verba direxit:* Qui eſtis? & cuius religionis? *Cui reſpondens* VICTOR *omnium fratrum maximus:* Nos huius vrbis accolæ ſumus abs nobilibus emeritis progeniti militibus, & Ego adhuc *Conſtãtia.*
ſub Aquilis milito; & Chriſtum Deum verum agnoſco, cuius præceptum adimplere conabor, reddens quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo, ita quòd Cæſaris placitum in nihilo contrarietur Dei mei præceptis. *Tùm Datianus:* Ergo Chriſtus ille tuus, noſtris Cæſaribus, & Principibus maior fuit? *Cui Martyr reſpondit:* Per Chriſtum meum Reges regnant, & Cæſares tui non ſunt digni ſoluere corrigiam calceamenti eius. *Datianus hæc audiens ſcindens veſtimenta ſua,* *Torſura.*
*illos flagellari præcepit, & poſt in carcerem reduci, niſi reſipiſcant.*

POST *Triduum (cùm SS. Fratres intra carceris hiatum, verberum cruciatibus cruentati, in oratione, & ſingultibus, extitiſſent) ad Datiani conſpectum reuerſi, illos iterum ad Deorum cultum reducere procurauit; ſed SS. Martyres in fidei confeſſione conſtantes, nequaquam Idolis thura cremare voluerunt; & ideo in equuleo extenſi, & pectinibus ferreis lacerati, pro ge-* *Equuleũ.*
*mitibus riſum, & lætitiam demonſtrabant. Quod videns Datianus, & Martyrum conſtantiam intuens, eos è machina deponere iubens, iterum ad carcerem reducendos, decreuit, vt die ſequenti aduerſus Fratres maiora cruciamina cogitaret. Alterâ autem die Datianus, qui SS. Martyres nouis tormentorum generibus examinare decreuerat, fuit ab aliquibus monitus, quòd à propoſitâ deſiſteret vindictâ, quia innumeri ex Gentilibus, qui ſuppliciis præcedentis diei interfuerant, cognitâ Sanctorum Martyrum fortitudine, credentes aliquid ineſſe diuinum in eorum viſceribus, Chriſto nomina dedere, & Martyribus, eorumque fautoribus cohæſere. Tunc Datianus SS. Fratres è* *Corona.*
*carcere eductos, illos gladio capitibus truncatis populo diſcerpendos expoſuit* IX. Kalend. Auguſti *præſtante D. N. Ieſu-Chriſto, qui cum Patre, & S. Spiritu viuit & regnat in ſecula ſeculorum, Amen.*

En ACTA ex *Legendario MS.* quæ omnia ex relatis Martyrologiis, & Scriptoribus probantur; & licet in illis *Annus* paſſionis non aſſignetur, apud omnes conuenit, Sanctiſſimos fratres *Anno* CCC. III. fuiſſe martyrio coronatos, ita Noſtri cum Cæſar. Baronio *Annal. Eccleſ. Tom.* 2. *Ann.* 303. *n.* 139.

*Topographia.*

Emerita Avgvsta. Ciuitas Antiqua Hiſpaniæ, de qua diximus ſupra *Tom.2. Die XXXI. Martij. fol.*434. Eius conditorem agnoſcit Auguſtum Cæſarem Octauianum, poſt Romam conditam Anno DCC. XXVIII. Et ante Chriſtum Dominum natum XXIII. De Conditore Dio *Hiſtor. Rom. lib.*55. his verbis: *Finito hoc bello* (Cantabrico) *Auguſtus emeritos milites exauctorauit, vrbemque eos in Luſitania* Avgvstam Emeritam *nomine, condere iuſsit.* S. Iſidorus Noſter Hiſpalenſis *lib.*15. *Origin. c.* 1. Emeritam (inquit) *Cæſar-Auguſtus ædificauit, poſtquam Luſitaniam, & quaſdam Occeani Inſulas cepit, dans ei nomen ab eo, quod illi milites Veteranos conſtituiſſet.* Nam *Emeriti* dicuntur *Veterani*, ſolutique militiâ. In huius rei teſtimonium, antiquum *Numiſma* apud *A. Occonem*, inter Hiſpaniæ Inſcriptiones *fol.* 20. *n.* 3. his literis: Emerita Avgvsta Veteranorvm Domicilivm, inuenitur.

*Conditor.*

*Veterani, idem quòd Emeritenſes.*

S. Dictinvs *Confeſſor Epiſcopus Aſturicenſis.*] Huius Sanctiſſimi Præſulis feſtam diem recolit S. E. Aſturicenſis *II. Iunij.* quâ elogium eius conſarcinat Philippus Ferrar. in *Catalog. General. SS. fol.*228. hac ſerie: Astvricæ *in Hiſpania* S. Dictini *Epiſcopi.* Sed licet hoc ita ſit, attamen Nos in præſentem reiicimus, quia vt ex antiquo *Carmine Sepulchrali MS.* apparet, è viuis S. Præſulem diſceſſiſſe conſtat *IX. Kalendis Auguſti*, *Era* CCCC. LVIII. *Anno Domini* CCCC. XX. cuius contexturam poſtea dabimus. Et licet in Martyrologiis antiquis *Bedæ, Vſuardi*, & aliorum, nulla S. Viri reperiatur memoria, apud Noſtros attamen celebris eſt, vt patet ex Ambroſ. Moral. *Hiſtor. Hiſpan. Tom.* 2. *lib.* 11. *cap.* 5. P. Ioann. Mariet. *Hiſtor. SS. Hiſpan. lib.* 5. *c.* 6. D. Franciſc. Padill. *Hiſtor. Eccleſ. Hiſpan. Tom.* 1. *Cent.* 5. *c.* 4. Caſtillo *Hiſtor. Prædicator.* 3. *p.* M. Ægidius Gonzal. Chronographus Regius in *Theatr. S. Eccleſ. Auſturicenſ. lib.*1. *c.*6. Cardinalis Cæſar Baron. *Annal. Eccleſ. Tom.* 3. *Ann.*407. P. F. Franciſc. Biuar. *ad Dextr. in Chron. Ann.* 388. *n.*3. *fol.* 413. vbi Rodericus Caro *fol.* 139. *col.* 2. *lit. Y.* Idem Biuar. *ad S. M. Maxim. in Chron. Ann.*448. *n.*7. §.44. *fol.* 165. Amicus D. Petrus de Ayngo Ezpeleta in *Antiquitat. Aſturicenſ.* §. 4. *n.* 37. & §. *fin. n.* 63. *fol.* 35. *col.* 2. Eius Acta confuſa, & diminuta habentur in Breuiario, & Legendario Antiquis *Aſturicenſibus*, illa dabimus ampliora ex Noſtrorum Chronicis, & Conciliis.

*Martyrologia.*

*Scriptores.*

## *ACTA S. DICTINI ASTVRICENSIS Epiſcopi, & Confeſſoris, ex Conciliis, & Scriptoribus Hiſpaniæ.*

*Origo.*

Dictinvs *origine* Græcus, *natalibus ſimul, & eruditione famoſus, Priſcilliani hæreſim ebibens, Sympoſij Magiſtri perſpicacitate deceptus, aliquot volumina errorum aſperſione referta, publicæ luci legenda conſcripſit. Dubium an tunc Presbyter, ſed quod certiùs agnoſcitur, eum à Sympoſio fuiſſe Epiſcopalibus infulis inſignitum; quo munere maiora, & impia aggreſſus dogmata, vnam Dei, & hominis eſſe naturam publicis ſcriptis affirmare, & popularibus ſermonibus prædicare non erubuit. Huius, Magiſtri, & aliorum errores cùm paſsim Catholica* Hiſpaniæ *experiretur Eccleſia; & de opportunis meditaretur remediis, vt peſtilentem hanc epidemiam, aut confunderet, aut ſanaret, ad Romanam omnium Matrem, & Magiſtram confugere decreuit, vt illi regulam pro medicandis hæreticorum vlceribus, conſuetæ pietatis ſoliditate præfigeret. Hinc indici Concilia cœptum, quibus Priſcillianiſtarum hæreſis damnata, & eius ſectatores anathematis mucrone feriri, ſubterfugia in montibus, & ſpeluncis, odioſâ, licet iuſtâ animaduerſione laceſsiti quærebant.*

*Epiſcopus.*

*Priſcillianiſta hæreticus.*

*Dãnatur.*

Hinc *aliqui Priſcillianiſti erroris Anteſignani, & Magiſtri, perſpectis Catholicorum rationibus, & ruminatis SS. Patrum aſſertionibus, præcognitiſque D. Ambroſij Mediolanenſis Eccleſiæ Epiſcopi virtutibus, & doctrinâ, Italiam pergere deſtinarunt, & cum eo de eorum dogmatibus diſputare, ſic vt ſi veritatis confunderentur acumine, protinus ad Eccleſiam confugientes ſuorum errorum veniam, publica confeſsione perciperent. Horum præcipuus ad Ambroſium*

*S. Ambroſium adiit.*

*Ab eo confunditur.*



*Ambroſium* Dictinvs *acceſsit, qui à S. Doctore veridica cognoſcens eloquia, veritatis fulmine transfixus, lachrymarum imbre perfuſus, & cordis contritione munitus, extemplò impij Priſcilliani abiurauit errores. Tum Beatiſsimus Ambroſius* Dictini, *& aliorum ſodalium reſipiſcentiæ voluntate penſatâ, illos ad futuram Synodum, cum literis commendatitiis ad Præſules Hiſpaniæ, quibus formam, & canditiones adimplendas, vt Eccleſiæ reſtituerentur gremio præſcripſerat, felicibus dimiſit auſpiciis. Qui* Hiſpanias *repedantes, & ad vrbem* Toletum *quâ Synodum congregatam agnouerant, accedentes, datis Ambroſij Epiſtolis, eorum conuerſionem indicantibus, locum in Concilij angulo humili ſummiſsione petiere.*

*Reſipiſcit.*

*Ad Concilium accedit.*

Igitvr *per Concilij* Toletani *Patres lectitatis Epiſtolis, &* Dictini, *ſociorumque intellectâ emendatione, & reſtitutionis inſtantiâ, intra Synodi cœtum protractus, & coram Patribus poſitus, habitâ dicendi licentiâ, in hæc verba viſcerum contritione prorupit*: Audite me Optimi Sacerdotes, corrigite omnia; quia vobis correctio data eſt. Scriptum eſt enim: *Vobis datæ ſunt claues Regni cælorum.* Sed peto à vobis, vt claues nobis Regni, non portæ aperiantur inferni. Hæc ſi dignamini, omnia ante oculos pono. Hoc enim in me reprehendo, quòd dixerim vnam Dei, & hominis eſſe naturam. Ego non ſolum correctionem veſtram rogo, ſed & omnem præſumptionem meam de ſcriptis meis arguo, atque condemno. Sic ſenſi, teſtis eſt Deus. Si erraui, corrigite. Et paulo ante dixi, & nunc iterum repeto: In priori comprehenſione mea, & in principiis conuerſionis meæ, quæcumque ſcripſi, omnia me toto corde reſpuere. Excepto nomine Domini omnia anathematizo. Omnia quæ inueniuntur contra fidem, cum ipſo auctore condemno. *Poſt hæc Symphoſius ſuam confeſsionem emiſit, quâ peracta, proſequitur* Dictinvs: Sequor ſententiam Domini mei, & patris mei, & genitoris, & doctoris mei Symphoſij. Quæcunque locutus eſt, loquor. Nam ſcriptum legimus: *Si quis vobis aliter euangelizauit, præter quam euangelizatum eſt vobis, anathema ſit.* Et idcirco, omnia quæ Priſcillianus, aut malè docuit, aut malè ſcripſit, cum ipſo auctore condemno.

*Confeſsio, & abiuratio.*

*Math.* 16.

1. *Tim.* 6.

His *coram Concilio* Dictinvs *peractis, & hæreſibus toto corde damnatis, per Patres ad pœnitentiam admiſſus, Eccleſiæ gremio reſtitutus, certis conditionibus præmiſsis, & auditâ ſententiâ, à Concilio benignitatis apicibus fulminatâ, eaque ſuſceptâ, è Synodi cœtu humilis, & emendatus diſceſsit. Hinc fidelis veritatis per* Hiſpanias *Prædicator exiſtens, Catholicis maculam, & religioſis operibus antiquam abſtergere conabatur erroris. Hinc Suorum operum, quæ ante conuerſionem ſcripſerat dogmaticus; ſtrenuus erat, & veridicus propugnator, & hoſtis. Cuius exinde reductionis ſtatus, ita populis erroribus lapſis vtilis extitit, & ſuauis, Sacerdotibus, & clero delectabilis, & decorus; Pontificibus admirabilis, & honeſtus, quòd proculdubio toti Eccleſiæ dies ille alacritatis fuerit, & ſolemnitatis exemplar. Quid ergo? Virum eruditiſsimum, inter* Hiſpaniæ *Præſules omnibus clauſulis abſolutum, à fide deuium, fidei reſtitutum, qui diuinæ gratiæ nutu illuſtratus, velut alter* Auguſtinus, *ſi ante conuerſionem primus, & efficacior aduerſus Eccleſiam impugnator extiterat, poſt conuerſionem ſpecialis, & vnicus* Hiſpaniæ *doctor apparuit, Priſcillianum, & ſectarios verbis, & ſcriptis fidem Catholicam affirmantibus, mucrone veritatis confundens, agnouit.*

*Reſtituitur Eccleſiæ gremio.*

*Eius in fide conſtantia.*

Tantis *ſiquidem virtutum cumulis poſtmodum condecoratus effulſit, & tantis bonorum operum ſarcinis exornatus effloruit, vt Pontificalibus, quibus erat ſuſpenſus, functionibus reſtitutis,* Aſturicenſis *Sedis regimine fungeretur. In huius ergo muneris adminiſtratione, ſic vitam texuit, quòd totius Ordinis Pontificalis ſplendor in vno* Dictino *inueniretur compactus. Nam in eo tanta perfectionis gratia cœpit conuerſari, vt iam tunc in ipſis initiis perfectorum poſſet numero deputari. Inerat denique ei tanta abſtinentia in cibis, vigilantia in orationibus, ſtrenuitas in ieiuniis, aſsiduitas*

*Epiſcopus fit Aſturicenſis.*

*Templum B.V. Mariæ conſtruit.* *Moritur.* *Sepelitur.*

*in ſermonibus, vt infirmato corpore vix conſiſtere poſſet. Inter hæc demùm actiuæ vitæ pœnalia, vt B. Vir aliquid recreatus remitteret, manus, ad conſtructionem Templi proprias appoſuit, quod feliciter conſummauit, & B. V.* MARIÆ, *Dei-Genitricis nomini venerando dicauit. Denique inſtante vitæ termino, ſacramentis vallatus, & fidei profeſſione peractâ, omnibus valedicens, & ſuper cilicium poſitus beatum ſpiritum obtulit Redemptori*, Nono Kalend. Auguſti, *Anno Domini* CCCC. XX. *Cuius Corpus in eadem Eccleſia* B. MARIÆ, *quam ipſe propriis manibus extruxerat, ſepultum, innumeris coruſcauit miraculis. Præſtante D. N. Ieſu-Chriſto, qui de peccatoribus, fideles ſibi ſeruos conſtituit.*

*Carmen vitam cõplectens.* En ACTA, quorum ecphraſim ferè, vetuſtum *Epigramma MS.* apud me inter opera *Auli Hali* excriptum, confirmat. Cuius ſeriem hic tranſcribendam propoſui, & vt alia ſedarentur iurgia inter Scriptores, & vt ſuis Deus glorificetur in Sanctis.

## PRO S. DICTINO ASTVRICENSI Epiſcopo, & Confeſſore, Carmen Sepulchrale.

*Condita quæ cernis ſub ſaxo Corporis oſſa*
DICTINI *(is Præſul* Aſturicenſis *erat)*
*Tot clarent ſignis, tot iam miracula patrant,*
*Nullus vt in tumulo ſine ſalute fleat.*
*Ergo nefanda prius* Symphoſi, *errore, ſecutus*
*Dogmata, poſt Chriſti iura ſacrata colit.*
*Impia quæ ſcripſit dogmaticus omnia, cœtu*
*Pontificum damnat, atque petit veniam.*
*Hinc fidus, & doctus ſe Chriſti in lege Miniſter*
*Præbuit; errores ſcriptis, & ore ferit.*
*Poſtea magnificis plenus virtutibus, Aſtra*
*Conſcendit, linquens pignora ſancta ſuis.*
*Illaque ſub Templi, quod ſtruxerat ipſe Mariæ*
*Marmore, conduntur, quô pia mira facit.*
*Ter tria commemorat Sextilis ſæpe Kalendæ*
*Menſis, quô Paſtor ſydera celſa petit.*
*Binæ Centenæ duplicatis numeris Æra eſt,*
*Decies hinc Quinque Octoque ſimplicibus.*

*An Græcus origine?* Sed nihilominus aliqua illuſtrabimus, vt eruditis, & de antiquitate Eccleſiaſtica meritis, ſuauem bucceam propinemus. QVATENVS ad *Græcam* DICTINI originem, nullus adhuc contrarium aſſeruit, & omnes mecum fatentur, vt ex Ambroſ. Moral. *d. lib.* 11. *c.* 5. Ioann. Mariet. *d. lib.* 5. *c.* 6. & aliis probat D. Petr. Ayngo Ezpeler *d.* § 4. *n.* 37. *&* § *fin. n.* 63. & communis *S. E. Aſturicenſis* traditio.

*Corrigitur doctrinâ S. Ambroſij.* QVOD errores Priſcilliani reliquerit, *S. Ambroſij* Mediolanenſis Epiſcopi eruditione conuictus, locus eſt expreſſus Concilij I. Toletani. in Exemplar. Diffinitiuæ ſententiæ *fol.* 49. *apud Loayſ.* ſed clarius apud Flau. Dextr. *in Chron. Ann.* 388. *n.* 3. his verbis: *Aliquot Epiſcopi* Priſcillianæ *factionis, ad* Ambroſium *Mediolanenſem Epiſcopum*, Hiſpaniæ *Epiſcopis Catholicis fidei ac amicitiæ fœdere coniunctiſſimum, confugiunt qui anteactæ vitæ & ſuorum errorum valde dolentes, confeſſione ad gremium Eccleſiæ redire ſatagunt. In quibus* DICTINVS, *tunc Presbyter, poſtea verò Epiſcopus* Aſturicenſis,



Aſturicenſis, *Symphoſius Epiſcopus ex Gallæcia, & etiam alij complures.* Quo loco P. Biuar. *fol.* 413. *n.* 3. plura in huius rei probationem congerit; & D. Franciſcus Padill. *Cent.* 4. *c.* 70.

*Confeſſionis fidei emiſſio.* CIRCA Confeſſionem fidei, & hæreſis abiurationem in Concilio Patrum *Toletano*, videnda exemplaria Profeſſionum contra ſectam Priſcilliani, à *D. Garſ. Loayſa* edita poſt *Concil.* 1. *Tolet. fol.* 47. vbi ad longum huius profeſſionis euentus refertur. Quem & etiam referunt Scribentes, & præcipuè Idatius in *Chron. Ann.* 5. *Arcad. & Honor.* hac ſerie: *In Prouincia Carthaginenſi in Ciuitate* Toleto, *Synodus Epiſcoporum contrahitur; in qua (quod geſtis continetur) Symphoſius, &* DICTINVS, *& alij cum his Gallæciæ Epiſcopi, Priſcilliani ſectatores, hæreſim eius blaſphemiſſimam, cum adſertore eodem profeſſionis ſuæ ſubſcriptione condemnant.* Conueniunt Biuar. ad *Dextr. Ann.* 400. *n.* 1. *fol.* 424.

*Templum conſtruxit, & cui?* DE Baſilica, ſeu Templo ab ipſo S. Viro *Aſturicæ* conſtructo, & in eo poſt mortem tumulato, vulgaris eſt omnium Scribentium opinio, ex epigraphe Inſcriptionis, quæ adhuc viſitur in lapide NONNII Epiſcopi *Aſturicenſis*, quam refert Ambroſius Morales *d. lib.* 11. *c.* 5. *fol.* 10. Sed cui Diuo dicata, nullus aperit; B. MARIÆ Dei genitrici fuiſſe ſacratam elicitur ex vetuſto *Epigrammate, verſ.* 7.

*Illaque ſub* Templi, *quod ſtruxerat ipſe* MARIÆ
*Marmore, conduntur; quô pia mira facit.*

Hinc controuerſiam ſedabis circa locum ſepulturæ inter *Moralium*, & *Marietam*, & fuiſſe inibi tumulatumediſces.

*Quo die obiit?* DIES Obitus hucuſque *Aſturicenſibus* ignotus fuit, ideo feſtiuitatem ſui Patroni ad *Diem II. Iunij* celebrare conſueuere. Sed quòd iſte verus ſit tranſitus Dies pateſcit ex Epigrammatis *Octauo Diſthico*;

*Ter tria commemorat Sextilis ſæpe Kalendæ*
*Menſis, quô Paſtor ſydera celſa petit.*

Senſus eſt: *Menſis Sextilis, hoc eſt* Auguſti *Ter Tria*, id eſt *Nouem Kalendæ*, Paſtor, *id eſt* DICTINVS *Epiſcopus obiit*, hoc eſt *Die XXIV. Iulij.*

*Quo Anno?* ANNVS autem, vt ex *vltimo Diſthico* Carminis colligitur, quo S. Pontifex è viuis diſceſſit, CCCC. XX. numeratur, verba ſunt:

*Binæ Centenæ duplicatis numeris Æra eſt,*
*Decies hinc Quinque Octoque ſimplicibus.*

Ex quo *Diſthico* deſumitur *Æram*, quâ occubuit fuiſſe CCCC. L. VIII. hoc eſt Annus Chriſti, CCCC. XX. Nam duplicatis numeris *Binæ Centenæ Æræ*, erit Numerus CCCC. quibus additis *Decies Quinque, & Octo* Numeris ſimplicibus, erit LVIII. qui coniuncti Numero CCCC. tota Æra erit CCCC. LVIII. id eſt Annus Chriſti CCCC. XX.

# OCTAVO KAL.
## Auguſti.
## DIES XXV.

*A.* HISPANIÆ *celeberrima ſeculis omnibus adeſt feſtiuitas Prothomartyris Apoſtolorum, Hiſpaniæ Apoſtoli, & Vnici Tutelaris*, IACOBI *Zebedæi, qui cùm ſortione diuinâ, Pater, Paſtor, Doctor, Apoſtolus, & Magiſter Noſtras adiiſſet, Euangelium prædicaſſet, Eccleſias conſtruxiſſet, Epiſcopos ordinaſſet, Prædicatores elegiſſet, ſingulisque vrbibus ſingulos deſtinaſſet, miraculis claruiſſet, & munus Apoſtolicum in hiſce Occidentalibus exercuiſſet Regionibus, Ieroſolymam remeans, prope feſtum Paſchæ ab Herode Agrippa decollatus occubuit.*

*B.* VALENTIÆ *in Edetanis, & alibi veneratio Reliquiarum* S. CHRISTOFORI *Martyris in Lycia; cuius apud Hiſpanos glorioſa memoria ita efficaciter inoleuit, vt vix erit Oppidum, in cuius Eccleſia, aut eius proceritas depicta non adſeruetur, aut tanto Martyri Eremitorium haut inueniatur extructum.*

*C.* IRIÆ-FLAVIÆ *in Gallæcia Hiſpaniæ* S. CVCVFATIS *Martyris, qui in perſecutione Diocletiani Imperatoris, pro Chriſti nominis defenſione per dura ſupplicia ad præmium verus agoniſta deuenit. Cuius pignora ſacra Compoſtellam tranſlata ibidem debito cultus honore venerantur.*

*D.* BARCINONE *in Hiſpania alterius* S. CVCVFATIS *Martyris, qui à Præſide Daciano comprehenſus, pro fidei Catholicæ ſuſceptæ obſeruatione innumera ſuſtulit ſuppliciorum examina, donec gladio cadente victor in cœlum coronatus aſcendit.*

*E.* CORDVBÆ *in Bætica Hiſpaniæ* S. THEODOMIRI *Abbatis ex vrbe Carmone orti, qui cùm in iuuenili ætate mundi illecebras deſpexiſſet, & Monaſticam ſibi, vt Deo viueret, inſtitutionem paraſſet, ſuperato virtutum in Religione vertice, Abbatiatus onere cumulatus, tandem pro Chriſti prædicatione carceratus, à perfidis Sarracenis occiſus, martyrio coronam immarceſſibilem adinuenit.*



*F.* ARVNDÆ *in Bætica Hiſpaniæ Depoſitio ſacrati Corporis Beati* CHRISTOFORI *Romæ paſſi, quod, Monaſterium fratrum SSS. Trinitatis Excalceatorum, è Roma adlatum conſeruat, & honorifico cultu veneratur.*

---

# NOTÆ.

*Cur feſtiuitas hæc in hunc diē tranſlata?*

SANCTVS IACOBVS *Zebedæus Hiſpaniarum Apoſtolus.*] Eius feſtiuitas ad præſentem diem tranſlata ab Eccleſia dignoſcitur, quia cùm *Dies* paſſionis Apoſtoli fuiſſet VIII. *Kalend. Aprilis*; vt probauimus ſupr. *Tom. 2. Die XXV. Mart. fol.* 392. *lit. B.* & eo tempore, aut Quadrageſimali officio, aut feſto Paſchali Vniuerſalis occuparetur Eccleſia, ne Noſtri ſolemnia Apoſtoli indignè dimitteret, meritò ſolemnitatem Paſſionis S. IACOBI in hunc Diem, tanquam aliâ feſtiuitate vacuum, reiecit. Sit Calixtus Pont. Maxim. de *Miracul. S. Iacob. lib.* 3. *c.* 3. ſic ferè omnes Scribentes. Hoc ſic ſuppoſito venio ad elogia; de eo Menolog. Græcorum *Die XXX. April.* hac ſerie: S. IACOBI *Apoſtoli, fratris Ioannis Theologi, qui propter Chriſtianæ fidei confeſſionem ab Herode ſecuri percuſſus eſt.* Sed vt diximus cum Baron. in *Not. ad M. R. h. d. lit. A.* hic Græci de *Tranſlationis* feſtiuitate agunt. Conueniunt omnia Martyrologia Latina *Bedæ*, & aliorum antiquorum, & recentiorum cum *Romano*, his clauſulis: S. IACOBI *Apoſtoli, fratris B. Ioannis Euangeliſtæ, qui prope feſtum Paſchæ ab Herode Agrippa decollatus eſt. Eius ſacra oſſa ab Ieroſolymis ad* Hiſpanias *hoc die tranſlata, & in vltimis earum finibus* Gallæciam *recondita, celeberrimâ illarum Gentium veneratione, & frequenti Chriſtianorum concurſu, religionis, & voti causâ, illuc aduentantium, pie coluntur.* Omnia hæc ſuis idiomatibus tranſcribunt Martyrologia, Caſtellanum *P. Vaſq.* Luſitanum *P. Lup.* Hiſpanum MS. *P. Higuer.* & Italum *Conſtant. Felic.* Gallicanum *Andr. Sauſſay.* Celebris etiam fuit olim eius memoria in omnibus *Hiſpaniæ Breuiariis* antiquis, in quorum officiis præcipua tanquam de vnico, & ſingulari Patrono ſolemnitas repetitur. De eo etiam Vniuerſalis Eccleſiæ, & cæterarum Orbis Chriſtiani Eccleſiarum *Breuiaria.* De eo denique SS. Patres, Chronographi, Scriptores Eccleſiaſtici, Poëtæ, Flores SS. & alij, quorum numerum hic attexere prolixum erit, & potius faſtidium, quàm deuotionem generarent. Eius ACTA ſcripſere *Abdias Babylonius*, quæ ex Hebraica Linguâ in Latinum ſermonem tranſtulit *Iulius Africanus Hiſtoricus*; item illa latinè ſcripſit *Ioachimus Perionius*, & alij plures. Illa ex *Legendario Hiſpalenſi* dabimus, prout pleniora & Noſtratum traditioni conſona.

*Martyrologia.*

*Breuiaria Hiſpaniæ & alia.*

*Scriptores.*

## ACTA S. IACOBI MAIORIS, ZEBEDÆI filij, Ioannis Theologi fratris, Chriſti Diſcipuli, & Hiſpaniarum Apoſtoli, Patroni Vnici, & Tutelaris, ex Legendar. Hiſpalenſi, & aliis.

*Parentes.* *Nobilitas.*

IACOBVS Zebedæi, ex Maria ſorore Matris Dei, filiâ Salomè de Anna, & frater Ioannis Euangeliſtæ, filius, ex nobiliſsimâ Iudæorum progenie apud Bethſaidam Gallileæ oppidum natus, ab iuuentutis exordio, Ariſtobolo Zebedæo Patri in miniſterio piſcaturæ cohæſit. Quem poſtea cùm Saluator Noſter in naui cum Patre, & fratre vidiſſet, ſe ſequi iuſsit. Quod diuino compunctus amore fecit, adhæſitque Domino Noſtro Ieſu Chriſto, ex eo tempore non ſolum, vt Diſcipulus, quos multos habuit, verum etiam in Monte ad Apoſtolatus apicem ab eo vocatus eſt, & BOANERGES, hoc eſt filius Tonitrui dictus. Is vnus fuit ex Apoſtolis, quos Saluator maximè dilexit, & teſtes eſſe voluit ſuæ Transfigurationis, & intereſſe miraculo cùm Archiſynagogi filiam à mortuis excitauit, & adeſſe cùm ſeceſſit in Montem Oliueti, Patrem oraturus antequam à Iudæis comprehenderetur. Poſt eius igitur paſsionem, reſurrectionem, & in cælos aſcenſionem, cùm inter Apoſtolos Orbis Prouinciæ diuiderentur, vt in omnem terram fides propagaretur Catholicâ, diuinâ ſortione IACOBO Hiſpaniæ prædicatio contigit. Sed antequã vnuſquiſque in ſuam properaſſet Regionem, Concilium inter eos contractum eſt, vt vna eademque fides ab omnibus indiſcriminatim prædicaretur vbique: hinc Symbolum fidei compactum, ita vt IACOBVS tertiam fateretur ſententiam dicens: Credo & in IESVM-CHRISTVM, Filium eius vnicum, Dominum Noſtrum. Poſt hæc ſubortâ in fideles perſecutione ob Stephani Protho-Martyris necem, omnium Diſcipulorum diſperſio facta eſt, & IACOBVS per Samariam, & Iudæam prædicans, omnes illas prouincias viſitauit, ingrediens per Synagogas, & ſecundum Scripturas oſtendebat, omnia quæ à Prophetis prædicta erant, in Domino Noſtro Ieſu-Chriſto eſſe completa.

*Apoſtolatus.* *Hiſpaniæ Apoſtolus.* *Per Samariam prædicat.*

*In Hiſpaniã Chriſti & Virginis præcepto properat.*

HINC Ieroſolymam reuerſus, reuelante Spiritu-ſancto IACOBVS mandatum accepit à Chriſto, quatenus ad partes Hiſpaniæ, verbum Dei prædicaturus accederet. Ipſe verò ſtatim pergens ad B. V. MARIAM, oſculatis manibus, licentiam, & benedictionem, piis lachrymis poſtulauit. Ad quem Virgo: Vade (inquit) Fili mi, imple mandatum Magiſtri tui; & per ipſum te deprecor, quatenus in vna Ciuitate Hiſpaniæ, vbi maiorem numerum hominum ad fidem conuerteris, ibi Eccleſiam in mei memoriam, prout monſtrauero tibi, facias. Quo dicto IACOBVS more cæterorum Apoſtolorum, Duodecim præcipuis Diſcipulis comitatus in Hiſpanias deuenit, vbi fidem Chriſti, ſtupendis miraculis præcedentibus, inter quæ illud celebre antiqui Prophetæ per ſex fere ſecula mortui, reſurrectionis, quem Petrum vocauit, & Braccarenſis Eccleſiæ Epiſcopum elegit, ſeminauit. Hinc peragratis totius Regionis opulentioribus vrbibus, & in eiſdem Epiſcopis conſtitutis, Eccleſiis erectis, & eccleſiaſticis iuribus conſignatis, illuſtria in agro Dominico Hiſpaniæ fundamina poſuit. Inter hæc venit in minorem Hiſpaniam, quæ Celtiberia dicitur, vbi ſita eſt Cæſarauguſtana Ciuitas, ad Iberi fluminis ripam. Ibi IACOBVS multis diebus prædicans aliquos viros conuertit ad Chriſtum, cum quibus quotidie tractans de Regno Dei, exibat ex parte noctis ad ripam fluminis, quietis causâ, in loco vbi paleæ iactabantur. Ibi namque poſt ſoporem, orationi vacantes, turbationes hominum, & moleſtias Gentilium declinabant. Et ecce per dies aliquot, mediâ nocte luſtrante, ſtabat IACOBVS cum fidelibus ſupra dictis, contemplatione, & oratione fatigatis,

*Hiſpanias luſtrat.* *Cæſarauguſtam ingreditur.*



fatigatis, cæteris verò ſopore deditis, in hora ipſius mediæ noctis audiuit voces Angelorum cantantium AVE MARIA, GRATIA PLENA, quaſi ſuaui Inuitatorio, Matutinale VIRGINIS Officium inchoando: qui ſtatim flectens genua ſua vidit VIRGINEM-MATREM CHRISTI, inter duos choros Millium Angelorum ſuper PILARE quoddam Marmoreum reſidentem. Concentus igitur cæleſtis militiæ Angelorum Matutinale VIRGINIS cum verſu BENEDICAMVS DOMINO compleuerunt. Quo finito piiſsimus vultus B. VIRGINIS MARIÆ Apoſtolum Sanctum, ad ſe quàm dulciter euocauit. Ecce (inquit) IACOBE fili, locus ſignatus, meoque honori deputatus, in quo, in mei memoriam, tuâ induſtriâ, hæc mea conſtruatur Eccleſia. Conſpice quinimò PILARE hoc in quo ſedeo, nam Filius meus, Magiſter tuus, per manus Angelorum illud tranſmiſit ex alto, circa cuius ſitum Capellæ Altare locabis; in quo præſertim loco, precibus, ac reuerentiâ meâ, ſigna, ac mirabilia Altiſſimi virtus operabitur admiranda; illis nimirum, qui in ſuis neceſſitatibus, meum auxilium implorabunt. Eritque PILARE iſtud in loco iſto vſque ad finem mundi, & Chriſtum colentes nunquam ex hac vrbe deficient.

*Virgò MARIA apparet Iacobò.* *Oratorium ſibi petit dicari.*

TVNC hilaratus lætitiâ multâ IACOBVS innumeras gratias Chriſtò referens, eaſdem retulit GENITRICI. Et ecce ſubito cæleſtis illa concio Angelorum, Dominam cælorum ſuſcipiens ad Ieroſolymam vrbem reduxit, & in ſuam cellulam conlocauit. BEATVS autem IACOBVS de tanta viſione, & conſolatione congaudens, continuò cœpit ibi ædificare Eccleſiam, iuuantibus, quos ad fidem conuerterat, ſupradictis. Hæc eſt enim PRIMA Mundi ECCLESIA in honorem VIRGINIS Apoſtolicis manibus dedicata. Hæc eſt Angelica Camera primordiis Eccleſiæ fabricata. Hæc eſt Aula ſanctiſsima ſæpius per Virginem viſitata. Quibus ſic peractis, Cæſarauguſtam relinquere cogitans, Theodorum vnum ex Diſcipulis ſuis apud Baſilicam hanc Angelicam cuſtodiendam conſtituens Epiſcopum cum lachrymis diſceſsit, vt cæteras Iberiæ vrbes luſtraret, & ſui muneris onera perfecta diſpoſitione compleret. Hinc conſummato miſsionis itinere, & conſtitutis Elpidio Toleti; Petro, nuper à mortuis ſurrecto, Braccaræ Auguſtæ; Athanaſio Cæſarauguſtæ; Baſilio Carthagine Sparrariâ; Eugenio Valentiæ in Edetanis; Agathodoro Tarracone; Etherio Barcinone; Capitone Luco Auguſto; Ephrem Aſturicâ; Neſtore Pallentiâ, & Arcadio Iuliobrigâ, Epiſcopis, aliiſque per diuerſa loca, Ieroſolymam cum cæteris pediſequis reuertitur, Gallias, & Britannias ſuâ Apoſtolicâ viſitatione, & doctrinâ, tanquam tonitrui filius illuſtrans.

*Eccleſiam de Pilari conſtruit Apoſtolus.* *Theodorũ in Pilari reliquit.* *Ieroſolymã reuertitur.*

IGITVR Ieroſolymam perueniens, B. VIRGINIS domum ingreſſus, eius ſacratiſsimâ viſione recreatus, quæ ſibi in Hiſpania acciderant patefacit eidem, & Ioanni Fratri, qui indiuiduus Deigenitricis ſemper extitit comes, & pediſequus. Tùm IACOBVS profectioni ad prædicandum Apoſtolorum Andreæ, Thomæ, Philippi, Bartholomai, Simonis, Iudæ, Matthæi, & Mathiæ, interfuit. Poſt cum B. VIRGINE, Ioanne fratre, Lazaro, Martha, & Maria Epheſum proficiſcitur, vbi etiam verbum Dei infatigabiliter prædicat, donec Ieroſolymam poſt temporis excurſum cum cæteris reuerſus, aſtitit conſecrationi Templi ſacri Nazareth, in æde, quâ VIRGO Deum concepit, cùm priùs emiſiſſet Epiſtolam Canonicam Iudæis in diſperſione conſtitutis; aduerſus quos Ieroſolymis inſurgere cœpit. Quod dum fieret, opponebant ſe S. Apoſtolo Hermogenes, & Philetus, aſſerentes quòd non verus Dei filius eſſet IESVS-CHRISTVS Nazarenus, cuius ſe ille Apoſtolum memoraret. IACOBVS autem in Spiritu ſancto confidenter agens, omnes aſſertiones eorum euacuauit, oſtendens de Scripturis Sacris hunc eſſe verum Filium Dei, generi humano promiſſum. Quâre motus Philetus, cùm IACOBI prudentiam admiraretur, reuerſus ad Hermogenem dixit ei: IACOBVM, qui ſe ſeruum Chriſti Ieſu Nazareni aſſerit, & Apoſtolum eius, ſcias ſuperari non poſſe; nam in nomine eius vidi eum dæmones ex obſeſſis corporibus eiicientem: vidi eum & cæcos inluminantem; leproſos mundantem. Adſerunt

*Geſta per eum Ieroſolymis.* *Hermogenis & Phileti contrarietas.* *Iacobi miraculæ ex confeſſione Phileti.*

Adſerunt enim amiciſſimi mei, quod viderint inſuper, eum mortuos ſuſcitantem. Sed quid multis moramur? Omnes Scripturas ſacras memoriter tenet, ex quibus oſtendit, non eſſe alterum filium Dei, niſi illum, quem Iudæi crucifixerunt. Quare ſi conſilio meo obtemperas, eamus ad eum, & indulgentiam impetremus. Quod ſi non feceris, ego ſaltem, relicto te, ad ipſum me conferam, vt Diſcipulus eius eſſe merear. *Quæ vt audiuit* Hermogenes, *irâ ſuccenſus*, Philetum *vinculis Magicis conſtrinxit, & ait*: Videbimus ſi IACOBVS tuus ſoluat te. *Philetus autem miſit feſtinanter puerum ſuum ad Apoſtolum, vt ei nuntiaret, quæ geſta eſſent. Tum B. Apoſtolus ſtatim miſit ſudarium ſuum* Phileto, *dicens*: Dominus IESVS-CHRISTVS erigit alliſos, & ipſe ſoluit compeditos. *Statim autem, vt de ſudario eius tetigit eum is qui miſſus erat, reſolutus à vinculo Magi currens venit ad* IACOBVM, *& cœpit inſultare maleficiis Magiſtri.*

*Philetum liberat Iacobus.*

VERVM Hermogenes *Magus dolens, quòd ei inſultaret, arte ſuâ excitauit dæmones, & miſit eos ad Apoſtolum dicens*: Ite & ipſum IACOBVM mihi, & ſimul *Philetum*, Diſcipulum meum adducite, vt vindicer in his, ne mihi, & cæteri diſcipuli mei ita illudant. *Venientes igitur dæmones vbi* IACOBVS *orabat, vlulatum in aëre habere cœperunt, dicentes*: IACOBE Apoſtole Dei miſerere noſtri: quia antequam veniat tempus incendij, nos etiam exurimur. *Quibus* IACOBVS: Vt quid veniſtis ad me? *Dicunt ei Dæmones*: Miſit nos *Hermogenes*, vt te, & *Philetum* ad ipſum perduceremus. Mox autem vt ingreſſi ſumus, Angelus Dei Sanctus catenis igneis religauit nos, & miſerere cruciamur. *Dicit eis* IACOBVS: In nomine Patris, & Filij, & Spiritus-Sancti exoluat vos iterum Angelus Dei, ita vt reuertentes ad *Hermogenem*, non eum lædatis, ſed vinctum huc illum ad me adducatis. *Qui cùm abiiſſent, ligauerunt* Hermogeni *ad tergum manus de reſtibus, & ita vinctum adduxerunt eum ad Apoſtolum dicentes*: Ad quem nos miſeras, cùm incenſi flagraremus, ecce hunc adducimus tibi. *Ad quem Apoſtolus Dei*: Stultiſſime hominum (*inquit*) cùm inimicus generis humani rationem tecum haberet, quare non conſideraſti quos ad læſionem meam mitteres? Sed tamen illos adhuc non permitto, vt furorem ſuum tibi oſtendant. *Clamabant tunc ipſi dæmones*: Da nobis eum in poteſtatem, vt poſſimus & tuas iniurias vindicare, & noſtra incendia. *Ad quos Apoſtolus*: Ecce (*inquit*) Philetus ante vos ſtat, cur eum non tenetis? *Dicunt ei dæmones*: Nos non poſſumus nec formicam contingere, quæ in cubiculo tuo eſt. *Tunc* B. IACOBVS *ad* Philetum *ait*: Vt cognoſcas ſcholam D. N. Ieſu-Chriſti hanc eſſe, & vt diſcant homines bona pro malis reddere, ille te ligauit, tu eum ſolue. Ille te vinctum à dæmonibus ad ſe conatus eſt adducere; tu eum captum à dæmonibus liberum ire permitte. *Itaque vt ſoluit eum* Philetus, *deiectus, & confuſus ſtetit* Hermogenes.

*Dæmones ab eo miſericordiam petunt.*

*Illos à catenis igneis exoluit.*

*Dæmonum reuerentia ad Apoſtolum.*

*Pietas Apoſtoli, in ſolutione Magi.*

HINC *ad eum conuerſus Apoſtolus Domoni*: Vade liber, quocunque volueris. Non eſt enim diſciplinæ noſtræ, vt inuitus aliquis conuertatur. *Dicit ei Hermogenes*: Ecce noui iras dæmonum, niſi mihi dederis aliquid, quod mecum geram, tenebunt me, & me diuerſis cruciatibus interficient. *Cui* B. IACOBVS: Accipe baculum itineris mei, & cum eo perge ſecurus quocunque volueris. *Qui accipiens baculum Apoſtoli abiit ad domum ſuam. Et haut mora, collectis libris Magicis, Zabyras plenas ad Apoſtolum adtulit ceruicibus & ſuis, & diſcipulorum impoſitas, & cœpit eos ignibus coram eo comburere. Sed* IACOBVS *prohibuit*: Ne fortè odor incendij (*inquit*) vexet incautos: appende Zabyris lapides, & plumbum, & mitte in mare. *Quod cùm feciſſet* Hermogenes, *reuerſus cœpit tenere plantas Apoſtoli, rogans eum & dicens*: Animarum liberator, accipe pœnitentem, quem inuidentem, & detrahentem hactenus ſuſtinuiſti.

*Ζαβειρόν. Græcè armamentorum repoſitorium eſt.*



ſuſtinuiſti. *Reſpondens* IACOBVS *dixit*: Si veram Deo pœnitentiam obtuleris, veram eius indulgentiam conſequeris. *Dicit ei Hermogenes*: In tantum veram Deo pœnitentiam offero, vt omnes codices meos, in quibus erat inclyta præſumptio, abiecerim, & omnibus ſimul artibus renuntiauerim inimici. *Tunc S. Apoſtolus*: Vade (*inquit*) per domos eorum quos euertiſti, vt & reuoces Domino quæ tuliſti. Doce hoc eſſe verum, quod antea docebas eſſe falſum; & hoc eſſe falſum, quod modò docebas verum. Idolum quoque quod adorabas, & diuinationes tibi putabas ab eo reſponderi, confringe. Præterea pecunias, quas malo opere acquiſiſti, bonâ ratione expende, vt ſicut fuiſti filius diaboli, imitando diabolum, efficiaris ita filius Dei ſequendo Deum, qui quotidie etiam ingratis præſtat beneficia, & ſe blaſphemantibus exhibet alimenta. Si enim cum malus eſſes circa Deum, bonus circa te extitit Dominus, quantò magis erit circa te benignior, ſi Magus eſſe ceſſaueris, & bonis ei operibus cœperis complacere? *Hæc & his ſimilia dicente* IACOBO, *in omnibus obtemperauit* Hermogenes, *& ita cœpit in Dei eſſe timore perfectus, vt etiam virtutes per eum plurimæ fierent à Domino.*

*Hermogenis conuerſio.*

*Iacobi iuſſto ad reſtitutionem.*

*Virtutes fiebant à Domino per Hermogenem.*

VIDENTES *igitur Iudæi, quia hunc Magum, quem inuictum putabant, ita conuertiſſet Apoſtolus, & omnes ſimul Diſcipulos, & amicos eius qui ſolebant ad Synagogam conuenire*, IESV-CHRISTO, per IACOBVM *credidiſſe, obtulerunt pecunias Centurionibus duobus, qui præerant Ieroſolymis, Lyſiæ, & Theocrito, vt comprehenderent* IACOBVM. *Exortâ autem à populo ſeditione, cum duceretur in cuſtodiam, dicebant ei Phariſæi*: Vt quid prædicas IESVM, hominem quem inter latrones crucifixum omnes ſcimus? *Ad quæ* IACOBVS *repletus Spiritu-Sancto*: Audite me (*inquit*) viri fratres, & omnes qui Abrahæ eſſe cupitis filij. Promiſit Deus patri Noſtro Abrahæ, quòd in ſemine eius hæreditarentur omnes Gentes. Semen autem eius non eſt ſuper Iſmaël, ſed ſupra Iſrael. Ille enim cum matre ſuâ Agar eiectus, à portione ſeminis Abrahæ excluſus eſt. Abrahæ à Deo dictum eſt, quia in Iſaac vocabitur tibi ſemen. Amicus autem Dei Abraham, pater noſter appellatus eſt, antequam circuncisionem acciperet, & antequam Sabbatha coleret, & antequam legem aliquam diuinæ conſtitutionis ſciret. Amicus autem factus eſt, non quidem circuncidendo ſe, ſed credendo in Deum, hoc, quod in ſemine eius hæreditarentur omnes Gentes. Si ergo Abraham amicus factus eſt credendo, conſtat inimicum Deo eſſe, qui non credit in Deum. *Hæc cum diſſeruiſſet Apoſtolus, dixerunt Iudæi*: Et quis eſt qui non credit in Deum? IACOBVS *reſpondit*: Qui non credit, quòd in ſemine Abrahæ hæreditentur omnes Gentes: Qui non credit *Moyſen* dicentem: *Suſcitabit vobis Prophetam magnum, ipſum audietis tanquam me, per omnia quæ præceperit vobis.* Hoc autem præmiſſum *Eſaias* prædixit, quo ordine fieret, & ait: *Ecce Virgo in vtero concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius* Emmanuel, *quod eſt interpretatum*: Nobiſcum Deus. Addit *Ieremias*: Ecce veniet Redemptor tuus Ieruſalem, & hoc eius ſignum erit: Cæcorum oculos aperiet, ſurdis reddet auditum, & voce ſuâ excitabit mortuos. *Ezechiel* hunc ipſum deſignat, dicens: *Veniet Rex tuus Sion, venit humilis, & reſtaurat te.* Daniel quoque dicit: *Sicut filius hominis ita adueniet, & ipſe obtinebit principatus, & poteſtates.* Prædixit hunc & Dauid: *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu.* Et Patris vox de Filio dicit: *Ipſe inuocabit me, Pater meus es tu, & ego primogenitum ponam illum, excelſum apud Reges terræ.* Et iterum: *De fructu ventris tui ponam ſupra ſedem meam* Quin & paſſionem eius prædixerunt Prophetæ; Iſaias enim dicit: *Sicut ouis ad occiſionem ductus eſt.* Et Dauid in perſona eius dicit: *Foderunt manus meas, & pedes meos, dinumerauerunt omnia oſſa mea. Ipſi autem conſiderauerunt, & inſpexerunt*

*Capitur Apoſtolus.*

*Iudæos redarguit, & conuincit.*

*Vaticinia Prophetarum de Chriſto.*

*In Conceptione, & Natiuitate.*

*De Paſſione.*

*me, diuiſerunt ſibi veſtimenta mea, & ſuper veſtem meam miſerunt ſortem.* Et alio loco Dauid ait: *Dederunt in eſcam meam fel, & in ſiti mea potauerunt me aceto.* Et iterum de morte eius vaticinatus: *Caro mea requieſcet in ſpe, quoniam non derelinques in inferno animam meam, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem.* Vox autem Filij ad Patrem dicit: *Exurgam adhuc, & tecum ſum.* Et iterum: *Propter miſeriam inopum, & gemitum pauperum, nunc exurgam dicit Dominus.* De Aſcenſione præterea illius, dictum eſt à Propheta: *Aſcendit in altum, captiuam duxit captiuitatem.* Et iterum: *Aſcendit Deus in iubilatione.* Et rurſus: *Aſcendit ſuper Cherubim & volauit.* Item Anna mater S. Samuelis dicit: *Dominus aſcendit in cælos, & tonat.* Et multa alia inueniuntur in lege de *Aſcenſione* eius teſtimonia. Nam quòd ſedeat ad dexteram Patris, item Dauid inquit: *Dixit Dominus Domino meo ſede à dextris meis.* Et quod venturus eſt iudicare ſeculum per ignem, dicit Propheta. Et iterum: *Dominus manifeſte veniet, Deus noſter, & non ſilebit. Ignis in conſpectu eius ardebit, & in circuitu eius tempeſtas valida.* Hæc omnia in Domino Noſtro Iesv-Christo & impleta ſunt partim quæ fuerunt prædicta; & quæ nondum facta ſunt implebuntur propediem, ita ſicut Prophetæ prædixerunt vobis. Ait enim Iſaias: *Surgent mortui, & reſurgent, qui in monumentis ſunt.* Si interroges: Quid erit, ſi reſurrexerint? Reſpondit Dauid, audiuiſſe ſe Dominum loquentem: *Semel locutus eſt Deus, duo hæc audiui: Quia poteſtas Dei eſt, & tibi Domine miſericordia, quia reddes vnicuique ſecundum opera ſua.* Vnde Viri Fratres, vnuſquiſque veſtrum pœnitentiam agat, vt non recipiat ſecundum opera ſua, qui ſe ſcit participem eſſe eorum, qui cruci affixerunt eum, qui mundum totum à cruciatibus liberauit. Si quidem è ſputamento ſuo oculos cæci nati inluminauit: & vt probaretur ipſe eſſe qui Adam de limo terræ formauerat, lutum fecit de ſaliua ſua, & impoſuit oculis, & ſanauit eos. Et cum Nos Diſcipuli eius interrogaſſemus illum, qui peccaſſent, hic an parentes eius, vt cæcus naſceretur? Reſpondit nobis Magiſter dicens: *Nec hic peccauit, neque parentes eius, ſed vt manifeſtentur opera Domini in eo*: id eſt, vt manifeſtus fieret artifex, qui eum fecerat, cùm ipſe faceret, quod minus fuerat factum. Nam & hoc quod pro bonis mala recepturus eſſet, prædictum eſt in perſona, per Dauid Regem, cum diceret: *Retribuebant mihi mala pro bonis, & odium pro dilectione mea.* Denique poſt tanta beneficia in Iudæos conlata, cùm tot paralyticos curaſſet, leproſos mundaſſet, tot dæmones fugaſſet, & mortuos ſuſcitaſſet, omnes vnâ voce clamauerunt: *Reus eſt mortis.* Præterea quòd à ſuo Diſcipulo tradendus fuerat, hoc ordine item prædictum fuit à Dauid: Qui edebat panem meum ampliauit aduerſus me ſupplantationem.

*De Reſurrectione.*

*De Aſcenſione.*

Hæc omnia Viri Fratres, filij Abrahæ prædixerunt, loquente per os eorum Spiritu-ſancto. Nunquid ſi hæc non credimus, poterimus euadere perpetui ignis ſupplicium, aut non meritò puniendi erimus? Cùm etiam Gentes credant vocibus Prophetarum: Nos verò populus quondam electus, nullam Patriarchis, & Prophetis noſtris fidem adhibebimus? Equidem cenſeo erubeſcenda, & punienda tot factis, & ſceleribus crimina, lachrymoſis vocibus lugenda eſſe nobis, vt pœnitentiam noſtram pius indultor accipiat: ne illa nobis tandem eueniant, quæ Gentilibus, maioribuſque noſtris acciderunt. Aperta eſt terra, & deglutiuit Dathan, operuit ſuper Synagogam Abyron. Exarſit ignis in Synagoga eorum, & flamma conſumpſit peccatores. *Hæc cùm diſſeruiſſet, non ſine admiratione, & ſingulari gratia Dei coram turbis, clamauerunt omnes vnâ voce dicentes: Peccauimus, iniuſte egimus: da nobis remedium quid faciamus. Quibus* Iacobvs *ait:* Viri fratres nolite deſperare: Credite, & baptizamini, vt deleantur peccata veſtra.

*Cum*



*Cum itaque poſt hunc ſermonem B. Apoſtoli, multi ex Iudæis baptizati eſſent, Abiathar Pontifex anni illius, videns magnum quotidie populum in* Iesvm *credere, per pecunias excitauit ſeditionem grauiſſimam, ita vt vnus ex Scribis Phariſæorum mitteret funem in collum Apoſtoli, & perduceret eum ad Prætorium Herodis Regis. Is Archelai filius erat; qui vt cauſam accepit, iuſſit* Iacobvm *decollari. Cúmque duceretur ad locum ſupplicij, vidit paralyticum iacentem, & clamantem ſibi:* Vir ſancte libera me à doloribus, quibus omnia membra mea cruciantur. *Ad quem conuerſus Apoſtolus.* In nomine (*inquit*) Cruxifixi Domini mei Iesv-Christi pro cuius fide ducor ad mortem, exurge ſanus, & benedic Saluatorem tuum. *Tùm protinus paralyticus ſurrexit, & cæpit gaudens currere, & benedicere nomen Domini* Iesv. *Quod videns Phariſæorum Scriba, quem diximus funem collo Apoſtoli circundediſſe,* Ioſias *nomine, procidens ante pedes Apoſtoli:* Obſecro te (*ait*) vt des mihi indulgentiam, & facias me nominis Sancti participem. *Ad quem conuerſus* Iacobvs *dicit:* Tu credis, quia Dominus Iesvs-Christvs, quem crucifixerunt Iudæi, ipſe ſit verus Filius Dei viui? *Quæ videns Abiathar Pontifex, ſcribam iuſſit comprehendi, & dixit ei*: Si non diſceſſeris à Iacobo, & maledixeris nomen Iesv-cum ipſo decollaberis. *Cui Ioſias*: Maledictus (*inquit*) tu, & maledicti omnes dies tui. Nomen autem Domini Iesv-Christi, quem Iacobvs prædicat eſt benedictum in ſecula. *Tunc Abiathar felle ſuccenſus pugnis cædere Scribam præcepit, & miſsâ relatione de eo ad Herodem, impetrauit vt ſimul cum* Iacobo *decollaretur.* Iacobvs *igitur cum* Ioſia *ductus ad locum ſupplicij, antequam decollaretur, rogauit ſpiculatorem, vt aquæ illi facultas fieret, & allata eſt ei lagena plena cum aqua. Quam accipiens Apoſtolus:* Credis (*inquit*) in nomine Iesv-Christi Filij Dei? *At ille dixit:* Credo. *Et perfudit eum* Iacobvs, *& dixit*: Da mihi pacis oſculum. *Cumque oſculatus eſſet eum, poſuit manum ſuper caput eius, & benedixit eum, & fecit ſignaculum Crucis Chriſti in fronte eius, & haut mora, ceruicem ſpiculatori porrexit. Poſt &* Ioſias *perfectus iam in fide martyrij palmam exultans accepit.* B. Iacobi *Apoſtoli ſacra oſſa ad* Hiſpaniæ *partes tranſlata, & in* Galleciæ *finibus condita, celeberrimâ multarum gentium veneratione coluntur. Præſtante Domino Noſtro Ieſu-Chriſto qui cum Patre, & S. Spiritu viuit in ſecula.*

*Capitur Apoſtolus.*

*Curat paralyticum.*

*Ioſiam conuertit.*

*Decollatur Iacobus, & Ioſias cum eo.*

*Corpus Apoſtoli in Hiſpaniam.*

Hæc ſunt Acta, ab *Abdia* Babyloniæ Epiſcopo, & *Legendario Hiſpalenſi*, cæteriſque vetuſtiſſimis *Hiſpaniæ*, additis nonnullis, quæ in Actis hucuſque editis deſiderabantur, conſcripta. Sed quia illa quæ addidimus illuſtrationem requirunt, ſingula percurremus.

Primvm de Patre, quem diximus *Ariſtobolum Zebedæum* appellatum fuiſſe. Sed quia omnia quæ poſſent excogitari ſupra *Tom. 2. Die XV. Mart. lit. K. fol. 262.* & ſequentibus, compulſauimus, ne eadem repetam, illuc Lectorem mittimus.

*Pater Ariſtobolus Zebedæus.*

Secvndvm de Matre, quam *Mariam Salomè* vocauimus, eamque *S. Annæ* filiam numero *Tertiam*; de huius veritatis apicibus, ad amuſſim dicemus infra *Tom. 5. Die XXIII. Octobr. lit. B.* & aliqua tumultuariè congeſſimus ſupra *d. Tom. 2. Die XV. Mart. fol. 270.* vbi Noſtrarum Eccleſiarum hymnos à nemine adductos, hanc ſententiam ſolidantes, & totam Apoſtoli Noſtri nobilitantem aſſerentes, ſubiunximus.

*Mater Maria Salomè.*

Tertivm de *Nobilitate*, & generis proſapiâ Iacobi Noſtri, hic ſpecialiter agendum eſt; prout de illa geſſere D. Maur. Caſtell. *Hiſtor. Compoſtell. lib. 1. cap. 1.* Ambroſ. Moral. *Hiſtor. Hiſpan. lib. 9. c. 7.* D. Franc. Padill. *Hiſtor. Eccleſ. Hiſpan. Tom. 1. Cent. 1. c. 7.* P. Truxill. in *Theſaur. Concionat. Tom. 2. fol. 1332.* D. Michael de Erze de *Aduent. S. Iacob. 2. p. Tract. 1. c. 1. & 6.* D. Antonius Calderon, nunc meritiſſimus Granatenſis Archiepiſcopus, de *Excellent. S. Iacob. Tom 1. c. 3 n. 23.* & Nos ſupra *d. Tom. 2. Die XV. Mart. fol. 269.* Hanc igitur nobilitatem in Ioanne fratre germano Iacobi faſſus eſt Ieronymus Stridonenſis in *Tom. 1. Epiſt. 16.* hiſce verbis: *Vnde & Ieſus* Ioannem *Euangeliſtam amabat plurimùm, qui propter generis no-*

*Apoſtoli nobilitas.*

*Ioſeph ab Arimathia Patruelis Ariſtoboli Zebedæi.*

*bilitatem erat notus Pontifici, & Iudæorum inſidias non timebat.* Iulianus Archipreſbyter Toletanus in *Aduerſ. n.* 60. Zebedæum Patrem *Iacobi* Noſtri, patruelem *S. Ioſephi ab Arimathia* conſtituit. Qui *Ioſephus* pleno ore ab Euangeliſta vocatur *Nobilis* Decurio. Ex quibus probatur expreſsè *Nobilitas* hæc ex parte etiam Patris, prout etiam ex parte *Matris Mariæ*, quam prout germanam *Dei Genitricis*, & nobiliſſimam nullus dubitauit. Hinc Hymnus Iacobi:

*Tu generoſo ſanguine*
*Coniunctus Dei Filio.*

*Aduentus eius in Hiſpanias.*

Vt in antiquis *Breuiariis* Hiſpaniæ ad Veſperas. Et alterum cuius carmina dedimus ſupra d. *Die XV. Mart. fol.* 269.

QVARTVM de *Aduentu* S. IACOBI *in Hiſpanias.* De quo Scriptores huiuſmodi Aduentum affirmantes, innumeri reperiuntur, quorum nomina hic inſerere prolixum; maximè cùm iam S. Mater Eccleſia in nuperrimo *Vrbani* VIII. Pont. Maxim. *Breuiario* hanc ſententiam probauerit. Aliquorum nomina coniunxere P. F. Franc. Ieſus in *Libell. de S. Iacob. Diſcurſ.* 2. Don Ioſeph. Pellizer in *Lection. Solemn. ad D. L. Gongor. fol.* 646. Illuſtriſſimus ac Reuerendiſſimus D. D. Antonius Calderon Granatenſis Archiepiſcopus electus, de *Excellent. S. Iacob.* vbi *Alphabeticè* illos enumerat, & plures auget. Hinc eorum labores excribere renuens, Scriptorum huiuſmodi nomina omittere decreui, & Opuſculum AVLI HALI Burdigalenſis, & Ciuitatis Toletanæ Ciuis (cuius meminit *Iulianus* Noſter Archipreſbyter Toletanus in *Chron. Ann.* 1132. *n.* 633. hoc elogio: *Viuebat hoc tempore iam ætate decrepitus* AVLVS HALO, *Poëta* Burdigalenſis, *donatus Ciuitate* Toleti *ab Imperatore* Alfonſo VI. *quem dicunt veniſſe ex Gallia cum D. Regina* Conſtantia, *filiâ Regis Gallorum* Henrici, *ſorore Regis Philippi, cui munificus Imperator dederat villulam, Arabicè dictam* Menalhabiam, *ab aliis vocatam Villam* Halonis *Poëtæ: ſemper enim hic Poëta celebris fuit. Scripſit enim elegantiſſimo carmine* Aduentum S. IACOBI Zebedæi *filij ad* Hiſpanias, *fundationem ab eodem factam* B. MARIÆ *Cæſaraugustanæ de* PILARI. *Idque vno Libro verſibus Heroicis, & alia, quæ dedicauit D.* Bernardo *Archiepiſcopo Toletano)* à me *Toleti* inuentum, & Notis illuſtratum, & *Madridij* ſub tutelâ Illuſtriſſimi, & Reuerendiſſimi D. ac D. mei D. DIDACI DE ARZE REYNOSSO Epiſcopi, Generalis Hiſpaniarum Inquiſitoris contra hæreticam prauitatem, editum Anno M.DC.XLVIII. hic, omiſſis *Notationibus*, ne volumen hocce aut implicent, aut amplificent, ſubiicere conſtitui, & vt *Iuliani* auctoritas conſeruetur, & vt *Aduentus in Hiſpanias* Noſtri Apoſtoli, tanti Poëtæ vetuſtiſſimi affirmatione, & confirmatione credatur. Poëma ſanè, vt ea erant tempora, non aſpernandum, proſodiam ſi excipias, quâ ſupina eius ætatis ſocordia claudicat. Ante Quingentos enim, vt præſefert, Annos fuit decantatum: quo prædicto, veniam eorum, quæ forſan Romani, vel huius temporis cenſores efflagitare poſſent, leniter omnino meretur. En ſeries

*Auli Hali Poëtæ Poëma.*

*Nouiter editum & Notis illuſtratum Anno 1648. abs Auctore.*

# AVLI HALI, POETÆ TOLETANI CARMEN HEROICVM.

In Aduentu Sanctiſſimi Patris Noſtri IACOBI, Hiſpaniarum Apoſtoli, & Patroni Maximi.

*AD SANCTISSIMVM*

BERNARDVM TOLETANVM ANTISTITEM, & Hiſpaniarum Primatem Dominum, & Patronum ſuum.

PLVRIMA *ſic Dominus fulgeſcere lumina ſeclis*
*Præcepit, tetricas humanæ noctis vt vmbras*





*Clareret ſuprema poli de culmine flamma:*
*Ergo licet natus Deo, hîc de lumine Chriſtus*
*Lux ſit ſumma Deus; Sanctos quoque iure lucernæ*
*Eccleſiæ rutilare dedit; quibus igne Magiſtro*
*Senſibus inſtet amor, ſermonibus æſtuet ardor,*
*Multifidos verum lychnos, qui ſparſit in Orbem,*
*Vt cunctum noua lux fidei, face fusâ ſub axem,*
*Omnia ſidereis virtutibus arua repleret.*
*Vltima ſic Noſter compulſus ſorte* IACOBVS
*Illicò totius* Hiſpaniæ*que cacumina luſtrat,*
*Cum* Duodeno *ſectante choro, cui ore Magiſter*
*Tunc ſacra meliori firmauit robore corda.*
*Huius in* Hiſpanias ADVENTVM *edicere Præſul*
*Nunc* Toletane *iubes: fidei promiſſa reſoluo.*
*Cuius cuncta licet nequeam, tamen inclyta malim*
*Commemorans operum, veſtigia tangere verſu:*
*Queis pateant interna ſacræ fundamina legis,*
*Tu, rogo, ſumme iuua donorum Spiritus auctor,*
*Te ſine, nam digne fari mea gratia neſcit:*
*Flammiuomiſque ſoles dare iam noua famina linguis,*
*Munera da linguæ, ſcribenti dona* IACOBI.

POST *Chriſtus completa necis mandata Parentis,*
*Funere finito, proprio tunc corpore ſumpto,*
*Poſt triduum viuus (populo mirante) reſurgit:*
*Qui demùm poſt Quatuor eius à tempore Soles*
*Decem, conſpicuus ſuperas volitauit ad arces;*
*Denique iam Spiritus almi prolapſa loquela;*
*Vltima ſextilis die, iam iam tempora clamant,*
*Vt Noſtri mandata Patris concredita ſoluant.*
*Tunc electa cohors Marci conquærita domo*
*Conuenit in vnum: ſic conciliatuque cœtu*
*Diuinâ aſpirante manu, quot condita mundi*
*Cuilibet obtingit Patrum educere Regna*
*Carcere de tanti vaſto confuſa Tyranni.*
Hiſpaniæ *tunc Regna (Deo inſpirante)* IACOBO
*Contingunt. Populos (tunc inſinuante* MARIA)
*Protinus actiuo Pater hoc quærebat amore.*
*Primò Iudæus cognouit dogmata Chriſti*
*Ipſius ex ore: vltimò ſe tradidit vndis,*
*Quo felice demum tractu penetrauit Iberum.*
*Moreque Apoſtolico, Duodeno cingitur almo*

Nomina Diſcipulorum Iacobi.

Concomitum choro, quos planè myſticè ſacrat
Eccleſiæ officiis. Nam Baſilico, Pio iunctim,
Maximo, Chryſogono, Athanaſio detulit altum
Ordinis officium: Theodorus, Cæciliuſque
Iſcius, & Theſiphons, Calocero iuncto, minores
Lectorum gradus primi recepere rogati:
Tantum Torquato Exorciſtæ fulmina credit:
Euphraſio, Indaletio nunc ſimul, atque Secundo
Eccleſiæ commendat amans tunc proſpere claues.
His iunctis, Chriſti populus, comitante caterua,
Plurimus elabitur ſecum, quos nomine ſumpto
Diſcipulorum, Prælatos fecit Iberos.

Soluit Carthagine, & apud Iliberim ſuſcitat Petrum Ratenſem.

Ergo ſoluto velo, portu in Carthaginis altæ,
Contiguis populis Chriſtum prædicit Iagvs;
Poſt Liberitanæ priſcæ vrbis littora luſtrat,
Quo antiquum è tumulo ſoluit, precante, Prophetam
Quem primum Paſtorem accepit Braccara diues.
Igitur incepto meſſis tunc ſemine, Sanctus
Omnis Apoſtolico regionis more Iacobvs
Vrbes conluſtrat ferè, quo, pòſt, munere Chriſti
Eccleſias ſignat; quibus vnicè Epiſcopus almus
Ponitur, eligitur, qui legis dubia pandat.

Sedum nomina quibus præficit Diſcipulos.

Præficit Elpidium Toleti; Barcino nouit
Etherium, fruitur Carthaginis inſula Diuo
Baſilio; poſt Eugenio Valentia Sedes:
Tarraco ſic Agatho; Capitonem Luca Galeca;
Neſtorem Pallentia cupit; ſed Aſturica Græca
Præſulis Ephremi; Brigenſis Iullia poſcit
Arcadij, læto vultu, cum nomine, normam.
His ſic compoſitis rebus complurima Diuus
Idola confregit (Chriſti veritate probata)
Publicè, miratur Gentilis corpore duro,
Corde que duriori, nec ponderat animo verbum.

Miracula multa patrat.

Quos non ore Pater perduxit, claue ſoluta
Membrorum ad greſſum? Quibus hic non reddidit vltro
Aut vitam, aut vocem? Quibus offuſcato ſonoro
Auditus numero, non iam reſerauit, & aurem?
Omnia Gentilium ceruix præpoſterat, omne
Idola quod negat (paſſim reſecato virore
Crucis) perfugit; nulluſque ad limina tangit
Eccleſiæ; nullus ſacrati vndamina poſcit

Liquoris



Liquoris vitæ; tetro ſub tegmine mortis
Quilibet immergi potius, ac tingere caput
Efflagitat, lymphis, fide data, Spiritus almi.
Muneris at tanti, quòd compleat onera, voce,
Prodigiis, verbis, fide, vel conamine Chriſtum
Prædicat, exaltat, repetit tunc vocibus iſtis.

Apoſtoli verba ad Hiſpanos.

Vult quicumque bonis ſecurum viuere cœlis
Lucis opes, niueaſque domos, campoſque ſerenos
Sortiri & menſis æternùm veſcier almis;
Ardua vota nimis, quæ non niſi viribus altis
Fas implere; Fidem decet omni mente beantem
Catholicam, veri teneat ſuper omnia Chriſti.
Quæ niſi fixa manens venas intrauerit omnes
Pectoris, vna placens ſuperis hæſura cateruis,
Cernere fas nunquam dabitur ſuprema beati
Regna loci, vitæ nec ſumere dona quietæ.
Hæc tamen alma Fides; Oculos huc vertite Gentes;
Quas lætale malum, fumoſis nata ſub vmbris
Fœtida ridiculi merſat doctrina veneni;
Fæcis aquatum ſanis amorem excludite venis;
Effugite antiquæ penitus fruſtrata catenæ
Pondera; iam grauidas implerunt ſigna figuras;
Iam peperit Parens; nebulas egreſſa priores
Lux noua; iamque nobis impleta ſcrinia chartis;
Gignit & hic, Natum, pariter veneremur & illum:
Nam Deus ille potens, princeps de principe, viuens
De Magno Magnus, qui conſors, compar, & vnus
Cum Genitore Deus, per quem ſunt cætera, ſolus:
Spirat vterque bonum, communi nomine, Sanctum,
Quem pariter dulcem, proni, veneremur Amorem:
Nam Deus ipſe potens ſimul eſt, & ſummus, & hi Tres
Vnica perſonis veneranda eſſentia Ternis:
Eſt non vna quidem, Triplex perſona, nec ipſa eſt
Tridiſtincta manens, tamen vna eſſentia, nonque
Vnum perſonis eſſe hoc partitur in ipſis,
Quæque tamen totum perſona eſt, eſſe beatum.
Sic vt proprietas perſonis vera ſit, inque
Vnitas eſſe, modo ſint æquaque culmina dempto;
Vna poteſtatis ſit lux; vnumque decoris
Sit Numen; Socialis apex; Perſona Parentis
Eſt alia; & Nati eſt alia; Spiritus almi

Eſt

Eſt alia, & ſic non plureſcunt Numina; namque
Et Patris, & Nati, & Sancti Spiritus vna eſt,
Quam non perſonæ diſcindunt gloria terræ.
His, *& aliis fidei demùm prolatis*, Iagvs
*Septenos potuit tantùm conuertere Iberos:*
*Quo ſic tanto mæſtus penè labore* Iacobvs,
*Animo conuoluens iam tot fruſtranea verba,*
*Quæ varij recepere flatus, quæ barbara calcat*
*Gens fera; cælos intuetur, quo plenus amore*
*Gregis, ſequentes cordis intonat hiatus:*
Alme Pater ſceptro reſides, qui celſus in alto,
Aſtra, poloſque potens, qui terras, æthera, lymphas,
Cunctaque per ſolum feciſti ſecula Natum;
Quem tibi ſemper habens, de regni ſede decori
Miſiſti in terram, quòd captæ horrentia turbæ
Vincla terat, maculam terſurus ſanguine diram:
Scis benè, nonque latet, patiens hic Agnus, & inſons
Vulnera quot, quales portauit ipſe labores;
Pallia quæ nudo; capiti quæ ſerta verendo;
Quæ Cruce mella bibat, cultris transfixus acerbis;
Ille obiit: Ecce tui ſubierunt tecta Coloni,
Tecta aliena; Parens minantes reſpice Miluos,
Hæſuroſque canes, & noſtra in vulnera ſæuos
Conſpiraſſe Lupos; tua hæc propago peribit
Ni Pater attendas: agnos quæ in ſola tegendos
Spes erat, tetro nunc in caligine marcet:
Licet adhuc viuit nunc, non ſi ſola manebit
Viuet; eia venæ iam iam vacuantur obuſtæ.
Auctor opis faueas, nec noſtra hæc famina perdas.
Deficit ecce Pater meſſis, non deficit inde
Agricola, hîc ergo fidei miſereſce labantis.
Da Dominam caſtris Reginam in bella fidelem;
Sit quæ nos placida diſperſos contegat vmbra;
Sit quæ nutrix nobis, ſit tanta in clade leuatrix;
Sat generi, patribuſque datum, cœliſque replendis,
Occubuiſſe Deum. *Lachrymis tunc dulcibus, illam*
*Affatur Diuus, eius ſed ſenſibus hærens:*
Eia Parens Domini, quæ & Virgo, & Nupta, ſuperni
Quæ Regina chori? quæ lætis præſides aruis;
Quæ Occiduas migrare ripas me compulis, eia
Diues opima, tuos ſecutus ordine nutus

*Septem conuertit Apoſtolus Hiſpanos.*

*Oratio Apoſtoli ad Deum.*

*Virginis Matris auxilium implorat.*

*Hiſpanias*



*Hiſpanias* luſtro. Quarum pede *Calpes* ad alta
*Locobrutini* primus faſtigia colli
Flectitur; hoc amplo eſt præſa *Hyſpania* gyro.
Vlterior, quæ animoſa, ferax, mox fine reſurgit
*Virgintaniaco*, iuga quæ protenditur vſque
Citerior *Pyrnæa*: Duas aſt altera partes
Scinditur horrentis latere, & coniuncta Trionis,
Eſt ſociæ diſcreta ſuæ *Luſtania* riuo
*Ana, Aminitanis*, quæ poſtquam murmure ſyluis
Exit, ſtagna perdens, modò ſe in præcluſa reſorbens
Oſtia, nunc latebris abſcondens guttura, ſæpe
Naſcitur, atque vndis effluxit ſæpe redactis.
Magna *Pyreneis*, quæ fixa in rupibus ipſa
*Taraconenſis* aquas transuerſa expoſcit *Ibero*
Occeani ponto; ſociis diſtincta duabus
*Solloriis* campis, *Ortano* & monte, ſed inde
Altera dulciſonum, reſecante flumine, nomen
Suſcipit, infracto ſuperans vicinia cultu.
Quatuor hæcque tenet Conuentus, *Gadibus* vnus;
Aſtalius, toti fundauit nomina genti,
Quo titulum magni præſcriptum marmore Regis
Cæſar habet, nunc *Hiſpalis*; at dat *Corduba* nomen
Clarum alio; & reliquis non ſubditur ille, ſequenſque
*Aſtigitanus* adeſt numerum qui Quartus, habentque
Oppida multa ſimul, namque Romæ indyta magnæ
Curia per medium partitur ſolibus annum,
Vlterior claris tot cincta *Hiſpania* muris,
Mœnia totque tenet, longe & celeberrima, portus
Inſuper, & pulchros, & mediis claſſibus, aptos.
Hic *Onnobla* ſedet, dicta hæc *Luſtaria* quondam;
Littus ad Occeani *Mellaria, Beſipho, Bellon,*
*Mallaca*, & internum retinens *Berbeſula* portum:
Et pariter *Sexto Iullum*, quod *Menoba, Firmo-*
*Sexi, Abdera*, marique Obuerſa *Albana* rigenti:
Inter & Occeanumque *Segeda* eſt, inter & illum
Paruula *Tigenſi*, qui ducens flumina ſaltu
Innumeris ſe tollit aquis, & nomina ſecum
Abſtulit. Hic populo dextra, læuaque potenti
Cingitur, hunc largo *Iullana Fidentia* muro
Proſpicit; *Alba* ſimul, necnon *Cerealis Ebura*;
Atque *Libertani* memoranda cacumina Montis;

*Ebdunum*, *Agla* minor, ſticciſque *Illurco* cateruis;
*Oſca* vetus pariterque manent; ac *Bætica* circum
Iura ſedentque foro non parua eſt fama *Liturgo*;
Circa *Laconas* quod *Corduba* ſuſtulit vndas,
Conuentu memoranda ſuo: nomenque triumphis
*Ipaſturgus* adeſt; vallata *Ripepora* priſcis
Fœderibus; *Sitiæ* gentes; nonque inde remota eſt
*Corduba*, quæ magni Conuentus mater, & altas
*Hiſpalenſis* ei vario cognomine turbas
Iungit; & ampla ſatis plebs in *Celtica* clauſtro.
*Ilipa* cum geminis oſtenditur acria turbis:
*Hiſpalis* ipſa latus ſociorum amplexa ſiniſtrum
Conſpicienda datur, quam *Bætis* circiter actis
Curſibus, ingrato braua haut dat robora Ponto.
*Oſſet* ab aduerſa conſpicitur arce, ſimulque
*Virgentum Genitoris* habet, quod nomen *Iuli*.
Hic *Caura*; & *Sauros* ſuſtentat *Oryppo* colonos.
Hic *Nebriſſa* manet, *Betiſ*que eſt inter & æſtus
*Venaria*, & *Colobona* ſimul, quo hic *Regia* ſigno
*Aſta* alio, verè haſta ſuos quæ territat hoſtes.
Hicque ſolo medias deguſtans *Aſido* lymphas
*Syngilis*, in latumque irrumpens ordine *Bætim*,
*Aſtigitaneam* refluit cognomine *Firmam*
*Auguſtam*; & multas peregrina ad littora proras
Inde leuat. Gremio poſitæ clauduntur in iſto
Coniunctæque manent, duplices quæ *Cæſaris* vrbes
*Virtutem*, *Lucem*que notant: *Sucrana*, *Meruca*,
*Vrſo* ſimul, *Mundæ*que artes, *Auguſta Gemella*;
Vos quibus, & Dominos licitum ignorare, videbas
Dum res Roma tuas: *Aſtigia* clara, vetuſque
*Oſtippo*, & geminis *Oningis Bucula* caſtris.
Hoc aliæ præſunt vrbes, hoc *Tingus*, & *Alos*;
Hoc & *Aloſtigi* protendunt mœnia *colli*.
Hinc & *Amintanas* regio quæ tendit ad vndas
Felix in duplicem ſciſſa eſt *Bæturia* partem.
Gentis & hæc populo totidem, totidemque coërcet
Ora, ſimul primos, & dat *Luſtania Celtas*:
*Hiſpalis* ecce tuos, infantes nomina *Turdi*
Dant aliis, mediis quos *Tarraco* detinet agris;
*Corduba* quos quondam frenabat matribus actos
*Celtiberis*, ipſoſque dedit *Luſtania Celtas*,





Diſtinguitque natis populos: Hic *Seria*, *Fama-*
*Iulia*, *Nertobrige*, & *Concordia Cæſaris*, atque
*Vcultuniacum*que, nunc *Turiga*, *Laconi-*
*Murgus*, & *Emanicis* numeris aiunge *Tereſos*.
Hîc *Siſapone* ſonat, *Laſtingi*, *Alpeſa*, *Serippo*,
*Turobricanus* lucens, & *Arunda* cateruis.
Altera & ingenuos refouet *Bæturia* campos,
Multiiugaſque domos; hic prima eſt nominis *Arſa*,
*Ilipa* quæ minor iſti nunc contiguior vrbi.
*Mirobrica*, & magnæ non bello ignota *Cariſſa*
Agmina, & vrbs populis *Regina* obuerſa Latinis:
*Andoriſe*, & *Baſſaro*, *Cappagum*, *Oleaſtro*, Belippo,
*Calet*, *Brana*. Tuas ſed iam veniamus ad oras
*Citerior*, primam mutaſti & tempore formam,
Cùm ſigna horrentes euexit Magnus in Alpes.
*Baſtulus* hic primas intuſque aſpeximus oras,
His *Mintiſanos*, *Ortana* & gente, ſimulque
*Celtarum* turbas miſcentes nomen *Iberis*.
Cum populis, agros *Vettonum*, collaque circum
*Carpetana Tagi* luſtrantia viſcera longi;
*Vacceus*, *A treuacis* necnon *Mauitania* turbis:
Et *Deitaniacam* ſequitur *Colonia* terram
Æmula plebs *Tyriis*, mox & noua turribus vrbem
*Sydoniam*, multumque loci cum nominè geſtans.
*Celtarum* ſtagnis *Edetania* inſurgit amœnis;
Ipſa videns manus; nitet hic *Valentia*, *Sucro*,
*Turins*; hic magnæ cernuntur tecta *Sagunti*.
Quodque hiberna capax peperit *Iuliobrica* flumen,
Et *Subur*. *Indigetes*, pariter *Laletanus*, *Ilerges*;
Hæc *Auſetanam Itanis Hiſpania* gentem,
Ipſa *Ceretanos* religat *Vaſconibus*, ipſa
Vnde libet fortem protendit in æquore claſſem.
Hæc vrbs eſt ſocia, quæ quondam geſſit *Iluro*
Cæſaris arma: ſonant hîc blandi murmura *Larni*;
*Albaque*, *Maſſiliam*, quæque & vetus incola matrem
Ducis Troiugeno, quæ prima aduerſa Tyranno.
Quinque decemque tenet populos ſub Sole tepenti
*Tarraco*: *Auguſtanis*, *Iullis*, *Gerundenſibus*, ipſam
*Biſgargitanam*, *Dertuſana*que corpora, turbam
Iungitque, *Stetanis* communia iura *Tearis*:
*Aqui-Caldenſes* cum plebe *Onenſe*, *phalanxque*

*Gerſorienſis* adeſt; necnon *Betullonenſia* circum
Colla ſilent animos; *Ibro*que affuſa recepit
*Cæſaraugusta* ſinu, decies terquinque ferocem
*Callaturganum Celſenſi* admiſcuit, atque
*Oſcenſes*, *Belli*que occultant nomina *Tanis*.
Hîc & *Ilerda* manet Romanæ nota ruinæ,
Cui *Sicoris* rigido madefecit guttura Phœbo.
*Turiaſonenſis*; genſque *Ercabicenſis*, & ipſi
*Nicentes*, vincti veniunt *Gerdenſibus Oſsi*,
*Arcobricus* pariter, ſimul *Andagolenſis*, & *Arco-Cœlinus*, dura quam ſignat fabula gente.
Quod ſciſſo ſermone ruat, *Carcenſe Leonis*
Plebe, *Lacetanis* ſociatur terra maniplis.
Huic etiam primum, cui fertur *Salduba* nomen
Sunt *Daminitani* ſociâ ditione, ſimulque
Hîc *Ilusenſes*, populo *Cortenſe*, *Iubi*que
*Enſis* adeſt, ſonituque tumens *Pampilonia* magno.
Sex decies iunctis populis Carthago duobus:
Pulchra *Gemellenſes*, hîc & *Lybiſocca* cohortes;
Et Caſtella ferox primis *Labaënſibus*, atque
*Baſtianum*, & *Tani* fulgeſcunt mœnia *Lorci*:
*Conſabuenſiaca*, & *Dunienſis* turba, corona:
*Celtibrenſe* caput, medio non parua *Toleti*
Vrbs. *Clunienſis habet* quos dat Quaterque Decemque
*Vardulus* in multo præſcindens rura ligone:
*Turmodigi* Quater atque ſimul, queis *Segis*, & *Ammo-Nenſis*, & hoc pulchro *Cariſtes* mœnia vallo;
*Vennenſes* pariterque trahunt vrbeſque decoras,
Quinque tenent, iſtoque eſt clara *Numantia* tractu,
Bina trophæa negans rigidi victoris; & inde
Mænia pulchra patent; populus *Catinenſis*, & ipſe
*Lacobricenſis* adeſt pluribus *Caucenſibus*, atque
Amnis *Areua* ſuæ largitus nomina terræ.
Huc *Vxama*, Senexque *Seguntia*, & ingens
Ante ſiti *Herculeum* vexata *Secobia* ſaxum.
Ipſaque *Celtibrûm*, quæ neſcit *Clunia* caſum.
Tres taceo partes ſeptem de partibus, ipſum
*Braccatum*, *Lucenſe* caput, quoſque alta vocabat
Legibus antiquo Princeps *Aſturica* ſceptro:
Iſtos nam noſtris ditabimus oſſibus vſque
in Mundi finem, populis poſt fata leuamen.





En Mater intacta hæc tuo ſacro nomine viſi
Oppida; nec labor improbus hiccine poteſt
Vincere ferocis tàm ſubito pectora gentis.
Te ſatis ergo quidem cupiebam cernere; quis te
Cerneret? O Magnam! Non ſunt mihi pectora, quæ ſe
Te capiant: mihi ſat erit omnia voluere, quæ ſis;
Quis decor in labiis, manibus quæ gratia, quis nam
Fronte color, quæ flamma genis, quæ flamma capillis,
Luminibus quot caſtra micant cœleſtia, quanta eſt
Lux animi, qui mentis odor, quæ cætera; multis
Ceſpitat in labiis mens dignè exterrita, cæcam
Pectus habet vocem, vox veri turbida. Virgo.
Da mihi te Dominum nunc rogo mente videndam;
Vt de meo ſacras hæc vox contingat ad aures
Ore tuas: Mater eia tuo confoue IACOBO.
*Vix ea fatus erat, cùm ſplendida ſubito nubes*
*Cœlicolum totos loci penetrauit amœnos*
*Sacrati latices: furibundo in tempore cœlum*
*Contremens, ſuperas nubilauit murmure luces;*
*Obſtupuit Diuus; quid multo? fumigat Orbis*
*Montis vicini flammis cacumina prorſus*
*Igneſcunt, ipſas glomerauit gurgite flumen*
*Vndas feruentes, concoquens littora fulmen:*
Cæſaris Auguſtæ (*quo tot prodigia certant*) *Cæſarauguſtæ Virgo apparet Apoſtolo ſupra Columnam.*
*Ad ſonitum tanti fragoris mœnia tremunt.*
*Quid vltro? titubauit totus ſtellifer axis,*
*Puluerulenta reddens tunc omnia concaua cœli.*
*Tempora temporibus dant Sydera, protinus omne*
*Quod penè corruerat, ſimul in iam corpore pulchro*
*Vertitur, has tetras Virgo relegauit & vmbras:*
*Corpore nam viuens proprio, vt ſolaret amicum,*
*Angelicis ſociata choris, tunc alta* Columnæ
*Occupat extrema, amandans ſic horrida Diui,*
*Vt totis, pulſante fide, hic inuiſeret almam*
*Oculis, & ſenſu; nam hæc fuit vnica tantum*
*Gloria, quam Diuus promeruit ipſe* IACOBVS.
*Si primò ignorans, totus quid poſceret Orbis,*
*Contremuit, totus iam lætus vultu* MARIÆ
*Sacrato viſo, his ſic verbis loquitur illam:*
Heus tu Virgo Parens, Virgo pulcherrima, quæ tu
Qualiter & Libano Cedri exaltantur in alto,

Atque in palma Cades, viridique in monte Cupreſſus,
Tantum læta tuos extendis vertice ramos;
Tu Therebintus ades, placidi tu montis Oliua,
Tu platanus aquis, tu myrrha, & balſama, tuque,
In Hiericuntino Roſarum ſemina campo;
Tu vitis. Mihi quo tanta eſt gloria? Mater
Vt Domini miſerum dignetur viſere ſeruum?
Fortunata domus! tecta hæc felicia, quæ te
Excipiunt! *Hiſpania* felix hæc tua, te te
Quæ capit vnica! viuam per miracula tanta
Intueri mecum! Sed & ego lux mea felix
Æternumque ero. O magni gloria Mundi!
O decus noſtri! Tua iam ſolamina poſco;
Foue refoue tuos, Virgo intemerata, clientes,
Vt liberi patriam, te conducente, repoſcant.
His *dictis ſacrata* Parens *ſolemnia præbens*
*Vnica dilecto verba hæc affatur* Iago.

*Virgo ad Apoſtolum.*

En Pater Omnipotens, qui tua nunc conſpicit altè
Merita, de tantis te vult liberare periclis;
Vltimis vt nixus poſſis conſcendere cœlos.
Patrum te primam præbet iam Martyris almi
Palmam Apoſtolicam: Tu primus in aula Beatus
Ingrederis ſancta: En primus tu iugula præbes
Fratribus è tantis, videns mandata Tyranni.
Si de meſſe timor: nullus te concutat; Ego
Totius en huius Regionis munera ſumo.
Hanc deſeras libet: Illi prædicabit amica
(Te procul) en tua magna cohors, nam Numine plena,
Agmina, quæ Chriſtum ſequentur, numeroſa beabit.

*Aduentum Pauli prædicit poſt Iacobum.*

Poſt te *Paulus* erit, qui plures tingere lymphis
Sacratis valebit; cui ferè ſingula tota
Cognoſcet tellus: Nam hunc *Xantippe* Beata
Necnon *Probus*, *Leto* cum *Vincentio* plenè
Sequentur, *Lybiſoca* primi in vrbe renati.
Hunc *Aquila*, & *Priſcilla* in vertice nemoris *Arſæ*
*Bæturiæ* linquent, queis palma hic protinus vrget.

*Item & Petri Apoſtolorum Principis.*

Poſt illum *Petrus*, Paſtor ſupremus, vtraſque
*Hiſpanias* luſtrabit amans, quem plurima paſſim
Sequetur turba; ex quorum tunc vocibus, illa
Accipiet ſacros fidei cum dogmate ritus.
Pluribus hæc Regio decorabitur alma trophæis;

Pluribus



Pluribus en illa illuſtrabitur ordine ſacris
Doctorum titulis, quos dabunt tempora ſeclis.
Hæc tibi, poſt tantos ſume Iacobe labores,
Nuncque ſolamina, tecum totos conſpice caſus:
Hic mihi nunc *Caſam* lubens fabricato fidelis.

*Oratorium iubet ibidem ab Apoſtolo conſtrui.*

*Dixit, & euanuit, propriam penetraret vt vrbem.*
*Quanta mouet animo Diuus, ſed quanta reuoluit*
*Succeſſura demùm, quæ Virgo indixerat: illos*
*Quos ſecum duxit, quoſque hic conuerterat, ergo*
*Diſcipulos iungit, quibus omnia liberè enarrat.*
*Protinùs hic* Cellam *lætus fabricare* Mariæ
*Incipit, & manibus propriis erexit & Aram,*
*Quæ prouidus voluit præeſſet iuncta* Columnæ,
*Quam Mater humanis viuens calcauit honeſtis*
*Pedibus. Erectam luſtrat. Quo tempore Chriſti*
*Votum complendo, regionem linquit* Iberam;
*Committens fidei regulas, plorando, Magiſtris,*
*Quos in ſubſidium ſui delegerat alta*

*Ieroſolymam reuertitur per Galliam, & Britaniã.*

*Voluntas Patris: & lubens remeauit in vrbem*
*Iſacidum; quo creditur in itinere* Gallos
*Inuiſiſſe meos, duroſque tetigiſſe* Britannos
*Et ſimul. Altaque maris tunc volumina voluens,*
*Vt Chriſto viuat, mortem quærebat* Iagvs;
*Quam inuenit amor, licèt vitam in morte recepit*

*Occiditur, & Corpus Hiſpaniam transfertur.*

*Affectus; quo penitus felix æthera Diuus*
*Conſcendit. Sacrum Corpus propere cœtus*
*Diſcipulorum nocte capit, quin murmure dempto,*
*In* Ioppem *portat, hic naue locata receptum,*
Hiſpanas *inuiſit oras, quod* Iria Flaua
*Recepit, proprio tandem ſub tegmine* Corpvs.
Accipe *Sancte Pater mea hæc obſequia,* Halus
*En tuus, haut potuit tua ſic mandata referre,*
*Vt poſſit præcepto Muſa reducere votum*
*Sancto tuo; Supplex mea, iam veniamque repoſcit.*
*Tu ceu Sanctus nunc hanc Præſul dilue tetram*
*Lituræ maculam; Tu errori præbes & anſam;*
*Nam tuos inſequens nutus, præceptáque lubens*
*Quælibet errandi indocto tribuiſſe Poëtæ*
*Creditur; hinc Pater ignoſce hæc peccamina planè,*
*Vt poſſim tutas conſultò accipere grates.*

En de

En de ADVENTV in Hiſpaniam S. IACOBI Noſtratum Luminis, Apoſtoli & Tutelaris Vnici, ex AVLI HALI Poëmatibus, vnum, quod ( vt diximus) ex vetuſtiſſimo *MS. Codice*, literis Gothicis exaratum, ſummo labore exſcripſimus, vt rediuiuum, publicam iterum adſpiceret lucem, & illo Noſtra hæc Eccleſiaſtica frueretur eruditio.

*Eccleſiam de Pilari erigit iubente* MARIA.

QVINTVM circa *Oratorium* ſeu *Eccleſiam* à IACOBO *Cæſarauguſtæ* in *Hiſpania* conſtructam B. Virgini MARIÆ, ipsâ iubente, & locum indigitante. Iam ex relato *Poëmate* vidiſti. Aſt nunc eandem aſſertionem aliis Scriptorum auctoritatibus fulcire compellimur. Adſit prima Flau. Dextri in *Chron. Ann.* 37. agens de aliquibus rebus geſtis per *Hiſpanias* ab Apoſtolo, proſequitur: *Ac Templum, vel Oratorium* B. VIRGINI *ex eius* IVSSV, *præſentiâque ſuper* Columnam, Cæſarauguſtæ *erexit*. In cuius Notis P. Biuar. *num.* 3. *Comment.* 1. *fol.* 58. plura congerit, & ſelecta. SECVNDA ſit S. M. Maximi in *Epigrammat.* de hac Domo, vbi ſic ad propoſitum.

*Prima* Domus MARIÆ *ſacrata eſt dicta* Columnæ,
*Hanc, eadem* IACOB *tradidit alma Parens:*
*Cum primum hic iaceret diuini ſemina Verbi*
*Præco ſacer, luſtrans oppida* Ibera, *fide.*
*Aſtitit hic Genitrix hominiſque Deique verenda,*
*Et iubet in magnâ ſurgat vt vrbe* Domus.
*Quæ ceu* prima *foret præ cunctis ſedibus vna,*
*Vndique collecti quam peterent Populi.*

Idem S. Maximus in *Hymno* à ſe conſcripto de hoc *Templo* apud Biuar. in *Not. ad Dextr. d.n* 3. *fol.* 60. & in *Not. ad Addition. S. Braul. n.* 45 *fol* 53. poſtquam aliquas de hoc *Oratorio* ceciniſſet laudes, & encomia compulſaſſet, proſequitur:

*Hæc nam* IACOBO *Apoſtolo,*
*Et ſuo Conſanguineo,*
Ædem *iubet conficere,*
*Cunctis manentem ſeculis.*

Aliorum plures ſententias hanc veritatem aſſerentes in vnum congerunt Biuar. *d. Ann.* 37. *num.* 3. *fol.* 60. *& ſeqq.* D. Thom. Tamayo in *Not. ad Luitprand. in Chron. Ann.* 677. *fol.* 33. *&* 78. *&* Ludouic. Lopius in *Commentar. ad Hiſtor. de Pilar. Comment.* 14. §. 1. *n.* 57. *fol.* 116 & alibi, & Nos in Not. *ad Poëm. Hali* ſupra relatum, *verſ.* 415. *fol.* 93. & plura dicemus infra *Tom.* 5. *Die XII. Octobr. lit. A.* vbi ad amuſſim.

*Interfuit profectioni Octo Apoſtolorum.*

SEXTVM, de reuerſione Apoſtoli *Ieroſolymam*, & aſſiſtentiâ ad profectionem aliquorum Apoſtolorum in Regiones ſuas: teſtis eſt Dext. in *Chron. Ann.* 41. *n.* 1. his verbis: IACOBVS *intereſt profectioni ad prædicandum nonnullorum Apoſtolorum, ſcilicet Mathiæ, Thomæ, Andreæ, Philippi, Bartholomæi, Simonis, Iudæ, & etiam Matthæi, qui Deo duce profecti ſunt hoc anno.*

*Comitatur Virginem Mariam Epheſum.*

SEPTIMVM de *diſceſſu cum B. Virgine*, Ioanne fratre, & aliis, *Ieroſolyma Epheſum*, vbi prædicauit, idem Dexter in *Chron. d. Ann.* 41. *n.* 4. affirmat, hac ſerie: *Hoc eodem Anno, vt ſui Apoſtolatus aliquod præberet ſpecimen* Ioannes *Theologus, comitante B. Virgine* Epheſum *proficiſcitur, comite quoque* B. IACOBO, *qui & Epheſi ad tempus prædicat. Comitantur Virginem Lazarus, Martha, & Maria.* Quo loco P. Biuar. *fol.* 79. qui locum Concilij Epheſini *c.* 27. hanc profectionem B. Virginis probantem adducit. Sed & *Heleca* Epiſcopus Cæſarauguſtanus in *Addition. ad Max. fol.* 214. apud Roder. Caro; & *fol.* 4. *n.* 9. apud Biuar hac periodo: *Memoria dieſque feſtus, ab ipſius in* Hiſpanias *ingreſſu*, S. IACOBI, Zebedæi *filij celebris habetur*

Qui



*Qui poſtquam* Hiſpanias *adiit*, Epheſum *comitatus eſt Sanctiſſimam Virginem, vnà cum Ioanne fratre ſuo, non priuſquam in* Hiſpaniam *veniret, ſed reuerſus ab Hiſpania.*

*Qua pars Symboli ab Apoſtolo prolata?*

CÆTERA quæ in ACTIS referuntur communia ſunt, ideò illuſtratione non indigent, ſolùm aliqua notabilia hic ſubiicere curabimus, vt Noſtri Apoſtoli excellentiæ notentur. PRIMA, quia ipſe fuit qui CHRISTVM filium Dei Vnicum, & Dominum Noſtrum faſſus eſt, in Symboli conſtitutione. Ita B. Auguſtin. *Serm.* 115. *de Tempor.* agens de Fidei Symbolo, vbi quot articuli ab vnoquoque Apoſtolo dicti ſunt, referens, ait: *Petrus dixit*: Credo in Deum Patrem Omnipotentem. *Ioannes dixit*: Creatorem cœli, & terræ. IACOBVS *dixit*: Credo in IESVM CHRISTVM, Filium eius Vnicum, Dominum Noſtrum. *Andreas dixit*: Qui conceptus eſt de Spiritu ſancto, natus ex MARIA Virgine. *Philippus ait*: Paſſus ſub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & ſepultus. *Thomas ait*: Deſcendit ad inferos, tertiâ die reſurrexit à mortuis. *Bartholomæus dixit*: Aſcendit ad cœlos, ſedet ad dexteram Dei Patris Omnipotentis. *Matthæus dixit*: Inde venturus eſt iudicare viuos, & mortuos: *Iacobus Alphæi dixit*: Credo & in Spiritum-ſanctum, Sanctam Eccleſiam Catholicam. *Simon Zelotes inquit*: Sanctorum communionem, remiſſionem peccatorum: *Iudas Iacobi*: Carnis reſurrectionem. *Matthias compleuit*: Vitam æternam, Amen. Quod & recenſuit D. Michael de Erze *ſupr.* 1. *p. Tract.* 6. *c.* 6. *n.* 10. *fol.* 133. *col.* 4.

*Conceptionem B. Virginis in Hiſpania prædicat.*

SECVNDA, quia ſi primus in Symbolo, CHRISTI diuinitatem firmauit; primus etiam per *Hiſpanias* MARIÆ eius Matris *Immaculatam* CONCEPTIONEM aſſeruit, prædicauit, & ſolemni ritus officio ſacrauit: Audi *Flauium Dextrum* Virum Clariſſimum in *Chron. Ann.* 308. *n.* 9. dicentem: A IACOBI *prædicatione celebratur in* Hiſpania *feſtum immaculatæ, & illibatæ* CONCEPTIONIS *Dei Genitricis* MARIÆ. Subſequitur *S. M. Maxim.*

CONCEPTIONIS *hunc diem*
IACOBVS Hiſpanos *docet,*
*Et prædicat ceu cæteri,*
*Ab omni labe liberam.*

Hoc & fatetur Luitprand. in *Chron. Ann.* 677. *n.* 132. vbi D. Thom. Tamayo *fol.* 78. & D. D. Laurent. Ramir. *fol.* 359. Fatetur etiam *Iulianus* Archipreſbyter Toletan. *in Chron. n.* 607. vbi agens de *Bernardo* I. Archiepiſcopo Toletano, proſequitur: *Qui erat B. Virgini deuotiſſimus, qui faciebat celebrare feſtum eiuſdem Dominæ cum magna deuotione; & fecit celebrare deuotiùs feſtum immaculatæ* CONCEPTIONIS *eius: quod prædicauit in* Hiſpania S. IACOBVS. Et in *Aduerſ. n.* 395. eadem repetit. De hoc iam innumera teſtimonia apud Scriptores de hac Virginis CONCEPTIONE tractantes.

*Suſcepit ſuum caput propriis manibus.*

TERTIA, quia mortuus, & decollatus, ſuum ipſum caput primus inter manus ſuas excepit, & retinuit, ne à ſatellitibus diſtraheretur. Authorem petis? *B. Calixtum II.* Rom. Pontif. ex teſtimonio Iuliani Toletani in *Chron. num.* 24. tibi offero. De quo agens *Iulianus*, inquit: *Ego audiui* B. Calixtum II *dicentem, cùm in feſti* S. IACOBI *die, Romæ concionaretur*, XXV. Iulij: *Quòd cum* CAPVT *Apoſtoli amputatum eſt, non cecidit in terram, ſed Sanctiſſimus Apoſtolus inter ſuas manus illud excepit, & diu retinuit, nec potuerunt carnifices illud inde tollere; nam conantibus manus aruerunt, & brachia.* Quod & notauit P. Biuar. in *Addit. ad Max. n.* 9. *fol.* 23. & D. L. Ram. ad *Luitpr. in Chron. Ann.* 663. *n.* 62.

*Anima Iacobi interfuit dormitioni B. Mariæ.*

QVARTA, quia etiam poſt eius mortem, B. Virginis precatione, interfuit ipſius Beatiſſimæ Dei-Genitricis dormitioni; ne tanti Apoſtoli, & Virginis chariſſimi præſentia ſtantibus cæteris Apoſtolis, deficeret. De hoc teſtis eſt Amadæus in ſua *Apocalypſ. rapt.* 8. his verbis: *Fili mi* (*inquit* B. MARIA *morti proxima*) *chariſſime* IESV, *cuperem, vt adeſſent Diſcipuli tui omnes, qui ſuperſunt, & etiam anima* IACOBI, *fratris mei, nuper decollati ab Herode; vt videatur ab Apoſtolis, præſertim à* Ioanne *fratre ſuo. Quod & à Filio obtinuit, vt ipſa aliis Apoſtolis teſtata eſt, dicens:*



Ecce

Ecce inter vos anima fratris mei IACOBI Zebedæi, *quæ nihil locuta eſt, quia aliud eſt commercium illius, & aliud iſtud.* Eadem refert Hyppolitus Marrazius *de Apoſtol. Marian. c.5 fol.*150. & Nos ſupr. *Tom.* 1. *Die XXV. Mart. lit.B.fol.*401.

*Apoſtolorum fuit Protho-Martyr.*

QVINTA, quia fuit Protho-Martyr Apoſtolorum, & primus qui bibere calicem Domini meruit. Ita canit Eccleſia Hiſpaniæ in *Hymno ad Laud.* dicens:

*Laudandus eſt hic vnicè,*
*Quod primus in certamine*
*Apoſtolis ex omnibus,*
*Pro te profudit ſanguinem.*

Sed & in Antiphon. *ad Magnific. in Secund. Veſper.* Officij, hæc ponitur: *O Beatum Apoſtolum, qui inter primos electus,* PRIMVS *omnium Apoſtolorum calicem Domini bibere meruit.* Et in Antiquo Officio S. E. Toletanæ adeſt alius *Hymnus*, qui etiam hanc ſententiam producit, ſic:

*Effuſo tandem ſanguine,*
*Cæſus Herodis gladio,*
*Apoſtolorum agmine*
*Primus fulſit martyrio.*

De cuius veritatis apice, quia non eſt ambigendum, ad alias *S. Protho-Martyris* Apoſtolorum excellentias venire compellimur, vt tanti Patroni beneficia gratâ ſignificatione ſoluamus.

*Interfuit tribus reconditis myſteriis.*

SEXTA, quia adhuc viuus, vnus ex tribus fuit à Chriſto electus, vt teſtis eſſet Trium myſteriorum. Quod fatetur Eccleſia Vniuerſalis *in Offic. S. Iacob. Lect.* 4. dicens: *Is vnus fuit ex* Tribus *Apoſtolis, quos Saluator maximè dilexit, & teſtes eſſe voluit ſuæ* Transfigurationis; *& intereſſe miraculo, cùm* Archiſynagogi *filiam à mortuis excitauit; & adeſſe cum ſeceſſit in* Montem Olíueti, *Patrem oraturus, antequam à Iudæis comprehenderetur.* Hoc & carmine expreſſit Eccleſia Hiſpaniæ in *Hymno ad Laud.* vbi hæc Tria myſteria breuiſſimè compulſantur; & ſummâ conciſionis proſodiâ referuntur, ſic:

*Tui Beatus pluribus*
*Notis amoris maximi,*
*Quod teſtis vſque interfuit*
*Reconditis myſteriis.*
*Sed vi potentis dexteræ*
*Surgit Iairi filia,*
*Quando in paternis ædibus*
*Eſt excitata ab inferis.*
*Sed vultus vt Sol ſplendidus,*
*Et veſtis vt nix candida,*
*Thaboris alto in vertice*
*Signum tuæ dant gloriæ.*
*Ceu monte oliuis conſito,*
*Angoris eſt index tui;*
*Sudor tuo de corpore*
*Ceu gutta manans ſanguinis.*





Hoc etiam probatum agnoſcimus in aliis peculiaribus *Hymnis*, quos olim S.E. *Compoſtellana* carnere conſueuit in Officio S. IACOBI, vt patet ex vetuſtis *Breuiariis* illius Eccleſiæ, & aliarum *Hiſpaniæ*, vbi ſimile officium erat ſolitum recitari.

*Apparet vt Eques bellicoſus contra inimicos fidei.*

SEPTIMA, quia ſolus inter Apoſtolos, *Equitis* bellatoris nomen accepit, eo quòd pluries equo inſidens armatus, gladio fulminatrici, inimicos Eccleſiæ, & Hiſpaniæ hoſtes, viſus fuerit in præliis, obtundere. Ita etiam fatetur Eccleſia Hiſpaniæ in *Feſt. S. Iacob. Antiph ad Benedictus*, dicens: *Viſitauit Nos per Sanctum ſuum Apoſtolum, & fecit ſalutem de inimicis noſtris, Dominus Deus Noſter.* Clarius in Antiquis *Hymnis* Officij in *Breuiar. Hiſpan.* ſic:

*Electus hic Apoſtolus,*
*Decorus & amabilis,*
*Velut Leonis catulus*
*Vicit bella certaminis.*
*Natus Regali germine,*
*Bellicoſus, & inclytus*
*Regna mercatur ſanguine,*
*Victor fulſit magnificus.*
*Prodigiorum gloriâ*
*Orbe toto diffunditur,*
*Et bellum victoriâ,*
*Triumphalis dignoſcitur.*

*Apparitiones Regibus, & Ducibus Hiſpaniæ in bello.*

Celebris igitur ex hoc reputatus eſt IACOBVS Apoſtolus, & ideo vt omnibus innoteſcat, quanta fecit Deus magnalia per eum *Hiſpanis* meis, aliquot S. Apoſtoli apparitiones, quas Regibus & Ducibus *Hiſpaniæ* fecit in bellorum certamine, omiſſis illis tribus, quas refert *Turpinus*, factis *Carolo Magno* Imperatori, & Francorum Regi; quia ad Noſtros non attinet, ſubiiciemus.

PRIMA euenit circa Annum Domini DCCXCIV. facta *Alphonſo* cognomento *Caſto*, cum Deo auxiliante, apud Oppidum *Lodos* Sarracenos deuicit cum eorum duce *Mugahit*, occiſis fere LXX. Millia Agarenorum, quam victoriam refert Ambroſ. Moral. *Tom.* 3. *Hiſtor. Hiſp. lib.* 13. *c.* 31. & Apparitionem IACOBO Apoſtolo diſponente, conſignant *Antiq. Chron. MS.* apud me *Ann.* 794. D. Michael Marq. in *Theſaur. Militar. fol.*31. Erze de *Aduent. S. Iacob. in Hiſpan.* 1. *p. Tractat.* 6. *c.*7 *n.*6. I.

SECVNDA ad Annum DCCC. XLIV. facta Regi *Ramiro I.* Legionis Regi ad locum, cui *Clauijo* nomen, vbi ipſe Apoſtolus viſibilis apparuit, vt conſtat ex *Hymno* ſuperius relato, ſic: II.

*Apparens in anguſtia*
*Regi ſancto, Ramirio,*
*Occidit multa millia*
*Paganorum in prælio.*

Hanc mirabilem Apparitionem, & miraculoſam victoriam referunt Ambroſ. Moral. *d. lib.* 13. *c.* 52. Vaſſ. in Chron. *Ann.*845. P. Ioann. Marian. *Hiſtor. Hiſpan. lib.* 7. *c.* 13. & propè innumeri quos congerit Erze *d.* 1. *p. Tract.* 6. *c.* 7. *num.* 7. *fol.* 136. III.

TERTIA, Anno DCCCC. XXXVIII. facta *Ramiro II.* Legionis Regi prope Oppidum *Simancas*, vbi Rex Agarenorum *Abderramen*, & Rex Cæſarauguſtæ

*Haben-Haya*, Deo annuente, & IACOBO Apoſtolo auxiliante, deuicti, innumeras copias Sarracenorum perdidere. Victoriam refert Ambroſ. Moral. *lib.*16. *c.*14. Apparitionem & miraculū P.F. Antonius Yepius in *Chron. Benedict. Tom.*5. *Cent.*5. *Ann.* 934.*c.*2. F. Andreas Salazar *Hiſtor. S. Iacob. fol.*124. Erze *d. Tract.*6.*c* 7. *n.*10.

IV. QVARTA, circa Annum DCCCC. LIII. facta Comiti Caſtellæ *Ferdinando Gundiſalui* in certamine iuxta Oppidum *Piedrahita*, de quo Hiſtor. General. Hiſpan. 3.*p.c.*19. Stephanus Garibay in *Comp lib.*10.*c.* 19. vbi innumeræ Agarenorum copiæ deuictæ, & proſtratæ per triduum iacuere. De hac apparitione etiam Iulian. Caſtill *Hiſtor. Reg. Gothor. lib.*3. *Diſcurſ.*8. & D. Mich. Marquez *vbi ſupr. fol.* 31. *col.*2. D. Michael Erze *d. Tract.*6. *c.*7. *n.*12.

V. QVINTA, Anno M.XL. facta *Ferdinando I.* Regi Caſtellæ, & Legionis cognomento *Magno*, apud *Conimbricam*, vt referunt Calixtus II. Pont. Max. *lib.*2.*c* 19. D. Rodericus Archiep. Toletan. *Hiſt. Hiſp. lib.*6.*c* 13. Baron. *Annal. Eccleſ. Tom.*11. *Ann.*1040. & alij plures relati à D. Mich. Erze *d. Tract.*6. *c.*7.*n.*11.

VI. SEXTA, per idem ipſum tempus facta eidem Regi *Ferdinando Magno* prope vrbem *Compoſtellam*, vt ipſemet Rex ſcriptum reliquit in *Regali Priuilegio*, cuius copia adhuc in Monaſterio *S. Spiritus Salmanticenſi* adſeruatur, vt refert idem D. Michael Erze *d.n.*11.

VII. SEPTIMA eodem ferè ſeculo, facta eidem *Ferdinando* Regi *Magno*, ad Oppidum cui vocabulum *Alenquer*; quam Apparitionem referunt D. Mich. Marq. *ſupr. fol.*32. & P. Alphonſ. de Andrad. *De Optim. Milit.* 2. *p.c.* 28. Erze ſupr. *n.*11. *fol.*137.

VIII. OCTAVA, Anno M. XCVIII. facta *Roderico Didaci de Biuar* cognomento *Cid* poſt eius obitum, iuxta *Valentiam* in Edetanis, vbi Regem *Bucarem* Agarenorum profligauit & cum eo XXII. Reges eius ſectæ, vt refert Hiſtor. General. *Hiſpan.* 4. *p.c.*3. Hiſtor. Cidij. *c.*279. *&* 284. D. Gregor. de Tap. in *Memor. Antiquit. Ordin. Iacobæi. n.*83. *fol.*44. D. Mich. de Erze qui alios enumerat *d. Tract.*6 *c.*7. *n.*13.

IX. NONA circa Annum M. C. facta *Alphonſo* VII. cognomento *Imperatori*, Caſtellæ, & Legionis Regi, in obſidione vrbis *Beatiæ* in Bætica, cuius Apoſtoli viſione confortatus vrbem cepit, vt ex Hiſtor. General. Hiſpan. & aliis pluribus Scriptoribus, hanc Apparitionem refert D. Mich. Marq. *fol.* 32. P. Andrad. *d. c.*28. & Erze *d. cap.* 7. *n.* 14. qui verba ipſius Regis in Priuilegio hoc denotantia recenſet.

X. DECIMA Anno Domini M. C. LXX. Era M. CC. VIII. facta Regi *Ferdinando II.* Legionis Regi iuxta Oppidum, & Caſtrum de *Zedofeyta* in Regno Galliciæ, vbi ipſe Rex deuictis inimicis Apoſtoli auxilio, Caſtrum recuperauit, & illud S. Apoſtolo in gratitudinis famulatum obtulit, vt ipſe Rex refert in *Priuilegio* donationis, cuius verba recenſet D. Gregor. de Tap. *d. Memor. n.* 85. *in Not. fol.*80. Erze *d. n.* 15.

XI. VNDECIMA ipſius Regis *Ferdinandi II.* tempore, & eidem facta deprehenditur, iuxta Oppidum *Cazeres*, quod olim *Caſtra-Cæcilia* fuit appellatum in antiqua *Luſitania*, hodie *Eſtremadura*. De hac apparitione Auctores ſunt M. Ægid. Gonz. Chronographus Regius in *Theatr. Eccleſ. Tom.*2. *Cauriæ. fol.* 435. & Andrad. *d.c.*28. Erze. *d.c.*7.*n.*15.

XII. DVODECIMA per eadem ferè tempora, facta eidem Regi *Ferdinando II.* in deditione vrbis *Ciuitatenſis*, quando illam de Agarenorum faucibus eripuit, vt refert idem M. Ægid. Gonz. in *Theatr. Eccleſ. Ciuitatenſ.* quem ſequuntur Marq. *fol.*32. Andrad. *d.* 2. *p.c.*28. D. Mich. Erz. *d. Tract.*6.*c.*7. *n* 15.

XIII. DECIMATERTIA Anno Domini M. CC. XII. facta *Alphonſo* Regi Caſtellæ huius nominis VIII. cognomento Nobili, apud *Calatrauam*, in conflictu ſaltus, quem *Nauas de Toloſa* vocitant, vbi CC. Milliaria Sarracenorum profligata referuntur. In hoc certamine apparuiſſe Apoſtolum fatentur B. Thomas Villanouanus Archiepiſcopus Valentinus in *Serm. S. Iacob. fol.*284. & alibi, quem & alios refert D. Mich. Erz. *d. c.*7.*n.*16.

XIV. DECIMA QVARTA Anno Domini M. CC. XXXIV. facta *Ferdinando III.* Caſtellæ Regi, cognomento SANCTO, quando recuperatis aliquot Bæticæ vrbibus



vrbibus, fuit Hiſpalenſem obſidionem aggreſſus, & ad Oppidum *Palma* aduerſus *Abenhuc* Sarracenorum Regem dimicans Apoſtoli auxilia cognouit, ipſo in furore certaminis apparente, vt referunt D. Paulus Spinoſa in *Hiſtor. Hiſpal. lib.*3. *c.*1. *fol* 131. P. Pineda in *Memor. S. Regis Fernand.* 3.*p.* §.7. *fol.* 154. & Nos in *Triumph. Cathol. Tom.*1. *Ann.*1248. *Triumph.* 52.

DECIMA QVINTA Anno Domini M. CC. XXXIX. facta *Alphonſo* Caſtellæ Principi poſtea Sapientis titulo decorati, apud Oppidum *Xerez*, quod Romanis *Aſta* dictum, & Apoſtoli viſibili apparitione Catholicis reſtitutum, vt referunt P. Quintana-Dueñ. *Hiſtor. SS. Hiſpalenſ. fol.*192. P. Andrad. ſupr. *cap.* 22. D. Gregor. Tap. in *d. Memor. c.*86. & alij. XV.

*Aliæ plures Apparitiones in diuerſis partibus.*

ALIAS plures *Apparitiones* referunt Scriptores citati apud *Giennum*, & *Maioricam*, & apud OSCAM in Celtiberia, *Iliberim*, *Compoſtellam* in Bætica, & Gallæcia, nec non apud *Indos Peruanos*, & *Mexicanos*; quorum ecphraſim in vnum colligere longum erit; ideo his contenti ad cultum apud *Hiſpanos* S. Apoſtolo exhibitum, ab eius martyrio vſque in præſentem diem breui compendio deſcendamus.

*A quo tempore cultus Apoſtolus in Hiſpania?*

CVLTVS igitur S. IACOBO fuit in Hiſpania exhibitus à tempore paſſionis, & ſacrorum pignorum Tranſlationis, vt indicat Flau. Dext. in *Chron. Ann.*91. *n.*4. vbi Biuar. *fol.* 185. his verbis: *Totâ* Hiſpaniâ *celebris habetur memoria* S. IACOBI *Apoſtoli, Zebedæi filij, primique illorum Paſtoris, & egregij Doctoris.* Et quòd hic verbum *memoria* ſignificet *cultus*, patet ex his quæ in ſimili recenſent Helleca in *Addit. ad Maxim. fol.* 224. apud R. Car. hac ſerie: MEMORIA, *Dieſque* FESTVS *ab ipſius in* Hiſpaniam *ingreſſu* S. IACOBI, *Zebedæi filij* (ſcilicet pignorum) *celebris habetur.* Subſequitur Iulianus Toletanus Archipresbyt. in *Chron. Ann.* 900. *n.* 463. *fol.*111. qui etiam de illo tempore teſtatur dicens: *Feſtum* S. IACOBI, *Zebedæi filij, quod à tempore Apoſtolorum in* Hiſpania *ſemper fuit celeberrimum, nunc cum maxima lætitia, in* Compoſtellana, *&* Toletana *Eccleſia lætum agitur.* Hoc idem etiam dixerat Luitprand. in *Chron. Ann.* 636. *n.*62. Et in hiſce locis eorum *Scholiaſtes.* De Officio igitur in Eccleſia *Toletana*, videſis *Breuiarium Iſidorianum*, in quo ſequens *Hymnus*:

*O Dei verbum Patris ore proditum,*
*Rerum Creator, & verum principium,*
*Author perennis, lux, origo luminis,*
*Enixus aluo glorioſæ Virginis*
*Chriſte tu nobis reuelas Emanuel.*
*Rex, & Sacerdos, cui ſacri lapides,*
*En ter quaterni Onychinus, Achates,*
*Nitens Beryllus, Saphirus, Carbunculus,*
*Vel Amethyſtus, Sardus, Topazius,*
*Smeragdus, Iaſpis, Hyacinthus, Chryſolitus;*
*Rite qui gemmis Sol, dies, duodecim*
*Enitens horis, margaritis optimis,*
*Gliſcenſque mundo iam fugatis tenebris;*
*Et candelabro tibi ſuperpoſito*
*Micas lucernis bis ſenis Apoſtolis.*
*Petrus it Romam, frater eius Achaiam,*
*Indiam Thomas, Leui Macedoniam,*
*Iacobus Iebus, & Ægyptum Zelotes,*

*Bartholomæus Licaon, Iudas Edeſſam,*
*Mathias Iudam, & Philippus Galliam.*
*Magni deinde Filij tonitrui,*
*Adepti fulgent prece matris inclytæ*
*Vtrique vitæ culminis inſignia:*
*Regens Ioannes dextrâ ſolus Aſiam,*
*Et læuâ frater poſitus* Hiſpaniam.
*Clari Magiſtri, Creatoris innoxij,*
*Siſtit ad dextram, pacis vnus fœdera,*
*Tractus ſiniſtram alter in ſententia,*
*Varieque regno bis electa pignora,*
*Vtroque polo properant ad gloriam.*
*Adductus inque glorioſus præmio,*
*Electus iſthinc habitus martyrio,*
*Chriſti vocatur Zebedæi* IACOBVS,
*Apoſtolatus vitam implens debitè,*
*Victorque rapit paßionum ſtigmata.*
*Diuino quippè obſitus ſuffragio,*
*Idem Magorum ſontes iras dæmonum*
*Coërcens, virus punit æmulantium:*
*Minaſque Dæmonum in ſtolis oraculis,*
*Enodaturque pœnitens cor credulum.*
*Perplexus olim voci compos commodat,*
*Bina petenti ægro adminicula:*
*Optando pandit fidei chariſmata,*
*Vexillo pacis adſalutis copiam,*
*Enſeque functus ſe communit gloria.*
*O verè dignè ſanctior Apoſtole,*
*Caput refulgens inclytum* Hiſpaniæ,
*Tutorque nobis, & patronus vernulus,*
*Vitando peſtem, eſto ſalus cœlitùs,*
*Omnino pelle morbum, vlcus, famemque.*
*Adeſto fauens gregi ô pius credito,*
*Mitiſque paſtor gregi, clero, populo,*
*Opes ſupernas vt fruamur gaudio,*
*Regno potiti veſtiamur gloriâ,*
*Æternum omnes euadamus tartarum.*
*Præſta quæſumus vnica potentia,*
*Replenſque gloria cunctâ ſolus machinam,*
*Virtute firmâ ingens eſto gloria,*
*Æterna*



*Æterna cuius laus eſt & clementia,*
*Et honor iugis affatim per ſecula. Amen.*

*Apoſtolus Iacobus Friſiorum Patronus, & quare?*

Alios poſſemus hic *Hymnos* adnectere, ex variis *Compoſtellanæ*, & aliarum Eccleſiarum *Breuiariis Hiſpaniæ*, ſed ea omittimus, ne longius quam par eſt, noſtra protrahatur oratio. Illud ſubnectere decreuimus, quòd *Friſiorum* Eccleſia IACOBI Noſtri fauoribus Apoſtolicis excitata, eius etiam *Patronatum* accepit, vt cecinit Martinus Hamconius in *ſua Friſ. fol.* 68.

*Magni Petri, Paulique fuit veneratio Romæ;*
*Matris Aquiſgrani* MARIÆ *veneratio magna:*
*Sed Friſonum maior nuſquam deuotio, Diui*
*Quàm* Compoſtellæ *venerantum buſta* IACOBI.
*Huius Euermarus ſacram Friſo nobilis vrnam*
*Viſens, ante octo eſt iugulatus ſecula Ruthis.*
*Huic pagi, & portæ, ſunt huic inſignia quædam*
*Friſiadum; ſunt huic compluria Templa dicata.*
*Huius ope, & precibus, Sarracenos Friſica pubes*
*In Syriam tendens, vrbem prope fudit* Vlyſſis.

Sed vt horum finalium carminum ſententiam capias, conſule Cæſarium Heiſterbacchenſem *Hiſtor. Illuſtr. Miraculor. lib.* 8. *c.* 66. *fol.* 618. qui refert, quòd Anno M. CC. XVII. aliqui Cruce ſignati ex *Friſia* ad bellum ſacrum Syriæ properantes, ad portum *Olyſipponenſem* ſoluentes, & Chriſtianis, qui ad Oppidum *AlKazer* cum Sarracenis bellum gerere contendebant, adhærentes, victoriam, IACOBO auxiliante, & apparente, reportarunt. Hinc Militum relatione tantâ *Friſia* fuit deuotione Apoſtolum proſecuta, vt in poſterùm ſub eius patrocinio, erectis Baſilicis, militaret.

*An Epiſtola Canonica ſit Iacobi Maioris?*

QVATENVS in ACTIS ſuperius relatis diximus, IACOBVM Noſtrum ſcripſiſſe *Epiſtolam Canonicam Duodecim Tribubus Iudæorum* in diſperſione per *Hiſpanias* commorantium, hoc illuſtrare compellimur, ne fortè aliquis hoc Nos ex proprio capite affirmaſſe contendat, Noſque errorem contraxiſſe ſuſpicetur. Huius aſſertionis plures Authores ſubiicere propoſueram, ſed forſan veritatis pondere compulſus, tantùm aliquorum vetuſtiſſimorum verbis vtentes, cæteros rem hanc probantes, & defendentes, remiſſiuè citabimus. De Primis primus *Dexter* adſit in *Chron. Ann.* 37. vbi agens de Tribubus diſperſis, & in *Hiſpania* aliquot Iudæorum commorantibus, & qualiter IACOBVS Noſter illis verbum Dei prædicaret proſequitur: *Multi ibidem* Iudæi *conuertuntur ex* Duodecim Tribubus *tranſmigrationis ex* Babylonia, *quibus tunc prædicauit. Et præcipuè* CANONICAM *illis mittit* Epiſtolam, *quæ ſic incipit*: IACOBVS Dei, & Domini Noſtri ſeruus, Duodecim Tribubus, quæ ſunt in diſperſione, ſalutem. *Quæ fuit prima Scriptura Noui Teſtamenti, Apoſtolo tanto digna.* De hoc etiam adeſt Epiſtola *Liciniani* Carthaginis Spartariæ Epiſcopi ad *Vincentium* Ebuſitanum Epiſcopum, ante mille Annos conſcripta, quam primus edere curauit D. D. Laur. Ram. poſt *Opera Luitprandi fol.* 531. vbi Iuliani Archipresbyteri Toletani ſcholia referens, inter alia *Hymni* fragmentum vetuſtiſſimi, quo hæc veritas comprobatur, recenſet, ſic:

*Hæc Epiſtola prima Scriptura Noui Teſtamenti.*

IACOBE *fulgentiſſime,*
*Noſtræ gentis Apoſtole,*
*Quos verbo præmonueras,*
*Rurſus mones* Epiſtolâ.

Tu

*Tu primus Euangelicus*
*Scriptor, & ſacratiſsimus,*
*Tuos* Hiſpanos *recreans*
*Cultu, ſermone, & literis.*

Idem *Iulianus* hanc etiam ſententiam probauit in *Chron. num.* 16. Conueniunt P. Biuar. in *Not. ad Dextr. d. Ann.* 37. *Com.* 1. *n.* 6. *fol.* 65. vbi vſque *ad* 69. hoc idem defendit. Et in *Not. ad Max. Ann.* 579. *n.* 5. *fol* 581. P. Didacus Daza in *Comm. ad hanc Epiſtol. Prologom.* 1. P. Nicolaus Serar. in *Prolegomen. Biblic. Prolegom.* 3. D. Thom. Tamayo in *Defenſion. Dextr. Nouit.* 8. D. D. Laurent. Ramir. *ſupr. fol.* 532. vbi ex ipſo eodem P. Daza *d. Prolegom.* 1. §. 6. *n.* 36. reſpondit ad placitum Concilij. Tridentini *Seſſ.* 14. *c.* 1.

*S. Stephanus Prothomatyr, Diaconus S.* IACOBI.

VNVM hic addere compellimur auctoritate *Iuliani* Archipresbyteri Toletani in *Chronic. n.* 16. *fol.* 13. quod multum honoris Apoſtolo Noſtro conciliat, ſcilicet: Protho-Martyrem *Stephanum* Diaconi munere IACOBO Noſtro inſeruiiſſe; quod & probat *S. Ignatij* Epiſcopi Antiocheni, & Martyris relatione. Eius hæc ſunt verba: S. IACOBO *Maiori ſeruiuit vt Diaconus* S Stephanus *Protho-Martyr, vt ait* S. Ignatius *Epiſcopus Antiochenus, Martyr illuſtriſsimus in* Epiſtola *ad Trallianos.* Hactenus de S. IACOBO, alibi alia dicemus infra *Tomo 6. Die XXX. Decembr.* vbi de eius *Tranſlatione.*

*Martyrologia.*

S. CHRISTOFORVS *Martyr.*] Celebris eſt eius memoria apud Græcos in *Menologio*, & apud Latinos in *Martyrologiis*, vt teſtes ſunt *Beda, Vſuardus, Ado,* & cæteri recentiores, à quibus Martyrolog. Roman. h. d. ſimili elogio: *In Lycia* S. CHRISTOFORI *Martyris, qui ſub Decio virgis ferreis attritus, & à flammæ æſtuantis incendio Chriſti virtute ſeruatus, ad vltimum ſagittarum ictibus confoſſus, martyrium capitis obtruncatione compleuit.* Conueniunt Martyrologia Caſtellanum *P. Vaſq* Luſitanum *P. Lup.* Hiſpanum MS. *P. Higuera,* & Italum *Conſtant. Felic.*

*Scriptores.*

De eo ſcripſere Dext. in *Chron. Ann.* 208. vbi Biuar. *num.* 7. *fol.* 268. S. M. Maxim. *in Chron. Ann.* 496. vbi Biuar. *num.* 2. *fol.* 254. Iulianus Archipresbyter Toletanus in *Chron. Ann.* 452. *n.* 229. *fol.* 53. & *Ann.* 828. *num* 424. *fol.* 102. Molanus *Hiſt Sanct. Imagin. lib.* 3. *c.* 27. *fol.* 139. F. Auguſtin. Vvichmans *de SS. Tutell. contr. peſt. c.* 17. *fol.* 107. P. Iacobus Gretſerus in *Faſt. Chriſt. lib.* 2. *c.* 6. *fol.* 302. P. Serarius, & alij ab eis recenſiti. Ex Noſtris Scolanus *Hiſtor. Valent. Tom.* 1. *fol.* 954. *num.* 2 Molina in *Deſcript. Galleciæ, carm.* 6. *fol.* 5. M. Ægid. Gonzal. Chronograph. Reg. *in Theatr. Eccleſ. Tom.* 1. *in Compoſtell. fol.* 20. & alibi: Eius ACTA à multis deprauata inueniuntur; quod quidem non aliunde originem ſumpſiſſe certum eſt, quàm quòd Symbolicas figuras, imperiti ad veritatem, ſucceſſu temporis tranſtulerint. Itaque cuncta illa de Noſtro Sancto Martyre pingi conſueta, ſymboli potiùs, quàm hiſtoriæ alicuius eſſe expreſſam imaginem exiſtimandum eſt. Ita Baron. in *Not. ad h. d. lit. B.* Cornel. Graſſ. in *Prolegom. ad Act. S. Chriſtofor. Tom.* 3. *fol.* 264. P. Iacob. Caniſ. in *Prolegom. ad Vit. S. Chriſtofor. Tom.* 1. *fol.* 328. Ea puriora dabimus ex *Flor. SS. R. P. Petri Ribadeneyra h. d.* cum verſione eiuſdem P. Iacob. Caniſij *d. Tom.* 1. *fol.* 328.

## *ACTA S. CHRISTOFORI MARTYRIS Lycienſis, cuius Reliquiæ in Hiſpania, ex Flor. Sanctor. R. P. Petri Ribadeneyra, Soc. Ieſ.*

*Origo.*

CHRISTOFORVS *inclytus, glorioſuſque Martyr, natione fuit* Cananæus, *qui cùm chriſtianis eſſet imbutus ſacris, diuino Spiritu inſtinctus abiit in Lyciam, quo ſcilicet Idololatris huiuſce Prouinciæ populis Chriſtum prædicaret. Porrò continuis ſe ſe precibus ad pugnam (quam ſibi Euangelicæ prædicationis ergo ſenſit imminere) comparauit.*

*Corporis diſpoſitio.*

*Erat ipſe venuſtæ conſtitutionis,*



*ſtaturâ procerus, quâ omnium oculos in ſe conuertebat. Scipionem manu præferebat; quem cùm aliquando in terram depanxiſſet, ille repentè viruit, & floruit. Hoc miraculo ad Chriſtum multi ſunt conuerſi. Itaque Chriſtiana fides, &* S. CHRISTOFORI *precibus, & miraculis, operâ illius, à Deo patratis, magna cepit incrementa: donec Imperatore Decio,* S. CHRISTOFORVS *in vrbe* Samo, *Prouinciâ Lyciæ comprehenderetur.*

*Capitur.*

IVDEX *enim eum promiſsis, & minis aggreſſus, eique idololatriam perſuadere conatus cùm quouis adamante ſolidiorem ſenſiſſet, geminas ad eum lænas in carcerem ſubmiſit, quo delinitum lenociniis, theſauro caſtitatis orbarent; ratus hac ablatâ, fide quoque, & gratiâ Chriſti, quem Martyr Deum teſtabatur, viduandum. Subiere carcerem lupæ, ſed eas tantus repentè terror, & horror inuaſit, vt ſuammet impudicitiam execratæ, pedibuſque S. Martyris aduolutæ, ſupplices orarint, vt à Deo ſibi veniam impetraret.* CHRISTOFORVS *ſupplices comiter exceptas, adeò accuratè Chriſtianis myſteriis imbuit, tamque ſolidis veræ fidei præceptis inſtruxit, vt huius ergo, non multo poſt, cum aliis Quadraginta à B. Martyre conuerſis, multiſque aliis nobilibus vitam cum ſanguine profuderint.*

*Conſtantia caſtitatis.*

*Meretrices conuertit.*

PORRO *Iudex, vt in* CHRISTOFORO *oppugnando, operam ſe ſe ludere ſenſit, rabiem ſuam ſatiaturus, nouis, exquiſitiſque tormentis cruciatum ſtatuit enecare. Quamobrem Martyris cæſi caput igneâ iuſsit galeâ operiri, ſicque opertum in ferreo ſcamno (corpori illius commenſum) diſtendi, diſtenſumque oleo bulliente perfundi, ac denique ſic perfuſum ſubiectis prunis, igne lento torreri. Sed fortiſsimus heros nihil vultu mutatus Tyranno dixit:* Ieſu-Chriſti virtute corroboratus, nihil ego tuorum tormentorum pertimeſco. *Sic totus illæſus atrociſsimos cruciatus ſuperauit. Quamobrem multi circunſtantium ad Chriſtum conuerſi ſunt.*

*Variè torquetur.*

HINC *ad palum ligatus, telis à Iudice configi iuſſus, ſed fruſtra, nullum namque telorum Martyrem læſit. Quinimò vnum ex his mirè retortum, cuiuſdam Lictoris oculum inuolauit, eruitque. Sed ſimul ille ſanguine Martyris oculi ſui cauum contigit, & corporis, & animi lumen recepit. Poſtremò Martyr inuictus, ab impiis obtruncatus eſt,* VIII Kal. Sextilis, *Anno Domini* CC. LIV. *Decio Imperatore Orbis regimen obtinente. Sed antequam lethale ferrum iugulo exciperet, Deum ſupplex orauit, ne qua grando vel ignis, fames, aut peſtis ei regioni nocerent, in qua Corpus eius humaretur.*

*Sagittis petitur.*

*Cæcum illuminat.*

*Coronatur.*

DENIQVE *poſtquam Chriſtiani debitam Martyri quærerent ſepulturam, vbi pignora tumulata iacuiſſent, illorum partem in* Hiſpaniam *tranſtulit ad vrbem* Toletum *deuotio, è qua* Valentiam *in* Edetanis, *&* Aſturicam *Reliquiæ ſingulares delatæ, ibidem honorificè adſeruantur, & coluntur. Sed & in* S. E. Compoſtellana BRACHIVM *huius S. Martyris integrum cuſtoditur, & ritu debito* VI. Idus Iulij *veneratur.*

*Apud Hiſpanos Reliquiæ.*

Hactenus ACTA genuina, quæ probauit Baronius in *Not. ad. M. R. lit. B.* cum ex Hymno Iſidoriano deſumpta conſpiciantur: qui hymnus ferè totam horum Actorum ecphraſim includunt, vt ex ipſo videre eſt, quem eruditorum ergo damus:

*Acta ex Hymno Iſidoriano.*

## IN LAVDEM, S. CHRISTOFORI MARTYRIS Ex Breuiario Muzarabum,

## HYMNVS.

*O Beate Mundi Auctor, atque rerum conditor,*
*Qui non es acceptor omnis perſonæ, nec munerum;*
*Sed dùm quiſque te requirit, ades clementiſſimus.*
*Qui Beatum cœli ciuem* CHRISTOFORVM *Martyrem*

*Eimens à cœnulento vino praui generis,*
*Glorioſo tuo nutu præſciendo attrahis.*
*Vtque ſpreta vir deuotus generis flagitia,*
*Veritatis ſequeretur promptior veſtigia;*
*Acproinde tuâ, Chriſte, potiretur gloriâ.*
*Deciuſque Imperator captum à Comitibus,*
*Necti ſuis hunc Beatum nititur militibus;*
*Quem vtilem prorſus eſſe bello approbauerat.*
*Elegans namque ſtaturâ, mente elegantior;*
*Viſu fulgens, corde vibrans, & capillis rutilans;*
*Ore Chriſtum, corde Chriſtum Chriſtoforus inſonat.*
*Iſte nempe linguæ noſtræ neſciens eloquia,*
*In virtute Chriſti dari ſibi Patrem imprecans,*
*Illicò Deo fauent, & conloquitur omnia.*
*Tunc deinde Aulam Chriſti precaturus adiens,*
*Poſtulatus impetrauit virgam ſuam frondere;*
*Virtute quâ roboratus in agone proficit.*
*Veritatis plenâ fide inſequens veſtigia*
*Militum perſequentium fragmina multiplicat,*
*Quod habere ſaturati plena cunctis accola.*
*Ad fidem Chriſti proinde conuocati Milites*
*Cum Beato* Chriſtophoro *fonte almo lauacri*
*Expiati geſtiebant rudimento gratiæ.*
*Vatem hunc, deinde iſtos conligatos Milites*
*Vnâ voluntate ſiſtunt Decij conſpectibus,*
*Quem diro ſermone Sanctus protinus adgreditur.*
*Nec moratus Rex crudelis furibundus acriter,*
*Sanctum iubet* Chriſtoforum *penſum, rudis vngulis*
*Denudatas eius coſtas carnibus excerperent.*
*Aquilinam tunc deinde, ſanctamque Gallonicam*
*Vehementer pœnis actam ſæuienter dedicat:*
*Pugione conſecrauit memoratos Milites.*
*Ignibus poſt hæc Beatum deputat atrocibus:*
*Attigit ſenſus poſt ille flammæ ſputus validus,*
*Non ſecus, vt aurum fulgens rutilans adgreditur.*
*Socij de hinc dilatant caſtra Decem millia,*
*Quos pro Chriſto diſſecauit gladius Tyrannicus;*
*Enſe idem verberatus prouehitur in æthera.*
*Inde omnes, te precamur, Pater clementiſſime,*
*Vt tuæ promiſſionis fœdere non deneges,*
*Quod cum* S. Chriſtoforo *pepigiſti dulciter.*

*Sic*



*Sic per eum mereamur adſequi cœleſtia,*
*Amputari prorſus nobis omnia piacula,*
*Fulgeat perenne decus in æterna ſecula, Amen.*

Hinc PRIMO à Nobis probandum eſt de exiſtentia *Reliquiarum* in *Hiſpania*. Et licet hoc non negauit *Cardinalis Baronius*, quinimo illud probauit, dicens *Reliquias Toleti* fuiſſe ſeruatas, adhuc tempus *Tranſlationis* è Lycia *Toletum* aſſignabimus. Vt igitur hæc fulciantur, crediderim *Tranſlatas Reliquias* paulo poſt S. Martyris agonem, cùm Dexter per anticipationem huius *Tranſlationis* memoriam conſignet ad Annum CC. VIII. eſtò quòd S. Martyr poſt XLVI. annos martyrio coronaretur, & ideo crederem illam clauſulam à ſuo loco auulſam per amanuenſes fuiſſe, & ad Annum CC. LVIII. reſtituendam; & hac declaratione. Nec his obſtabit S. Maximi in *Chronic. Ann.* 496. aſſertio, quâ aliqui credidere, eo Anno adlata ſacra pignora fuiſſe *Toletum*, quia vt ex eius verbis liquet, S. Epiſcopus loquitur de tempore præterito. Eius auſculta periodum: *Reliquiæ* S. Chriſtofori *Martyris, ſtaturâ velut Gigantis in* Hiſpanias (olim) *adlata, maximæ venerationi ſunt.* Eadem Iulian. in *Chron. d. Ann.* 452. *num.* 229. per præteritum loquens, ſic: *Reliquiæ* S. Chriſtofori *Martyris à Lycia* Toletum (olim) *allatæ: à S. Caſtino Toletano Pontifice, in Templo eidem dicato collocatæ ſunt; qui Hymnum, qui inſertus eſt* Breuiario *Muzarabum in laudem S. Martyris compoſuit.* Hinc Tempus *Tranſlationis*, & Reliquiarum exiſtentiam *Toleti* ad vſque Hiſpanicum excidium, agnoſces. Nam eo ſuperueniente, Anno DCCC. XXVIII. ex vrbe Regia *Valentiam* tranſlatas fuiſſe docet idem Iulian. in *Chron. Ann.* 828. *num.* 424. his verbis: S. CHRISTOFORI *ſacræ Reliquiæ Toletô Valentiam tranſlatæ ſunt.* Sed non omnes, quia vt ex *Catalog. Reliq. S. E. Toletan.* ab Eminentiſſ. D. D. Bernardo de Rojas, & Sandoual S. R. E. Cardinali, Archiepiſcopo Toletano, confecto, *num.* 44. adhuc in prædictæ *S. E. Tol.* Sacrario aliquot *Reliquiæ* S. CHRISTOFORI adſeruantur.

*Reliquiæ S. Martyris an Toleti requieſcant?*

*Dextri locus correctus, & ſubſanatus.*

*S. Maximi, & Iuliani verborum intellectus.*

APVD vrbem VALENTIAM in Edetanis, in eius Metropolitica Maiori Baſilica etiam mola, & alia pignora quieſcunt, vt inquit Scolanus *Hiſtor. Valent.* 1. *Tom fol* 954. *num.* 2. *& ſeqq.* vbi illuſtre miraculum recenſet Apud *Compoſtellam* in eius inſigni Apoſtolico Sacrario, BRACHIVM ipſius S. Martyris aſſeruari, docet M. Ægid. Gonzal. *Tom.* 1. *Theſaur. Eccleſ. in Compoſtell fol.* 20. Molin. in *Deſcript. Gallæc. Octaſtic.* 6. *fol.* 5. qui in *Not.* aſſerit. adeſſe BRACHIVM apud Compoſtellam S. Martyris, nam eius magnitudo, & quantitas procera optimè cuius ſit corporis manifeſtat. Etiam apud *Aſturicam* in eius S. E. cuſtodiri MANDIBVLAM, proceritatem Martyris perſpicue demonſtrantem, refert P. Biuar. in *Not ad S. Maxim. in Chron. Ann.* 496. *num.* 2. §. 27. *fol.* 254. Denique in Eccleſia *Caurienſi* Vnum DENTEM, Columellarem extare diximus ſupra *Tom.* 2. *Die XIII. April. fol.* 623. & probat M. Ægid. Gonzal. *Tom* 2. *Theatr. Eccleſ. in Caur fol.* 440. Alibi in aliis Eccleſiis Hiſpaniæ & Cœnobiis eſſe Reliquias circunfertur, quarum hic referre catalogum, potius prolixitatis, quàm eruditionis eſſet Eccleſiaſticæ, ideo eius omittimus relationem.

*Quibus Eccleſiis Hiſpaniæ ſint pignora S. Martyris.*

CIRCA morem pingendi S. CHRISTOFORI effigiem, in locis Templorum magis conſpicuis, intra vel extra Baſilicarum atria, ea refertur cauſa, quam indicant ſequentia carmina iconibus ſubſcripta:

*Quare in Templis pingitur imago S. Martyris.*

CHRISTOFORI *ſancti faciem quicunque tuetur,*
*Iſtâ nempe die non morte malâ morietur.*

Sed huius picturæ originem, ſic deſumptam non admittunt Ioann. Molano de *Pictur. & Imagin. SS. lib.* 2 *c.* 36. *& lib.* 3. *c* 27 *fol.* 138. P. Auguſtin. Vvichmans in *Apothec. Spir. Pharmacor. c.* 17. *fol.* 108. Sed potius aliis decẽtioribus locis has imagines ſtatuendas, monẽt; vt apud *Hiſpaniæ* vrbes, vbi aut Eccleſiæ, aut Eremitoria extruuntur, ob peſtilentiæ epidemiam, contra cuius ægritudinem vnus ex Quinque tutelaribus veneratur.

*Cur Chriſtum ſuper eius humeros?*

ITEM qualiter accipienda ſit illa pictura communis, vbi S. Martyr conſpicitur ſupra humeros portans Puerum IESVM, eumque per fluminis vndas deferens, videndi ſupra relati *Molanus*, & *Vvichmans*, & Ieronym. Vidam in *Eleg de S. Chriſtofor.* his carminibus:

CHRISTOFORE *infixum quod eum vſque in corde gerebas,*
*Pictores Chriſtum dant tibi ferre humeris:*
*Quem geſtans quoniam multa es perpeſſus amara,*
*Te pedibus faciunt ire per alta Maris.*
*Id quia non poteras, niſi vaſti corporis vſu,*
*Dant membra immanis quanta Gigantis erant,*
*Vt te non capiant, quamuis ingentia Templa,*
*Cogeris, & rigidas ſub Ioue ferre hiemes.*
*Omnia quòd victor ſuperaſti dura, virentem*
*Dant manibus palmam, quâ regis altus iter.*
*Quod potis ars tibi dat, nequeat cum fingere vera;*
*Accipe cuncta bono Tu bonus iſta animo.*

Sed de hoc ſatis, hymnos, Epigrammata, Encomia, & Epitaphia in huius S. Martyris honorem conſcripta, qui legere cupit, adeat *Robertum Obrizium*, *Carolum Morellum*, *Maſculum*, *Scaligerum* & alios, apud quos multa, & ſcitu digna.

C. *Irienſis diuerſus à Barcinonenſi.*

S. CVCVFAS *Martyr Irienſis in Gallæcia.* ] Diuerſum ſanctiſſimum hunc Martyrem fuiſſe à CVCVFATE illo, qui apud *Barcinonem* paſſus eſt, eruditiſſimè probauit P. Biuar. in *Not. ad Chron. Dextr. Ann.* 300. *Comment.* 2. *num.* 5. *fol.* 329. & patet ex ipſo *Dextro*, qui aſſignat iſtius palæſtram apud *Iriam Flauiam*, ſequenti elogio: IRIÆ-FLAVIÆ *in Hiſpania* S. CVCVPHAS *Martyr Chriſti.* De iſto *Irienſi* Martyre CVCVFATE ſcripſere Stephan. Garibay in *Compend. lib.* 7. *cap.* 8. Vaſſ. in *Chron. Ann.* 304. D. Franc. Padill. *Hiſtor. Eccleſ. Hiſpan. Tom.* 1. *Centur.* 4. *cap.* 19. *fol.* 187. licet illum *Braccaram* paſſum affirment. Sed non viſo *Dextro* in errorem inciderint, cùm re verâ apud *Iriam* occubuiſſe conſtans ſententia ſit; & patet ex *Breuiar. Compoſtellano* vetuſto, vbi feſtum huius Martyris celebratur *Die IX. Aprilis*, ob feſtum incidens h. d. S. IACOBI. Opinionem illorum dicentium S. Martyrem agonizaſſe apud *Braccaram* ſequitur P. Lupus in *Martyrologio Luſitano*, à quo D. Rodericus de Acuña *Hiſtor. Braccar.* 1. *p. c.* 43. *n.* 5. & *ſeqq.*

*Idem ac Braccarenſis, & quare?*

SED horum Scriptorum confuſionem ſedabis, ſi falce diſcretionis vtriuſque ſententiæ altercationem cognoueris. Hoc igitur ſcire conuenit S. CVCVFATEM *Irienſem* Martyrem, *Braccaram* fuiſſe tranſlatum, cuius occaſione *Portugallenſes* adlecti credidere, illum apud *Braccaram* fuiſſe coronatum, ideò illum *Braccarenſem* Martyrem venditant, cùm reuerâ à vero diſcedant. Hoc ex ſequenti *Epigrammate* vetuſto inter *Auli Hali* carmina probat, ſequenti lemmate.

## PRO S. CVCVFATE MARTYRE IRIENSI

### Epigramma.

IRIA *te*, CVCVFAS, *nouit per vulnera Diuum:*
BRACCARA *te Diuum nouit per pignora Ciuem.*
*Illa tuos vidit diſcerptos vnguibus artus:*
*Iſta tuos artus ſeruat cum fronte ſerenâ.*
*Ergo pium te Diuum ſpectat quælibet vnâ*
*Vrbs: Hæc pro tumulo; nec non & agonibus illa.*

Ex



*Pignora Braccarâ Compoſtellam tranſlata.*

Ex quorum carminum exiſtentiâ, & ecphraſi ſatis ſuperque liquet, ſententia, quam retulimus, & qualiter accipienda ſit opinio Portugallenſium.

PROCVLDVBIO errauit P. Biuar. vbi *ſupr n.* 5. *fol.* 329. aſſerens S. CVCVFATIS *Irienſis* lipſana non fuiſſe à *D. Didaco Gelmireſio* Archiepiſcopo Compoſtellano, *Braccarâ Compoſtellam* tranſlata, cùm contrarium conſtet ex vetuſtiſſimâ *MS. Irienſ. Hiſtor.* vbi *Ann.* 1102. *fol. mihi* 16. agens de relato *Didaco* Archiepiſcopo, ſuo idiomate proſequitur: *Em ò dito Ano, ò dito Biſpo como boò Paſtor è vigilador ſobre ſuas ouellas, foy atà* Portugal, *à viſitar as poſeſſions da Eygrege de* SANTIAGO, *è traxo dende os Sanctos Corpos de S. Frutuoſo, S. Silueſtre,* S. CVCVFATE, *è S. Suſana, è aſentons na ſua Eygrege dà Compoſtella, ſegun que veredes por ſua Eſtoria.* Quæ verba Latinitate donata, ſic verte: *In dicto Anno, præfatus Epiſcopus, vt bonus Paſtor, & vigilans ſuper oues ſuas*, Portugalliam *vſque deuenit vt poſſeſſiones ſuæ Eccleſiæ* Compoſtellanæ *viſitaret, & inde Corpora SS. Fructuoſi, Sylueſtri,* CVCVFATIS, *& Suſannæ detulit, eaque in ſua* Compoſtellana *Eccleſia collocauit, vt ex ſua videbitis Hiſtoria.* Hinc, hac Tranſlatione inſpectâ, Molina in *Antiquitat. Gallæc. Octaſtich.* 7. *fol.* 6. auſus eſt dicere:

*Alli en* Compoſtela *de mas del Glorioſo,*
*Eſtan otros* Cuerpos *de vida aprobados,*
*De muchos milagros bien ſolemnizados,*
*Que ſon* CVCVFATE, *Silueſtre, y Frutuoſo.*

Quod etiam notauit idem Molina in *Not. ad d. Octaſtich.* 7. & plures alij relati à R. P. F. Philipp. de la Gandar. in *Hiſtor. Gallæc. p.* 2. *lib.* 8. *cap.* 13. ACTA huius Martyris dabimus ex *Lectionibus* breuibus *Breuiarij Compoſtellani* vitellinis tabulis exarati ad *diem IX. Aprilis*, hac ſerie ſcriptis:

## *ACTA S. CVCVFATIS MARTYRIS Irienſis, ex Lectionibus Breuiarij vetuſtiſſimi S. E. Compoſtellanæ.*

Lectio I. *Origo, fides, & tormenta. Coronatur.*

CVCVFAS *Gallæcus origine, Chriſtianam ab incunabulis apud* Iriam-Flauiam *in* Gallæcia, *fidem ſuſcipiens, ab ea nequaquam potuit, nec blanditiis, nec tormentis ſeparari; & ideò à indice, temporibus* Diocletiani, *& Maximiani, fuit multiplici ſuppliciorum ſeueritate cruciatus; donec abſciſſis ceruicibus, ad gaudium beatitudinis æternæ inuictus Martyr acceſſit.*

Lectio II. *Sepultura, & Tranſlatio I.*

CVIVS *corpus à Chriſtianis contribulibus ſuſceptum, primo in eadem vrbe, noctu Gentilium timore tumulatum, per aliquot requieuit annos ibidem, ſed poſtmodum inuentum, & in Eccleſiam* Braccarenſem; *cui* Irienſis *erat ſubiecta, tranſlatum, & illic honorifice depoſitum, per aliquot ſecula in ea delituit.*

Lectio III. *Vltima Tranſlatio.*

DEMVM *cùm* Didacus Gelmireſius *S. E. Apoſtolicæ* Compoſtellanæ *inſulas indueret, & vt erat Paſtor euigilans, Eccleſias, & Paræcias ſuæ ditionis viſitare decerneret, partem illam* Portugalliæ, *circa* Braccaram, *aggreſſus, ex ea vrbe pignora ſacra aliquorum Sanctorum extraxit, inter quæ* S. CVCVFATIS *Martyris* Irienſis, *& in Apoſtolica Baſilica collocauit, vbi nunc debito honore quieſcunt.*

*Dies, & Annus Martyris agonis, ex Lectionibus.*

Accipe Lector amantiſſime quæ potuimus, in re tàm obſcura, & variis penè defunctâ temporum inuolucris, elicere. DIES agonis in dicto *Breuiario* Compoſtellano *XXV. Iulij* aſſignatur, ſed propter Apoſtoli ſolemnitatem, ab eius Eccleſia Apoſtolica anticipatur ad *IX. Aprilis*, vt in eius Rubrica dicitur. Annus paſſionis fuit temporibus Diocletiani, vt ex *Lection. I.* & Dextr. aſſignatione pateſcit. Cætera iam ex Prolegomeno ediſces.



SED

*Ex aliis Scriptoribus.*

Sed his omnibus obſtant Acta SS. *Victoris*, & *Suſannæ* fratrum S. Cvcvfatis, quæ ſupra *Tom.* 2. *Die XII. April. fol.* 576. & ſeqq. retulimus, vbi probatum reliquimus verum paſſionis Annum tempore *Neronis* ex Tribus rationibus à Nobis recenſitis *fol.* 577. Erroremque ineſſe in *Noſtris* Scriptoribus, & aſſertioni *Flauij Dextri* fecimus ſatis, ita vt eius memoria relata ad Annos CCC. & CCC. VI. deberet intelligi de annua feſtiuitate per illa ſecula, non vero de *Anno* paſſionis, cùm luce clarius conſtet, ex rationibus à Nobis adductis d. *Tom.* 2. *fol.* 577. martyrium egiſſe fratres S. Cvcvfatis tempore Neronis ad Annum LXIX.

*Martyrologia.*

S. Cvcvphas *Martyr Barcinonenſis.* ] Inuentionem ſacrarum exuuiarum huius Sanctiſſimi Martyris deſcripſimus ſupra *Tom.* 2. *Die XXIX. April. fol.* 813. *lit. C.* Nunc eius beatificam *paſſionem* deſcribemus. Eius enim memoriam recolunt *Beda, Vſuardus*, *Ado* & cæteri recentiores, à quibus *Martyrologium Romanum* h. d. ſequenti elogio: Barcinonè *in* Hiſpania *Natalis* B. Cvcvphatis *Martyris, qui in perſecutione Diocletiani ſub Daciano Præſide, plurimis tormentis ſuperatis, percuſſus gladio; victor migrauit in cælum.* Conueniunt Martyrologia Caſtellanum *P. Vaſq.* Luſitanum *P. Lup* Hiſpanum *MS. P. Higuera*; & Italum *Conſtant. Felic.* Nec non & Gallicanum *Andr. Sauſſay. Tom.* 1. *fol.* 461. Petr. de Natalib. in *Catalog. SS. lib.* 6. *c.* 136. Philipp. Ferrar. in *Topograph. SS. verb.* Barcino. *fol.* 19.

*Scriptores.*

De eo ſcripſere Aurelius Prudentius Noſter in *Periſtephan. Hymn.* 4. ſic:

*Barchinon claro* Cvcvphate *freta*
*Surget.*

Ioannes Vaſſ. in *Chron. Ann.* 303. P. Truxillo in *Theſaur. Concionator. h. d. fol.* 1333. Ambroſ. Moral. *Hiſtor. Hiſpan. lib.* 10. *c.* 1. Don Franciſc. Padill. *Hiſtor. Eccleſ. Hiſpan. Tom.* 1. *Cent.* 4. *c.* 2. *fol.* 149. Petr. Anton. Beut. *Hiſtor. Valent. lib.* 1. *cap.* 25. P. F. Ioannes Mariet. *Hiſtor. SS. Hiſpan. lib.* 2. *c.* 8. P. F. Anton. Vincent. Domenec *Hiſtor. SS. Cathalon. lib.* 1. *fol.* 66. Stephan. Garibay. in *Compend. Hiſtor. Hiſpan. lib.* 7. *c.* 44. *& lib.* 8. *c.* 49. P. F. Franciſc. Diago *Hiſtor. Comit. Barcinon. lib.* 1. *c.* 20. *& lib.* 2. *c.* 31. Ieronymus Pujades *Hiſtor. Cathalon. lib.* 4. *c.* 86. *fol.* 220.

*Breuiaria.*

In omnibus Hiſpaniæ *Breuiariis* Officia ſpecialia olim ineſſe cognoſcimus, & in vetuſtiſſimo *Iſidoriano* ſuo more, vbi iſte ſacer *Hymnus* totas res geſtas in agone S. Martyris complectens:

Barchinon *læte* Cvcvphati *vernans*
*Corporis Sancti tumulum honora:*
*Et locum ſacri venerans ſepulchri*
*Sparge liguſtris.*

*Munus hoc clarum tibi Scylitana*
*Ciuitas miſit, dedit & Beatum*
*Quoque* Felicem *populis* Gerundæ
*Sorte colendum.*

*Hi ſequeſtrato tumulis honore,*
*Proprias Sedes adeunt tuendas:*
*Hic* Barcinonâ *celebratur aulâ,*
*Ille Gerundâ.*

*Hinc cruor huius* Cvcvphatis *almi*
*Factus eſt noſtræ regionis hæres:*
*Inde hic nobis ſua membra ponens,*
*Viuere præſtat.*

*Hic fide plenus redamando Chriſtum*
*Lucis infeſtum patitur Tyrannum:*
*Moxque bis ſeno teritur beandus*
*Milite tortus.*

*Cæde percuſſus nimiâ furentis*
*Viſcera fudit peritura:*
*Quæ reformata recipit in aluum*
*Sanus ad horam.*

*Miſſus in flammis, precibus minacem*
*Ignis admoti perimit vigorem,*
*Nequit adurere nimis in Beato*
*Corpore flamma.*

*Cratis ignitæ facibus cremari*
*Iuſſus, ardoris nutrimenta gliſcunt,*
*Sed nihil famulo nocent rigores*
*Suppliciorum.*

*Suſtinet poſthinc pius ille cardos*
*Ferreos, in ſe ferientes ictu:*
*Sicque deciſi capitis in æthra*
*Spiritus efflat.*

*Iam faue Martyr precibus clientum,*
*Inſtrue Ciuem, populum tuere:*
*Et Sacerdotum pia corda mulce*
*Pacis amore,*

*Crimine dempto, anima vireſcat,*
*Pane cæleſti ſatiemur omnes*
*Crimine lapſa vitiata membra*
*Spiritus ornet.*

*Non ruinoſi perimantur artus,*
*Non cibus corpus vitiiſque preſſum,*
*Non in occultis animæ crementur*
*Igne malorum.*

*Vt pia tecum* Cvcvphas *Beate*
*Regna cælorum meritis tenentes,*
*Det Deo Noſtro reſonans placantem*
*Lingua canorem.*

*Gloriam Patri celebrent honore,*
*Gloriam Nato recitent Superni,*
*Cum quibus Sanctus ſociatus extat*
*Spiritus vnus, Amen.*

*Scriptores Flor. Sanctorum.*

Huius etiam *Hymni* ſeriem, licet non integram edidit P. Biuar. *ad Flau. Dextr. in Chronic. Ann.* 300. *num.* 5. *Comment.* 2. *fol.* 329. ACTA Sanctiſſimi Martyris referunt Boninus Mombric. in *Act. SS. Tom.* 1. Sur. *Tom.* 4. Noſtri *Flor. SS. Scriptores.* Ea in *MS. Breuiario* Cœnobij *S. Cucuphat. del Valles*, habemus cum Officio, & *hymnis*, ſed quia penè eadem ſunt, ac ea quæ *Laurentius Surius* edidit, illa hic ſubiicere decreuimus.

## *ACTA S. CVCVPHATIS, MARTYRIS Barcinonenſis ex Breuiar. MS. Monaſterij Octauiani in Cathalonia, & ex Laurentio Surio Carthuſiano.*

*Origo.*

B. CVCVPHATIS *clariſſimi Martyris tanta ſunt merita, tanta in certamine fortitudo, vt humanam, eorum imprimis fidem videatur excedere, qui non credunt diuinæ potentiæ; & omnia poſſibilia eſſe credenti. Ortus fuit in* Scyllitana *vrbe, nobiliſſimis parentibus, & inter ſuos ſingulari magnificentiâ opulentiſſimis natalibus. Sed ille fide, & moribus longe ſe nobiliorem præſtitit. Erat in ea ciuitate* Felix *quidam æquè illuſtri proſapiâ, cum quo profectus eſt* Cæſaream, *quæ eſt ad* Mauritaniæ *littus ſita, vt liberalibus literis operam nauaret. Vbi autem peruulgatâ famâ compererunt, perſecutionis immanitatem, nimio æſtu feruere in Oriente ſub Sathanæ adminiſtris, Diocletiano, & Maximiano Imperatoribus, illi SS Socij cum multis nauibus, non mediocris pretij mercibus, & opibus onuſtis, in* Occidentem *profecti ſunt, Mercatorum præ ſe habitum, & formam ferentes; vt erant re verâ Negotiatores Domini Noſtri Ieſu-Chriſti. Cúmque* Barcinonem *appuliſſent, repererunt vſque adeò dictorum Principum impietatem vſquequaque malè graſſari, vt nec in* Occiduis *Orbis partibus ſupereſſet Ciuitas, Municipium, vicus, vel poſſeſſio, vbi non eſſet ſtatutum Idolum, cui quiſquis nollet thura ponere, illi fas non erat quidpiam emere, nec beneficium, vel commodum aliquod aut accipere, aut conferre. Itaque animaduertentes deuoti cultores Dei, tempus iam aduentare, quo virtus Dei, & D. N. Ieſu-Chriſti manifeſtaretur, breui tempore in lachrymis ſeminarunt, vt in gaudio ſempiterno meterent: cœperuntque operibus pietatis, & eleemoſynis, quibus ſedulo aſſueuerant, etiam largiùs præſtandis vacare; fide, caſtitate, ſobrietate, manſuetudine, eximiâ charitate, erga omnes benignitate, denique virtutum omnium ſplendore, ceu clariſſima cœli lumina coruſcare, omnium ſe mentibus, & amori officioſiſſimè inſinuare: tum quoque verbum ſalutis priuatim, & per domos ad ipſos confluentibus prædicare, donec res ſuas omnes, quas eò adtulerant, miſericordiæ officiis impendiſſent; atque ita ad extremum, Dominum* IESVM *publicâ voce confitentes, & annuntiantes, ſe ipſos, vt rei declarauit euentus, ſuperimpenderent.*

*Cæſaream proficiſcitur.* — *Hinc Barcinonem Hiſpaniæ.* — *Operibus pietatis vacat.* — *Verbum Dei prædicat.*

*Barcinone miraculis claret.*

PORRO, *communicato inter ipſos conſilio*, B. Felix Gerundam *abiit, & illic pro Chriſto ſuum ſanguinem fudit.* CVCVPHAS *autem* Barcinone *populoſiſſimâ vrbe remanens, præter conſtantiſſimam, & inſuperabilem veræ fidei prædicationem, etiam miraculis egregiè ornatus eſt. Non enim potuit diù in tenebris latere tantum lumen. Denique ita in omnium gratia curationum excreuit, vt nemo fideliter ab eo petens aduerſus quoſuis morbos, & moleſtias remedium, non ſine mora in nomine, & virtute D. N. Ieſu-Chriſti ſit conſecutus. Dæmones etiam ſolo expulit verbo, & virtutem Chriſti confitentes, à credentium finibus exturbauit. Audiens verò hæc Galerius Proconſul, milites miſit, qui eum ad ipſum adducerent, ac deinde ad Tribunal aſſiſtenti, dixit*: Ecquod Numen colis rebellis inſaniſſime, qui, vt audio, inuictiſſimorum Principum iuſſa contemnis, & Maximorum Deorum omnipotenti Maieſtati cultum impendere non vis? *Reſpondit* S. CVCVPHAS *cum ingenti conſtantiâ*: Ita ne mortalium omnium inſipientiſſime,

*Capitur.*



*Conſtantia eius.*

tiſſime, ea me iubes ſimulachra adorare, eoſque Deos colere, qui non veri Dei voluntate, ſed fraude, & verſutiâ malorum Dæmonum, & ſtultiſſimorum tui ſimilium hominum vecordiâ, & amentiâ inuenti, & conflati ſunt? *Eâ reſponſione incredibili mentis furore inflammatus Proconſul, tortoribus iuſſit, vt donec ſpiritum ab illo extorquerent, atrociſſimè illum flagellare non ceſſarent.*

*Flagellatur.*

ACCEDVNT *igitur per vices duodecim Milites, & exquiſitâ crudelitate, ita eum flagellis laniant, vt diſrupto corpore, viſcera Martyris conſpicerentur. Tum Vir Sanctus magnâ voce clamauit*: Domine Ieſu-Chriſte, qui omnia tuo præcepto fundaſti, qui me de limo fragili ſolidam ſubſtantiam, & rationabilem creaturam finxiſti: præſta mihi ſeruo tuo, vt virtutem tuam intelligens, hæc propter te, & poſſim, & ardenter concupiſcam tolerare, qui cernis omnia, & pro ſancto nomine tuo, cum Diabolo, & miniſtris eius, & cum ipſius carnis meæ doloribus me certantem vides: Oſtende virtutem tuam incredulis, qui nomen tuum perſequuntur; vt videntes mirabilia tua, credant, & conuertantur, aut certe pereant, & deſtruantur. Porrò impiiſſimum Galerium, qui tantâ rabie ſæuit in Seruum tuum, ſi non eſt prædeſtinatus ad vitam, diuino citiùs gladio interfice. *Cum hæc dixiſſet, & milites viderent viſcera eius in terram profuſa, cæcitate percuſſi ſunt, & Galerius Proconſul cum omnibus Idolis ſuis, quibus electum Chriſti Martyrem ſacrificare cogebat, repente conſumptus eſt. Ipſe verò Martyr, viſceribus intra ventrem reſtitutis, dicto citius, operatione diuina ſanatus eſt. His ita geſtis, expanſis in cœlum manibus, dixit*: Gratias tibi ago Omnipotens Deus, & Mundi Saluator, qui es ab æterno, & permanes in omnem æternitatem: qui in te credentium preces non deſpicis, qui cum ſis vbique totus, mihi hic adeſſe dignaris: qui eâ manu potentiæ, quâ me primò plaſmaſti, iam denuò omnipotenti gratiâ inſtauraſti, tuique nominis hoſtes perdidiſti. *Tum vero populus omnis dedit laudem Deo, & toto pectore voces in cœlum tollens, dixit*: Tu es verus Deus, quem Sanctus CVCVPHAS colit: Tu es Deus, neque eſt alius extra te, qui facis hæc mirabilia: Tu es Deus viuus & verus, regnans in ſeculorum ſecula.

*Galerij Proconſulis interitus.* — *Gratias agit Deo.* — *Multi Chriſtum confitentur.*

TVNC *indicens* S. CVCVPHAS *ſilentium, cùm ceſſaſſent eiuſmodi populi clamores, ait*: En vos ipſi videtis, quàm admirandas res faciat verus Deus, quem ego prædico vobis. In illum ergo credere debetis, & illum adorare. Itaque fratres mei abiicite idola, hominum manibus facta, quibus nec vox, nec auditus, nec guſtus, nec ſenſus vllus, nec vlla virtus ineſt: quæ nec ſibi poſſunt conſulere, & ſui cultores mittunt in ignem æternum. *Interea perlata ſunt hæc ad Præſidem Maximianum, qui iuſſit, & ſacratiſſimum Domini teſtem, atrociſſime vinctum coram ſiſterent. Idque Niloxinus, & Hactraſinus, viri & poteſtate, & crudelitate cæteris, qui erant in officio, inſigniores, complentes, Martyrem grauiſſimo catenarum pondere fatigatum, ad Maximianum Præſidem deduxerunt, cui dixit Præſes*: Vnde nam es tu? Inquilinus ne, an peregrinus, & alienigena? S. CVCVPHAS *reſpondit*: Quid ſciſcitaris de patria, & de genere meo, quæ tibi Deus indicare noluit? *Maximianus ait*: Quem tu ergo Deum colis? *S. Martyr reſpondit*: Quid ita ſub dubio de Deo interrogas, quaſi aut plures Dij ſint; aut ſit Deus ipſe diſſectus? Equidem alium Deum non noui, præter eum, qui eſt Deus viuus, & verus: qui fecit cœlum, & terram, mare, & omnia quæ in eis ſunt, quem corde credo, & ore confiteor, atque omni ſtudio prædico. *Maximianus dixit*: Si verus eſt Deus, quem tu dicis, veniat nunc & eripiat te de manibus meis, & de ſuppliciis tibi præparatis. *S. Martyr dixit*: Quæ verò mihi parata ſunt ſceleſtiſſime? Ego, & te, & patrem tuum Diabolum, cum omnibus exquiſitis ſuppliciis, quæ mihi, vt Sathanæ adminiſter, irrogaueris, irrideo; iis planè inſulto, & per virtutem

*Ad Præſidis tribunal iterum ſiſtitur.* — *Conſtantia in Præſidis præſentia.*

Nominis Domini Ieſu-Chriſti ea deſpicio. *Maximianus ait :* Video, miſer multâ te eſſe animi pertinaciâ , qui etiam maleficis artibus tuis Deos noſtros contriuiſti. S. Cvcvphas *Subridens , dixit :* Putaui, miſer , aliquam ſaltem in te ſcientiæ particulam reſidere : ſed vt video , ſummæ dementiæ eſt , & extremæ inſaniæ iudicium tuum : qui cùm dereliqueris , velis nolis , Deum tuum , Dæmonum ſtatuas adoras ; iiſque , ſecundum Scripturæ diuinæ imprecationem , ſimilis factus es , quorum dux eſt Diabolus , Princeps veſter , putaſque minis frangere te poſſe Seruum Dei.

*Aſſatur in craticula.*

Tvm *Maximianus , ſatanico furore correptus , iuſsit B. Martyrem in craticula aſſari , & ambuſtum ſinapi , & aceto perfundi. Sed ſanctiſſima hoſtia, inuictiſſimus Chriſti miles , pſallebat :* Exaudi Domine iuſtitiam meam, intende deprecationem meam. Auribus percipe orationem meam. *Cúmque pſalmum abſoluiſſet , ita eſt ſanitati redditus , ac ſi nihil perpeſſus eſſet : pœnarum autem adminiſtri ab igne conſumpti ſunt. Poſtquam hæc Maximianus audiuit , furorem furori adiungens , præcepit Chriſti Athletam ferro onuſtũ ſuis adſpectibus præſentari , dixitque illi :* Multa eſt vis præſtrigiarum tuarum , ſed per Deos magnos , atrociſſimis ego te tormentis interficiam. *S. Martyr reſpondit :* ô virulenta lingua diaboli , quid ita procaciter abſque opere minaris ? Age quod es acturus : nullius enim prorſus ſunt ponderis minæ tuæ apud me. *Iuſsit ergo Maximianus ignem copioſum extra vrbem accendi , vt Sanctum Dei Martyrem concremaret. Cumque eum Officiales conieciſſent in ignem , ſublatis in cælum oculis , dixit :* Adeſto nunc mihi Domine Ieſu-Chriſte , qui in ardenti fornace Tribus fidelibus pueris tuis adfuiſti , & in te credentibus , æternos , & intolerabiles gehennæ ignes tuo ſanguine extinxiſti , ad quos ire non meruit impiiſſimus Præſes Maximianus ; qui perſpectâ modò potentiâ tua pudefiat. *Prece completâ , ita ignis omnis extinctus eſt , vt nec tepor quidem incendij ſupereſſet , & B. Vir ab omni flammæ vapore illæſus , & intactus , in has diuinæ laudis voces erupit :* Tranſiuimus per ignem , & aquam , & eduxiſti nos in refrigerium. *Vbi id vidit Maximianus , pudore affectus, dixit cuſtodibus :* Ferro vinctum reducite eum in cuſtodiam , donec excogitemus noua genera pœnarum.

*Ignis præparatus extinguitur.*

*Illæſus euadit.*

*Iterùm catenis cingitur.*

Ergo *Sanctus Dei Martyr in carcerem retruditur , & grauiſſimo ferri, atque catenarum pondere oneratur. Cúmque veſperi ingrederetur in carcerem, pſallebat :* Dirigatur Domine oratio mea ſicut incẽſum in conſpectu tuo: eleuatio manum mearum ſacrificiũ veſpertinum. *Clauſo autem oſtio carceris , tantus in eo ſplendor refulſit , vt eo conſpecto , cuſtodes carceris crediderint in Chriſtum. Poſt multam verò fidei doctrinam ,* B. Cvcvphas *gratias agens Deo :* Sana *(inquit)* Domine Ieſu animas eſurientiũ, & ſitientiũ ſanguinis tui recordatione. *Hæc S. Martyre orante , manè admodum tranſmiſsis apparitoribus , Maximianus eum ſibi iuſsit præſentari , dixitque ad eum :* Adhuc perſeueras in inſania tua , nec vis redire ad ſanitatem ? S. Cvcvphas *reſpondit :* Te planè obtinet inſania , qui patris tui Diaboli iuſſa capeſſis , nec vis cognoſcere verum Deum : tecumque pariter hanc multitudinem perdis. *Iis verbis grauiter commotus Maximianus , dixit militibus :* Cædite eum virgis ferreis , & taureis , vt exterminetur caro eius. *Dum autem cæderetur , ſuſpiciens in cælum Vir Sanctus , cum multis lachrymis dixit :* Gratias tibi ago Omnipotens Deus , Domine Ieſu-Chriſte , appropinquauit enim gratia tua. Exaudi Domine preces ſerui tui , & pudefac impiiſſimum Maximianum : vt omnes qui credunt in verum Deum , videant mirabilia tua , & corroborentur in fide ſua. *His dictis vox cælitus audita eſt :* Quidquid petieris , dabitur tibi ſecundum fidem tuam. *Tum. B. Martyr ita orauit :* Confirma Deus hoc , quod operatus es in nobis. Corrobora cor meum , & da vires ſeruo tuo ad ſuperanda tela nequiſſimi hoſtis. Ego autem cognoſco te verum Deum.

*Cuſtodes conuertuntur.*

*Iterum flagellatur.*



Deum. Quod ſi iuſto iudicio tuo periturus eſt Maximianus , fac vt celeriter intereat cum patre ſuo Diabolo , & omnibus Dæmonum Idolis *Iuſſerat autem Maximianus ornari aras , vt Dæmonibus ſacrificia offerret cum Pontificibus. Cúmque aſcenſo curru , eò tenderet , in medio foro, nutu Dei , in terram decidit , crepuitque miſere , & extinctus eſt. Porrò Idola, quibus volebat immolare , pariter collapſa , & in puluerem redacta ſunt.*

*Præſes nutu Dei periit.*

Qvæ *vt vidit populus , ſummâ vocis contentione dixit :* Magnus eſt Deus Cvcvphatis , & verus eſt Deus Chriſtianorum , eorumque potentiſſimus liberator. S. Cvcvphas *ait :* Tibi laus Domine Ieſu-Chriſte , tibi gratiarum actio , tibi omnis debetur honor , & adoratio. Tibi Deus Omnipotens gratias ago , te intus , & foris glorifico , qui incredulos euertis , & te diligentes extollis. *Tum Ruffinus quidam , qui ciuitati præeſſe videbatur , ita populum affatus eſt :* Quid ita à paterna religione , & cultu degeneratis , & hac perfidiâ generi veſtro ignominiam affertis , relictis magnis Diis , ignotum adorantes ? *Reſponderunt omnes :* Cur nos hortaris illos colere , qui non ſúnt Dij , ſed opera manuum hominum ? Æquum eſt , in illum potius nos credere , illumque adorare , quem Sanctus Cvcvphas confitetur , & colit. *Ait autem Ruffinus ad Chriſti Martyrem :* Improbiſſime , cur tantæ multitudini perſuades Deos maximos blaſphemare , & neſcio cuius Chriſti nomen confiteri? S. Cvcvphas *reſpondit :* Nos confitemur viuentem , & adoramus immortalem : vos autem illos adoratis , quibus nec vox , nec auditus eſt , perituri haut dubio cum illis in iudicio ſempiterno. *Tum Ruffinus ait ſpiculatoribus :* Nunquam hunc rebellem ſuperabimus , niſi gladio in illum animaduertamus. *Dictauit ergo in eum hanc ſententiam :* Cvcvphatem aduerſus Principes noſtros rebellem , & Diis magnis ſacrificare contemnentem , gladio feriri iubemus.

*Ruffini Præſidis exhortatio.*

*Capite damnatur.*

Ea *lectâ ſententiâ ſpiculatores Martyrem Beatum extra vrbem abduxerunt , ad locum qui* Octauianus *dicitur ,* VIII. *ab vrbe* Milliario , *vt illic eum capite punirent. Orauit tunc eos* S. Cvcvphas , *vt breue precandi ſpatium ipſi præberent. Illis annuentibus , humi ſe proſternens , dixit :* Deus Omnipotens , Domine Ieſu-Chriſte , qui feciſti omnia in virtute tua , & regnas cum Patre , & Spiritu ſancto , fac miſericordiam cum me famulo tuo , & ſuſcipe animam meam in pace : ſcis enim Domine , quòd toto corde deſideraui te. *His dictis caput ei amputatum eſt* VIII. Kal. Auguſti , *Anno Domini* CCC. III. *Quo facto Chriſtiani ſanctiſſimum rapuerunt* Corpus *eius , & cum dignâ veneratione ſepelierunt ; in cuius ſepulturæ loco virtus Domini Noſtri Ieſu-Chriſti per Sanctum ſuum Martyrem petentibus benignas præbet aures , & piis precibus ſolitum præſtat effectum. Poſtmodum circa Annum* DCCC. Caput *Sanctiſſimi Martyris* Caroli Magni *Imperatoris nutu* Pariſios *operâ* Fulradi *Abbatis Cœnobij* SS. Dionyſij , *& Sociorum tranſlatum eſt , vbi honorificè repoſitum , ibidem* Gallicanæ *gentis venerationem promeruit. Reliquum verò* Corporis *ſacri ad Annum Chriſti* M. LXXIX. *in eodem Cœnobio* Octauiano , *prope* Barcinonem , *vbi ſepultum fuerat ,* Andreæ *venerabilis Abbatis tempore , miraculis præcedentibus , inuentum eſt , vbi adhuc honorificè cuſtoditur , & religioſiſſimè colitur, maximè ab Oppidanis , & incolis , quibus innumera per eius interceſſionem confert beneficia Dominus Deus Noſter , qui cum Filio & Spiritu-ſancto viuit, & regnat per ſecula ſeculorum. Amen.*

*Coronatur.*

*Caput transfertur Pariſios.*

*Reliquum corporis apud Octauianum Cœnobium.*

Hactenus Acta ex *Legendario* , & *Breuiario Octauiano* , vulgò S. Cvlgat. *Barcinonenſi* , & R. P. *F. Laurentio Surio* ; quæ illud tantùm illuſtratione deſiderant , ſcilicet circa *Tranſlationem* Sacrati *Capitis* tempore *Caroli Magni* ad Annum DCCC. XXXV. vt refertur in iiſdem ipſis Actis à *Surio* recenſitis. Cætera probantur ex his , quæ diximus ſupra *d. Tom. 2. Die XXIX. April. fol.* 813. vbi *Inuentionem* ſacri *Corporis* , dempto *Capite* , recenſuimus. His ita digeſtis prorſus errauit Auctor Actorum apud Surium *Tom. 4. fol.* 309. *Die XXV. Iul.* aſſerens , *Tranſla-*

*Tranſlatio Capitis , & Inuentio Corporis.*

*tum* fuiſſe S. Martyris Noſtri integrum *Corpus* ex *Caſtro-Octauiano Pariſios*, cum contrarium appareat, ex relatis à Nobis ſupra *d. Tom.* 2. *fol.* 815. vbi ex Annorum computo lapſum *Sauſſay* demonſtrauimus.

In Vetuſto, vt diximus, *Breuiario* Monaſterij *S. Cucuphatis del Vallès*, prope *Barcinonem*, reperitur Officium vetuſtiſſimum, & MS. cuius codicem accepi ab Amico *Ioanne Franciſco Andreſio*, heu vitâ functo, in quo ſequentes *Hymni* leguntur, quos, ne pereat tantæ antiquitatis mnemoſynon, hic ſubiicere decreui.

## IN PRIMIS VESPERIS, HYMNVS.

*AVe Martyr glorioſe,*
*Miles inuictiſſime:*
*Aue noſtræ ſpes ſalutis,*
CVCVPHAS *ſanctiſſime,*
*Sume laudes quas deprompſit*
*Chorus hic aſſiduè.*
*Qui diuinus fretus armis*
*Debellaſti Zabulum;*
*Vires eius omnes terens*
*Conculcando ſeculum:*
*Prece tuâ Nos tuere;*
*Solue nexis vinculum.*

*Poſt tormenta quæ ſubiſti*
*Fide pro Catholica:*
*Fulges vt Sol, atque regnas*
*Vrbe nunc* Hiſpanicâ:
*Tu nos cœlos vſque ducas,*
*Virtute mirificâ.*
*Almi prece* CVCVPHATIS,
*Necnon & iuuamine;*
*Præſta Chriſte quod rogamus,*
*Natus olim Virgine;*
*Qui cum Patre regnas ſemper*
*Et cum S. Flamine. Amen.*

## AD MATVTINVM HYMNVS.

*EXultet, atque iubilet*
*Omnis Orbis, & concrepet,*
CVCVPHATIS *egregia*
*Celebrando ſolemnia.*

Barchinona *præcipuè*
*Iucundetur aſſiduè,*
*Ipſius Magiſterio*
*Omni mundata vitio.*
*Nam Martyr, & Apoſtolus,*
*Eſt miſſus huic cœlitus;*
*Vt pulſis prauis ſenſibus,*
*Bonis polleret moribus.*

*Nos Martyris eximia*
*Veneremur ſolemnia;*
*Vt per ipſius merita,*
*Noſtra purgentur crimina.*
*Præſta nobis piiſſime*
*Pater, Nate, Paraclite,*
*Vt eius patrocinio,*
*Tecum fruamur gaudio.*

## AD LAVDES HYMNVS.

*AVrora ſplendens emicat,*
*Pſallens concentus iubilat,*
*Diem feſtum concelebrat,*
*Chriſtum laudibus intonat.*

*Quo*



*Quo* CVCVPHAS *æthereum*
*Victor ſcandit ad ſolium,*
*Martyriali laureâ,*
*Stolâque nitens fulgidâ.*
Barchinona *ſub ſentibus*
*Olim gemens horrentibus,*
*Hunc Doctorẽ promeruit,*
*Per quem tenebris caruit.*

*Iam nunc te Martyr poſcimus*
*Clerus omniſque populus,*
*Vt te laudantes protegas,*
*Te deprecantes foueas.*
*Gloria tibi Domine,*
*Datori tantæ gratiæ,*
*Cum Patre, & S. Spiritu*
*In ſempiterna ſecula, Amẽ.*

Accipe Antiquitatis amator, iſthæc vetuſtatis monimenta, vt agnoſcas quanto Noſtrates olim Sanctorum ſuorum feſta proſequebantur affectu, & honorifico ſolemnia eorum celebrabant applauſu. Sed de hoc ſatis, ad alia pergo.

*Caſtri Octauiani memoria.* MONASTERIVM S. CVCVPHATIS DEL VALLES. De eo aliqua diximus ſupra *d. Tom.* 2. *Die XXIX. April. fol.* 815. vbi eius *Topographiam*, & *Conditorem* aſſignauimus. De CASTRO-OCTAVIANO, quod ab *Auguſto Cæſare* conditum creditur, memoria eſt apud *Ambroſium Morales*, *Pujades*, *Domenec*, & alios ſuperius relatos. Videndus Abrahamus Ortellius in *Geograph. lit. C. verb. Caſtrum Octauianum.*

E. S. THEODOMIRVS *Abbas*, *& Martyr Cordubenſis.* ] Noſtri Martyris memoriam, & agonem breui periodo extollit S. Eulogius Martyr in *Memorial. SS. lib.* 2. *c.* 6. qui agens de corpore *S. Pauli* Diaconi, & Martyris, à fidelibus ſublato, & ſepulto, *vnà* (inquit) *cum* B. THEODOMIRI *Carmonenſis Monachi corpore*, *apud Sanctuarium prædicti Martyris* Zoili *conditum eſt. Qui & ipſe iuuenis poſt* VI. Die *quâ Sanctus decidit* Paulus, *id eſt* VIII. Kalend. Auguſt. *Fer.* VII. *Erâ, quâ ſupra occubuit.* Ab eo etiam eius memoriam exuxere *Martyrolog. Roman.* h. d. iſtâ clauſulâ: *Cordubæ* S. THEODOMIRI *Monachi*, *& Martyris.* Caſtellanum *P. Dion. Vaſq.* Luſitanum *P. Lup.* Hiſpanum MS. *P. Higuer.* Italum *Conſtant. Felic.* Monaſticum *Arnold. Vvion.* & *Hugon. Menard.* De eo ſcripſere Baron. *Annal. Eccleſ. Tom.* 10. *Ann.* 851. *num.* 5. Ambroſ. Moral. *Hiſtor. Hiſpan. lib.* 14 *cap.* 10. Ioannes Mariet. *Hiſtor. SS. Hiſpan. lib* 3. *c.* 5. P. F. Anton. Yep. in *Chron. Benedict. Tom.* 4. *Cent.* 4. *Ann.* 851. Bleda *Hiſtor. Sarracen. c.* 12. Roder. Car. *in Corograph. Hiſpalenſ. Conuent. lib.* 3. *c.* 43. R. Pat. Martin. à Roa *Hiſtor. SS. Cordubenſ. fol.* 125. P. Anton. Quintana-Dueñas *Hiſtor. SS. Hiſpalenſ. fol.* 272. P. F. Ioannes de Arellano *Hiſtor. Carmonenſ. c.* 15. *fol.* 90. Alphonſus Villegas, & Baſilius Santtorus in ſuis *Florib. SS. Die XXV. Iul.* Eius ACTA *Hiſpano* ſcripſit ſermone P. Roa, quæ latina dabimus, ne abſque hoc tranſeat ſymbolo S. Martyr.

*Martyrolog.*

*Scriptores.*

## *ACTA S. THEODOMIRI MONACHI & Martyris Cordubenſis, ex D. Eulogio, & R.P. Martino à Roa, Soc. Ieſu.*

*Origo.* THEODOMIRVS *ex nobili* Gothorum *ſanguine oriundus*, *in vrbe* Carmone *in* Bætica *natus eſt. Cuius nomina parentum*, *ideo* S. Eulogius *ſub ſilentij velamine inuoluta dimiſit*, *aut propter eorum ignorationem*, *aut quòd credibilius eſt*, *ob modeſtiam monachatus*, *cuius nobilitas*, *hautquaquam proauorum ſanguine penſanda eſt*, *ſed propriis virtutibus*, *& aſſiduis facinoribus conquerenda: nam quæ non fecimus ipſi*, *vix ea noſtra voco. Ergo patriam*, *& parentes*, *propter Chriſtum*, *vt Diſcipulus euaderet optimus*, *deſerens*, Cordubam, *tunc temporis.* Curiam *imperij Sarracenorum*, *pergens*, *& Catholicis Muzarabibus adhærens*, *ſtudia apud Cœnobitas Benedictinos*, *qui in ea Patricia vrbe*, *ſub Agarenorum iugo*, *& tributo verſabantur*, *incepit inſtruere*; *& tandem Monachorum contubernio ineſcatus*, *cucullam Religionis accepit: quâ ornatus*, *& fratrum exemplis inſtructus*, *breui ſanctiſſimus adoleſcens ad perfectam vitæ normam*; *virtutum operatione*, *conſcendit.*

*Virtus propria Monachi nobilitas.*

*Studio vacat.*

*Monachus fit.*

*Presbyter.* POST *hæc cognitâ Sanctiſſimi Monachi vitâ, & conſtito de ipſius illuſtrium facinorum ſpecimine, per Eccleſiaſticos graduum acceſſus ad Sacerdotij ordinem promotus, Presbyteri munus ſuſcepit. In eo ſic vitam texuit, ſic per virtutum apices, ſapientiæ copiâ, & prudentiæ famâ percrebuit, vt facilè in iuuentutis* *Abbas.* *flore ad Abbatiatus proueheretur impendia. Hæc igitur illuſtria facta Sanctiſſimus Abbas laureâ ſublimi coronauit agonis; Nam perſpectis recentibus SS. Martyrum* Siſennandi, & Pauli *fortiſſimorum iuuenum exemplaribus, ad ſimile facinus raptus, æquali conſtantiâ ſuccenſus, cuius charitati nec iu-* *Conſtātia.* *dicis irati furor, nec gladij blandientis rigor, nec huius vitæ cupiditas, potentiſſima ſemper apud omnes, valuit reſiſtere, quin* Abderhamani *Sarracenorum Regis, perfidiam aduerſus Chriſti aſſeclas increparet, Machumeti Pſeudoprophetæ errores propalaret, tanto æſtuantis ardoris pondere, & verita-* *Capitur.* *tis acumine, vt protinus Beatiſſimus caperetur Abbas, & ad Iudicis iniqui tribunal raperetur. Ibidem quidquid in foro pro Chriſti lege prædicauerat imperterritus, & omnia quæ aduerſus Machumetum edixerat ſtrenuus, iterum* *Coronatur.* *prædicare non abhorruit. Hinc Iudicis, & aliorum furore damnatus, iuxta Palatij plateam extractus, datis gladio ceruicibus martyrij coronam promeruit,* V III. Kalend. Iulij, *Die Sabbathi Era* DCCC. LXXX I X. *Anno* *Sepelitur.* *Domini* DCCC. L I. *Cuius cadauer aliquantulum inhumatum, & ante fores Palatij derelictum, poſt aliquot dies, quorundam fidelium manibus clandeſtinè ſublatum, cum* B. Pauli *Diaconi corpore apud ſanctuarium B. Martyris* Zoili, *conditum eſt.*

*Tranſlatio, & Inuentio.* SED *poſtmodum temporum lapſu in Baſilicam* SS. Fauſti, Ianuarij, & Martialis, *ne in manus Sarracenorum deuenirent ſacra pignora, tranſlata creduntur, quâ demùm Anno Domini* M. D. L X X V. *inuenta ſunt, cum aliorum SS. Martyrum* Cordubenſium *lipſanis, & honorifice conlocata.* *Reliquiæ apud Carmonem.* *E quibus Anno Domini* M. DC. I X. *vrbi* Carmonenſi *radius S. Martyris ipſius Ciuitatis* Patroni *conceſſus eſt, qui in eadem vrbe magno ſuſceptus plauſu, in* Capella *ſuo nomini dicata quieſcit. In cuius honorem eadem vrbs, in porta, quæ* Cordubam *reſpicit, hoc appoſuit Exaſtichon.*

*Non quia conſurgam ſublimis ad æthera* Carmo,
*Aut mihi ſerta ferax ſpicea nectat ager.*
*Nec quòd ab Eois viſat me Phoſphorus oris,*
*Efferor, aut Ciuis nobilitate mei.*
*Aſt Ego ter felix duplicis ſplendore Patroni,*
*Seu* THEODOMIRI, *ſiue Mathæe tuo.*

*Aliquorum error.* Hæc ſunt ACTA, cætera quæ *P. Antonius Quintana-Dueñas* inſeruit, dùm de S. THEODOMIRO diſſeruit *fol.* 272. contendens Sanctum hunc Abbatem fuiſſe *Epiſcopum Calagurritanum*, ſcripſiſſeque aduerſus *Claudium* Epiſcopum Tarnienſem; merum gloſema eſt, in Codice edito Iuliani additum, vt infra *Die XXX. huius Menſis* diſceptabimus. Hic pro coronide ad præcedentium probationem, *Cypriani* Cordubenſis Archipresbyteri *Epigramma* hocce damus.

## DE S. THEODOMIRO ABBATE, & Martyre Cordubenſi.

*Hic* THEODOMIRVS *iacet vrbis Martyr, & ipſe*
*Cordubenſis apex, quem iuuentâ in ætate magiſtrum*
*Agnouit tunc* Carmo *ſuum, cùm victus amore*
*Chriſti, cucullo ſubmiſit viſcera nigro:*
*Quo Monachus fuit, & ſanctus quoque Presbyter, Abbas,*
*Et*



*Et tandem Martyr, qui Chriſti verba ſecutus,*
*Pro Chriſto præbens animam, iam ſydera calcat.*

Quòd ſi fuiſſet *Calagurritanus* Antiſtes, vt perperam in *Iuliano* editum fuit, *Cyprianus* fere coætaneus Scriptor in carmine retuliſſet. Hinc prorſus reiicienda venit ſententia P. Quintana-Dueñas *ſupra d. fol.* 272. qui codicis *Iuliani* deturpati gloſema ſuſtinens, in hunc incidit errorem; & Rodericus Caro in *Corograph. Conuentus Hiſpalenſ. lib.* 3. *c.* 43. *fol.* 159. *col.* 3. id ipſum commentum diglutiens, vix durum gloſematis nodum digerere valet. *Soluitur.*

CARMO. Ciuitas antiqua Hiſpaniæ *Bæticæ*, quam variè ſcribunt Geographi, nam alij *Carnionem*, nonnulli *Carbonem*, plures *Narbonem*, & alij *Careonem* vocitant, cùm re verâ nomen vrbis huius CARMO fuerit, vt ex Nummis antiquis liquet, quorum hic apud me, & apud Zuritam *in Not. ad Itinerar. fol.* 566. *Topographia.*




*Numus.*

In cuius Numiſmatis altera parte caput Martis, in altera duas tritici ſpicas intuemur: & propter accolarum ſtrenuitatem, & propter ſoli fertilitatem. Nominis huius vrbis ſtructuram etiam probat Antonini Imperatoris *Itinerarium*, vbi CARMO legitur, in Itinere *ab Hiſpali Emeritam*, ſic:

CARMONEM. M.P.XXII.
Obuculam. M. P. XX.
Aſtigim. M. P. X V.

Quo loco Ieronymus Zurita in *Not. fol.* 566. & Simlerus *fol.* 186. hanc vrbem conditam fuiſſe à Tubale contendit F. Ioannes de Arellano *Hiſtor. Carmon. cap.* 8. *fol* 47. quem & Rodericum Carum *ſupra* plura de huius vrbis antiquitatibus referentes adi, & conſule. *Conditor.*

S. CHRISTOPHORVS Martyr Romanus. ] Huius S. Pugilis memoria adhuc apud *Martyrologos* excidit, cùm nec in Antiquis, aut recentioribus eius nomen ſcriptum inueniatur. Eius verò *Corpus* inter aliorum Sanctorum Martyrum exuuias in cœmeteriis Romanæ Vrbis repertum, & Apoſtolica *Vrbani VIII. Pont. Max.* auctoritate fideliter extractum, R. P. F. *Ioanni ab Annuntiatione* ex ordine Excalceatorum SSS. Trinitatis alumno conceſſum cum aliis Sanctorum Martyrum lipſanis Româ Hiſpaniam aduectum eſt, & Conuentui huius Religionis *Arundenſi* in Bætica, hodie RONDA applicatum, vbi honorifice conditum, & hoc die à fidelibus veneratum perpendimus. Quis ergo fuerit Martyr iſte Romanus, quæ tormenta perpeſſus, quâ perſecutione paſſus, adhuc deliteſcit. Deus fortè ſuo ſeculo in poſterum illuminabit corda ſequentium, vt tanti Martyris Acta pateſcant. Ad huius diei feſtiuitatis conſignationem, *Arundenſium* fratrum animos induxit deſcriptio agonis *S. Chriſtophori Lycienſis* Martyris, de quo h. d. *Martyrol. Roman.* & cætera Antiquorum, & recentiorum. Qui diem non agnoſcentes ad cultum Romani huius Martyris, aliorum veſtigiis inhærentes, etiam hoc die Noſtri anamneſin conſignarunt. Quatenus ad donationem huius ſacrati pignoris cum aliis fratribus Excalceatis SSS. Trinitatis interuentione prædicti R. P. F. *Ioannis ab Annuntiatione*, videnda quæ in hiſce *Tomis I. II. III. & IV.* dicta à Nobis ſunt. F. *Corpus inuentum Romæ.* *Hiſpaniã delatum.* *Quare hodie colitur.*

SEPTIMO

# SEPTIMO KAL.

## Auguſti.

## DIES XXVI.

*A.* Hispaniæ *à tempore Gothorum Officium* S. Annæ *Matris Genitricis Dei* Mariæ *peragebatur communiter. Quod Alphonſo VI. Rege Catholico proponente, proprium, per Hiſpanias conflatum eſt. Hinc celebris eius feſtiuitas, & propter ſacras Reliquias in aliquot Eccleſiis Hiſpanicis aſſeruatas, plauſibiliter annuatur.*

*B.* Obobrigæ *in Gallæcia Hiſpaniæ* S. Euphemiæ *Virginis & Martyris: quæ C. Attilio Regulo patre orta, in vrbe Belchagia, cum Chriſti fidem amplecteretur ab incunabulis, vnà cum octo ſororibus adelphis, Domino diſponente, ex earum ſocietate diſperſa, Obobrigam peruenit, vbi propter Chriſti nomen comprehenſa, & feroci continuatione laniata, per martyrij pœnas, cruentatas Columbæ cœleſtis pennas arripiens ad ſuperos euolauit.*

*C.* Pace-Avgvsta *in Luſitania Hiſpaniæ* S. Vrsi *ipſius vrbis Epiſcopi, poſt Trecenſis in Gallia, qui zelo fidei accenſus, veritatis Catholicæ Defenſor appellatus acerrimus, Confeſſor inclytus ad Dominum properauit.*

*D. In Monaſterio Fratrum SSS. Trinitatis Excalceatorum Baëcenſi depoſitio ſacrorum pignorum* B. Hyacinthi *Martyris, Romæ paſſi: quæ ibidem pulcro recondita ſarcophago, honorificè venerantur.*

# NOTÆ.

A. *Officium temoore Gothorum.*

Sancta Anna *Mater* Mariæ *Genitricis Dei.* ] Eius feſta Dies ab *Hiſpanis Gothicis* culta fuit, quam & poſtmodum *Alphonſus* VI. ſuſcepto officio *Gallicano*, per *Hiſpanias* introducere curauit, vt refert *Iulianus* Archipresbyter Toletanus in *Aduerſar. num.* 39. *fol.* 10. hac ſerie: *Officium Commune S. Viduæ fiebat*, S. Annæ *à tempore Gothorum: & à tempore* Alphonſi VI. *qui ſuſcepit Officium* Gallicanum, *introductum eſt proprium, per* Hiſpanias, *procurante Reginâ* Conſtantiâ. *In eius Diei Officio Ego compoſui duos* Hymnos



Hymnos, *quorum alter incipit:* Quam terra, pontus. *Alter:* Clara diei gaudia: Hos Iuliani *Hymnos* ex vetuſto *Toletano Breuiario* eruditis excribere propoſui, & ob S. Annæ encomium; & ob *Iuliani* Noſtri veritatem. Quorum, qui ad *Matutinos* pſallebatur, ſequens eſt:

*Quam Terra, Pontus, Æthera*
*Colunt, & Aſtra cætera,*
*Excelſam ſupra ſydera*
Anna *præexcelſa genuit.*
*Nam hæc arbor pomifera,*
*Ramos pandens vt hedera,*
*Vt oliua fructifera*
*Fructum Trinum progenuit.*
*Hæc eſt* Maria, *Regia*
*Fœminarum primitia;*
*Velut gemma primaria*
*Clarè fulgens producitur.*

*Quæ* Maria *vocabulo*
*Coniunctus vt in ſarculo:*
*Sed iam prius pro ſeculo*
*Redimendo concipitur.*
*Vt & mortis ergaſtulo*
*Dudùm oppreſſo populo,*
*Cum ſalutari poculo*
*Subueniat dum moritur.*
*Laus ergo ſit Ingenito,*
Mariæ *primogenito,*
*Cum Spiritu Paraclyto*
*Pro* Annæ *fœtu inclyto.*

Alterius *Hymni* in feſtiuitatis Officio compoſiti à *Iuliano* Archipresbytero Toletano Sanctiſſimæ Annæ Dei Genitricis, Matris ecphraſim, colliges ex eodem *Breu. Tolet. ad Laudes*, ſic:

*Clara diei gaudia*
*Decantat nunc Eccleſia,*
*In* Anna *Dei famula,*
*Pangens cœli miracula.*
Anna *Regum progenies,*
*Et Sacerdotum ſeries;*
*Stirpem illuſtrem Patribus*
*Suis donauit actibus.*
*Nupta Dei iudicio*
*Fideli matrimonio;*
*Fructum concepit cœlicum,*
*Iuxta verbum Angelicum.*

*Infœcunda pro tempore,*
*Et marceſcens in corpore,*
*Sed iam per Patrē luminum*
*Parit Reginam Virginum.*
*Obtentu* Annæ, *Filia*
Maria *plena gratiâ,*
*Nobis auctorem omnium*
*Reddat ſemper præcipuum.*
*Sit laus paterno lumini*
*Et Filio ſit, & Flamini*
*Qui Nos per* Annæ *meritū*
*Cœli traducat aditum.*

In eodem *Breuiario* vetuſtiſſimo *Toletano* etiam *Hymnus* alter ad *Veſperas* reperitur in Officio *S. Annæ*, quem hic inſerere decreuimus, vt nihil intactum relinquamus; cuius talis eſt tenor:

Annæ *gratæ feſta*
*Colat plebs honeſta,*
*Congruis cum laudibus,*
*Et condignis precibus.*
*Mater Matris Chriſti*
*Ex hoc mundo triſti*
*Migrans vide bona,*
*Dauid vide dona.*

Annam *ſic expreſsè*
*Fudit radix Ieſſe*
*Vt ſit Mater Matris*
*Nati Dei Patris.*
*Ex hac carnis plantâ*
*Surgit Virgo Sancta:*
*Ex hoc fluit fonte*
*Lapis cæſus monte.*

*Mundo iam ſublata*
*Mulier Beata*
*Suo Nos precatu*
*Purget à reatu.*

*Trino laus, & Vni*
*Deo ſit communi,*
*Cum quo viuit* ANNA
*Cum* MARIA *magna.*

*Officia in Hiſpaniæ Eccleſiis.*

Hinc elicitur, quòd tempore *Gothorum*, & *Alphonſi VI.* æuo, Officium S. ANNÆ apud Noſtros commune, & proprium erat, & ſpeciali ritu obſeruatum, vt ex *Breuiariis* Antiquis Eccleſiarum *Hiſpaniæ* patet, in quibus frequens feſtiuitatis commemoratio eſt

*Brachium Vlyſippone, & alibi Reliquiæ.*

APVD *Vlyſipponenſem* vrbem *Portugalliæ* in Hiſpania, S. ANNÆ adſeruatur integrum BRACHIVM, in *Eccleſia Miſericordiæ*, vt fatetur P. Antonius Vaſconcellos in *Deſcript. Portugall. fol.* 549. *n.* 5. Item ibidem in *Conuentu S. Rochi* Patrum Societatis Ieſu alia inſignis *Reliquia*; prout refert Emanuel Campos de *Reliq. Vlyſipponenſ. fol.* 341. & Nos deſcripſimus ſupr. *Tom.* 1. *Die XXV. Ianuar. fol.* 291. De quo quidam Poëta Luſitanus hoc cecinit Carmen:

ANNA *parens fœcunda homini, fœcunda Tonanti:*
*O quantum peperit Numinis iſte ſinus!*
*Ditaſti terras, ditaſti diues Olympum:*
*Non iam mundus opes, nec cupit æthra tuas:*
*Nunc tibi ſe tellus, nunc ſe tibi debet Olympus;*
*Nam ſine te cœlum, terraque pauper erat.*
*Felix prole parens, felicior* ANNA *Nepote;*
*Non habet hic ſimilem, non habet illa parem.*
*Quod longæua paris, ſterilique effœta ſenectâ,*
*Natum in partu nil habet, Alma, tuo.*
ANNA *parens partu matres ſupereminet omnes,*
*Quam ſua nunc tantum vincere dona valent.*
*O quantum potuit meritis, & pignore ventris,*
*Debitor eſt Matris cui Deus ipſe ſuæ.*

In Regali Cœnobio *Scurialenſi* etiam alia *Reliquia* cuſtoditur, vt refert P. Siguenza in *Hiſtor. S. Ieranym. Tom.* 2. *lib.* 4. *c.* 23. Nec non in *S. E. Toletanæ* Sacrario, vt ex eius *Catalogo* liquet, altera; & in Cœnobio Regali Sanctimonialium Ciſtercienſium *S. Annæ* titulo decorato apud *Abulam*, altera inſignis; & alibi in aliis Eccleſiis, & Monaſteriis *Hiſpaniæ*; quorum numerum longum erit recenſere.

*A tempore S. Iacobi hæc feſtiuitas culta in Hiſpania.*

SED & hanc feſtiuitatem S. ANNÆ apud *Hiſpanos* cultam ante *Gothorum* tempora fuiſſe, patet ex altero *Hymno* Breuiarij S. E. Apoſtolicæ *Compoſtellanæ MS.* & vitellinis tabulis exarato, apud me, hac ſerie:

*Sanctæ celebremus*
ANNÆ *feſtum inclytum:*
*Quod & ſuo ſeculo*
*Coluit & mirificus.*
*Illud nam* Ibericus
*Duxit Apoſtolicus,*
*Auiæ ſuæ vt eminus*
*Honoraret ſpiritum.*

*Hæc eſt illa cœlica*
*Mater Matris Domini;*
*Cuius caſta viſcera*
*Genuere Dominam.*
*Hanc noſter Apoſtolus*
*Venerandam protulit:*
*Hanc & gens* Iberica
*Sacris colit laudibus.*

Nec



*Auia S. Iacobi ex Matre Salomè.*

Nec mireris, quod in *Hymno*, S. IACOBI Noſtri, & Hiſpaniarum Apoſtoli, S. ANNA vocitetur Auia; quia eum fuiſſe filium *Mariæ Salomè*, quæ filia fuit S. ANNÆ, ſuperius diuerſis in locis diximus, & ex profeſso dicemus infra *Tom.* 5. *Die XXIII. Octobr. lit. B.* Nunc audi Baptiſt. Mantuan. in *Faſt. Sacr. h. d. fol.* 120. de S. ANNA agentem:

ANNA *puerperio fortunatiſſima ſancto,*
*Tres habuiſſe Viros, & Tres genuiſſe Puellas*
*Dicitur; in prima eſt magis admiranda, quod auctor*
*Iſtius immenſæ molis, quam dicimus Orbem,*
*Ipſius eſt ſoboles, & qui ſine fine manebit,*
*Et ſine principio manſit generatus ab illa eſt.*
ANNA *diù ſine prole fuit, ſterilemque putabat*
*Se fore; Sed nondum gignendi acceſſerat hora:*
*Quam dederat diuina nouis ſapientia rebus.*
*Hæc vbi conuerſo toties erupit Olympo,*
*Protulit (vt modo vult hominum pars maxima) Natam*
*Criminis expertem, fecit cui nomen origo*
*Longum expectato faceret quæ exordia ſeclo*
*De Iudæ prognata tribu Bethlemitica Ciuis.*
*Sed* Ioachim *vir primus erat Galilæus eandem*
*Progenies ſortita tribum Nazarenus ab vrbe*
*Nazaret, ad Libani cedros, priſcamque Damaſcum,*
*Accedente magis cœli glacialis ad axem.*
*Septima lux huic ante tuas Auguſte Kalendas*
*Eſt ſacrata, ſuis cum iam tritura flagellis*
*Parcit, & in grandes ſtipulam congeſſit aceruos.*
*Hanc lucem celebrate nurus, celebrate puellæ*
*Ite decus veſtrum nebulis ſuffite Sabæis.*

*Acta ex Breuiariis Hiſpaniæ.*

Plura hic coadunare *Epigrammata*, & *Hymnos* de ANNA ſanctiſſima poſſemus, ſed quia, ab aliis relata ſunt, & communiter circumferuntur, ideò ab eorum relatione abſtinemus. ACTA eius in aliquibus *Breuiariis* antiquis *Hiſpaniæ* referuntur, extracta ab eis, quæ Petrus Equilinus in *Catal. SS. lib* 6. *c.* 139. ſcripſit, quorum talis eſt ſeries:

## *ACTA S. ANNÆ GENITRICIS DEI Matris, ex Hiſpaniæ Breuiariis vetuſtis, & Petro de Natalibus Epiſcopo Equilino.*

*Origo.*

ANNA *Mater glorioſæ Virginis* MARIÆ, *vt in Hiſtoriis Tribuum Iſrael habetur, de Tribu Iudà Ciuitate Bethlehem orta eſt. Vir eius Ioachim ex eadem Tribu de Galilæa, Ciuitate* Nazareth *originem duxit. Hæc tribus viris ſucceſſiuè nupta eſt; quorum primus fuit* Ioachim; *Secundus* Cleophas *eiuſdem Ioachimi frater, quæ eam maſculinâ ſobole carentem, ſecundum legem mortuo germano, in coniugem admiſit, vt ſemen fratris ſuſcitaret. Tertius* *Ter nupſit.*

 *autem*

*Mariam Dei-Genitricem genuit.* *Et Mariam Alphæi.* *Et Mariam Salomè.* *Moritur.*

autem extitit Salomè duorum priorum omninò extraneus. Ex primo autem viro ANNA glorioſam Virginem MARIAM genuit, quæ Ioſeph deſponſata, non tamen in concupiſcentia iuncta, CHRISTVM per Spiritum ſanctum procreauit. Ex ſecundo Viro Alphæo aliam filiam Mariam nomine ſimiliter peperit, quæ nupta Alphæo quatuor filios edidit; videlicet Iacobum Minorem Apoſtolum, Ioſeph Iuſtum, Simonem, & Iudam etiam Apoſtolos. Ex tertio autem Viro, tertiam filiam MARIAM etiam nominatam procreauit, quæ nupta Ariſtobolo Zebedæo, duos filios parturiuit, ſcilicet IACOBVM Maiorem, Apoſtolum, & Ioannem Euangeliſtam. Ipſa quoque Beata ANNA ante tertij Mariti obitum, in pace quieuit; & ſepulta eſt in Bethlehem in tumulo paterno VII. Kalend. Auguſti, cùm iam B. Virgo MARIA Chriſtum in vtero gereret.

*Tranſitus Annæ poſt Chriſtum cõceptum.*

Hæc ex Breuiariis antiquis aliquarum Eccleſiarum Hiſpaniæ, & Petro de Natalibus ACTA ſubiiciemus, in quibus de Anno tranſitus, ſeu tempore, quô è vita diſceſſit, ſcilicet poſt Chriſtum Dominum conceptum, non eſt ambigendum, vt notarunt Andrichom. in Chron. Maſſeus in Chronic. lib. 8. Georgius Coluener. in Kalendar. Marian. Tom. 2. Die XXVI. Iul. n. 9. fol. 67.

B. S. EVPHEMIA Virgo, & Martyr Obobrigenſis.] Tres huius nominis Diuas, & martyrio laureatas in Romano Martyrologio, diuerſis in locis reperimus. Alia Die XX. Martij apud Paphlagoniam coronata eſt. Altera Die III. Septembris apud Achilleiam; & Vltima Die XVI. Septembris apud Chalcedonem. Quarum Secunda circa Annum LX. in perſecutione Neronis. Tertia verò Anno CCC. in perſecutione Diocletiani & Maximiani. Nunc Quartam addimus, ab illis diuerſam, & tempore, & loco martyrij; cùm Noſtra agonem compleret Anno C. XXXVIII. ſæuiente Hadriano apud Vrbem Obobrigam Gallæciæ in Hiſpania, & cæteræ in locis, temporibus, & actionibus à Noſtra longè remotis. De illis plura apud Martyrologos. De Noſtra aliqua apud Scriptores Hiſpanos; inter quos Flau. Dext. in Chron. Ann. 138. primum locum teneat, hac recordatione: OBOBRIGÆ in eadem Gallæcia S. EVPHEMIA Virgo, & Martyr. Quo loco P. Biuar. num. 7. fol. 238. Rodericus Caro fol. 70. col. 2. lit. Y. De ea Ambroſius Morales Hiſtor. Hiſpan lib 9. cap. 27. P. Marieta Hiſtor. SS. Hiſpan. lib. 4. c. 16. D. Prudentius Sandoual. Hiſtor. Tudenſ. fol. 35. D. Roderic. de Acuña Hiſtor. Braccar. cap. 24. P. Ludouicus ab Angel. in Viridar. Portugall. 1. p. c. 6. Balthaſ. Porreño Hiſtor. S. Liberat. c. 2. & ſeqq. Nos ſupra Tom. 1. Die XVIII. Ianuarij. lit. A. fol. 185. Eius ACTA ex Breuiario Antiquo Compoſtellano MS. vitellinis tabulis exarato apud me, dare decreuimus.

*Hæc Martyr diuerſa ab aliis huius nominis.*

*Scriptores.*

## ACTA S. EVPHEMIÆ VIRGINIS & Martyris Obobrigenſis in Gallacia Hiſpan. ex Antiquo Breuiar. Compoſtell. & aliis.

*Origo.*

EVPHEMIA, ſiue vt aliis, EVMELIA, filia fuit C. Attilij Seueri Gallæciæ Reguli, & Calſiæ eius vxoris, qui apud Belchagiam vrbem, ditionis ſuæ ſedem habebant. Hi etenim prophanæ religionis inſequebantur errorem; & diuinâ accidit permiſſione, quòd præfata Calſia Reguli coniux multiplici ſobole fæcunda, vnâ die NOVEM filias peperiſſet. Quod cum compertum fuiſſet, Calſia maximo pudore acta, inhumano vſu, omnes filias interficere cogitabat, vt eius partum extra naturam editum, ad viri, & populi nequaquam adueniret notitiam. Excogitato itaque malignitatis conſilio, vocans ad ſe obſtetricem, nomine Sylam, ſiue Cytam, quæ ſibi familiaris erat, & ſecretorum eius conſcia, vt totam illam Paruularum turbam, latenter, & cautè ad flumen deferat, iubet; & ibi nullo conſcio, omnes ſimul in profundum gurgitis demergat. Sed fæminæ omni ferâ ferociori, filias, quas vix in lucem ediderat, in ipſo vitæ ingreſſu, morte horribili extinguere cogitanti, miſericors Deus obſtitit; & ideò de his Infantulis aliter ſtatuit, nam præfata

*Naſcitur.*

Obſtetrix



*Educatio.*

Obſtetrix Infantularum pietate, & Dei amore commota, opportunitate inuentâ acceſſit ad vicum, qui in ſuburbio ciuitatis habitabatur, & ibidem nutrices idoneas quæritans, ſingulis ſingulas tradidit nutriendas puellas. Quæ ipſas ſuſcipientes, ſacro fontis lauacro, illas regenerare fecerunt, nomina eis imponentes. Quarum hæc fuere: Geniuera, Victoria, EVPHEMIA, ſiue EVMELIA, Gemma, Martiana, Germana, Baſiliſſa, Quiteria, & Liberata. Quæ omnes tempore procedente, cùm iam adoleuiſſent, per Chriſtianorum cohabitationem, & conlocutionem, genus ſuum, & ortum didicerunt.

*Perſecutio.*

CVMque poſtea exorta eſſet à Romanis aduerſus Chriſtianos ſæua perſecutionis procella, & per omnes Hiſpaniæ vrbes ſatellites mitterentur, qui ad prophana ſacrificia fideles compellerent; Beatas iſtas Nouem Sorores, in illo Belchagiæ vico reperientes, ante conſpectum Patris ſui crudeliter attraxerunt. Qui cùm illas facie decoras, & ætate pares conſpexiſſet, & cuius generis, & religionis eſſent interrogaſſet, Geniuera reſpondit: Quatenus ad genus, Filiæ tuæ ſumus: Quatenus ad conditionem, Chriſti Domini Noſtri famulæ. Obſtupuit C. Attilius, & per vxoris confeſſionem, cognitâ veritate, illas blandis commonuit verbis, vt à Chriſti cultu diſcederent, & datis ad deliberandum induciis, vt ſibi aſſentirent, dimiſit. Tunc Sanctiſſimæ Sorores ad Montem diffugientes Angeli admonitione, ibidemque orantes ſimul & flentes, & ſe ſe alterutrum conſolantes, Dei nutu ab inuicem diſceſſerunt.

*Obobrigam venit.*

IGITVR à cæteris Sororibus EVPHEMIA diuinâ diſpoſitione ſeparata, Obobrigam vrbem Gallæciæ deuenit, & in Monte arduo ſecedens, ibidem ieiuniis, & orationibus dedita graues hominum & ferarum ſilueſtrium iniurias perferens, diù manſit incognita. Sed reuiuiſcente aduerſus Dei Eccleſiam tempore Adriani Imperatoris perſecutione; Dei reuelatione de Monte deſcendens, vrbem ingreſſa, & Chriſti veritatem profeſſa, protinus à ſatellitibus detinetur, & ad iudicis tribunal perducitur; in cuius præſentia ſe eſſe Chriſtianam faſſa eſt. Tunc Iudex eam ſatellitibus tradidit flagellandam, donec Diis thura litet. B. Virgo poſtquam verberum imbrem ſuſtinuit, in carcerem redacta eſt, vbi Angeli viſitatione curata, ad maiora certamina pro Chriſto animum erexit. Tandem variè torta, Spiritum Virgo, & Martyr retulit Sponſo VII. Kalend. Auguſti Anno Domini C. XL. Cuius ſacrum Corpus à fidelibus noctu ſublatum, & in marmore ſepultum per aliquot ſecula iacuit, & poſtmodum tranſlatum eſt, & in ſarcophago, his literis exornato, repoſitum Gothorum æuo.

*Torquetur* *Coronatur.*

EVMELIA. FILIA. L. C. ATIL.
SEVER. ET. CALSIÆ. REGVL.
PASSA. EST. IN. HOC. LOC. CALCEDONENS. IN. PERSECVT. ADRIAN.
VII. KAL. AVG. ERA. C. LXXVIII.

*Inuentio, & Tranſlatio.*

Poſt hæc, tempore procedente, ſacra Virginis pignora mirabiliter inuenta, & in Eccleſiam S. Marinæ, eius ſororis tranſlata, illic quieuere, donec D. Petri Seguini Aurienſis Epiſcopi precibus & ieiuniis ad Cathedralem Eccleſiam delata, ibidem honorificè collocata ſunt, VII. Idus Auguſti Anno Domini M.C.LIII.

*Inſcriptio à quo inuenta?*

En ACTA in quibus illud quod aſſerimus, circa Inſcriptionem in marmore inuentam, probandum erit; quod vt agnoſcas, adi Hiſtoriam MS. Seruandi Epiſcopi Aurienſis, cum Not. ipſius D. Petri Seguini Succeſſoris, qui in fine Hiſtoriam Inuentionis huius ſacrati Corporis abs ipſo factæ recenſet, & ſupradictam Inſriptionem in marmore inuentam, fatetur. In cuius Inſcriptionis ecphraſi, illud notabile demiror, quod locus ille, in quo ſepulta fuere ſacra lipſana, CHALCEDONENSIS vocitaretur, eumque ſic vocitat idem D. Petrus Seguinus in eadem Hiſtoria Inuent. his verbis Gallæco idiomate: Iſta (EVPHEMIA) padeceu neſte Obiſpado de

*Locus martyrij.*

*de* Orenes, *na Cibdade de* CALCEDONIA, *arribas de* Letes, *nas Serras de* Gerrez,
*po onde paiſaua à via Militar de Antonino, da Braga para Aſtorga. E os natura es da-*
*quela terra oje chaman aquelas breñas* CALCES DA S. EVFEMIA, *po que ali foi mar-*
*tyrizada, Dez legoas de* Orenes. Quæ verba Latina facimus, ſic: *Hæc* ( EVPHE-
MIA ) *in hac* Aurienſi *Diæceſi paſſa eſt, in vrbe* CHALCEDONENSI, *ſupra* Lætem,
*in Montibus de* Gerrez, *pro quibus via Militaris Antonini tranſibat, à Braccara Aſtu-*
*ricam. Hinc accolæ rupes illas hodie vocitant* CALCES de S. Eufemia, *quia ibi mar-*
*tyrio coronata fuit, decem leucas ab Aurienſi vrbe diſsitas.* Hinc crediderim vetus ſa-
crum Hymnum in *Breuiario Muzarabum* cani ſolitum, de Noſtra EVPHEMIA
*Hiſpanâ* locutum, non de alia, cuius feſtum *XVI. Kalend. Octobr.* celebrat Eccleſia,
vt teſtatur *Baronius*; cùm potius de Noſtris, quam de Exteris Diuis, *Hymni* in
illo *Breuiario* concini conſueuere. Ergo en ille:

*Hymnus in Breuiario Toletano pro Noſtra Martyre Scriptus.*

## IN FESTO S. EVPHEMIÆ VIRGINIS & Martyris,

## HYMNVS.

*EN feſtum prodiit Virginis inclytæ*
*Micans* EVPHEMIÆ *Martyris optimæ,*
*Omnes nunc populi pſallite medullis*
*Reddentes vota gnauiter*
*Occurrens Dominus purget vt intima*
*Clemens adtribuat munera gratiæ,*
*Qui ſe nunc militum carmina promere*
*Sanctorum queat laudibus.*
*Hæc namque Domino Auguſta deſeruiens,*
*Semet dùm dedicat Principi cœlico,*
*Liuore Dæmonum pungitur illicò,*
*Ne Chriſtum voce prædicet.*
*Felix* Euphemia, *ſed piâ permanens,*
*Vt ad illam perfidus venit rugitu*
*Murmur, ſubito munere ſpiritus*
*Et mente clara redditur.*
*Pudica moribus, inclyta genere,*
*Enixa populis* Chalcedonenſibus,
*Vt Chriſto militat, mente deliberat,*
*Vt Virgo quoque maneat.*
*Sed hoſtis noſcitur ipſe qui inuidus,*
*Furorem iudicis concitat inuidi,*
*Sanctam vt idolis thura libaminis*
*Offerre cogat impiè.*
*Virgo ſed ſociis iuncta piiſsimis,*
*Quos ſeptem numero ſepties indidit,*
*Dicatos niſibus paſsioni Martyrum*
*Certamen læta ſuſcipit*

*Flammas*



*Flammas ingreditur, cingitur ignibus,*
*Se Chriſto reddere vocibus intonat;*
*Cœleſtem gratiam, vt flectat omnibus*
*Perſoluens vota laudibus.*
*In læſa prodiens, carceri traditur,*
*Mirantur milites talia cominus*
*Vidiſſe, ſed Præſes ipſe nec territus*
*Sæuus manet aliter.*
*Arênâ ſubito Læti demergere*
*Dicatam Domino Virginem imperat;*
*Inſontem rabidus perducere cupiens,*
*Et Martyr vota ſoluere.*
*Sed Martyr Domini talia ſuſtinens,*
*Iam ſuum ſpiritum ſuſcipi cogitat,*
*Vt mixta cœlitus agmini Martyrum*
*Valerent vota conſequi.*
*Vnde nunc auidi, Virgo, te gnauiter*
*Oramus populi lauacri filij,*
*Mittens, miſeranſque cœlica munera;*
*Piorum preces audiens.*
*Iam Chriſte miſeris eſto miſericors*
*Et Sanctæ meritis ſolue piacula,*
*Nobis perpetua gaudia tribuens*
*Domine Deus omnibus.*
*Sit Trinitati gloria ſedula,*
*Regnum perpetuum, atque potentia,*
*Virtute ſolita, qui regit omnia,*
*Suſtentat pie condita.*

In quo *Hymno* plura recenſentur, quæ Noſtræ S. EVPHEMIÆ conueniunt, nec in rebus Geſtis alterius *Chalcedonenſis* in Oriente reperiuntur. Ideo crederem vtriuſque ACTA confuſa exiſtere, maximè cùm de Noſtra pauca inueniantur ſeparatim ſcripta.

*Topographia.*

OBOBRIGA, ſiue ABOBRIGA vrbs vetuſta *Hiſpaniæ* in *Gallæcia,* diſtans ab vrbe *Aurienſi* per Decem leucas. Proculdubio à veritate diſceſſit P. Biuar. *in Not. ad Dextr. in Chron. Ann.* 138. *numer.* 5. *fol.* 238. & in *Not. ad S. M. Max. in Chron. Ann.* 531. *n.* 5. *fol.* 389. aſſerens *Obobrigam* ciuitatem, eandem eſſe, ac *Amphilochium*, quam *Hiſpani* Obobrigam, *Latini* Aquæ-Calidæ, *Suæui* Vvamſeè, hoc eſt ORENSE dixere. Quia vt ex ipſo *Dextro* apparet, AMPHILOCHIVM diuerſam eſſe vrbem, ab OBOBRIGA, eo quòd SS. Sorores MARINAM & EVPHEMIAM alteram apud *Amphilochium*, alteram apud *Obobrigam* paſſas recenſet, quæ ſi in eadem vrbe coronarentur, ſimul, non ſeparatim (cùm eodem anno martyrium ſubiiſſe fateatur) vtramque coniungeret; nec illas, diuerſis nominibus vrbem, quâ paſſas, conſignaret. Iulian. in *Aduerſ. num.* 38. aſſerit, OBOBRIGAM eſſe quàm hodie MONCIO in *Gallæcia* dicitur. Sed fortè Oppidum hoc hodie eſt, quod MONZON dicitur in Regno *Portugalliæ*, diœceſis *Braccarenſis*,

*Obobriga, diuerſa ab Amphilochio.*

*renſis,*

*renſis*, prope *Minium* flumen ab Orientali parte ſupra *Valentiam Minij*, & *Tudenſem* vrbem.

C. *Martyrologia.* S. VRSVS *Epiſcopus Pace-Auguſtanus, Confeſſor.*] Eius memoriam recolit *S. M. Maximus* Noſter Cæſarauguſtanus Epiſcopus in *Chron. Ann.* 568. *n.* 11. hoc elogio: *Eodem tempore floret Sanctus* VRSVS, *domo Aruernus*, *Epiſcopus* Pacis-Auguſtæ *in* Hiſpania, *rarus fidei defenſor.* Quo loco, licet P. Biuar. *d. n.* 11. *in Comment fol.* 508. §. 31. plures huius nominis Diuos numeraſſet, proculdubio in verum VRSVM non incidit, ideo ſuis, Noſtrum addere, ex Andrea Sauſſayo in *Martyrolog. Gallican. in Supplement. h. d. fol.* 1151. properamus, ſimili elogio. *Trecis* S. VRSI *Epiſcopi*, *& Confeſſoris, cui B. Lupus ſucceſſit. Iſti igitur* VRSVS, *& Lupus Epiſcopi Trecenſes fere in id ipſum tempus, quo enumerat* S. Maximus Noſtrum VRSVM, incidere; ſed VRSVS hic *Leouigildi* ſæuitiâ è ſede deiectus, *Gallias* repedans, *Trecorum* Epiſcopus conſtituitur, quâ Sede per tempora fruens, honore Beati ſepelitur. Hoc, MS. Epigramma *Auli Hali*, recenſet, ſic: *Duplici Sede fruitur.*

PRO S. VRSO EPISCOPO AVGVSTANO
in Hiſpania, & Trecenſi in Gallia, Carmen.

Pax-Auguſta *mihi fuit olim* Lyſida *ſedes:*
*Sed nunc me ſedes iſta* Trecenſis *habet.*
*De* Hiſpanâ *expulſus Regiſque furore*, Trecenſem
*Obtinui, Chriſti nam pia verba ſequor.*
*Denique ſub leui ſepultus marmore, lucis*
*Perfruor æternæ pro fide muneribus.*

*Maximi verba probantur.* Hinc deprehendes, quo titulo *S. M. Maximus* dixerit: *Rarus fidei defenſor.* Quia *Leouigildi* erroribus non aſſenſit, quin potius Sedem, ob fidei defenſionem, deſeruit, vt inquit *Halus.* De eo etiam meminit Philippus Ferrar. in *Catalog. General. SS. Die XXV. Iul. fol.* 303. qui in *Not.* Democharem, Molanum, & Maurolycum citat. Eius ACTA nullus ſcripſit, & ideo illa ſic componimus.

*ACTA S. VRSI EPISCOPI*
*Pace-Auguſtani in Hiſpania, & Trecenſis*
*in Gallia, Confeſſoris.*

*Origo.* VRSVS *origine* Aruernus *in* Gallia, *cùm per fidei rudimenta ad Presbyteratus gradum conſcenderet*, Hiſpanias *deuenit*, *& ad* Pacis-Auguſtanæ *Sedis apicem ſufficitur Antiſtes. Sed regnum Gothicum in* Hiſpania, *&* *Epiſcopus.* Gallia *Narbonenſi*, *obtinente* Leouigildo, *ſtrenuo milite Palatino*, B. VRSVS *fidem illibatam in ſua diœceſi conſeruare conſtituit. Aſt* Leouigildi *Regis*, *qui fœdâ Arij hæreſi tenebatur*, *ſæuitiâ compulſus*, *ſedem dimittere decreuit; pro vt & fecit*, *&* Gallias *reuerſus*, *& apud* Trecenſem *vrbem ſiſtens*, *breui ad illius Sedis faſtigium*, *meritis depoſcentibus*, *ſublimatus paſtorale munus obiuit*, *tanto virtutum acumine*, *vt poſtmodum plenus dierum*, *& bonorum operum in pace apud* Meldenſes *quieſceret*, VII. Kalend. Auguſti, *circa Annum Domini* DC. *& ibidem ſepultus eſt.* *A ſede pellitur. Trecenſis Antiſtes. Moritur.*

*Obiit in Territorio Meldenſi.* Cætera quæ in ACTIS deſiderantur hucuſque periere; donec Deus qui Sanctorum ſuorum res geſtas memoriter retinet, illas alteri reuelare dignetur. Quòd S. VRSVS obierit in *Territorio Meldenſi*, teſtem offero *Philippum Ferrarium* vbi ſupra, hac ſerie: *In* Territorio Meldenſi, S. VRSI *Epiſcopi Trecenſis.*

*Topographia.* CIRCA Topographiam Vrbium PACIS-AVGVSTÆ in *Hiſpania*, & TRECARVM in *Gallia* plura diximus ſupra *Tom.* 1. 2. *&* 3. & de hac vltima *Tom.* 2. *Die VI. April. fol.* 519. vbi agentes de S. PRVDENTIO origine *Hiſpano*, & *Trecarum* Epiſcopo, aliqua ſubiicimus.

S. HYA-



D. S. HYACINTHVS Martyr Romanus.] Inter cætera ſacra pignora Sanctorum Martyrum, quæ Vrbanus VIII. Pont. Max. conceſſit Fratribus SSS. Trinitatis Excalceatis, intuitu R. P. F. *Ioannis ab Annuntiatione* eius aliquando Confeſſarij, fuit Corpus S. HYACINTHI Martyris Romani, de quo altum ſilentium in Martyrologiis. Aſt quia eius ne deperiret memoria hic Noſtri apponere decreuimus anamneſim, eo quod, hac die Eccleſia Vniuerſalis paſſionem alterius Martyris, ſimili nomine inſigniti recolit. Ni fortè idem ipſe ſit, & Romam delatus, ibidem ſepultus fuerit. Circa Tranſlationem ſacrorum pignorum Româ Madridium ſæpius in hoc Martyrologio teſtimonia dedimus. *E Roma Hiſpaniam corpus delatum.*

# SEXTO KAL.
## Auguſti.
## DIES XXVII.

*A. Barcinone in Hiſpania Citeriori* SS. IVLIANÆ, *&* SEMPRONIÆ *Virginum, & Martyrum: Quarum quælibet à S. Cucuphate conuerſa, eius paſſionis teſtis extitit, & eius corpus lacerum ſepeliuit. Hinc à ſatellitibus tenta, tandiù ſupplicijs afflictatur aſſiduè, donec vtriuſque ſpiritus, ab earum corporibus dilapſus, requiem in Domino recepit æternam.*

*B.* CORDVBÆ *in Bætica Hiſpaniæ* SS. GEORGII *Monachi Tabanienſis*, AVRELII, *&* SABIGOTHONIS *eius vxoris, necnon* FELICIS, *&* LILIOSÆ *coniugum, qui in perſecutione Sarracenica, pro Chriſti fide comprehenſi, ſpretis Iudicis opibus, & dignitatum muneribus, Domini calicem ebibentes, victores cœlum ſucciſſis capitibus conſcenderunt.*

*C.* VLYSSIPONE, *& alibi in Hiſpania Depoſitio ſacrorum Pignorum* S. PANTALEONIS *Martyris Nicomedienſis, quæ partim ad vrbem Portucallenſem tranſlata, partim Vlyſſiponem, & alibi honorifice coluntur.*

*D. Apud* VICVM *in Cathalonia Hiſpaniæ in Monaſterio Fratrum Excalceatorum SSS. Trinitatis, Depoſitio ſacrarum exuuiarum* S. AVRELII *Martyris Romæ paſſi, quæ honorificâ ſeruantur techâ, & debito venerantur cultu.*

# NOTÆ.

A. *Martyrologia, & Scriptores.*

SANCTÆ IVLIANA, & SEMPRONIA *Virgines, & Martyres Barcinonenſes.*] Has fuiſſe Diſcipulas S. CVCVPHATIS Martyris *Barcinonenſis*, conſtans Gotholanorum traditio eſt, vt refert P. F. Antonius Vincentius Domenec in *Hiſtor. SS. Cathalon. h.d.fol.*68. Cui adhæret Ieronymus Pujad. *Hiſtor. Cathalon. lib.*4. *c.*87. & Diago *Hiſtor. Comit. Barcinonenſ. lib.* 2. *c.* 31. A quibus Philippus Ferrarius in *Catalog. General. SS. Die XXII. Iulij. fol.*299. hac clauſulâ, *In Territorio Barcinonenſi SS. Virginum, & Martyrum* IVLIANÆ, & SEMPRONIANÆ. Et hoc *die*, *fol.* 305. ſimili periodo.

*Officium in Breuiario vetuſto.* In Antiquo MS. *Breuiario S. Cucuphat. del Vallès* annotatur earum feſtiuitas, ſed abſque *Lectionibus*, cum hac Oratione:

DEVS, *qui nobis ſanctam huius diei ſolemnitatem, pro commemoratione Beatarum Virginum, Martyrumque tuarum* IVLIANÆ, & SEMPRONIANÆ *glorioſâ paſſione feciſti, adeſto familiæ tuæ precibus, & da, vt quarum feſta celebramus hodie; meritis, & interceſſionibus adiuuemur.* Per. Dom. Noſtr.

Aliam *Collectam* ex Miſſali Antiquo refert *Domenec*, qui ex Tabulis depictis hiſtoriam harum SS. Virginum, & Martyrum deſcripſit, in hunc modum.

## *ACTA SS. IVLIANÆ, ET Semproniana Virginum, & Martyrum Barcinonenſium ex vetuſtis Tabulis depictis in Cœnobio S. Cucuphatis del Valles, & Domenec.*

*Origo.* IVLIANA, & SEMPRONIANA *Virgines ex* Barcinonenſi *vrbe oriundæ, cùm primùm* S. Cucuphatis *fidem Catholicam prædicantis, verba* *Conuerſio.* *veritatis audiuere, illius adhæſere doctrinis, & protinus ab eo ſacro ablutæ lauacro, inter eius Diſcipulos adnumeratæ, conſtanti animo Sancti Martyris* *Officia pietatis.* *veſtigia in vita, & in funere ſunt ſecutæ. Hinc Beatiſſimum Magiſtrum in carcere viſitabant, & neceſſaria conferebant. Hinc eius paſſionibus teſtes extiterunt intrepidæ, cuius vulnera medicantes, & ſanguinem profuſum abſtergentes, vltimum agonis terminum expectarunt. Hinc Corpus Martyris noctu colligentes, & aromatibus condiderunt, & ſepulturæ virili conſtantiâ mandarunt. Tunc ſatellites circumſpectâ Virginum pietate, illas ad tribunal Præſidis deduxere: quas quia Chriſtianas eſſe cognouit, poſt paſſionum anguſtias,* *Coronatur.* *capitali ſententiâ damnauit, & illæ ad æterni thalamum ſponſi feliciter abſciſſis ceruicibus cucurrere,* VI. Kalend. Auguſti, *Anno Domini* CCC.III. *Quarum* Corpora *etiam à Chriſtianis collecta, iuxta pignora* S. Cucuphatis *depoſita, adhuc in eius Monaſterio honorificè cuſtodiuntur.*

Hæc ſic in *Tabulis* depictis ACTA effigiata, à multis retrò ſeculis conſpiciuntur; quorum ecphraſis, nullâ indiget illuſtratione, quia omnia in ea contenta communia ſunt. De his SS. Virginibus, & Martyribus videndi *Domenec*, *Diago*, & *Pujades*.

B. SS. GEORGIVS *Monachus*, AVRELIVS, & SABIGOTHO, FELIX, & LILIOSA *Coniuges, Martyres Cordubenſes.*] Omnes vno, eodemque die, & anno, Sarracenorum



Sarracenorum gladiis occubuere; & ideò omnes coniunxit in vnum S. Eulogius in Memor. SS.lib. 2.c. 10. A quo *Vſuardus* licet perperam *Die VI.Kalend. Septembr.* *Martyrologia.* & Martyrologium Romanum h.d. ſimili elogio: CORDVBÆ in *Hiſpania SS Martyrum* GEORGII *Diaconi*, FELICIS, AVRELII, NATALIS; & LILIOSÆ, *in perſecutione Arabicâ.* Conueniunt Martyrologia, Caſtellanum *P. Vaſq.* Luſitanum *P. Lup.* Hiſpanum MS. *P. Higuer.* & Italum *Conſt. Felic.* à quibus *Galeſinius*, & cæteri recentiores. Monaſtica necnon *Vuionis*, & *Hugonis Menard.* De eis Ambroſ. Moral. *Hiſtor. Hiſpan. lib.*14. *c.*13. P. Ioannes Mariana *Hiſtor. Hiſpan. lib.*7. *cap.* 15. *Scriptores.* F Ioannes Marieta *Hiſtor. SS. Hiſpan. lib.*4. *c.*53. & *ſeqq.* P. Martinus à Roa *Hiſtor. SS. Cordubenſ. h.d. fol.* 127. Eorum ACTA pro vt illa ſcripſit *S. Eulogius*, à quo Sur. *Tom.*4. & cæteri *Flor. SS. Scriptores*, ſic ſe habent.

## *ACTA SS. GEORGII, AVRELII, Sabigothonis, FELICIS, & LILIOSÆ Coniugum, Martyrum Cordubenſium ex D. Eulogio Martyre,*

*Aurelij origo.* FVIT *præterea quidam iuuenis nomine* AVRELIVS, *natalibus, & rebus plurimis antecellens. Hic in infantia, matre Chriſtianâ, & patre Gentili orbatus, tutelâ amitæ ſuæ fideliſſimæ vſque in annos adoleſcentiæ fouebatur, docebaturque Chriſtum veraciter credere Deum: nec præter Eccleſiam, ſalutis viam, & iter Regni cœleſtis alibi poſſe reperiri, imbuitur.* *Educatio.* *Quod documentum Venerabilis puer apprime ebibit, ita vt licet Arabicâ erudiendus literaturâ traderetur cogentibus affinibus: inſontibus tamen præfixam cœlitus animis fidei ſanctæ notitiam nulla vanitatis figmenta immutare quiuerunt: ſed corde ſemper Chriſtianiſmum ſuum retentans, cùm ad ſolam deriſionem meditationi periturarum inſiſteret literarum, eo ampliùs in amorem Chriſtianæ* *Religio.* *fidei exardeſcebat, quo liquidiùs deliramenta peruerſi dogmatis probans, ſubtilem dæmonioſi illius fallaciam aduertebat. Et cùm non poſſet publicè cultum fidei gerere, vbique tamen Dei Sacerdotibus ſe ſe commendans, pro ſe efficacius exorari poſcebat.*

*Adoleſcentia.* INTEREA *prouehitur in annis iuuenilibus ſtrenuus adoleſcens, & florentibus genis, virili facies exornatur decore. Hinc adhortatione affinium condignum ſuæ nobilitati connubium appetere cogitur. Hinc vnuſquiſque ſuorum, pro vt nouerat, illius vel illius optimam eſſe ſobolem aſſerebat: ipſe autem interius aliter ruminans, Chriſto ſui connubij negotium committebat, crebris interuenientibus precibus cœleſte numen exorans, vt talibus præpollens votis, coniux ſibi daretur, quæ ſecretum ſuum in melius proficere contenderet, faueretque mente, & corpore cultori latenti.* *Matrimonium.* *Cuius fauore tandem adiutus, reperit honeſto germine virginem conſtipatam, rebus inclytam, moribus comptam, ſpecieque pulcherrimam. Quæ cùm præcipuo venuſtatis habitu extrinſecus decoraretur, præſtantius tamen introrſus ſpiritali enitebat decore.* *Pſalm.* 44. *Quia omnis gloria filiæ Regis ab intus, id eſt, in penetralibus mentis. Ibi enim ſanctitate, in fimbriis aureis, varietate ſcilicet amicta virtutum, Chriſto Regi placitum exhibebat famulatum.* *Sabigothonis origo.* *Hæc namque puella parentibus paganis progenita adhuc cunabulis incubans, patre orbata eſt. Cuius genitrix alium virum ducens, qui fidem Chriſti occulte retinebat, coniugem impietatis errore extirpans, priuignam Chriſto aſſignare ſtuduit, eamque ex ſacramento Baptiſmatis* SABIGOTHO *appellans: licet publicè paganis admiſcerentur, geſtabant verò animo firmiori vtrique pietatis religionem.* *Coniugium cum Aurelio.* *Hanc ſibi puellam Venerabilis iuuenis iure coniugalitatis aſciſcens, completis ſponſalium titulis, arrharumque pignore, alternanti in inuicem exhibitione contradita legitima, ad vltimum miniſterio ſacerdotum ex more ſacrantur; ſicque pari commercio, aliquo tempore, clanculè fidem Chriſti gerentes, non omnibus arcanum fidei ſuæ reuelabant, carnis infirmitate depreſſi, non diminutione vtique voti.*

*Felicis proximitas cum Aurelio.*

FVIT autem B. AVRELIO proximus genere Vir quidam nomine FELIX, ſanctâ inſuper eidem dilectione connexus, qui occaſione Diaboli in fide vacillans, cùm poſtea lapſum præuaricationis ſuæ altius ſuſpiraret, vltrà non potuit patulo congreſſu religionem Chriſti exercere. Qui & ipſe filiam occultorum Chriſtianorum, nomine LILIOSAM in coniugem ducens, Chriſtum in abditis tectis excolebat.

*Lilioſa Felicis vxor.*

Quapropter inconuulſibiliter inuicem adhærentes, ſemper vnam habuere familiaritatem, eandem geſſerunt dulcedinem, nec proſperis, nec aduerſis caſibus ſe diſparantes, idem illis extitit affectus: tantaque illis pietatis neceſſitas in vtroque fratre perfectionem contulit charitatis, vt nec vitâ, nec morte diuiderentur, quos par religionis occaſio glomerauerat; de quibus merito enarratum eſt: Sancti, amabiles, & decori, quomodo in vita dilexerunt ſe inuicem, ita & in morte non ſunt diuiſi.

*2. Reg. 1.*

EXACTIS igitur non plurimis annis, accidit, vt eo die, in forum proficiſceretur AVRELIVS venerabilis, quo Ioannes ille (cuius in priori libro meminimus) odio nominis Chriſti, vſque ad necem verberibus cruentatus, retrorſum aſello euectus, immenſoque vinculorum pondere coarctatus, vt in parte ſtramentum reclinaretur iumenti, quâ eius crura pendebant, præcedentibus illuſorum præconibus, totam circum eundo vrbem ſatellitum miniſterio, ad ſpectaculum vulgi protractus eſt.

*S. Ioannis Confeſſoris ſupplicium.*

Et cùm hinc inde voces exprobrantium reſultarent dicentes, nullatenus ſui ſceleris dignam pœnam eundem adhuc perſoluiſſe; quippe, quem tantæ reuerentiæ vatem ſubſanantione impetere non verentem plectendum potiùs morte turpiſſimâ congruebat. Ex templò futurus belliger, amore compunctus martyrij, cœleſti quodammodo flamine aſpiratus, vt illud pro ſe fieri ſpectaculum crederet, cauſaque admonitionis ſibi fuiſſe oſtenſum, ne ſcilicet formidare deberet eos qui corpora trucidant, cùm nihil anxietatis animabus poſſint inferre, ſed illum potius pertimeſceret, qui poteſt corpus, & animam perdere, & mittere in gehennam.

*Matth. c. 10.*

Cuius fidei ſtabilitatem admirans: Verè (inquit) ſuper Angelicam petram tabernaculum credulitatis huius Viri fundatum eſt; quòd tanta vis tormentorum non impulit, nec labilium pœnarum aura concuſſit.

*Aurelius de Ioanne.*

Quòd ſi qui vexillum Chriſti reuelatis gerit aſpectibus, tot ſeria cruciamenta zelo Redemtoris ſuſtinuit; cùm vtique cladem illius ſupplicij præuaricando poſſet euadere: & melius carnis ſuæ iacturam, quàm perniciem animæ iudicans, non ſe paſſus eſt ſub vnius vocis articulo, à Chriſti religione abſtrahere: quibus me Ego dignum conuiciis credam erudiendum, vel quo me arguendum ſupplicio debeo tradere, vt vigorem illius damnati, quem hodie intuitus ſum, capiam, fruarque conſtantia?

*Aurelius ad vxorē.*

HÆC dùm crebreſcentibus ſupernis iam vocationis ſuſpiriis, ruminare animo cœpiſſet, regreſſus domum retulit piæ ſodali cuncta, quæ viderat, lætoque ſpiritu addit: Tu ſemper dulciſſima coniux, cùm ego mihi viuerem, & Deo mortus eſſem, ſedulò me hortata, ad confeſſionem trahebas: inſtabas quotidie me ſeculi voluptatibus nitens auellere: tenebroſis mundi affectibus, felicitatem æterni Regni præferebas, labentia cuncta, & omne quod fine arctatur, ſuadebas relinquere: prædicabas Monachos, mundum renuntiantes laudabas, religioſarumque conuerſationem oblectans, vitam ſæpius ſuſpirabas Sanctorum. Sed ego necdum ſupernæ gratiæ compunctione luſtratus, omnino ſalutaribus non poteram adquieſcere hortamentis, aut fortè correctionis meæ præfinitam à Deo Patre nondum inſiſtens admonitionem, differebam operibus exequi, quod licèt tenuiter animo meditabar.

*2. Corinth. 6.*

Ecce iam nunc, chariſſima, tempus acceptabile venit, adſunt dies ſalutis, in quibus à retroactis, & exterioribus reſilientes, in id quod in ante eſt, nos extendamus. Et primò omnium munditiæ, & continentiæ perfectius ſtudentes, vacemus orationi, quo facilius ad reliqua ſanctitatis induſtria properemus. Fiat nunc ſoror, quæ extitit coniux: in affectu germanitatis thorus noſtræ coniunctionis pertranſeat: proficiant



ſoboles animarum: ſubcreſcat ſpiritualium generatio, & ſpretâ glutinatione membrorum cœnoſâ, nouerit mens præſtantius, demptâ carnis delectatione, perpetuæ incolumitatis producere germina. Vt quoquomodo condigni martyrij præmio habeamur talium meditatione laborum.

*Sabigotho ad maritū.*

SVSCIPIT lætantibus animis Venerabilis Mulier pium Viri conſultum, gaudenſque multipliciter in ſubitatione inſperatæ ſalutis: Hæc eſt (ait) immutatio dexteræ excelſi: hæc ſunt iam noſtræ vocationis auſpicia: hæc ſunt, quæ ſemper optabam, æterni Regis commercia, vt carne morientes, viuamus ſpiritu, quo illi facilius vniamur, de quo ſcriptum eſt: Spiritus eſt Deus, & eos, qui adorant eum, in ſpiritu, & veritate oportet adorare.

*Ioann. c. 4.*

Quam obrem Domine mi, quia hoc tibi non humanitus reuelatum eſt, ſed pater cœleſtis te olim ad æternam præſcriptum militiam, concitis vult iam greſſibus properare; cunctis nos vinculis abſoluamur, excutiamur à puluere, deſiderio vitæ perennis ſurgamus. Fit itaque vtrorumque communis in Dei ſeruitute aſſenſus. Diuiduntur cubilibus, votis conciliantur.

*Coniugum caſtitas.*

Perfulgent lectuli fulcra, veſtium, colorumque varietate, quâ ſuam conuerſationem vulgo celarent. Illi autem in interioribus angulis tabernaculi ſuper ſtructum crudo latere thorum, hiſpidis tantummodo inſtructum ciliciis, diſpares incubabant. Ieiunabant ſæpe, ſine intermiſſione orabant, & quoſcunque nouerant pſalmos, noctu meditabantur.

*Virtutum ſtudia.*

Vincebant tenebrarum chaos, interiecto vigiliarum labore, omnemque dæmoniorum fraudem talibus euincebant ſtudiis. Miniſtrabant egenis, curam pauperum omnino gerebant. Et quoniam adhuc iam dictus Ioannes carcere detinebatur, Nos quoque ex antro educti his vinculis detinebamur: vtraque etiam Virgo, ſcilicet Maria & Flora, tunc fœminarum latibulis, causâ fidei, incolebant: aderat frequens eorum erga compeditos diſcurſus, ex eo videlicet tempore quo B. Iſaac Monachus, ſeu cæteri ſancti, qui præditam veritatis præconio linguam, principibus, & iudicibus confeſſuri, quæ vera ſunt, aſtiterant, & propter eandem veritatem occubuerant. Quorum conſtantiâ perdurabili, multiplici virtutum robore, horum auctæ ſunt vires. Nam ille viros perluſtrans, illa ſuis retentas clauſtris fœminas, requirebat.

*Aurelius ab S. Eulogio docetur.*

IBI Ego eum agnoui, ibi amicitiam eius adeptus ſum, ibique ſe à Nobis inſtitui deprecatur, quid agi deberet, tàm de rebus, quàm de gemino pignore, quod Deo donante acceperat, Si liceret tales deſtitui, quas vtique poſt necem ſuam profano tradendas ritui altiùs condolebat: vel ſi illam diuitiarum copiam protinùs fiſco agglomerandam, inordinatam relinquere congruebat. Cui cùm omnia intuitu Regni cœleſtis, & causâ retributionis æternæ, non ſolum relinquenda, verùm etiam fugienda fore cenſerem, potiſſimumque ſuarum animarum potiùs, quàm liberorum eſſe commodis conſulendum, quibus vtique Chriſtus, vindex, Pater, & tutor eſt, nihilque prorſus rerum temporalium præponi debere deſiderio Redemptoris, ſeu fruendi Sanctorum conſortio, docerem, confeſtim ſubiunxi:

*S. Eulogius ad Aureliū.*

Si prouida facultas & facilitas ſuppetit, quâ hæc omnia magiſtrâ, intercedente diſcretione, ordinentur; vtile primò iudicamus ſobolem tutiori loco tranſponi, vbi Chriſto liberius aſſignetur: rebus quoque iuxta mandatum Domini venditis, pauperibus erogari, quo expeditior vobis pateat deinceps poſt Chriſtum ingreſſus. Sic denique veritas ſancta, ſciſcitanti ſe iuueni, quatenus vitam æternam poſſideret: Si vis (inquit) perfectus eſſe, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni ſequere me, & habebis theſaurum in cœlis.

*Math. c. 10.*

Sed etſi pars aliqua in ſtipendium relinquatur infantium, culpabile eſſe non poterit, quod multa Patrum inſinuant documenta. Ideoque ſi ad hanc diſpenſationem poteſtis attingere, optima res, & perfectius opus eſt: quòd vos omnibus expeditis negotiis, ſecurius ad militiam cœli ire compellet.

*Omnia pro Chriſto deſpicienda ſuadet.*

Sin verò quarundam difficultatum repagulis oblatrantibus, hæc diſpenſatio reuellitur, & nulla intereſt libertas, quâ hæc indulgentiſſimè ſuppleantur, (præſertim cum magis ex aliquo perturba-

*tiones emergere formidatis, quæ veſtræ intentioni obſiſtant ) non cunctandum eſt ſpernere patrimonium, quod multò melius, & latius in cælo, quo vos nitimini proficiſci, reperitur. Non filiarum affectus ſocietati Sanctorum eſt præponendus, cùm & illas poteſt Deus in ſeculo enutrire, qui compactauit in vtero, ſiquidem ei prouida de omnibus cura eſt. Non omnes paruuli parentum induſtriâ refouentur, nec cunctæ proles nutricio educantur labore. Naſcitur homo, orbatur in cunabulis ſolatio genitoris, non tamen Creatoris gubernaculo deſtituitur, qui eſt Pater orphanorum, & Iudex viduarum. O quàm multi paruuli, nutricum curâ delicatius educati, in deteriora deueniunt. Quàm plures pupilli ab horribili egeſtate, in magnarum affluentiam opum excreſcunt, & fiunt multarum domini rerum, qui vix pauperrimo pane pronecti ſunt! Et multi ex Chriſtianis progeniti præpediente deliquio, Eccleſiæ membro priuantur. Nonnulli verò filij paganorum præueniente gratiâ Domini ad redemptionem fidei ſalutaris recurrunt. Nec iſtis ſacrilegium obeſt parentum; nec illis prodeſt religioſitas genitorum. Cùm & hi à fide recedentes, à Deo alienantur; & illi credentes in Chriſtum, per quem iuſti viuunt, eripiuntur diabolo, perenniter Deo cohærentes. Cuius rei teſtis eſt Dominus, qui in Euangelio perpetuam Iudæorum arguens vanitatem, ait :* Genimina viperarum, quis oſtendit vobis fugere à futura ira? Facite ergo fructus dignos pœnitentiâ, & ne velitis dicere intra vos : Patrem habemus Abraham. Dico enim vobis, quia potens eſt Deus de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ. *Et iterum* : Multi ab Oriente, & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, Iſaac, & Iacob, in Regno cœlorum : filij autem regni proiicientur in tenebras exteriores : illic erit fletus, & ſtridor dentium.

*Deo cura eſt de omnibus.*

*Ad regnum cœlorum non genus, ſed virtus quæritur.*

*Matth. c. 3.*

*Matth. c. 7.*

INSTRVCTVS *igitur venerabilis iuuenis, quomodo proceſſum martyrialis prælij meditaretur, vinctorum ſe precibus ſolatiandum implorans, animo lætiori in pace diſceſſit. Et cùm Nos ſæpius idem, quando illa horribilium clauſtra carcerum habuere, non deſiſteret viſitare : frequenter tamen prudentiſſima* SABIGOTHO *latibulum illud fæminarum, quo ſacratiſſimæ Virgines* Flora, & Maria *detinebantur, noctu, quaſi vna è compeditis incoluit, vt vel conſolaretur certantes, vel ſe affectui commendaret certantium. Imò potius, vt pugnandi pro Chriſto Rege vſibus imbueretur, haberetque conſuetudinem præliandi. Iuſtabat precibus, obſecrationibus laborabat, vt memores ſui exiſterent, adepto poſt triumphum ſponſi conſortio, quo ſaltim effuſo cruore, cælum ingredi mererentur. Dant illico fiduciam hoc præſtandi beneficium SS. Virgines, quæ ſuas nouerant in nullo repugnari poſt victoriam preces, nec poterant commilitonibus quidquam negare, quæ ſe non dubitabant audiri.*

*Sabigothonis pietas.*

DVM ergo *ancilla Domini* SABIGOTHO *proximè poſt martyrium Virginum intra domeſticos parietes Chriſto ſeruitutem minus ſuſpecta perſolueret, feſſoque exercitatione vigiliarum corpori conſulens, paululum quieuiſſet, ferunt vtramque Virginem,* Mariam *ſcilicet, &* Floram, *niueis amictas ciccladibus, diuerſarum liguſtrium manibus geſtantes manipulos, cum choro Sanctorum phialas palmis gerentium ( quibus, vt puto, orationes eorum, qui ad prælium venerant informari, in conſpectum Domini ferrent ) omnes cæleſtium luminariorum claritate fulgentes, eidem per ſomnium aſtitiſſe. Quas, cùm illa, vt arbitrabatur, ſediliis ſe reclinari, humillimâ ſupplicatione optaret, territa maieſtate cælicolum, vix tenui adlocutione aggreditur, dicens:* Quam fiduciam olim præmiſſæ obſecrationis vobis in carcere, ô Sacratiſſimæ Virgines, me habere iubetis? Et ſi votorum meorum commodis potitura ſum, gratiſſimis deflorate reſponſis, ne fruſtrà currentes, in vacuum decidamus : ne vires noſtri conatus vano conſumantur labore, dùm aliud intentio quærat, aliud merita expetant. Quia cùm Deus plus meritis, quam precibus faueat, nouit tamen idem abdicare congeminationem precaminum, quam non iuuat dignitas meritorum. Idcirco

*Flora, & Maria Sabigothoni apparent.*

*Sabigotho ad Virgines.*



Idcirco Dominæ meæ, Sponſæ Chriſti, ſi hactenus ſuſtinendi præmium ſponſionis veſtræ ſpes nobis fida ſubſiſtit, enarrare iubete : quo promptius ad ſuperna tendamus, quo validius in certamine roboremur. *Tunc eam SS. Virgines cæleſtium diffuſione gratiarum affatibus præditis demulcentes :* Commoda ( *inquiunt* ) veſtri laboris in æthereis repoſita, tempore neceſſario vobis metienda, ſeruata ſunt. Nec labetur præſcriptorum merces ad prælium, quod cogit athletas inuictiſſimos ire ad regnum. Martyrium denique vobis à conſtitutione mundi diuinitus præfixum, & prædeſtinatum eſt. Quod vos poſt paululum impleturas, congruit felicioribus ſolito ſanctitatis ſtudiis inſiſtere. Quapropter libamina Sacerdotum laboribus veſtris adſciſcite : ſuffragia implorate Sanctorum, vbique vos precibus ſeruientium Chriſto committite: votiuo veneranda Dei ſanctuaria diſcurſu incolite, & omnium Religioſorum inquirite obſecrationes. Quia, quamlibet præſcripta vobis, quandoque futura ſint præmia, per hanc tamen induſtriam, veluti quibuſdam gradibus innitentes, tantæ bonitatis arcem vos verum eſt poſſe contingere : noſtrumque ſermonem huiuſcemodi certum eſſe iudicio conſtantes, inſtanti vobis certamine, adhæſurum contuberniis veſtris *Cænobitam* noſtrum mittemus, qui vobiſcum palma potiturus martyrij cælitùs ordinatus eſt.

*Martyres ad Sabigothonem.*

*Georgiũ Monachũ dicit.*

POST *hanc viſionem oculis intuentis obductam, vehementius tantæ rei miraculo* B. SABIGOTHO *ad perficienda bella Domini concitatur. Quæ mox hilarior è ſomno exurgens, auget opera ſanctitatis, fragilem ad pugnam erexit ſexum, ſupernoque munere vires ad certandum corroborat. Hinc iam fiduciata, ſpe firmiori Virum informans, omnino terrenis exui edocet, quoniam à principio mundi cæleſtibus dedicati militiis, continuò poſt victoriam cælicolis admiſcerentur. Hinc magis, magiſque fruendi Redemptore, & collegis ſanctis ignito deſiderio conflagrati, Natorum poſtponentes affectum, ſpernunt quidquid mundialis peritura ſpecies continet. Omnia diſtrahunt, venditant vniuerſa, quo liberiores in aſſequendo Chriſtum exiſterent. Ex quo pretio quidquam infantulis relinquentes, totum aliud ſtipendiis applicant egenorum. Virorum, ac mulierum viſitant Monaſteria, præcipuè tamen* Tabanienſe *cænobium, de quo ſæpius memorauimus, quia ſummis monaſticæ regulis diſciplinæ, cunctum honeſtæ famæ rumoribus illuſtrabat Occiduum. Inde athletæ fortiſſimi hauriunt documentum : inde inſtituta percipiunt : ibi ſe poculo vitæ perennis ingurgitant. Ibi ſanctiſſima* SABIGOTHO *frequenter cum ancillis Dei moratur : diſcit ibi totius ſancti timoris induſtriam. Ibi geminum pignus ſub beatarum tutelâ conſtituunt. O ſtupenda mundi renuntiatio, & admirabilis ardor diuinus, quo filiorum affectus reſpuitur! quo opum affluentia repugnatur : quo proximorum dulcedo refellitur : quo mors pro vita eligitur : quo labentia cuncta contemnuntur : quo, intuitu æternæ felicitatis, vincla, cædes, cruces, verbera, & tormenta pro ſummis habentur deliciis. Vna ſiquidem filiarum octennio, luſtro altera ducebatur. E quibus Ego poſt necem parentum minorem reperiens, vix tenerrimo ore facundiam exprimens, me infantiſſimè adhortatur, vt genitorum geſta ſcriberem, proderem actus, & elucubrarem trophæa. Et cùm propter hoc, quid ab ea beneficij præſtolarer, exquirerem ( mira dicturus ſum, tantillam ætatem, talia quiuiſſe in promptu aduertere : niſi fortè credendum ſit, quod ab illo imbuebatur interius, qui ex ore infantium, & lactentium perficit laudem ſuam )* Impetrabo ( *inquit* ) Pater tibi à Domino Paradiſum.

*Sabigothonis exercitia.*

*Præclarè ſe præparant ad martyrium.*

*Tabanenſis Cænobij elogium.*

*Aurelij filiæ infantes.*

*Diuinum Infantulæ ad Eulogium reſponſum.*

VERVM *quia competenti occaſione, gratiâ differendi paruitatem Infantulæ, paululum ab ordine directo receſſimus, quo rem ſcilicet, poſt Nouenum martyrij eorum Menſem, patratam ſubiungeremus : nunc ærumnoſæ, & ſub mundanis adhuc moleſtiis laboranti inſeruimus hiſtoriæ. Non nos obinde fraterna infamare debet reprehenſio, vnde culpabiles argui non veremur à Domino. Nec obſtat vltimò, an priori, mediove loco veritas differatur, quando-*

*quidem*

quidem veritatis aſſertor nullatenus benedictione priuatur. Idcirco è veſtigia repedantes, ad reliqua Beatorum ſtudioſius geſta referenda curramus. Cùm ergo intenti cœleſtibus, omni tempore, vigiliis, & orationibus, eleemoſinis, & ieiuniis incumberent (frequenter tamen ſuperno ſydere in cubiculo ſuo, quo iſta meditabantur, reſperſi ſunt; adeò vt illapſum iubar æthereum, omnem præſentis ſpeciem luminaris interpollans, horridum eſſe chaos, ſui comparatione, autumari compelleret) diuinis ſæpe reuelationibus eriguntur; fruuntur colloquiis Angelorum; lætitia cælicolis mente, & ſpiritu adunati, non ſine graui moleſtia corporale onus ferebant. Quodam namque die, cum atrium ſereniſſimi Præceptoris Noſtri, Aluari, toto in Scripturarum ſcientiâ Occiduo laudati, gratiâ collocutionis mutuæ, noſtraque alternanti propoſitione mentem erudiendi in Scripturarum problematibus petiuiſſem: reperi coram eo militem Chriſti AVRELIVM, conſultum agonizandi quærentem, & quatenus arriperet martyriale auſpicium implorantem. Quem idem Doctor egregius, & temporis noſtri fons ſapientiæ profluus, Patrum exemplis inſtituens, iubet primò conſtantiæ vires perpendere: ſecretum ſuum aduertere: conſiderare arcanum: & vtrum imminentia magis noſſet ferre, quàm declinare ſupplicia, vltimò excepturus delicatis ceruicibus gladium Et ſi magis merita Martyrum adipiſci, quàm vocari Martyr contenderet. Et ſi magis terris ignotus, florentibus cælo meritis, catalogo electorum ſe ſe affectaret deſcribi, quàm ſupernis diminuto præmio, famoſum temporalis martyrij anhelaret nomen habere. Tunc ille, ſe vſque ad mortem dimicaturum ſpondens, nullâ prorſus vi tormentorum, intentionem ſuam ſuperandam eſſe fatetur. Mihi, mihi (inquit) maximum vitæ ſolatium Chriſtus eſt, & mori lucrum. Cui terrena conuerſatio teterrimæ noctis caligo eſt, & memoria tranſitus mundialis, perpetuæ lucis odorem aſpirat. Fit commune deinceps gaudium cauſa noſtri aduentus: de alterno admodum intuitu lætamur. Credimus intereſſe concilio noſtro verbum Patris Altiſſimi, qui vbicunque nomini ſuo dicato collegio ſe illabi teſtatus eſt, dicens: Vbicunque fuerint duo, vel tres in nomine meo congregati, ibi ſum in medio eorum. Et cùm plura ſuo agoni competentia referremus, idemque gratiſſimis animis noſtrum acciperet documentum, ſatis, vt reor, collatione noſtrâ iuuatus, continuò bella Domini initurus, ad propria regreditur.

*Aluarum adit Aurelius.*

*Aurelius ad Aluarum.*

*Matth. c. 18.*

BEATA verò SABIGOTHO nonnullis ante paſſionem diebus, dùm ſolæ domo reſideret, Chriſtumque ob perfectionem martyrij ſui, quibus poſſet quæſtibus obſecraretur; ſubito adſtare ſibi miræ pulchritudinis virginem cernit, angelico vegetatam decore, primum, vt putabatur, adoleſcentiæ florem, gerentem. Cui cùm illa diceret: Tu quæ es filia? & ſi è vicino accedis, cauſas tui aduentus ediſcere. Protinus ſpectabilis virgo: Soboles (inquit) amici veſtri Menteſis ſum, quam tu mundialibus ærumnis, ſcis olim exemptam, quamque eadem horâ, quâ ſupremis vexabatur anguſtiis, priuſquam propius viſitares, reperiſti exanimem. Et cùm te enim, ſeculo penè eliminata, non nouiſſem, ipſo tamen obitus mei momento, quis eſſes, Domino reuelante, cognoui: & nunc eo nuntiante, & mittente, præuia nuntiatrix palmæ tuæ acceſſi. Inſtat namque iam vobis tempus exequendæ victoriæ: adſunt dies publicè profitendi fidem Catholicam, hoſtemque repellendi teterrimum. Quibus ſedatis litibus, cœlorum penetralia vos coronandos adſument, perpetuâ deinceps pace fundatos. Igitur ſcrutans cor ſuum Venerabilis Fœmina, ſecumque meditans colloquium adſiſtentis, confeſtim, reuolutâ memoriâ, rem geſtam agnoſcit, & priuſquam grates euangelizanti ſibi puellæ referret, labitur à conſpectu eius illa virginalis ſpecies ætheris nuntia, & præco ſui martyrij. Fit læta tali præconio: animatur cæleſti oraculo, & tantò ſpe firmiori ad prælium excitatur, quantò ſe ſe patratæ actionis veritate cernit informari. Verum vt magis, magiſque ſcopo prædeſtinationis ſuæ intenderent, eſſentque non dubij de mercede repoſitâ, ſiuè vt SS. Virginum impleretur

*Sabigotho martyrium lamentis quærebat.*

*Menteſis filia Sabigothoni apparet.*

*Georgius Monachus adhæret Martyribus.*



edictum, octonis ante ſuam captionem diebus, dudum promiſſus ille Confeſſor contuberniis eorum adſciſcitur, & inconuulſibiliter his quodammodo alligatus felici martyrio, omnes ſub vno momento pariter coronantur. Idcirco congruum iudicauimus, eiuſdem Monachi rationem, quia optio interceſſit, exponere, & quod vehementi admiratione ætatem noſtram eius cauſâ concuſſit, ſucciduis quoque generationibus opere dignum relegenda mandari: vt in eo Catholicorum religioſitas incremento fidei augeatur, in quo ſui Redemptoris oraculum ſpeciali quodammodo cernit eſſe veritate impletum. Prædixerat quippè Magiſter Noſter, & Dominus, quod multi ab Oriente, & Occidente venientes, recumberent cum Abraham, Iſaac, & Iacob in regno cælorum. Quod teſtimonium reuelatis contuemur effectibus, in ipſo Monacho, atque Leuita GEORGIO omnino perfectum.

*Matth. c. 7.*

HVIC rus Bethlehemiticum ortum, & incolatum æthereum peregrina littora contulerunt. Hic, inquam, Vir vltra maria procreatus ab adoleſcentia, ſeruitute Dei oblectatur. Viginti & Septem annos apud Monaſterium S. Sabbæ, quod ab Ieroſolyma in parte Auſtrali Octo Milliaribus diſtat, cum Quingentis (vt ipſe nobis ore ſuo profeſſus eſt) qui in eodem cœnobio morabantur fratribus, adunatus, ſub regulari magiſterio deguit. Quem venerabilis Abbas Dauid, eius aſceterij tunc procurator, ob ſtipendium Monachorum Africam mittens, is nullo modo tot interiacentia terrarum, mariumque diſtulit ſubire diſcrimina, quibus vtique incunctanter commodum ſummæ virtutis obedientiæ nouerat promereri. Sed cùm ibidem vapulare aſperius Dei Eccleſiam incurſatione tyrannorum reperiſſet, Hiſpaniam quoque eorum, quibus miſſus fuerat, conſultu aggreditur. Erat enim, vt ipſi de eo certiſſime approbauimus, ſummæ humilitatis, magnæque abſtinentiæ Vir. In omni eloquio ſuo, dicto, atque reſponſo timor Domini reſonabat: ociùs ſemper de puro cordis fonte charitatem exhauriens, fauum dilectionis promebat. Prædicabat cæleſtis deſiderij requirendam eſſe compunctionem: mortificare cum vitiis, & concupiſcentiis membra iubebat, vt in aduentum Domini recidiuo virtutum animata vigore glorioſiora cum ipſo apparerent. Ita ſobriâ præditus ſanctitate, iuſtus videri, vel dici nimium recuſabat, iucundus admodum, hilaris, modeſtus, & abſtinens, ſic vtebatur mundo, tanquam non vteretur Et cùm fortè fraternâ impetrante charitate, cibum ſumere cogeretur, epulabatur parcius: bibebat ſobriè, vt magis abſtinentem iudicares, quàm veſcentem. Merum aquâ tandiù temperabat, vſque dum color inficeretur, & ſapor abeſſet. Inſipidus namque ille guſtus (ita referebat) nec bibere nimium, nec temulari conuiuam patitur. Crebrius ad exorandum currebat: vigilabat attentius: ſæpius corde diuinum carmen meditabatur, dicebatque: Benedicam Domino in omni tempore, ſemper laus eius in ore meo. Et cùm variis linguis peritus exiſteret, Græcâ ſcilicet, Latinâ, atque Arabicâ, nec qualemcunque ſaltem, propter has, gloriam affectauit. A Die, quâ Monaſterium petiit, & cohortibus Monachorum adſcitus eſt, vſque ad coronam martyrij ſui (vt ipſe quibuſdam ſecretius retulit) nec lotus aquâ, nec balneis vſus eſt. Quandiu nobiſcum conuerſatus eſt, nulli omnino ordinem ſuum reuelauit, niſi cùm iam carcere detineretur.

*Georgius quis & vbi Monachus?*

*Africana Eccleſia hoc tempore afflictiſſima.*

*S. Monachi virtutes.*

*Pſalm. 35.*

COMMENTATVS eſt fratribus, ac propinquis ſuis, cunctiſque patriæ ſuæ ciuibus, martyrij ſui breuiarium: quod mihi, cauſâ expoliendi, tranſmiſit; ne incultior ſermo fidem rei geſtæ, quibus mittebatur, adimeret. Ibi in principio dictionis ſuæ Monachum ſe, atque Leuitam fore, teſtatus eſt. Verum quid opus eſt ſermonem in longum protrahere? Quaſi non ſummam reuerentiam vitæ hominis Dei martyrialis cruor adhibeat, præſertim cùm quantus, & qualis extiterit, effuſus propter iuſtitiam Dei, ipſe eius martyrialis cruor inſinuet, & quod peregrinus mundo, peregrinam non renuens ſepulturam, omnem penitus genitalis ſoli, affiniumque affectionem repulerit. Aut quæ potius laus Militem Chriſti extollet, quam pro Domino mortem, pro vita animam, pro Crucifixo cruorem dediſſe? Vt ipſe eſſet redhibitio famuli, quod extitit

*Georgius de ſe ipſo ſcripſit.*

*De eo S. Eulogius.*

*victoria Crucifixi. Quomodo autem B. Miniſter cœtui Sanctorum agglomeratus fuerit, melius ore ipſius* S. GEORGII *credimus poſſe innoteſcere, quo vel noſtra dictionis ſeries, interpoſito Martyris eloquio, quaſi deſuper benedictionis ſale condiatur: vel præſtantius commercium ſuæ connexionis cum cæteris ſanctis, eodem narrante addiſcatur. Nam & ipſis diebus, quibus vnà cum ſanctis habuit conuerſationem, ſua ac prædictorum Martyrum geſta, breui ſatis ſtylo exponens, vltimò nobis comprobanda direxit. Ex cuius dictis ea huic operi inſerenda curauimus, quæ ad inſinuandam eorum coniunctionem ſatis eſſe præuidimus. Cætera verò quæ poſt defectum ſermonum ſerui Dei ſequuntur, Nos obtentu, quo cœpimus indagauimus. Inquit autem hoc modo:*

*Georgij Monachi Epiſtola.*

IN NOMINE Patris, & Filij, & Spiritus-ſancti. Vniuerſæ Catholicæ Eccleſiæ à me indigno peccatore GEORGIO Monacho, necnon & Diacono fratre, & collegâ ſeruorum Dei, filiorum *S. Sabbæ* Quingentorum Virorum, perfectam in Domino IESV-CHRISTO ſalutem. Cognoſcite ô fratres chariſſimi introitum meum in Hiſpaniam nihil aliud fuiſſe, niſi gratiâ ſtipendij veſtri requirendi, qui ſub arctiſſima regula, & regimine S. Patris *Dauid* Ieroſolymis degitis. A quibus Africam miſſus, deinceps in *Hiſpanias* commigraui. Sed hanc ipſam Inſulam, nimis afflictam reperiens, cœpi cogitationibus variis æſtuare, vt aut proprium ſolum reuiſerem, aut regna Chriſtianorum, id eſt, *Franciam* peterem. Et cum proximos, & chariſſimos ſuper hac re conſulerem, nonnulli peragrare iubebant, plerique ad Cœnobium meum reuertere cogebant. Hinc velut dubius, diuerſo præditus tractatu, cui me primò cogitationi ſubmitterem, neſciebam. Pergens autem de *Corduba* ad *Tabanenſe* Cœnobium, quo fratrum, & ſororum benedictio iter meum comitaretur, dixit mihi Abbas *Martinus*, & ſoror eius Domina *Eliſabeth*: Veni frater, & accipe benedictionem ancillæ Dei Sabigothonis. Quæ mox vt me intuita eſt: *Promiſſus* (inquit) *noſtri certaminis comes, & collega, hic Monachus erit.* Ego verò agnitâ causâ eius, & ratione compertâ, illicò pedibus eius aduolutus, pro me Dominum exorare rogaui, vt forſitan S. Spiritus reſpectu illuſtratus, ad ea quæ illa præſtolabatur, peruenire meruiſſem. Et illa: *Vnde hoc nobis* (inquit) *pater, vt tu cum peccatoribus pergas?* Cúmque eadem nocte ibidem manſiſſem, apparuit mihi in viſione noctis ipſa venerabilis mulier SABIGOTHO, & neſcio quod genus odoramenti pretioſiſſimi ligni accommodans, referebat. *Ditior ex hoc mihi theſaurus eſt.* Mane autem facto, deſcendimus ambo ad ciuitatem ad virum ſuum AVRELIVM, proſtrauique me pedibus eius, petens ab eo, vt oraret pro me, quòd illis in martyrio ſocius eſſem. Qui ſtatim præbens aſſenſum, exarſit in me ignis cœleſtis per orationes eorum, & factus ſum vnus ex illis, & ex tunc non ſum ab eis ſeparatus, ſed omnes pariter in domo S. AVRELII congregati, reddimus Domino cum iucunditate vota laudationis. Ibi apud illos reperi S. FELICEM cum coniuge ſanctiſſima LILIOSA, qui & ipſi iam omnia ſua vendiderant, & locis ſanctis, ſeu pauperibus erogauerant, parati omne genus tormentorum, propter Filium Dei, & dilectionem eius ſuſcipere. Eadem horâ exiui ab eis, & cauſas, quibus præpediebar, in omni feſtinatione compoſui. Et ſic demum valdè iam roboratus, ad eos reuerti. Qui læti, & exultantes de reditu noſtro, gratias Deo referunt, dicentes: *Scimus, frater chariſſime, quia Dominus te miſit ad nos.* Poſt hæc omnes in communi cœpimus cogitare, quo modo ad deſideratam deueniremus coronam, & ita, Domino diſpenſante, viſum eſt nobis, vt pergerent ſorores noſtræ reuelatis vultibus ad Eccleſiam, ſi fortè nos alligandi daretur occaſio, & ita factum eſt. Nam reuertentibus de Eccleſia mulieribus, quidam præpoſitus obuius adſtans, cùm cauſam religionis agnoſceret in fœminis, illico viros interrogat, *quid ſibi vellet, ille recurſus fœminarum ad ſanctuaria Chriſtianorum?* Qui reſponderunt: *Fidelium mos eſt, Eccleſias viſitare, & atria Venerabilium Martyrum pio deuotionis affectu requirere. Vnde quia Chriſtiani ſumus, ideo Nos ipſius fidei geſtare vexillum profitemur.* Statimque Iudici delator accedens, omnem rationem noſtram, coram eo, doloſis linguis proponit. Poſt hæc vadit Dominus AVRELIVS filias viſitare, quibus, pacis oſculo, vale dicens, cœleſti virtute armatus ad prælium feſtinauit. *Sed hic iam* S. GEORGIVS *ſtylum compeſcens, nos quæ reſtant, vt occepimus, proſequamur.*

*Monaſterium Tabanenſe.*

*Sabigotho apparet Georgio.*

*Felix & Linioſa omnia ſua pauperibus erogant.*

*Sabigotho, & Linioſa ad Eccleſiam accedunt.*



IPSO *poſtea die, quo ſe* B. AVRELIVS *nouerat comprehendi, priuſquam Auroræ crepuſculum reſpiraret, domo, Nos gratiâ valedicendi, reuiſens, precatur pro ſe Dominum exorare, ſuique agonis fautorem per nos fraternam fieri charitatem expoſtulat. Ibi Nos illi commendauimus. Ibi patrocinium ſuum pro Nobis & pro omni Eccleſia fieri, oſculatis manibus eius, impetrauimus. Poſt hæc, datis inuicem oſculis, ſeparamur in pace. Igitur cum prolatam aduerſus Dei ſanctos Iudex quæſtionem intenderet, ſciretque authorem huius rei eſſe* AVRELIVM, *grauiter ex hoc interiùs vulneratus, præcepit eos quàm properè ſuis conſpectibus exhiberi. Tunc milites rapido curſu domum* B. AVRELII *occupantes, quâ omnes ſancti collecti manebant, præ foribus clamare cœperunt:* Exite miſeri, exite omnes morituri, quibus vita præſens tædium eſt, mors pro gloria computatur. En Iudex vocat, inſtat decretum vltionis effundere: conterere vult recedentes à cultu, rebellia paratus colla præſcindere: pergite vos modò iam debitum mortis exoluere, & commiſſæ præuaricationis pendentem ſententiam. *Ex hinc Viri cum mulieribus ſuis, quaſi ad epulas inuitati procedunt, vadunt ouantes, læti proſiliunt; putares eos iam apud Iudicem ſua inuenturos donaria, qui nihil aliud habere poterant, quàm tormenta. Et cùm ſe* S. GEORGIVS *à militibus cerneret non teneri, illicò ſanctâ fretus audaciâ, in exprobrationem lictorum conuerſus:* Quare (*inquit*) priuilegium hoc fidelibus irrogatis, & vanum colere violenter cogitis numen, quos ſancta fides proprios hactenus vendicauit? Vt quid alieni à Deo vero perditioni veſtræ agglomerare nitimini prædeſtinatos ad vitam? An non poteritis vos infernalia clauſtra adire, niſi nos comites habeatis? Nunquid ſine nobis æterna vos cruciamina non adurent? Vos abite, vos illuc pergite perituri, quò ſimul cum duce veſtro inferorum deliciis perfruamini. Nam quid nobis cum tartaro, quem Chriſtus Deus Noſter penetrauit, abſorpſit, expoliauit, & vicit: vt non iam auderet fideles addicere, qui pridem conſueuerat priuilegio ſuo Sanctos diripere. *Vix ſermonem compleuerat, & iam furens dextra ſatellitum in iniuriam* Monachi *laborabat. Quem diuerſis laceratum ſtimulis, ſolo allidentes, calcibus etiam, pugniſque acerrimè tundunt. Cui cùm* S. SABIGOTHO, *iam emortuum putans,* ſurge frater, eamus *clamaret: ille, quaſi nihil mali eſſet perpeſſus, reſpondit:* Hæc omnia, ſoror, meritorum commodis proſunt, augentque coronam. *Et ita ſeminecem à terra leuantes, pari cum ſanctis ducatu, Iudici adſtare fecerunt. Quibus oblatis, cum primùm ab eis blando affatu requireret, cuius rei causâ, à cultu ſuo recederent? Viuere recuſarent? Niterenturque perdere temporalium commodum, multiplici deliciarum flore vernans. Quos vtique poſtmodum in futuro, non ſolum muliebris oblectatio admirabilis, verum etiam dignitatum, & ferculorum copia demulcendos expectaret: protinus quaſi vno ore:* Nulla (*inquiunt*) ô arbiter temporis, affluentia lucris comparatur æternis, quorum gratiâ, hanc vitam deſpicientes per fidem IESV-CHRISTI, quâ omnis ſanctitatis operator iuſtificatur, eius denique in futurum benedictionis requie, quæ Sanctis promiſſa eſt, nos potituros confidimus. Omnem verò cultum, qui à Chriſti diuinitate diſſentit, nec profitetur Sanctæ Trinitatis eſſentiam, refutat baptiſmum, infamat Chriſticolas, ſacerdotio derogat, omnino reprobum iudicamus, pro nihilo rerum labentia iudi-

*Aurelius antepaſſionem S. Eulogium inuiſit.*

*Aurelius cum cæteris comprehenditur.*

*Georgius lictores prouocat, vt eum capiant.*

*Georgius capitur, & miſerè pulſatur.*

*Conſtantia Martyrum.*

iudicantes, quæ non diu ſubſiſtunt, quæ autem diligentibus ſe Chriſtum promiſit, cùm ſint ineffabilia, ſemper autem indefeſsâ iugitate perdurant, & nec oculis contemplantur, nec aure captantur, nec corde perpenduntur. *Verùm, vt credo, quiddam etiam aliud religioſius diffuſo ore, ſanctis ante iudicem aſſerentibus, ſectamque impiorum fortiter expugnantibus, in furore maximo concitatur Iudex, rapido tractu eos carceri applicandos inſinuans, importabilium vinculorum onere aggrauari decreuit.*

*Sancti carcerantur.*

CONTINVO *exultantibus animis BB Martyres ergaſtulum adeuntes, gaudent hoſpitio paſsionis, paruipendunt ſupplicium, perſtrepunt hymnos, inſonant laudes, pſalmos perſoluunt; inſiſtunt orationi, quâ fauente Domino victoriam adipiſci præualeant. Viſitantur ab Angelis; miraculis illuſtrantur; diſsiliunt vincula; & non audent reſtringere, quos Chriſtus abſoluerat. Ibi etiam. quam cœlis ſortem haberent, reuelante Deo, agnoſcunt. Hinc de palma ſecuri manentes, & Chriſtum, cui fideliter ſeruierunt, cernere feſtinius anhelantes, dilatant vſque in quintum diem, mortem ſuam, ſerumque putant, ſe diutius elongari ab illa ſuauitate regni cœlorum, quam crebris iam corporeis vſibus fermè intuebantur. At cùm iam in forum proſternendi educerentur, Venerabilis* SABIGOTHO *armare virum ſanctis alloquiis cœpit, confortat, inſtruit, & confirmat. Introducuntur palatio, conſulibus aſsiſtunt, adhibentur opes, exhibentur faſces, quibus, ſi crederent, fruerentur. Sed his oppidò in profeſsione ſua demorantibus, lictoribus perimendos inſtituunt Coſules; ſoſpitem abire* S. GEORGIVM *decernentes; pro eo quod iidem ipſi Optimates, & priores palatij nihil conuitiorum proferentem eum, aduerſus vatem ſuum audiiſſent. Ille verò Miniſter egregius, protinùs, vt ſe comperit derelinqui, nec ſub vno cum ſociis ictu mucronis perimendum inſtitui:* Cur (*ait*) ô Principes, de profeſſione mea, quam coram vobis non protuli, dubitatis? Aut putatis me de diſcipulo Sathanæ quidquam proſperum cogitare? Ego enim, vt verius agnoſcatis illum Angelum, qui eidem præceptori veſtro, transfigurando ſe in ſpiritum lucis, apparuit; dæmonem credo fuiſſe, & hunc cunctis abiectiorem hominibus adiudico, vt potè Diaboli credulum, Anti-Chriſti miniſtrum, & vitiorum omnium labyrinthum: qui non ſolùm ſe voragini barathri immiſerit, verùm & nos ſequipedas ſua per inania inſtituta æternis dedicarit incendis. *Tunc in inſaniam proceres incitati præualidam, vnâ ſimul cum cæteris ſententiâ necandum præcipiunt. Ac ſic primo* B. FELICEM, *deinde* S. GEORGIVM *trucidantes, poſt Venerabilem* LILIOSAM, *vltimò egregios agoniſtas* AVRELIVM, *&* SABIGOTHONEM *interimunt,* VI. Kalendas Auguſtas, *Era* DCCC. XC. *Anno Chriſti* DCCC. LII. *Quorum* Corpora *Noſtri Chriſtiani furantes diuerſis locis recondunt.* GEORGIVS *namque cum* S. AVRELIO Pilemelarienſi *Cænobio ſeruantur.* B. FELIX *ſancti Chriſtophori, quæ vltra flumen eſt, aulam tuetur.* S. SABIGOTHO *Sanctorum* TRIVM *cineribus adunata eſt. Requieſcit apud* Geneſium *Martyrem Venerabilis* LILIOSA. *Capita verò* GEORGII, *&* SABIGOTHONIS *incolunt* .......... *Hi ſunt qui propter teſtimonium Dei, & fidem* IESV-CHRISTI *vſque ad mortem certantes, nihil amori eius præpoſuerunt, non filios, non parentes, non affines, non proximos, non amicos, non res, non vicos, non poſſeſsiones, non prædia: ſed omnia poſt tergum abiicientes, mortificatis cum vitiis, & concupiſcentiis corporibus, ad æternam immortalitatem perducti ſunt. Regnante D. N. Ieſu-Chriſto in ſecula ſeculorum, Amen.*

*Eorum ſecuritas ad martyriũ.*

*Georgius denuò ſe offert martyrio.*

*Coronantur.*

*Sepeliuntur.*

Hactenus *SS. Quinque Martyrum Cordubenſium* ACTA, quæ ſcripſit latiori calamo *S. Eulogius*, qui eorum agonibus interfuit, & eos ad Chriſti confeſſionem inuitauit, nec non ad coronam victoriæ martyrio ſolidauit. Quod in ecphraſi illuſtratione dignum percipitur, iam olim *Ambroſius Moralius* ſcholiis eruditiſſimis circumcinxit, ita vt alterius manum non expoſtulet.

HIC addere compellimur, qualiter circa *Annum Domini* M. LXX. *Corpus* S. FELICIS fuerit tranſlatum *Cordubâ Carrionem* in Regno Veteris Caſtellæ per *Ferdinandum*

*Corpus S. Felicis apud Carrionem.*



*Ferdinandum Gomezium* ipſius Oppidi Comitem, & in Cœnobio Benedictinorum à *Taraſia* eius Matre conſtructo, titulo *S. Ioannis Baptiſtæ*, collocauit, vnà cum ſanctis pignoribus *S. Zoili* Martyris *Cordubenſis*, quæ Comes à Rege Cordubenſi Sarraceno obtinuit; ita P. Martinus à Roa in Hiſtor. *SS. Cordubenſ. fol.* 135. *col.* 2.

CORPORA verò SS. AVRELII, & GEORGII Monachi, nec non *Caput* S. SABIGOTHONIS (quam perperam NATALIAM vocitant Exteri Scriptores) tranſlata fuiſſe *Pariſios* ad Cœnobium *S. Germani* fatetur idem *P. Roa* auctoritate *Molani*, & *Galeſinij*, & *Cæſaris Baronij* in Notat. *ad Mart. Roman. Die XX. Octobr. lit. G.* Et licet *R. P. Roa* nullibi in Noſtris, ſiue alienis Hiſtoriis hanc *Tranſlationem* ſe legiſſe fateatur, tamen ſi *Aymoinum* de *Geſt. Francor. lib.* 5. *c.* 20. *fol.* 308. legeret, tempus, & cauſam huius *Tranſlationis* perciperet. Eius verba ſunt. *d. cap.* 20. §. *fin.* ſequentia: *Anno* DCCC. LVIII. *defuncto* Ebroino *Antiſtite, atque Abbate, ſucceſsit* Hilduinus II. *in Abbatiæ regimine. Cuius temporibus SS. Martyrum* GEORGII *Monachi, &* AVRELII *Corpora, cum* Capite S. NATALIÆ *vxoris eius, à duobus Monachis Eccleſiæ* S. Germani *delata* Cordubâ, *in præfato Cœnobio S. Pontificis ſunt condita.* Huius etiam *Tranſlationis* meminit Andreas Sauſſay. in *Martyrolog. Gallican. Tom.* 2. *d. Die XX. Octobr. fol.* 762. his verbis: *Lutetiæ Pariſiorum in Pratenſi* S. Germani *Cænobio ſuſceptio* Corporum SS. GEORGII *Monachi, &* AVRELII, *nec non Capitis* S. NATALIÆ, Cordubæ *in* Hiſpania, *ſub Sarracenicâ perſecutione, pro fide Chriſti necatorum. Quorum certamina, & triumphum nobili encomio celebrauit* S. Eulogius *Presbyter* Cordubenſis, *qui eorum agonem conſpexit: qui & ipſe ſub* Mahomad *Arabum Rege, pro Chriſti gloriâ, martyrium nobile, cùm deſignatus eſſet Archiepiſcopus* Toletanus, *conſummauit.* Vigeſimâ Septembris: *cùm* Vigeſima Septima Iulij *prælibati Athletæ trophæum ex pugna extremâ retuliſſent.* Hinc colliges à quibus *Molanus*, & *Galeſinius* hanc *Ttranſlationis* ecphraſim, quam *Roa* ignorauit, deſumpſere.

*SS. Aurelij, & Georgij Corpora. & Caput S. Sabigothonis apud Pariſios.*

S. PANTALEONIS *Martyris Nicomedienſis pignorum Tranſlatio.*] Celebrem fuiſſe huius S. Martyris paſſionem, & memoriam apud Orientales, ex eo liquet, quòd *Emanuel Imperator* eius feſtum colere præceperit; & *Iuſtinianus* eius templum *Conſtantinopoli* vetuſtate collapſum in ampliorem reſtituerit formam: aliudque in ipſius honorem apud *Palæſtinos* excitarit, vt teſtes ſunt Procopius de *Ædific. Iuſtinian. lib.* 1. *& lib.* 5. à quo Baronius in *Notat. ad hunc Diem lit. A.* & in *Annal. Eccleſ. Tom.* 3. *Ann* 311. *n.* 57. De eo Beda, Vſuardus, & Ado, à quibus Martyrologium Romanum *Baronij*; Caſtellanum *P. Vaſq.* Luſitanum *P. Lup.* & Menologium *Græcorum* cum cæteris recentioribus. Eius ACTA ex antiquiſſimis monumentis edidit *Metaphraſtes*, quæ Latinè à ſe reddita deſcripſit Lipomanus *Tom.* 6. Laurent. Surius *Tom.* 4. Mombritius *Tom.* 2. Petrus de Natal. *in Catalog. SS. lib.* 6. *c.* 146. Nicephor. *lib.* 7. *c.* 14. & alij *Florum SS. Scriptores*, inter quos R. P. Petrus de Ribadeneyra *Tom.* 1. *de Act. SS. fol.* 329. De eo ex Noſtris Vaſſeus in *Chron tit. de Vrbibus Epiſcopalibus, verb.* Vlyſippo. *fol.* 649. P. Anton. Vaſconcellos in *Deſcription. Portugall. fol.* 560. *num.* 31. F. Ioannes Marieta *in Topograph. Hiſpan. verb.* Burgos. *fol.* 11. Eduardus Nunius in *Deſcript. Portugall. c.* 73. *fol.* 114. *col.* 2. Don Rodericus de Acuña *Hiſtor. Portu-Callenſis ſedis.* 2. *p. c.* 12. ACTA breuiora à *R. P. Ribadeneyra*, cum verſione *P. Iacobi Caniſij* petita dabimus.

C.

*Celebris eius memoria, & paſſio.*

*Martyrologia.*

*Scriptores.*

## *ACTA S. PANTALEONIS MARTYRIS Nicomedienſis, ex R. P. Petro de Ribadeneyra S. I.*

PANTALEON *illuſtris Chriſti Martyr, oriundus* Nicomediâ, *Prouinciâ Bythiniâ, Aſiæ maioris, patrem habuit Euſtorgium, diuitem, nobilemque, ſed idololatram; matrem verò* Eubulam *Chriſtianam, quæ moriens* PANTALEONEM *paruulum adhuc pupillum reliquit. Simul maturus diſciplinæ viſus, Rhetoricæ, & Philoſophiæ ſtudiis à patre fuit admotus; in his, quod*

*Studia.*

ingenio præſtaret, ſuos coæuos omnes longo poſt ſe reliquit interuallo. Erat honeſtis moribus, modeſtus, in ſermone prudens, totus comis, omnibus gratus, & amatus.

*Inſtitutum.*

Vt porrò claram ſibi nominis famam compararet, totus Medicinæ ſtudio vacare decreuit. Ergo cùm Nicomediæ celebris eſſet Medicus Euphroſinus, hunc eius artis ſibi Magiſtrum delegit. Cæterum hac eadem tempeſtate, metu perſecutionis latebat Hermolaus, quidam venerabilis, & grandæuus Sacerdos, Vir integerrimus moribus, qui amicitiam cum PANTALEONE iniit, eique paulatim demonſtrauit, Auctorem, Dominumque vitæ eſſe IESVM CHRISTVM. Cuius in Nomine morbus omnis curaretur, multò facilius, quàm vel Æſculapij, vel Galeni, vel Hippocratis arte.

*In fide docetur ab Hermolao.*

Hæc PANTALEON non in aures tantùm, ſed in intimum cor admiſit. Itaque aliquando eorum, quæ ab Hermolao audiuerat recordatus, vidit fortè puerulum mortuum, iuxtaque funus viperam, quæ ſe quodammodo homicidij ream fatebatur. Nec mora, diuino ſpiritu inſtinctus, hæc ſecum ruminauit: Experiar Ego nunc, ſit ne verum, quod mihi ſenex dictitat.

*Mortuum ſuſcitat.*

Acceſsit ad funus, dixitque: Surge rediuiuus in Nomine IESV CHRISTI: tuque venenata beſtia malum patere, quod intuliſti. Dixerat, cùm puerulus à mortuis rediuiuus exurrexit, & vipera extincta concidit. PANTALEON, vt hocce miraculum vidit, ad Hermolaum abiit, expoſitaque geſtæ rei ſerie, baptiſmum petiit.

*Baptizatur.*

Hermolaus baptizatum, totoſque Septem dies apud ſe detentum, Chriſtianæ fidei, quam ſuſceperat, rudimentis erudit.

HAVD multò poſt acceſsit ad PANTALEONIS ædes cæcus, qui re ſuâ ferè omni in Medicos abſumptâ, ſexcentis collyriis vſus, & immanes dolores paſſus, adeò nihil profecerat, vt etiam exiguum id oculorum lumen, quod prius habuerat, penitus amiſerit.

*Cæco lumen reddit.*

Huius oculis PANTALEON manus impoſuit, cúmque IESV CHRISTI Nomen inuocaſſet, ſupplexque oraſſet, vt hunc illuminaret cæcum, cæcus eueſtigiò corporis, & animi lumen recepit, Chriſtóque nomen dedit.

*Pater Martyris conuertitur.*

Cuius imitatus exemplum PANTALEONIS pater, qui miraculo præſens adfuit, etiam ipſe in Chriſtum credidit, & haut multò poſt, iam baptizatus feliciter expirauit. Hinc PANTALEONIS inclareſcere nomen occepit, & quòd ancipites quoque morbos feliciter curaret, inclytus, cæleſtiſque Medicus vocitari. Quamobrem (vt eſt inuidia fumus gloriæ) reliquis Medicis exoſus apparuit.

*Ab aliis Medicis accuſatur.*

Porrò cùm negare non poſſent, multos eius operâ prodigioſe ſanatos (id enim publicè conſtabat) eius nomen ad Imperatorem Maximianum, tunc Nicomediæ degentem, deferre decreuerunt. Hanc quidem telam, quo concinnius pertexerent, anſam Chriſtianorum quidam dedere, quos iuſſu Maximiani cruciatos, PANTALEON priſtinæ reſtituerat ſanitati. Imperator auditis accuſatoribus, iuſsit adduci cæcum, quem PANTALEON ſanaſſe dicebatur; adductumque, quòd recuperatum oculorum lumen, Chriſto Deo, non Diis, ſe ſe debere fateretur, iuſsit obtruncari.

*Cæcus martyrio coronatur.*

Huius ſacrum Corpus PANTALEON à lictoribus emptum, iuxta ſuummet parentem ſepeliuit.

CÆTERVM cùm ſe vitâ periclitari didiciſſet, facultatum ſuarum partem, in mancipia, & mediaſtinos ſuos libertate donatos, partem in ægros, quos ipſe curabat, & egenos (quo paratior eſſet certamini, & martyrio expeditior) erogauit.

*Liberalitas in egenos.*

Prudenter omnino; quia paucis poſt diebus à Maximiano vocatus, & in familiare colloquium admiſſus, liberè confeſſus eſt, ſe eſſe Chriſtianum, illumque venerari ſolum Deum verum, qui cælum, terramque creauit; contra, Deos abominari marmoreos, ligneoſque. Denique conuenit inter eos, vt coram Imperatore, quiſpiam æger afferretur, à Medicis depoſitus, atque vt hic à Deorum ſacrificulis prece ſanaretur: ſe quoque viciſsim Chriſti nomen imploraturum; ita vt cuius prece ſanitatem reciperet ægrotus illius Deus coleretur. Allatus eſt Paralyticus, multos annos æger, cui ſuas adhibuere preces idolorum ſacerdotes, ſed nequidquam perfectum eſt.

*Sanat paralyticum coram Imperatore.*

Quare PANTALEON paralyticum manu apprehenſum ſic affatus eſt. Exurge ſanus in Nomine IESV CHRISTI, filij Dei viui. Dixerat, cùm paralyticus



ticus, omni paralyſi poſitâ, ſanus, Deoque gratias agens, exurrexit. Hoc miraculo multi circunſtantium ſecundum animam perſanati, Chriſto nomina dedere. Erubuit Imperator, populuſque attonitus hæſit, ſedenim Flamines, impiique ſacrificuli magis obſtinati, cùm ſuâ vererentur excidere auctoritate, & lucro; ſignificarunt Imperatori PANTALEONEM Magicis incantationibus, eiuſmodi mira patrare, minari, niſi Magus PANTALEON neci dederetur, abolendum penitus idolorum cultum, ruiturum quoque Imperium, quod ſine Religione non poſſet vllo modo conſeruari.

*Cruciatur vngulis ferreis.*

Quapropter Imperator, minis eum prius aggreſſus, vt nihil ſe promouiſſe ſenſit, eum iuſsit in ampliſsimo foro, veſtibus nudatum, paloque alligatum, ferreis vngulis lancinari, carnes eius dilaniari, facibuſque accenſis vſtulari. Hos inter cruciatus Martyr oculis in cælum ſublatis opem popoſcit à Domino, qui ſolus ei poterat opitulari, ſicut & reipſa fuit opitulatus. Apparuit enim Martyri aſpectabili ſpecie, habituque Sancti Senis illius Hermolai, qui ſacri baptiſmatis eum fonte tinxerat, & Chriſtianæ fidei myſteriis imbuerat, aitque ſe ſemper ei præſidio futurum, & in cruciatibus opem laturum, quam protinus præſtitit.

*A Chriſto liberatur.*

Funes enim quibus erat aſtrictus, ſponte, ſubitoque ſoluit: Faceſque quibus vſtulabatur, extinctæ ſunt: Lictores autem prorſus enerues, & imbecilles remanſere.

HINC Imperatoris iuſſu in lebetem liquidati plumbi plenum coniectus eſt. Fudit ſuas Martyr ad Chriſtum preces, qui mox in lebete præſens affuit, eodem ſchemate, quo prius apparuerat, & plumbum ſuâ vi ſpoliatum repente congelauit.

*Item ſecundò.*

Obſtupuere miraculum circunſtantes, ſed Imperator obſtinatior iuſsit enim Martyrem immani ſaxo alligatum in Mari præcipitari. Sed qui Martyrem ſuum flammis eripuerat, nunquid eundem non poterat ab aquis vindicare? Inuocauit Chriſti Nomen, qui tertiò ſuo Martyri apparuit, & velut alterum Petrum, manu præhenſum, incolumen in litus eduxit.

*Item Tertiò.*

Imperator eâ de re certior factus, vehementer indignatus, poſterâ luce iuſsit, eum beſtiis obiici. Ductus in Theatrum PANTALEON, iamque Leonibus, & Tigribus in pabulum obiiciendus, vidit adſtare ſibi Chriſtum, noto iamdudum ſchemate, & habitu, ad quem Martyr blandâ voce, vultuque conuerſus: Domine (inquit) quid mali formidem, ſi tu mecum fueris? Cui Dominus dixit: Nihil.

*Beſtiis obiectus, ſed intactus.*

Nec mora prorupere ſuis caueis præcipiti impetu, feræ, quæ ſimul vt Martyrem adſpexere, placidorum inſtar agnorum, eius pedibus aduolutæ, maximam admirationem populo mouere, qui partim miſerationis affectu ducebatur, quòd nobiliſsimum coram ſe Iuuenem, cui ciuitas omnis tot recuperatæ ſalutis beneficia debebat, nunc indolentem, culpæque omnis purum, tanto vitæ periculo expoſitum, intuerentur; partim ſtupebat tot ab eo miracula patrari. Itaque quamplurimi ad Chriſtum conuerſi, magnâ voce ſubclamarunt, dicentes: Magnus eſt Deus Chriſtianorum. Incredibiliter exarſit Imperator, qui feris hiſce, quamuis efferis ferior, in eaſdem deſæuire non dubitauit. Neque enim eis parcere voluit, eo quòd Martyri pepercisſent. Itaque omnes trucidatas, inque foſſam coniectas, humo contegi imperitauit.

SED nec hîc Tyranni meta rigoris; artificioſam repentè rotam Chalybeis mucronibus armatam fabricatus, eidem Martyrem illigatum, de prærupto Montis vertice, iuſsit præcipitari; quo ſcilicet partim rota mucronibus, partim Montis prærupti ſaxis conſciſus, contrituſque crudeliter expiraret.

*De Rota artificioſa illæſus euaſit.*

Sed ab hoc quoque tormento Deus ſeruum ſuum liberauit, rotaque illæſum prorſus, indemnemque abſoluit. Quæ quidem cùm de ſummo Montis cacumine volueretur multos paganos, ruinâ præcipiti inuolutos, miſerabiliter interfecit. Maximianus, vt technas ſuas omnes irritas eſſe, neque Martyrem tormentis vinci poſſe ſenſit; ſcire voluit, ecquis huius vitæ, fideique, quam profitebatur, ei Magiſter fuiſſet, quo ſcilicet in hunc ſuam rabiem conuerteret.

*Hermolaus capitur.*

PANTALEON quamuis aduerteret, cur Tyrannus iſta percontaretur, tamen cùm ſciret Hermolaum Magiſtrum ſuum, mirâ pro Chriſto moriendi cupiditate flagrare, dixit Magiſtrum fidei ſuæ fuiſſe Hermolaum. Hic igitur ad Imperatorem deductus, non ignarus ſui agonis, eo quòd ei Chriſtus præcedenti nocte

*nocte apparuiſſet, à quo ſe cœli gloriam ſequenti die, potiturum, didicerat. Imperator vt eum nonnulla percontatus eſt, ille ſublatis in cœlum oculis fortiter, conſtanterque reſpondit, ſubitóque terra ſuccuſſa tremuit, & idola quæ in templo ſtabant erecta, mox in terram prolapſa, & contritæ iacuere. Exarſit Maximianus, qui cùm* Hermolaum, *variè tentatum, ad idololatriam promouere nequiſſet, iuſſit eum cum* Hermippo, *&* Hermocrate *fratribus obtruncari, quo cœli culmina conſcendere.*

*Coronatur cum fratribus.*

POST *hæc vt à* PANTALEONE *vindictam ſumeret, ſuamque, eius cruciatibus, rabiem ſatiaret (dolebat enim vinci ſe à Iuuene tam conſtanter, cunctiſque tormentis ſuperiore) iuſſit eum crudeliter cæſum, & in aprico obtruncatum comburi. Miris exilire gaudiis Martyr, cum duceretur, viſus, quòd iam ſibi portas cœli videret aperiri. Sic* PANTALEON *oleæ alligatus, lictorque ſtricto ferro feriuit, ſed nec ille læſus, aſt ferrum, mollis inſtar ceræ liquatum eſt. Erubuere lictores, pedibuſque Martyris aduoluti veniàm popoſcere, rati mortalibus eum maiorem eſſe, qui tàm mirâ vi, cruciatus omnes ſuperaret. Factus pro lictoribus Martyr Deo ſupplex; audiit exauditas eſſe ſuas preces, ac deinceps non iam* PANTALEONEM, *ſed* PANTALEEMONEM *nominandum, quòd eius meritis quam plurimi diuinam miſericordiam eſſent conſecuturi. Denique cùm animos trepidantibus Lictoribus addidiſſet, ab iiſdem obtruncatus, vice ſanguinis lacte manauit, & olea cui fuerat alligatus, viſa fuit ſubito fructibus onuſta. Quæ cùm Tyrannus intellexiſſet, arborem radicitùs extirpatam cum Corpore Martyris, quemadmodum prius imperarat, iuſſit exuri: ſed imperium nemo fuit exequi auſus. Quapropter oblata Chriſtianis commoditas Martyris exuuias ſublegendi, atque in prædio cuiuſdam* Adamantij *eaſdem humandi. Nec deſunt miracula, quæ Deus eſt operatus ad gloriam ſui Martyris declarandam. Qui deceſſit* VI. Kalend. Sextilis *Anno Domini N. Ieſu-Chriſti* CCC. II. *Pòſt tractu temporis, magnam partem eius ſacrorum pignorum* Hiſpaniam *tranſtulit Noſtrorum innata deuotio, & apud* BVREBAM *Oppidum diœceſis* Burgenſis, *magno incolarum ſolamine repoſuit. Alteram ipſarum exuuiarum partem quidam homines Romani in Naui deportantes validæ tempeſtatis impulſu naufragi* Portu Callenſi *ſoluentes, ibidem Domino diſponente, dimiſere, & intra Maioris Cathedralis Baſilicæ Aram condidere, prout hodie conlocatam, & honorificè cultam, non ſine miraculorum frequentiâ conſpicimus. Præſtante Domino N. Ieſu-Chriſto, qui cum Patre, & Spiritu ſancto viuit in ſecula. Amen.*

*Ad gladium Pantaleon damnatur.*

*Decollatus vice ſanguinis lacte manauit.*

*Lipſana Hiſpaniam tranſlata.*

Nullam ACTA hæc illuſtrationem admittunt, niſi in *Tranſlatione* ſacrorum pignorum, & *Collocatione* apud vrbem *Portuenſem* in Luſitania, & Oppidum *Bureba* in Caſtella Diœceſis *Burgenſis*. De PRIMA Authores habeo, Ioannem Vaſſæum in *Chron. d. fol.* 649. vbi agens de *Vlyſippona* vrbe in Portugallia proſequitur: *In hac perſecutione* (Diocletiani, & Maximiani) *paſſus eſt* B. PANTALEON, *cuius* CORPVS *poſterius à Romanis fugientibus perſecutionem barbarorum, deuectum eſt in* Portugalliam, *atque in Ciuitate* Portu-Callenſi, *multis etiam nunc miraculis claret.* P. Antonium Vaſconzelos in *Deſcript. Portugall. fol.* 560. *n.* 31. hac ſerie: *Amorem in* Portuenſes *oſtendit cœleſte Numen; cùm è* Nicomedia Bithyniæ *vrbe Martyris* PANTALEONIS *ad illos* CORPVS *tranſtulit: Quod Ioannes Luſitaniæ Rex in ſcrinio ex argento conflato occludi, teſtamento iuſſit.* Conueniunt Martyrologium Luſitanum *P. Lupi*, Eduardus *Nunnius*, & D. Rodericus *de Acuña* vbi ſupra.

*Apud Portuenſes pars Corporis.*

DE SECVNDA Teſtis eſt P. F. Ioannes Marieta in *Topograph. SS. Hiſpan. verb.* Burgos. *fol.* 11. *col.* 4. hac clauſula Hiſpanica: *Tan bien en la* BVREBA *eſta el* Cuerpo *de S.* PANTALEON *Martyr, cuya fieſta ſe celebra à* XXVII. de Iulio. *De donde ô como eſte Santo aya venido alli, totalmente ignoro.* Quæ Latinè ſonat: *Etiam apud* BVREBAM *iacet* CORPVS *Martyris* S. PANTALEONIS, *cuius feſtiuitas* VI. Kalend. Auguſti *recolitur. Qualiter, quando, vel vnde venerit illic, penitus ignoro.* Hinc colliges ſacrum CORPVS huius Martyris nequaquam integrum vtrobique condi potuiſſe, & ideò dicendum eſt, apud *Burgenſes* partem, & apud *Portuenſes* partem alteram

*Apud Burgenſes altera pars.*



alteram adſeruatam eſſe: maximè quia vt habet *Martyrologium Germanicum* P. Caniſ. *Die XVIII. Ianuar.* CAPVT Sancti huius Martyris PANTALEONIS apud *Coloniam* vrbem *Germaniæ*, quod eò Conſtantinopoli delatum eſt, ab *Equite Henrico van Vlmen*, Anno Chriſti M. CC. VIII. cuſtodiri. Nam licèt Sigebertus Gemblacenſis in *Chron. Ann.* 802. Reliquias Martyrum *Scillitanorum*, & inter eas aliquot S. PANTALEONIS tranſlatas *Lugdunum Galliæ* recenſeat; cui adhæret Ado Viennenſis in *Chron. Ann.* 806. Has eſſe alterius huius nominis Martyris, ſocij Martyrum Scillitanorum coniectat Heribertus Roſuueydus in *Not. ad Martyrolog. Adon. Die XXVIII. Iul. fol.* 219. his verbis: *Fortaſſis iſte* PANTALEON *vnus fuit è ſociis* Sperati, *aliorum* Scillitanorum *Martyrum; & ſi inter eos* PANTALEONIS *nomen in Martyrologiis non exprimatur: & eius hîc non meminit* Ado, *fors eum ſub* Sperati *ſociis comprehendens. Nam &* Agobardus *quoque* Lugdunenſis *Epiſcopus carmine de harum Reliquiarum aduentu*, PANTALEONIS *nomen exprimit.* Hinc deprehenditur, quòd CAPVT apud *Lugdunum Galliæ* repoſitum, PANTALEONIS Nicomedienſis Martyris neutiquam eſt *Caput*, ſed vnius ex Martyribus *Scillitanis*. His ſic breuiter concinnatis, ob honorem tanti Martyris, cuius auſpiciis, cùm hæc ſcriberem, à febre liberatus ſum, aliqua diuerſorum elogia contexere curaui, vt deinceps Diuo gratus agnoſcar. Adſit Encomium P. Ioannis Baptiſtæ Maſculi in *ſuis Encom Cælit. Die XXVII. Iul. Encom.* 240. *fol.* 330. vbi de Noſtro S. Martyre agens, & eius in *Medicinæ* arte præſtantiam recolens, aſſerit:

*Apud Coloniam Germaniæ caput.*

*Apud Lugdunum Galliæ caput alterius Pantaleonis.*

*Encomia, & carmina pro S. Mart.*

*Minus ſibi habere viſa eſt Natura præſidij,*
*Cum tuam in morbis præſtabilem ſenſit opem.*
*More eorum, qui ſe dedebant victi,*
*Tibi illa, quam protulit, ſalubrem porrexit herbam;*
*Vnus in vniuerſam febrium inuaſiſti cohortem.*
*Diſſoluta in primis ſolidaſti membra,*
*Scilicet qui totus in ea verſabaris cura,*
*Vt in pugna pro Religione inita,*
*Firmus eſſes, & conſtans:*
*Niſi quod nutu commouiſti terram,*
*Vt ſimulacra Deorum ruerent.*
*Curaſti homines, vulneraſti Deos.*
*Sed nimirum ſoliti erant Dij*
*Inferre ipſi ſibi inuicem vulnera.*
*Qui mitigaſti morbos, mites inter feciſti feras;*
*Sed maius hoc, quòd ferinum animum Lictor exuit;*
*Flexus eſt, quia & ferrum vidit mirè, dùm ſtringitur, flecti;*
*Imo inſtar ceræ penè liqueſcere.*
*Atqui tunc maximè tu obduratus es in ferrum;*
*Impetraſti à Lictore alterius aciem gladij,*
*Qui neſciret tibi parcere prodigo ſanguinis;*
*Quamquam lac pro cruore fluxit è vulnere.*
*Quantus te inceſſerat moriendi ardor?*
*Quo cùm penitùs incanduiſſes,*
*Etiam cruor efferueſcens in ſpumam, lacteus canduit.*

Sed & Ioannes Carolus Morellus in *Sacr. Tumul. Epigramm.* 75. *fol.* 37. ſequens *Octaſticon* pro Noſtro S. Martyris, & Medici Tumulo panxit:

*Non vnum vulnus, non febrim curat & vnam*
*Pro Chriſto Medices noſtra perita manus,*
*O mihi ſemper opus felix, dulceſque labores,*
*Sic quoque pro Chriſto cenſeo dulce mori.*
*Vulnera grata mihi, felicia tamquè ſupremo*
*Vt poßint Medico iungere continuò.*
*Qui, Medici, Medicum tumulaſtis, diſcite vobis*
*Et prodeſſe, docet talia* PANTALEON.

Quidam etiam Verſificator *Luſitanus*, apud Emanuel. Campos *de Reliq. Vlyſipponenſ. fol.* 382. hoc de Martyre Noſtro, ad *Maximianum* Imperatorem alloquens, *Decaſticon.* Scripſit:

PANTALEONI *vngues, inhiantiaque ora ferarum*
*Obiice, moliris Maximiane nihil.*
*Feruentes, dira arma, rotas, plumbumque minare*
*Fuſile, moliris Maximiane nihil.*
*Aſſurge in vulnus, cera tibi mollior enſis*
*Fiet, moliris Maximiane nihil.*
*Ille datas vitæ, atque necis molitur habenas:*
*Cùm volet ille cadet, ſi volet ille cades.*
*In tua fata vltra ſi intentes ire, Leonis*
*Ira laceßiti* PANTALEONIS *erit.*

Hæc ſunt quæ de S. PANTALEONE potuimus ſubiicere, quibus Noſtra hæc anamneſis ditaretur, cætera aliis illuſtranda relinquimus.

D. S. AVRELIVS Martyr Romanus.] Eius memoriam hoc die recolimus, quia in nullo ex Martyrologiorum Scriptoribus eius Nomen, nec Dies agonis inuenitur, & cum hodie Eccleſia *S. Aurelij Cordubenſis* meminerit, ideò Antiquorum veſtigia ſequens, huius S. Martyris Romani anamneſim reponere hoc loco curauimus. Cuius ſacra lipſana Româ VICVM Cathaloniæ munificentiâ Vrbani VIII. Pont. Max. in Fratres Excalceatos SSS. Trinitatis Hiſpaniæ tranſlata ſunt, vt ex teſtimonio ſuperius ſæpè repetito apparet.

QVINTO



# QVINTO KAL. Auguſti.

## DIES XXVIII.

A. *Apud* Flauiam Lambrim *in Gallæcia Hiſpaniæ* SS. PAVLI, *&* HELLADII *Martyrum, qui ibidem propter fidei conſtantiam per dura ſupplicia, martyrium ſubierunt illuſtre.*

B. LVCO *Aſturum in Hiſpania* S. VRSI *Abbatis, qui apud Noſtrates coaceruatis inſignium virtutum cumulis, & mirificis operationum manipulis, Gallias adiuit, &* S. LEOBATII *comes effectus, multis extructis, & erectis Monaſteriis, terminum vitæ Confeſſor inclytus adimpleuit.*

## NOTÆ.

SANCTI PAVLVS & HELLADIVS *Martyres Flauilambrienſes.*] Hos diuerſos eſſe ab illis, quos Græci in Menologio *Die XVII. Maij,* Beda, Vſuardus, à quibus Martyrologium Romanum *Baronij* apud *Nouiodunum* paſſos affirmant, ex eo conuincitur, quòd illi in *Gallia* cum pluribus ſociis, tēpore *Diocletiani,* circa Annū Domini CCC.III. martyrio coronati ſint; Noſtri verò apud *Flauiam-Lambrim* in Gallæcia *Hiſpaniæ* imperante *Decio*, Anno Domini CC. LII. agonem expleuerint. Item quia vnus ex *Nouiodunenſibus* HERADIVS, non HELLADIVS vocitaretur: & illorum dies feſtus *XVII. Maij*, Noſtrorum XXVIII. *Iulij.* Audi Iulianum Noſtrum Archipresbyterum Toletanum in *Chron. Ann.* 252. *num.* 76. *fol.* 24. omnia hæc demonſtrantem: *Memoria celebratur in* Hiſpania SS. PAVLI, & HELLADII *Martyrum ſub* Decio *Imperatore* XXVIII. Iulij Die, *qui paßi ſunt in* Gallæcia, *ad* Flauiam Lambrim, *nunc* PAMBRE, *multis tormentis excruciati.* Conueniunt P. Higuera in *MS. Martyrolog. Hiſpan. h. d.* D. Martinus Carrillo, & eius pediſequus Camargo in *Annal. Eccleſ. Hiſpan. Ann.* 252. R. P. F. Philippus de la Gandara *Hiſtor. Gallæc. Tom.* 1. 4. *p. c.* 7. Eorum ACTA licet nullus ſcripſerit, illa extendere curauimus, duce *Epigrammate* vetuſto MS. quod dabimus poſtea, quo aliqua de agone Martyrum breuiter referuntur.

A. *Diuerſi à Nouiodunenſibus Galliæ.*

*Scriptores.*

## *ACTA SS. PAVLI ET HELLADII Martyrum Pambrenſium, ex Iuliano, & aliis.*

*Origo. Fides. Perſecutio. Capiuntur. Cruciantur. Sanantur. Coronantur.*

PAVLVS & HELLADIVS *Ciues vrbis* Gallæciæ, *quam olim* Flauiam-Lambrim *dixere, ſub Catholicorum ferulâ nutriti, Chriſto nomina dederunt; cuius ſanctiſſimis auſpiciis ad fidei confeſſionem retinendam, & defenſandam digni habiti ſunt, nec non & pro ipſo contumelias pati. Nam cùm* Decius *Catholicæ Religionis immaniſſimus, dum vixit imperiali faſcia redimitus, hoſtis, aduerſus Dei Eccleſiam, truciſſimam perſecutionis fauillam accenderet, & hæc ad Occidentales* Hiſpaniæ *fines, & occultos* Gallæciæ *terminos tranſcenderet, ac* Flauiam-Lambrim *vrbem ipſius Prouinciæ, penetraret, conſtito quòd inibi* PAVLVS, & HELLADIVS *Chriſtiani morabantur inſignes, ſubitò eorum corpora ſatellites ergaſtulo tradidere, & eorum bona extemplò fiſcus accepit. Quos cùm Iudex ante conſpectum ſuum trahere præcepiſſet, licet pluries ad Deorum cultum reducere cogitaſſet, cognitâ SS. Martyrum in fidei confeſſione conſtantiâ, illos ad rotam alligare iuſſit, vt confractis membrorum compaginibus, corpora membratim diſcerperentur. Annuit ſatellitum officioſa crudelitas Iudicis imperio, & alligato rotæ Martyre vtroque, illa celeriter vertebatur, ita vt corpora conſcinderentur acerbè, & oſſa cernerentur contrita. Quo cruciamenti genere expleto, Martyres dilacerati iterum in carcerem truſi ſequenti die maiora de Iudicis ſpectabant tormenta furore. Sed Domino pro quo dimicabant annuente, nocte illa illæſi reperti ſunt, ita vt iterum ad tribunal vocati, quos vt vidit Iudex ab vlcerum immanitate ſanatos, in maiorem furorem actus, illico decapitari præcepit. Qui cùm ad locum agonis ducerentur gratias agebant Altiſſimo; & ſic ſucciſſis capitibus animas Domino tradidere,* V. Kalend. Auguſti, *Anno Domini* CC. LII.

Horum ACTORVM ecphraſis partim ex relatis *Iuliani* Archipreſbyteri Toletani verbis deſumpta eſt, partim ex *Epigrammate M S.* quod in vetuſto Codice *Auli Hali* mei inuenitur, cuius talis eſt ſeries:

PAVLVS, & HELLADIVS Pambrenſes *Martyres iſto*
*Teguntur ſaxo, quos ligat vna fides.*
*Hos* Decius *ſummis percuſſit barbarus Almos*
*Tormentis, donec ſpiritus aſtra petunt.*
*Corpora ſub rotis diſcerpta vbicumque libenter*
*Pro Chriſto Diuus tradit vterque ſua.*
*Denique mucroni, ſubiectis iugulis, ambo*
*Onuſti palmis, occubuere Deo.*

*Octaſtico* hocce ad amuſſim probata remanet relatio ACTORVM, quâ rotæ cruciamenta deſcripſimus, & paſſionem SS. Martyrum, qui ceruices pro Domino tradidere. Nunc ad Topographiam *Flauiæ Lambricæ* vrbis deuenire compellimur.

*Topographia.*

FLAVIA-LAMBRIS, ſeu LAMBRICA. Vrbs fuit vetuſtiſſima *Hiſpaniæ* in *Gallæciæ* finibus, intra Populos *Tamaricos* non procul à *Compoſtella.* De ea Appianus Alexandrin. *de Bell. Hiſpan. fol. mihi* 957. Pompon. Mela in *Geograph. lib.* 3. *c.* 1. Illam ſuo tempore vocatam PAMBRE aſſerit *Iulianus*; Sed D. Maurus Caſtella *Hiſtor. Compoſtellan. lib.* 2. *c.* 5. *fol.* 136. dubitat an hæc ſit IRIA-FLAVIA, quam hodie dicimus EL PADRON, licet pro certo habeat, eſſe ſecundum *topographiæ* ſitum Oppidum in *Gallæcia*, tractu *Tudenſi*, quod BAYONA dicitur.

S. VRSVS



*B. Martyrologia. Primò apud Hiſpanos Monachus. Gregorio Turonenſi reſpondetur.*

ℬ S. VRSVS Abbas Confeſſor.] Licet eius Nomen in *Romano Martyrologio* adhuc non inueniatur ſcriptum, attamen eius meminere Ioannes Molanus in *Addition. ad Vſuard.* Petrus Galeſin. in ſuo *Martyrolog. h. d.* & Andreas Sauſſay. in *Martyrol. Gallican. Tom.* 1. *fol.* 470. hoc elogio: *Item* S. VRSI *Confeſſoris, qui admirandæ abſtinentiæ, aliarum virtutum à* S. Gregorio Turonenſi *laude celebratus, multiſque extructis Monaſterijs in Celticâ Galliâ, fœnoribus gratiæ plenus, abijt ad Dominum.* Nondum fortè legerat amicus Noſter Sauſſayus *S. M. Maximi Epiſcopi Cæſarauguſtani* Chronicon, quo conſpiceret, qualiter S. Abbas etiam extra *Celticam Galliam* Monaſteria extrueret. Hæc ſunt Maximi Noſtri in *Chron. Ann.* 568. *n.* 12. verba: *In* Hiſpania *ad* LVCVM *Aſturum,* S. VRSVS *primus ibi Benedictinus Monachus, Socius fuit S. Leubatij Abbatis.* Ex quibus verbis liquet S. VRSVM primò apud *Hiſpanos* meos Benedictini Ordinis cucullâ Monachum demoraſſe, & ad *Lucum Aſturum Hiſpaniæ* diuertiſſe, quàm *Galliam Celticam* conluſtraſſe. Verba enim: PRIMVS *ibi Benedictinus* MONACHVS; quid aliud ſignificant, niſi primam exiſtentiam in Monachatu apud *Lucum Aſturum Hiſpaniæ*? Nec obſtabit relatio *S. Gregorij Turonenſis* in huius S. Abbatis vita, quâ nudis clauſulis refert aliquot Cœnobia ab ipſo S. Abbate conſtructa, nequaquam verbum de exiſtentia apud *Hiſpanos* proferens; quinimò vt P. Biuar. *in Comment. ad Max. d. Ann.* 568. *n.* 12. §. 33. *fol.* 509. notauit, penitus aduentum eius in *Hiſpaniam* diluit; quia facilis eſt ſolutio: nempe quòd S. Abbas primo fuiſſet Monachus in *Hiſpania* apud *Lucum Aſturum*, & poſtmodum tranſiliens *Gallias* factus iam Cœnobita, illic Monaſteria relata à *Turonenſe* conſtruere. Quo ſenſu accipienda ſunt verba *S. Maximi* Noſtri, qui antiquior fuit *S. Gregorio*, & quod iſte ignorauit, nam aliorum relatione ſcripſit; ille ſuppleuit, qui de rebus geſtis in ſua Regione certior factus, quod omiſerat *Gallus* ſuppeditauit *Hiſpanus.* ACTA additâ clauſulâ *S. Maximi* ex *Turonenſi* damus:

## *ACTA S. VRSI ABBATIS, ET Confeſſoris, ex SS. M. Maximo Cæſarauguſtano, & Gregorio Turonenſi Epiſcopis Hiſpaniæ, & Galliæ.*

*Origo. Monachatus. Monaſteria conſtruit. Caſtrum Loci. Epheſ. c. 4. 2. Theſ. c. 3. Abſtinentia.*

VRSVS *Cadurcinæ vrbis incola fuit, ab ineunte ætate religioſus, & in Dei amore deuotus. De quo egreſſus loco,* Hiſpaniam *adiuit, & apud* Lucum Aſturum, *vbi Benedictinorum Cænobium erat conſtructum, primus ibi Benedictinus Monachus fuit; & ibidem in aliorum fratrum ſanctiſſimorum congregatione nutritus, ad religioſæ vitæ, & regularis inſtituti ſpecimina deuenit. Poſt,* Bituricum *in* Gallia *terminum eſt ingreſſus, fundatiſque Monaſterijs apud* Tauſiriacum, Oniam, *atque* Pontiniacum, *ſtabilitiſque Præpoſitis ſanctitate honorificis, & prudentibus, ad* Turonicum *territorium, in locum, quem* Senapariam *vocitari priſcus inſtituit Auctor acceſſit, ædificatoque Oratorio, Monaſterium ſtabiliuit, & commiſſâ* Leubatio *Præpoſito ſummâ regulæ, Monaſterium aliud ſtatuit, quod nunc* Locis *vocant, ſitum ſcilicet ſuper fluuium* Angerem *in receſſu montis, cui nunc* Caſtrum *ſupereminet, ipſo nomine vt Monaſterium vocitatum. Illic adiunctâ congregatione, ſtatuit apud animum ſuum, ne vltra alium proficiſceretur in locum: Sed in eo cum omni congregatione, manibus proprijs operari, & victum à terra in ſudore vultus exigere: illud fratribus inter reliqua prædicationum dona commendans, quod Paulus Apoſtolus ait:* Labora manibus, vt habeas vnde poſſis tribuere neceſſitatem patientibus. *Et illud:* Quia qui non laborat, nec manducet. *Dedit autem ei Dominus donũ curationum, ita vt inſufflatis energumentis, protinus dæmonia eijcerentur à corporibus obſeſſis Sed & alias per eum Dominus dignatus eſt operari virtutes. Erat autem abſtinens à cibis, & potu, indicens Monachis ſine ceſſatione auertere oculum, & cogitationem ab omni luxuria.*

*Molendinum extruit.*

DVM autem hæc ageret, ac fratres molam manu vertentes, triticum ad victus neceſſaria comminuerent, pro minuendo labore fratrum, viſum eſt ei, molendinum in ipſo Angeris alueo ſtabilire. Itaque defixis per flumen palis, aggregatiſque lapidum magnorum aceruis, excluſam fecit, atque aquam in canale collegit, cuius impetu rota fabricæ in magna volubilitate verti cœpit. Hoc opere laborem Monachorum releuans, atque vni fratrum delegans curam, opus neceſſarium implebatur. Hanc autem fabricam Sichlarius quidam Gothus, qui magno ab Amalarico Rege amore diligebatur, æmulus Monaſterio, concupiuit, dixitque Abbati: Dona mihi hoc molendinum, vt ſit ſub ditione mea, & quod volueris repenſabo. Cui ille: Cum grandi (inquit) labore hoc paupertas noſtra ſtatuit, & nunc non poſſumus ipſum donare, ne fratres mei fame pereant. At ille inquit: Si vis ipſum bonâ voluntate tribuere, gratias ago: ſin autem, aut ipſum auferam, aut certè faciam aliud, cuius excluſis aqua retrorſum conuerſa, rotam tuam verti amplius non permittam. Abbas reſpondit: Non facies, quod Deus non voluerit; nam à nobis ipſum penitùs non accipies. Tunc Sichlarius feruens felle, ſimilem fabricam infra adaptauit. Cúmque aqua retrorſum conuerſa, ſub huius operis rotam inundans, gurgitem feciſſet, reſtitit prorſus, nec omnino verti potuit, vt conſueuerat. Venit igitur cuſtos eius ad Abbatem mediâ, vt ferunt, nocte, illo in Oratorio cum fratribus vigilante, & ait: Surge Abba, deprecare attentiùs Dominum: reſtitit enim rota molendini ab inundatione canalis alieni, quod Sichlarius fecit. At ille hæc audiens, miſit confeſtim fratres ſingulos ad Monaſteria illa, quæ ſtatuerat, dicens: Proſternite vos in oratione, & non ſit vobis opus aliud, donec iterum ad vos dirigam. Sed & ipſe non egreſſus ab Oratorio, deprecans Dominum attentè, ac præſtolans aduentus eius miſericordiam, ſic fecit per integros duos dies, totidemque noctes. Tertiâ iam eluceſcente die, acceſſit ille Monachus iterum, qui cuſtos fuerat, nuntians rotam fabricæ ſuæ iuxta conſuetudinem priorem in ſumma verti velocitate. Egreſſuſque Abbas cum fratribus de Oratorio, accedit ad littus, & fundum aluei intuens, nullum indicium de eo accepit, non quidquam ligni, non lapidis, non ferri, nec vllius vſquam genus indicij potuit oſtendi, niſi quòd conijci potuit ipſo, quo fabricatum fuerat loco, virtute diuinâ, abſorptum, atque ab oculis hominum ablatum. Tunc miſit nuntios ad fratres, dicens: Requieſcite iam à labore, quia vltus eſt Deus iniuriam fratrum noſtrorum. His, & talibus virtutibus præditus, conſummato curſu vitæ migrauit ad Dominum, V. Kalend. Auguſti, circa Annum Domini D. LXXX. Ad cuius tumulum poſtea, & energumeni ſanati, & cæci illuminati ſunt. Præſtante D. N. Ieſu Chriſto, qui viuit, & regnat cum Patre, & Spiritu-ſancto in ſeculorum ſecula. Amen.

*Sichlarij Goti cupiditas.* — *Orationis vis.* — *Miraculum.* — *Obitus eius.*

*Error in Codicibus Turonenſis detegitur, & ſanatur.*

Error ineſt in Codicibus impreſſis Gregorij Turonenſis, circa nomen Regis, qui Sichlarium amore proſequebatur, vbi ALARICVS, pro AMALARICO inuenitur; & patet, quia tempore ALARICI nondum congregatio Benedictinorum fratrum inſtituta erat; & ideo nequaquam VRSVS potuit illo ſeculo Benedictinum Monachum agere, nec in Gallia, nec in Hiſpania. Hinc in ACTIS reſtitutâ verâ lectione, loco ALARICI Regis AMALARICVM ſubſtituimus. Quod & notauit optimè P. Biuar. d. Ann. 568. d. n.12. §.33. fol. 510.

*Biuarij ſuſpicatio diluitur.*

NEC Opinioni eiuſdem eruditiſſimi Biuarij d. §.33. fol. 509. adhæreo, ſuſpicantis illud Cœnobium à S. VRSO conſtructum, quod LOCIS, aut LOCHIS fuit vocatum, & vbi miraculum molendini patratum fuit, ipſum & idem eſſe, quod Maximus appellat LVCVM Aſturum, portentumque eueniſſe cum homine Hiſpano licet Gotho; quaſi in Gallia Gothi non eſſent, ſeu Amalaricus ibidem non regnaret. Quia nulli dubium, illud Cœnobium in Gallia conditum extitiſſe, & in eo S. Abbatem Diem ſuum clauſiſſe. Quod adhuc CASTRI-LOCENSE in tractu Turonenſi dicitur, vt notauit Philippus Ferrar. in General. Catalog. SS. h. d. fol. 307.

LVCVS ASTVRVM, ad differentiam alterius Gallæciæ vrbis, quam LVCVM AVGVSTI



AVGVSTI vocauere. Ille hodie iuxta Ciuitatem OVETVM, qui etiam LVGO dicitur. Iſte ipſam vrbem Lucenſem, antiquam Regum Suæuorum Curiam, & Gallæciæ Metropolim. De illa Scriptores aliqui: De hac vniuerſi, quæ adhuc retinet Epiſcopalem Sedem.

# QVARTO KAL.
## Auguſti.
## DIES XXIX.

A. MAMIÆ in Gallæcia Hiſpaniæ S. SERAPHINÆ Virginis, quæ cùm à B. IACOBO Apoſtolo fidei rudimenta perciperet, & poſtea orationibus, ieiuniis, & charitatis operibus vacaret, ad Sponſum caſtitatis flore migrauit.

B. ROMÆ natalis S. EVGENII Martyris, qui cum aliis Sociis ad agonis ſtadium viriliter pro fide feſtinauit, & tandem laureâ redimitus, ad æterna gaudia tranſcendit. Cuius Corpus in Conuentu Minorum B. MARIÆ Salicienſi, honore debito, & colitur, & ſeruatur.

C. SALMANTICÆ in Collegio fratrum SSS. Trinitatis Diſcalceatorum Depoſitio ſacrorum pignorum S. FLORÆ Virginis, & Martyris, Romæ paſſæ; quæ ibidem cultu pio reconduntur, & plauſu celebri venerantur.

D. In Regali Scurialenſi Cœnobio B. BEATRICIS Virginis, & Martyris, ſororis SS. Simplicij, & Fauſtini; quæ cùm in ergaſtulo ſuffocata expleuiſſet agonem, Gregorio XIII. Pont. Max. inuenta, & honorificè cum fratribus ſepulta eſt. Nunc verò eius ſacra lipſana S. D. N. Innocentius X. Pont. Max. Sereniſſimæ Mariæ-Annæ Hiſpaniarum Reginæ Catholicæ, inter alia pietatis munera, in itineris tutellam emiſit, quæ in Hiſpaniam aduecta, locum in Regali Cœnobio ſeculis permanſurum inuenere.

E. In Regali Cœnobio Hortenſi apud LORCAM Depoſitio SS. Virginum LVCILLÆ, & FLORÆ, & S. DIONYSII Martyrum, qui cum aliis Sociis martyrio glorioſi pugiles occubuere. Quorum ſacra lipſana ibidem conduntur, & coluntur.

NOTÆ.

# NOTÆ.

*Martyrologia.*

SANCTA SERAPHINA *Virgo Mamienſis in Gallacia.* ] Huius S. Virginis meminit, & recolit antiquum Martyrologium Romanum *Roſuueydi*, & Nouum *Baronij*, hoc breui elogio: *In Ciuitate Mamienſi* S. SERAPHINÆ. Conueniunt Martyrologia Luſitanum *P. Lupi*; Caſtellanum *P. Dionyſ. Vaſq.* Hiſpanum *MS. P. Higuer.* & Italum *Conſtant. Felic.* Sed nullus eorum ſitum huius vrbis aperuit, nec topographiam iſtius Ciuitatis deſcripſit. Philippus Ferrar. in *Topograph. SS. verb.* Mamia. *fol.* 73. ſitam in *Armenia Minori* refert. Iulianus verò Archipresbyter Toletanus *in Aduerſar. n.* 38. *fol.* 10. & alij inferius referendi in *Gallacia Hiſpaniæ* conſtituunt. Verba *Iuliani* accipe: *Sunt qui putent* S. SERAPHINAM *Virginem, conuerſam eſſe prædicatione* S. IACOBI, *dùm prædicaret in* Gallæcia, *in populo, qui nunc dicitur* MONCIO, *antiquitùs* OBOBRIGA, *poſteà* MAMIA, *ibique poſteà ſanctè quieuit* XXIX. Iulij. Forte hæc *Iulianus* ediſcerat ex *Aulo Halo* meo, qui inter eius *Epigrammata*, hoc ſcriptum reliquit.

*Scriptores.*

> MAMIA *Virgo fuit tibi tunc venerabilis, ortus:*
> *Occaſuſque fuit, hæc* SERAPHINA *tibi.*
> *Nam & Apoſtolicam cognoſcens tempore vocem,*
> *Protinùs imperium virginitatis amas.*
> *Igitur hæſiſti vix voci prona* IACOBI,
> *Cum Chriſto moriens, candida ſerta geris,*

De ea prout de *Hiſpana* Virgine etiam ſcripſere P. Higuera in *Not. MSS. ad Iulianum*, D. Martin. Carrill. in *Annal. Eccleſ. Hiſpan. Ann.* 56. P. F. Philippus de la Gandara *Hiſtor. Gallæc. Tom.* 1. *lib.* 8. *c.* 5. Eius ACTA hucuſque nullus ſcripſit, illa Nos compaginare compellimur, vt inſtituto pareamus:

## ACTA S. SERAPHINÆ VIRGINIS, ex Iuliano Toletano, & aliis Scriptoribus.

*Origo.*

SERAPHINA *Virgo, apud vrbem* Obobrigam Gallæciæ *in* Hiſpania, *quam poſtmodum* Mamiam *dixere, orta, ab incunabulis Gentilium ritus ebibit, & religionem accepit, quibus adhærens, nullam aliam, ad vitæ beatæ fruitionem, ſpectabat ſpeciem; & ideò parentum, & aliorum errores amplectens, more maiorum, licet virginitatis flore venuſta, prophanam vitæ regulam ſectabatur. Hinc Deorum cultum amabat, & idololatriæ fæce conſperſa, obſcœnis ritubus, Dæmonibus libamina præparabat. Aſt cùm cœleſte Numen illam ab æterno in pulcherrimam Triumphantis Eccleſiæ gemmam feliciter deſtinaſſet, euenit, quòd* B. IACOBVS *Hiſpaniarum Apoſtolus, remotiores* Gallæciæ *terminos viſitaret, &* Mamiam *vſque procederet, fortè Dei nutu protractus, vt Virginem in fœtore errorum volutatam, reſciſſis idololatriæ horroribus, perpoliret. Hic igitur Filius tonitrui publicè vt moris erat, accolis verbum Dei prædicare cœpit, cuius vocem exaudiens* SERAPHINA *vi veritatis commota, & inſtantiâ rationis allecta, ſubitò Numinis illuſtratione conſtricta, & Apoſtoli manſuetudine rapta, ad eius pedes prouoluta, ſe in Chriſtum credere faſſa eſt. Tantæ Virginis conuerſione lætatus* IACOBVS, *poſtquam illam in fidei rudimentis inſtruxit, ſacro eam vndamine lauit, & datis ad vitæ vlterioris catholicis præceptis, vale dicens, ad cæteras vrbes luſtrandas profectus eſt. Remanſit in domo Virgo ſui ſponſi amore ſuccenſa, & ideò,*

*Gentilis.*

*Aduenit Gallæciam. Iacobus.*

*Conuertitur Virgo.*

*Baptizatur.*



*ideò, vt illi in omnibus placeret, ſic vitæ reliquum in oratione, ieiuniis, eleemoſynis, & aliis bonorum operum exercitiis, texuit, vt adueniente ſponſo, illam inter prudentes virgines inueniret, pro vt & factum eſt, nam tempore procedente, plena dierum, ad Sponſum properauit electa,* IV. Kalend. Auguſti *Anno Domini* LVI. *vel circiter, S. Petro Cathedram Romanæ vrbis tenente.*

*Obiit.*

Omnia in ACTIS recenſita, iam ex *Iuliano*, & *Exaſtico* probauimus. Circa *Annum* agonis placet appoſitum, & conſignatum, cum nondum eò perſecutio Gentilium aduerſus Dei Eccleſiam per Orbem diffuſa noſceretur, vſque ad *Annum* ſequentem, quo plures fideles in prima perſecutione *Neronis* in *Hiſpania* martyrio coronarentur, vt inquit Dext. in *Chron. Ann.* 60. *numer.* 1. *vbi Biuar. fol.* 115.

*Annus obitus.*

MAMIA. Vrbs in *Hiſpania* intra *Gallæcia* antiquos terminos, iuxta *Minij* fluminis ripam, hancque hodie MONZON vocitant, & iacet ſub Diœceſi Braccarenſi in Portugalliæ Regno, ita Iulianus *d. Aduerſar. n.* 38. *fol.* 10.

*Topographia.*

S. EVGENIVS *Martyr Romanus.* ] Hunc fuiſſe Barbarorum Regem Africæ ex Actis à Petro de Natalibus Epiſcopo Equilino in *Catalog. SS. lib.* 6. *c.* 157. conuincitur, licet Baron. in *Not. ad Martyrol. Roman. h. d. lit. E.* ea omnino apocrypha, nec vlla prorſus veritate ſubſiſtentia, exiſtimet. Quod & probauit Antonius Gallonius *Hiſtor. SS. Virgin. Roman. fol.* 142. Quibus adhærent Syluanus Razzius in *Vit. SS. Fœminar. Tom.* 4. *fol.* 107. & Philippus Ferrar. *in Catalog. SS. Ital. h. d. fol.* 470. Hinc veniunt reſpuenda ACTA conſcripta de hoc S. Martyre ab Illuſtriſſ. D. D. Petro Gonzalez de Mendoza Archiepiſcopo Granatenſi in *Hiſtor. Salicenſ. lib.* 4. *c.* 9. *fol.* 818. vbi apocrypham ſcripturam ſecutus, *Petri Equilini*, & aliorum commenta contexuit. illa ACTA genuina refert *Ferrarius*, hac ſerie:

B.

*Aliquorum error.*

## ACTA S. EVGENII MARTYRIS Romani ex Gallonio, Razzio, & Philippo Ferrario.

EVGENIVS *Ciuis Romanus tempore* Valerij, & Galieni *Imperatorum, cùm aduerſus Chriſtianos dira & immanis perſecutio exoriretur, &* Helius *Præfectus aduerſus Chriſti membra crudeliter deſæuiret, ita vt multorum fidelium corpora cruciatuum atrocitate diſcerperet, conſtans in fide cum aliis ſociis Martyrialem congreſſum expectabat. Cùm ecce, ipſius Præfecti præcepto,* Lucillam, & Floram *ſorores, & Virgines Romanas variis ſuppliciis tortas conſpexit. Hinc earum exemplo, martyrij deſiderio ſuccenſus, Chriſtum libere prædicauit, ſed iuſſu eiuſdem Iudicis comprehenſus, cùm nec Diis thura offerre, nec Chriſtum abnegare voluiſſet, fuit cum aliis denique decollatus. Cuius* CORPVS *tunc à Chriſtianis ſepultum, poſt eius partem* Aretium Italiæ, *& partem ad* Salicienſe *Cœnobium in* Hiſpania *tranſlatam, vtrobique honorificentiſſimè cuſtoditur, & colitur. Igitur Martyrium* S. EVGENIVS *expleuit* IV. Kalend. Auguſti, *Anno Domini* CC. LXII.

*Origo.*

*Perſecutio.*

*Capitur.*

*Coronatur.*

Diximus *partem* CORPORIS apud *Aretium Italiæ* cuſtodiri, & optimè; nam Eccleſia illa totum habere contendit, ex donatione *Benedicti III.* Pont. Max. facta *Ioanni* Epiſcopo Aretino, vt referunt *Gallonius*, *Razzius*, & *Ferrarius*: & ne confuſionis pondere grauarentur Fratres Minores Conuentus *Salicenſis* in Hiſpania, qui etiam totum Martyris CORPVS poſſidere contendunt ex beneplacito *Pauli V.* Pont. Max. cuius diploma refert idem D. Petrus Gonzal. *Hiſtor. Salicenſ. d. lib.* 4. *c.* 9. vnicuique *partem pignorum* ſtatuere congruum fuit. Hæc adnotare voluimus, cætera apud relatos auctores ediſce.

*Vbi Martyris Corpus?*

S. FLORA *Virgo, & Martyr Romana.* ] Eius ſacra pignora ex decreto *Vrbani VIII.* Pont. Max. *Anno Domini* M. DC. XL. tranſlata ſunt ad *Hiſpaniam*, concedente R. P. F. *Ioanne ab Annuntiatione* Fratrum Diſcalciatorum SSS. Trinitatis, Redemptionis Captiuorum, Procuratore Generali, vt patet ex Diplomate ſuperius

C.

*Tranſlatio ad Hiſpaniam.*

adducto *Tom.* 2. *Die I X. April. lit. B. fol.* 564. Quæ *Salmanticenſi Collegio* per R.P.F. *Iſidorum de S. Ioanne*, tunc Miniſtrum Generalem, conceſſa ſunt. Quæ aut qualis iſta ſit Virgo, & Martyr penitus ignoro: nam ſororem *Lucillæ* haut eſſe poſſit, quia eius corpus partim apud *Aretium Italiæ*, & partim in *Cænobio Minorum S. Virginis Hortanæ* in Hiſpania, iuxta *Illorcim* aſſeruatum agnoſcimus, vt infra *h. d. lit. E.* dicemus, Idcirco nihil aliud de ea aſſerere valemus.

D. *Martyrologia.* S. Beatrix *Virgo, & Martyr Romana.* ] Hanc illuſtriſſimam fuiſſe ſororem *SS. Simplicij*, *& Fauſtini* Martyrum, vt indicant Martyrologia *Bedæ, Vſuardi, Adonis*, & aliorum, quibus adhæret Romanum *Baronij*, & conueniunt Caſtellanum *P. Dionyſ. Vaſq.* Luſitanum *P. Lup.* & Italum *Conſt. Felic.* De ea Antonius Gallonius *Hiſtor. SS. Virgin. Romanar. fol.* 123. Syluanus Razzius *Hiſtor. SS. Fæminarum Tom.* 4. *h. d. fol.* 108. *col.* 2. Qui hac ſerie eius Acta compaginant.

## *Acta S. Beatricis Virginis, & Martyris Romanæ, ex Antonio Gallonio, & aliis.*

*Origo.* Beatrix *Nobilis Virgo* Romana *temporibus Diocletiani, & Maximiani, unà cum* Simplicio, *&* Fauſtino *fratribus, fidem Catholicam Chriſtiana veritate retinebat. Nam intra domeſticos lares pacificâ quiete, & profundâ humilitate ſic vitam texebat, vt nihil quod non eſſet pium, & ſanctum,* *Virtutes.* *ac Deo gratum, & charitatis ſpecimine plenum perageret. Euenit igitur, vt eo tempore SS. Fratres pro Chriſti confeſſione ad tribunal Iudicis ducti, viriliter dimicantes, poſt graues cruciatus, & tormentorum anguſtias, ceruices Domino tradidere.* *Pietas in fratres.* *Quorum corpora à* Beatrice *ſorore iuxta viam Portuenſem, Ioanne, & Criſpo Presbyteris adiuuantibus, fuere debito cum honore tumulata. Poſt hæc Beatiſſima Virgo, tanquam fratribus orbata, ad domum venerabilis* Lucinæ *ſe conferens, cum ea manſit menſibus ſeptem.*

*Accuſatur.* Interea *prædium quoddam S. Virginis, vicinus quidam poſſeſſor,* Lucretius *nomine, concupiuit. Sed nolente Virgine prædium diuendere, curauit* *Coronatur.* Beatricem *comprehendi, & duci ad ſacrificandum. Cùm autem illa conſtanti animo recuſaret, iuſſit eam noctu à ſeruis ſuis præfocari, vt factum eſt* *Sepelitur.* IV. Kalend. Auguſti, *Anno Domini* CCC. II. *Cuius* Corpus *S. Lucina apud fratres eius ſepeliuit. Lucretius autem occupato illo prædio, fecit in eo conuiuium cum amicis ſuis, inſultans ſanctis Martyribus. Cùm ecce inter epulas cuiuſdam fœminæ infans in has voces erumpit*: Audi Lucreti: Occidiſti, & inuaſiſti: Itaque datus es in manus inimici. *Ad quæ verba ex-* *Mors virginis vindicata.* *palluit Lucretius, & tremore correptus eſt: moxque Sathanas in eum ingreſſus, in ipſo conuiuio per tres horas vexauit eum, donec impium exhalaret ſpiritum. Sic per Dei miſericordiam mors B. Virginis vindicata eſt. Denique Anno Domini* M. DC. XLIX. *ſacra* Beatricis *huiuſmodi Virginis, & Martyris pignora in argentea vrna incluſa, Sanctiſſimus* D. N. D. Innocentius X. *Corporis Tranſlatio ad Hiſpaniam.* *Pontifex Maximus Sereniſſimæ* Mariæ-Annæ *Hiſpaniarum Reginæ Catholicæ, Philippi IV. coniugi, Mediolanum commoranti, cum benedictione Apoſtolica, & Aurea Roſa, per manus* Nicolai Ludouiſij S. R. E. *Presbyteri Cardinalis, titulo S. Mariæ Angelorum, ad hoc Legati à latere ſpecialiter deputati, in ſignum ſui amoris emiſit. Quæ poſt aduentum Reginæ Auguſtæ ad* Scurialenſe *Regale Cænobium depoſita, ibidem honorificè cuſtodiuntur, & cultu debito venerantur.*

Circa emiſſionem ſacrorum pignorum S. Beatricis à S. D. N. *Innocentio X.* Reginæ Catholicæ, cum è Germania per Italiam ad Hiſpaniam properabat, videndus Illuſtriſſimus D. D. Ieronymus Maſcareñas teſtis ocularis in ſuo de hoc Reginæ *Aduentu Itinerar. lib.* 4. *fol.* 208. *& lib.* 6. *fol.* 298. vbi ad longum omnia hæc ediſces.

E. Sancti Lvcilia, Flora & Dionysivs *Martyres Romani.* ] Tres iſti omnes



omnes *Eugenij* de quo ſupra *lit. B.* hodie egimus, ſocij in agone fuere. Quorum mentio eſt in Martyrologiis tàm antiquis, quàm recentioribus, inter quæ Romanum *Baronij*: Caſtellanum *Vaſquij*; Luſitanum *Lupi*; Italum *Conſtantij Felicis.* *Martyrologia.* De eis Antonius Gallonius *Hiſtor. de SS. Virgin. Roman. fol.* 142. Syluanus Razzius *Hiſtor. SS. Fœmin. Tom.* 4. *fol.* 107. Philippus Ferrar. in *Catalog. SS. Ital. fol.* 407. Qui ex profeſſo eorum Acta ſic texuere.

## *Acta SS. Lvcillæ, Floræ, et Dionyſij, Martyrum, ex Gallonio, Razzio, & Ferrario, & aliis.*

Lvcilla, *&* Flora *Virgines* Romanæ *ſorores, cùm in Chriſtiana religione educatæ, in ea perſeuerantes Chriſto Domino orationibus, ieiuniis,* *Origo, & educatio.* *& aliis piis operibus deſeruirent, Valerio, & Galieno Imperatoribus, apud Helium Præfectum accuſatæ, & tortæ, tandem pro conſtanti fidei confeſſione* *Accuſantur, & torquentur.* *capitum obtruncatione, martyrium compleuerunt,* IV. Kalend. Auguſti, *Anno ſalutis* CC. LXII. *Quarum exemplo, martyrij deſiderio incenſus* Dionysivs, *& alij Socij Chriſtum libere prædicantes, eiuſdem Iudicis* *Coronatur Dionyſius.* *iuſſu decollati ſunt. Quorum* Corpora *cum SS. Virginum* Corporibus, *apud* Oſtiam *à Chriſtianis ſepulta ſunt. Ex quibus poſtmodum partem exuuiarum* S. Floræ *apud* Aretinum Italiæ; *& partem eiuſdem corporis Vir-* *Tranſlatio.* *ginis, cum integro* S. Dionysii *Corpore apud* Cœnobium S. Mariæ Hortanæ *prope* Illorcim *in* Hiſpania *tranſlatam comperimus.*

Hæc ſunt Acta iſtarum SS. Virginum genuina, illa verò quæ *Petrus Equilinus* confarcinauit proculdubio apocrypha cenſenda ſunt, vt notarunt *Baronius, Gallonius, Razzius*, & *Ferrarius*, quidquid in contrarium *D. Petrus Gonzal.* & *P. Vargas* commententur.

Qvatenvs ad Translationem *partis Corporis* S. Floræ ſororis S. Lvcillæ Virginum Romanarum, & integra ſacra lipſana S. Dionysii earum, & *Tranſlationis probatio.* aliorum Martyrum Socij Romà *Cænobium Hortenſe* fratrum Minorum prope vrbem *Illorcim* in Murcitano Regno Hiſpaniæ, videndus R. P. F. Alphonſus de Vargas in *Hiſtor. Virgin. Hortan.* §. 7. *fol.* 76. vbi *fol.* 77. Authenticum de huiuſmodi ſacrarum glebarum *Teſtimonium* refert; ex quo patet quod *Anno* M. DC. XXIII. hæc ſacra pignora ibidem ex vrbe fuere tranſlata.

# TERTIO KAL. Auguſti.

# DIES XXX.

*A.* Romæ *natalis* SS. Abdon, *&* Sennen *Perſarum, qui Decio imperante Romam alligati catenis perducti, martyrio coronati ſunt. Quorum ſacra pignora ad* Monaſterium S. Geneſij, *prope* Perpinnianum *Hiſpaniæ tranſlata, ibidem requieſcunt.*

*B.* Bracaræ *in Gallæcia Hiſpaniæ* S. Godini *ipſius vrbis*

*Epiſcopi, qui doctrinâ celebris, clarus miraculis, & bonis operibus conſpicuus Confeſſor inclytus in Domino quieuit.*

C. *Apud* CALAGVRIM *Hiſpaniæ vrbem in Vaſconum Populis*, S. THEODOMIRI *ipſius vrbis Epiſcopi, qui cognitâ aliquorum Gallorum Præſulum deceptione, quâ ſe ſe Iconoclaſticis erroribus immiſcebant, aduerſus illorum hæreticos, libellos multos, ſummâ eruditione, conſcripſit, tandem Vir Beatus Confeſſor in pace quieuit.*

D. AVCÆ *in Murgoborum Populis Hiſpaniæ* S. OSTANI *ipſius vrbis Epiſcopi, qui interfuit Concilio* Ouetenſi, *ſanctitate clarus, & virtutibus cumulatus obdormiuit in Domino.*

---

# NOTÆ.

A. *Martyrologia.*

SANCTVS ABDON & SENNEN *Perſarum Martyrum Romanorum.*] Celebris eorum memoria eſt in Eccleſiaſticis Tabulis apud *Bedam, Vſuardum*, & *Adonem*, à quibus cæteri recentiores, & Martyrologium Romanum h. d. ſequenti elogio: *Romæ SS. Martyrum* ABDON, & SENNEN *Perſarum, qui ſub Decio catenis alligati Romam adducti, pro Chriſti fide primùm plumbatis cæſi, deinde gladio interfecti ſunt.* Conueniunt Martyrologia Caſtellanum *P. Vaſq* Luſitanum *P. Lupi*; & Italum *Conſtant. Felic.* De eis Cardinal. Baron. *Annal. Eccleſ. Tom.* 2. *Ann.* 254. *num.* 27. Petrus Equilinus in *Catalog. SS. lib.* 6. *c.* 158. Philippus Ferrar. in *Catalog. SS. Ital. fol.* 471. Petrus Antonius Beuter *Hiſtor. Valent. lib.* 2. *cap.* 13. *fol.* 68. Antonius Vincentius Domenec *Hiſtor. SS. Cathalon. lib.* 1. *fol.* 68. *col.* 3. Eorum ACTA Mombritus *Tom.* 4. Laurentius Sur. *Tom* 4. *in rebus geſtis S. Laurent. à c.* 3. *vſque ad* 8. R. P. Petrus Ribadeneyr. in *Flor. SS. Tom.* 1. *fol.* 356. à quo hæc damus.

*Scriptores.*

## ACTA SS. ABDON, ET SENNEN *Perſarum Martyrum Romanorum, ex R. P. Petro Ribadeneyra.*

*Origo.*

ABDON, & SENNEN *origine* Perſæ, *admodum nobiles, potentes, & opulenti fuere. Qui Chriſtianis ſacris initiati, cùm cernerent fideles atrocia tormenta perpeti, diroque, & illo quidem vario mortis genere confici, Imperatore Decio crudeliter Eccleſiam perſequente, Martyrum ſe ſe dedicarunt obſequiis, exuuiaſque eorum, quos temporali morte, immortalem vitam ſciebant redemiſſe, religiosè humabant. Intellexit id ipſum Decius, pioſque pollinctores actutum comprehenſos ſibi iuſſit adduci. Quos, vt Chriſtianam profiteri religionem ſenſit, in vincula datos, Perſarum reliquis, quos itidem vinctos aſſeruabat, adiunxit. Cupiebat enim Romam cum triumpho ſubire. Quam obrem, quo triumphus eſſet illuſtrior voluit ab omnibus hiſce captiuis glorioſe ſtipari. Potitus eſt voto ſuo Decius, ſolemni pompâ, Romamque triumphator ingreſſus, illuſtri captiuorum Perſarum, inter quos, & Martyres, eſt ſtipatus frequentia.*

*Martyribus humandis deuoti.*

*Capti in triumphũ Decij expoſiti.*

POST *hæc Decius à Claudio Capitolij Pontifice Idolum iuſſit afferri, ſuper*

*&*



*& arâ deſtitui. Fecit imperata Claudius, poſitum ſuper ara Idolum, quod à Martyribus adorari Decius imperauit, pollicitus iiſdem libertatem, nobilitatem, diuitias, ſi ſibi volentes, lubenteſque obſequerentur. Sed enim Martyres negarunt adoraturos ſe quemquam Deorum, niſi Ieſum-Chriſtum verum Deum, cui ſe ſe velut holocauſta iam dudum victimaſſent. Minatus eſt eis beſtias, ſed has illi ridente vultu contempſere. In amphitheatrum igitur ducti, coramque Solis idolo iuſſi genu flectere, idipſum conſpuére. Quamobrem plumbatis attrociſſimè cæſi ſunt. Sel quamuis eſſent veſtibus nudati, & multis plagis conciſi, tamen erant & Chriſto induti, & eius diuinâ gratia ornati. In eoſdem ergo ſic in amphitheatro deſtitutos, ſuis emiſſi ſunt caueis duo Leones, terribileſque quatuor Vrſi, qui SS. Martyrum pedibus aduoluti, nihil eis attulere nocumenti. Iudex Valerianus miraculum magicis carminibus adſcribens, iuſſit eos è veſtigio obtruncari. Multis igitur & atrocibus plagis confecti, denique fortiter occubuere, ſanctaſque animas in cælum emiſere, æternùm Deo fruituras,* III. Kalend. Auguſti, *Anno Domini* CC. LIV. *Cruenta eorum* CORPORA *triduum inhumata ſub dio durarunt, quòd Chriſtiani ab honore ſupremo Martyribus exhibendo, impiorum minis fuerint prohibiti. Atque hæc tandem Quirinus collecta, plumbeoque loculo compoſita domi ſuæ honorificè ſepeliuit. Sed Imperatore Conſtantino Magno diuinus reuelata, ad* Pontiani *cæmeterium tranſlata ſunt. Quorum aliquam partem ſacrorum pignorum* S. Damaſus *Pont. Max. conceſſit* S. Zenobio *Epiſcopo* Florentino, *vt ex eius Actis apparet. Cætera exuuiarum pars* Arnulphus *Abbas S. Geneſij propè Perpinianum in Hiſpania Româ ad ſuum tranſtulit Cœnobium, quod in Oppido* Arelatenſi *Ruſcinonis adhuc perſeuerat. Quæ quidem* Tranſlationis *forma, euenit ſequenti, vt ex authenticis ſcripturis liquet, tenore.*

*Blanditiis, miniſque tentati.*

*Plumbatis cæſi.*

*Beſtiis obiecti.*

*Coronantur.*

*Sepeliuntur.*

*Tranſlatiò ad Hiſpaniam.*

IGITVR *temporibus* Caroli Magni *ſupradictum Oppidum* Arelatenſe, *vbi conſtructum erat præfatum Cœnobium S. Geneſij, & omne eius territorium Dei fortè vindictâ, maximè tempeſtatum validiſſimis, & aſſiduis fulgurum, & tonitruum incuſſionibus à Canigonenſibus ſcopulis deſcendentibus vexabatur, ita vt accolæ ſæpæ vltimum excidium ſpectarent. Cui malo, etiam Simiarum frequentia ſic adiecta eſt, vt puerulos noctu diuque hæc horribilis plaga collectos domi, in Montis cacumine, parentum conſpectibus, enecaret. Huius ergo inſoliti cæleſtis flagelli rigorem emollire ieiuniis, orationibus, & ſacrificiis totius diſtrictus accolæ ſunt conati, ſed fruſtrà, nam Dominus propter hominum peccata diutius punitionem extendere permiſit; donec* Arnulphus *S. Geneſij venerabilis Abbas Romam ire decreuit, & BB. Apoſtolorum Petri, & Pauli limina viſitare, & aliquorum SS. Martyrum lipſana, in tantorum conflictuum ſubuentionem, deferre propoſuit. Quod venerabilis ſenex pedeſter exequens, ſacram vrbem ingreſſus, & SS. Apoſtolorum tumulum viſitans, aliaque vrbis miracula, Summo Eccleſiæ Vniuerſalis Pontifici, eius in vrbem aduentus, & deſiderij cauſam patefecit. Qui venerabilis Abbatis relationem demiratus, quæcunque ſacra SS. Martyrum pignora, exceptis Apoſtolorum, Laurentij, & Stephani exuuiis, Apoſtolicâ benedictione conceſſit. Tunc venerabilis* Arnulphus *Numinis reuelatione cognouit, quo loco in Baſilica S. Laurentij pars* CORPORVM *à S. Damaſo* BB. ABDON, & SENNEN *Martyrum relicta iaceret. Tunc Summo Pontifici retulit, qui perſonaliter ad locum accedens, breui SS. Martyrum glebas in thecis plumbeis incluſas inuenit, quas venerabili Abbati totius vrbis iubilatione, & ſui benedictione contradidit.*

*Plaga aduerſus Arelatenſes.*

*Arnulphus Romã proficiſcitur.*

*Pars pignorum SS. Martyrum inuenta.*

TVNC *Venerabilis Abbas, acceptis ſacris pignoribus, illa inter vini cados diuinâ diſpoſitione propalans* Arelatem *ad ſuum Cœnobium remeare diſpoſuit. Hoc denique poſtquam omnes Vrbis Eccleſias humiliter viſitaſſet, felici diſceſſione compleuit. In cuius itinere multa euenere miracula, nam per omnes vrbes, & oppida, quibus tranſitum faciebat, ſingula Eccleſiarum cymbala, & campanæ, ſonitu mirabili, nemine impellente, pulſabantur. Quo ſigno*

*Miraculũ.*

*Obſeſſam liberat.* — *Tempeſtatem ſedat.*

*accurrentes oppidani, quid deferret à venerabili Abbate efflagitabant; qui vinum in cadis perferre reſpondebat. Sic fere totam Italiam perluſtrans ad Lygurinum mare peruenit, vbi fœmina à dæmone obſeſſa, videns ſacra Martyrum lipſana, vociferans totius ſecreti fabricam propalauit. Sed venerabilis Abbas protinus cyathum vini ex cadis exhauriens fœminæ dæmoniacæ propinauit, quæ ſtatim libera requieuit. Poſt tantillum venerabilis Abbas nauim conſcendit, & in* Hiſpaniam *vix vela direxit nauclerus, cùm dæmones, qui exierant de fœminæ illius corpore clamabant; & ſe vindicaturos pollicebant. Hinc maris fluctus intumeſcentes, horridam tempeſtatem exagitantes, in maximo nauigium repoſuere periculo; ſed Venerabilis Abbas inuocato ſuorum Martyrum auxilio, ſubito vterque Martyr alius in prora, & alius in puppi iuuenili forma venuſtus apparuit, & maris volumina ſedantes, gaudio Abbati, & cæteris nauigantibus impleuere: quibus datis gratiis, ad Promontorium Veneris ſoluentes, vnuſquiſque ad propria receſſit.*

*Duos cæcos illuminat.* — *Mulus præceps ſanus euaſit.* — *Territoriũ à Simiarũ & tempeſtatum frequentia libe rum.*

HIC *denique Venerabilis* Arnulphus *compoſitis ſuper eius humeros cadis cum ſacris pignoribus* Ionqueram *Oppidum deuenit, vbi vino cadorum duos cæcos illuminauit Hîc mulionem commodauit, qui ſacras exuuias intra cados abſconditas,* Arelatem *ad ſuum Cœnobium perferret, qui profectus cum onere ſacro, cùm per aliquot oppida pertranſiret, auditis campanis, ſtupefactus, quid deferret ignorabat. Sed dæmonis tentatione conſtrictus, bardonem ex alta rupe deiecit, vt præceps rueret. Sed Dei prouidentiâ factum eſt, quod mulus ſine læſione in profundum caderet, & arrepto itinere ad oſtium Cœnobij ante mulionem acceſſit. Poſt aliquantulum Venerabilis Abbas* Arnulphus, *& Mulio ad Cœnobium deuenere, vbi fratres muli aduentu confuſi inuenere, quibus Venerabilis Abbas omnia quæ euenerant patefecit, & extractis ſacris lipſanis ſolemni proceſſione recepta ſunt, & honorifice collocata in Capella ad hoc ſplendide fabricata. Tunc SS. Martyrum interceſſio in partibus illis ita præualuit, vt ſubito eorum aduentu Simiæ illæ territorium Arelatenſe infeſtantes horriſonis vlulatibus prærupta Montium cacumina deſeruere, & tempeſtatum immanis plaga ceſſauit. Demùm eorum interceſſionis auxilio plura Deus miracula patrat, cuius eſt honor, gloria, & poteſtas in ſecula ſeculorum, Amen.*

Hactenus ACTA Sanctorum Martyrum, & eorum TRANSLATIONIS prout & illa recenſuit P. F. Antonius Vincentius Domenec *d. fol.* 68. qui etiam plura miracula poſt eorum Tranſlationem refert ibidem eſſe SS. Martyrum inuocatione patrata, & P. Yepes in *Chron. Ann.* 778. *fol.* 265.

*Par Reliquiarum apud Florentiam.* — *Ferrarij aſſertio diluitur.*

DIXIMVS *partem ſacrorum pignorum* SS. ABDEN, & SENNEN tantum tranſtuliſſe Venerabilem *Arnulphum* Abbatem; & optimè, quia *alteram partem* iamiam tranſtulerat Româ Florentiam *S. Zenobius* iſtius vrbis Epiſcopus munificentia *S. Damaſi* Pont. Maxim. vt patet ex ACTIS ipſius S. Zenobij apud Sur. *Tom.* 3. *Die XXV. Maij c.* 8. *fol.* 300. his verbis: *Sed redeamus ad* Zenobium *noſtrum, cui Papa* Damaſus *præclarum munus,* duo Corpora Sanctorum, *videlicet* ABDON, *&* SENNEN *dono dedit, quaſi mutuæ inter ſe amicitiæ futurum poſteris monumentum. Quæ in Maiori Eccleſia videlicet* S. Saluatoris, *ſub Altari* Zenobius *capsâ plumbeâ collocauit.* Noſtræ, & Florentinorum relationi non obeſt aſſertio Philippi Ferrar. in *Catalog. SS. Ital fol* 472. in *Annotat. ad Act.* horum SS. Martyr. contendens eorum Corpora eſſe *Parmæ*, & alibi. Nam in conrrarium ſuperius hæc exiſtunt relata teſtimonia, quibus contraîre religio erit. Fortaſſis *Parmæ* & alibi aliquod Reliquiarum fruſtum aſſeruabitur, & ciuium deuotio partem pro toto pia deſumat. Ioannes Carolus Morellus in *Tumul. Sacr. Epigram.* 103. hoc ſcripſit.

SENNEN & ABDO *iacent, læti quoque honore carerent,*
*Quæ cæſi quòd hument corpore cæſa pium.*
*Sacra accuſati ſunt iuſſi ſoluere ſignis,*
*Nolunt, obiectis non nocuere feræ.*

*Ante*



*Ante triumphantem duriſſima vincla triumphant;*
*Oppida multa vident, inclyta Roma, vides.*
*Longe alia in cœlo victricia tempora, duro*
*Ipſo etiam victo Cæſare, fronde micant.*

*Topographia.*

MONASTERIVM ARELATENSE. De eo plura diximus ſupra *Tom.* 1. *Die XIII. Ianuar. fol.* 144. *& fol.* 145. & *Tom.* 2. *Die XXI. Mart. n.* 21. *fol.* 348. Videndus R. P. F. Antonius Yepius in *Chron. Benedict. Tom* 3. *Ann.* 778. *c.* 1. *fol.* 265.

B. — *Scriptores.*

S. GODINVS *Epiſcopus Braccarenſis.*] Nondum eius memoria in aliquo ex Martyrologiis antiquis, & recentioribus ſcripta cognoſcitur, licet eius Nomen inter Sanctos Portugallenſes à pluribus illius Regni Scriptoribus recenſitum notemus. Sic P. Aluarus Lupus *Memorial. SS. Portugall.* P. Antonius Vaſconcell. in *Deſcription. Luſitan. fol.* 520. *n.* 2. D. Rodericus de Acuña *Hiſtor. Braccarenſ.* 2. *p. cap.* 17. *fol.* 74. Qui eius ACTA deſcripſit in hunc modum.

## *ACTA B. GODINI ARCHIEPISCOPI Braccarenſis, ex D. Roderico de Acunha.*

*Origo.* — *Infantia.* — *Monachatum ambit.* — *Fit Canonicus Regularis.* — *Exercitia.* — *Contra otioſos Caſſiani dictum.*

GODINVS *ex nobilibus parentibus & diuitibus in diœceſi* Braccarenſi *progenitus, ab infantia ſub B. Virginis Dei-Genitricis* MARIÆ, *cuius amore languebat, auxilio eruditus, & patrocinio* D. Ioannis Peculiaris *Archiepiſcopi Braccarenſis extitit educatus. Poſt cùm ad diſcretionis annos attingeret, conſanguineorum, & mundialium prouentuum inuolucra deſpiciens, Euangelicæ regulæ normam ſecurus adimplere deſiderans, portum in religione, quo eum rapiebat ſpiritus, quæritabat. Huius quidem ſolicitudinis voluntati ſe imprimis obtulit Congregatio Canonicorum Regularium S. Auguſtini, quæ tunc temporis mirè per Luſitaniam efflorebat, in cuius Monaſteriis, & primæ feruor regulæ obſeruabatur, & virorum Deo ſeruientium multiplex copia cerneretur; quorum inſtitutum non in ſubſidium vitæ temporalis fuerat, ſed ob mundialis vanitatis contemptum, cuius embolia diffugere decreuere, Hinc B. Adoleſcens, electo Monachatus inſtituto,* Balnenſe *Monaſterium inter* Barcellenſe, *&* Spocendenſe *Oppida diœceſis Braccarenſis, elegit, vbi habitum ſuſcipiens, inter eius Canonicos adnumeratus, protinus, qualis in poſterum eſſet futurus, rarâ exempli centinuatione monſtrauit. Nam ſic ſeniorum mores exhauſit, & regularis diſciplinæ ceremonias digeſſit, quòd natus in Monaſterio, & ab eius vtero enutritus videretur. Nullus inter fratres humilior, verecundior, & honeſtior, & in corporis mortificationibus feruidior. Quidquid temporis poſt neceſſaria onera ſuppetebat, aut in choro, aut in cella lectioni, meditationi, & orationi conſumebat. Nequaquam otio paruit euigilans,* Caſſiani *ſententiâ interpellatus, quam ſemper ore proferebat, ſcilicet:* Quod Monacho occupationibus diſtento, vnus, otioſo multi dæmones tentationibus infeſtant.

*Prior eligitur.*

HIS *igitur ſanctis exercitationibus vitam Monaſticam tranſigebat, cùm Canonici, vacante Prioratu* Balneenſi, *S. Virum in Priorem vnanimes elegerunt. Hoc onere cumulatus* GODINVS, *extremplò ſuæ electionis dedit ſpecimen; nam eius exemplis virtutum cæteri fratres allecti, eius imitari opera conabantur. Hinc frequentior aſſiſtentia in choro, aſſiduus ſilentij rigor, perpetua exiſtentia in cella ab omnibus obſeruabatur, ita vt nullum eſſet cum ſecularibus commercium.*

*Archiepiſcopus Braccarenſis.*

IGITVR *tales fuere Beatiſſimi Prioris virtutum apices, vt vacante Sede* Braccarenſi, *Anno* M.C.LXXV. *per Ioannis Peculiaris obitum, Capitulum illius Eccleſiæ Metropoliticæ* GODINVM *in defuncti locum publicis acclamationibus deſtinauit. Qui Præſulatus poſſeſſione ſuſceptâ, protinus Romam perrexit, vbi à* Calixto IV. *Pont. Max. conſecratus, & pallio donatus,*

Ieroſo-

Ieroſolymam *eius Pontificis conceſſione , vt ſacra viſitaret loca , feliciter properauit. Huius quidem itineris penſum abſoluit Præſul beatus, & ad Sedem reuerſus Anno* M. C. LXXVI. *ſolemniter radium* S. Vincentij *Martyris Valentini , & Vlyſipponenſis vrbis Patroni , quem Alphonſus Enrriquius Portugalliæ Rex Braccarenſi Eccleſiæ , ob eius amorem , dimiſerat , ſuſcepit , & inter alias illius ſacrarij reliquias , honorifice collocauit.*

*Mores.*

*De cætero S. Antiſtes ſic Prædeceſſorum ſanctiſſimorum veſtigia eſt inſecutus , vt vniuſcuiuſque ſingulares heroïcas actiones ebiberet. Lumbis continuò cilicij ſtrictorium inhærebat ; erat in ieiuniis aſſidua coarctatione depreſſus , in diſciplinis , & carnis maceratione perpetuus ſibi ipſi inimicus. Nunquam intùs lini tunicâ vtebatur, nec lectulo , vt potius ſpiritus euigilaret aſſiduus , quàm corpus opimaretur accommodum. Præſulatus redditus pauperibus deſtinabat , vt theſaurum inueniret in cœlo potiùs , quàm in terra relinqueret conſanguineis. Dùm ergo muneris onus ſuper ſe retinere coactus fuit , nulla virgo orbitatem agnouit ; nulla vidua derelicta congemuit ; nec miſerabilis perſona , pane deſtituta defecit; nam omnibus pater , ſingulis tegumen , & ſolatium extitit admirandum.*

*Obitus.*

*Illum Omnipotens Pater in ſui Archiepiſcopatus tempore , euidentibus virtutum miraculis honorare dignatus eſt. Tandem eueniente ſuæ mortis die placida dormitione quieuit* III. Kalend. Auguſti , *Anno Domini* M. C. LXXXVIII.

*Diuerſus à Godino Lamecenſi Præſide.*

Alium Godinvm Epiſcopum *Lamecenſem* in Portugallia per hæc eadem tempora Pontificatum obtinuiſſe , conſtat ex Brand. *Monarch. Luſitan. lib.*12. *c.* 7. *&* 9. Acuña *d.*2.*p.c.*17. *n.*5.*fol.*75. *n.*6. *& ſeqq.* Sed hic Noſter *Braccarenſis* longè diuerſus à *Lamecenſi* fuit, vt probat euidenter idem Acuña. *n.*7. 8. *&* 9. Hinc à *Gabriele Pennoto* deuiabis , qui in *Chronic. Canonicor. Regular.* 2. *p.c.*61. §.2. *fol.*518. Noſtrum B. Godinvm *Braccarenſem* , cum Godino *Lamecenſi* confundit. Et patet ex Epigrammatis Exaſticho *Emanuelis Faria de Soüſſa* amici vitâ functi , vbi tantùm de *Balneenſi* Prioratu , & Archiepiſcopatu *Braccarenſi* meminit , ſic :

Braccara *ſæpè fuit diues , ſed ditior extat*
*Præſulis exuuiis , Sancte* Godine , *tuis.*
*Tu* Balnenſis *apex , tu noſtræ gloria Sedis ,*
*Illuſtris vitâ , nunc quoque morte magis.*
*Tu nobis largiris amans hîc dona Magiſter*
*Singula dùm viuis , omnia dum moreris.*

*Probatur I.*

Minimè igitur in hoc Epigrammate de *Monachatu* in Monaſterio *S. Vincentij Vlyſipponenſis*, nec de *Præſulatu Lamecenſi* memoria ineſt , quarum qualitatum in *Godino* haut obliuiſceretur *Emanuel* , qui antiquitatum , & hiſtoriæ *Luſitanicæ* fuit ſine dubio Princeps, vt eius ſcripta teſtantur. Et hoc etiam deducitur ex Antiquiſſimo *Chronographo* Canonico Regulari Monaſterij S. Vincentij Vlyſipponenſis , relato ab Acuna *d.c.*17. *n.* 9. *fol.* 78. vbi Priores illius Monaſterij recenſens, agens de *Godino Lamecenſi* , qui fuerat Prior *S. Vincentij* proſequitur : *Qui fuit , & extitit poſtmodum Epiſcopus* Lamecenſis *Eccleſiæ.* Ergo ſi ad *Braccarenſem* infulam deueniſſet, haut quaquam ſub ſilentio hanc qualitatem honorificentiorem inuolueret *Chronographus* maxime cum fuiſſet vtrique Godino ferè coæuus.

*Probatur II.*

Secvndo hæc diuerſitas probatur , ex eo quòd vterque eodem tempore vixit , alius *Braccarenſis* , & alter *Lamecenſis* Antiſtes. Hoc conſtat ex variis *Priuilegiorum* confirmationibus. Pro omnibus illud Regis *Alphonſi* Enrriquij conceſſum *Pelagio Epiſcopo Eborenſi* , quod refert Brandas *in Monarch. Luſitan. lib.* 11. *c.* 37. vbi Priuilegium concludit : *Facta charta , Menſe Decembris , Era* M. CC. XXIII. *hoc eſt Anno Chriſti* M.C.LXXXV .Hic poſt Regis confirmationem , ſubſcribunt D. Godinvs *Archiepiſcopus Braccarenſis.* D. Martinus *Epiſcopus Conimbricenſis* ; D. Ferdinandus *Epiſcopus Portuenſis* ; D. Ioannes *Epiſcopus Viſeenſis* ; D. Godinvs *Epiſcopus*



*Epiſcopus Lamecenſis* ; D. Soërius *electus Vlyſipponenſis*, & alij. En ex confirmationum ſerie huius Priuilegij diuerſos fuiſſe Godinvm *Braccarenſem*, & *Lamecenſem.* In huius etiam rei probationem aliud Priuilegium adducit Acuña *ſupr. n.*7. *fol.*78.

*Topographia.*

Monasterivm Balneense. Conditum in Diœceſi *Braccarenſi* inter Oppida *Barcellenſe* , & *Spozendenſe* ante ſecula Regum Luſitaniæ , ſub Canonicorum Regularium inſtituto , titulo *S. Saluatoris* , hodie eſt commendatum, & Equitibus Chriſti paret vt referunt *Brandao* , & *Acuña* locis citatis , & Pennotus *Hiſtor. Canon. Regul.* 2. *p. c.* 32. §.2.

C.

*Monachus fuit diuerſus à Martyre Cordubenſi.*

S. Theodomirvs *Epiſcopus* Calagurritanus *Confeſſor.* ] Is fuit Monachus *Benedictinus* & Abbas , doctrinâ illuſtris , & ſanctitate celebris , vt notauit Luitprand. *in Chron. Ann.* 840. *n.*287. & Iulianus Archipreſbyter Toletanus in *Chron. n.*418. *& n.*431. Hic longe diuerſus fuit à Martyre *Cordubenſi* , de quo & Nos ſupra hoc eodem *Menſe Die* XXV. *lit.* E. Nam ille Monachus apud *Cordubam* tantùm ; iſte & *Abbas* , *& Epiſcopus.* Ille dùm martyrio coronatur , adhuc iuuenis , & ephæbus ; iſte cùm *Calagurritanæ* Sedis apicem aſſequitur , grandæuus , & ſenex. Denique ille Martyr ad Annum DCCC. LI. & Noſter Epiſcopus ad Annum DCCC. XL. Hinc errorem admiſſum in Codicibus impreſſis Iuliani *n* 418. cognoſces , vbi hæc verba : *Scribit contra Claudium Tarnenſem Epiſcopum hæreticum S. Abbas* Theodomirvs, *poſtea* Cordubæ *Martyr.* Quæ vltima verba abundant, ab imperito addita , nam iterum de eo agens idem Iulianus *Ann.* 844 *n.* 341. nihil de eius martyrio retulit : illum auſculta : Theodomirvs *Monachus Benedictinus, poſt Epiſcopus* Calagurritanus , *mire floret , & vt vir doctus habetur.* Ex quibus elicies clauſulis , nequaquam Theodomirvm Epiſcopum *Calagurritanum Cordubam* aduentaſſe , nec ibidem martyrio occubuiſſe ; nam ſi hoc eſſet , *S. Eulogius* qui Cordubenſis Martyris acta deſcripſit , proculdubio hoc illum minime fraudaret honore. Imò nec P. Ieronymus Roman. de la Higuera in *Martyrologio Hiſpano MS.* vbi hoc die *Calagurritani* Præſulis obitum aſſignat , nec in *Not. ad Luitprand. Ann.*840. *n.*287. *fol.* 425. aliquid de martyrio diſſerit : quin potius in Noſtri ſanctitatis confirmationem aliqua recenſet , inter quæ hocce carminum floretum.

*Carmen de hoc Præſule.*

*Sancta* Theodomirvs *tutatus dogmata Præſul*
*Iconomachos diſperſit verbere vocis :*
*Quorum præceptor tunc* Claudius *hæreſis , vnà*
Taurinenſis *erat Præſul , quem Noſter adorſus*
*Scriptis , fœdum detexit cum nomine crimen.*
*Ergo* Theodomirvm *tunc* Calagurris *amæna*
*Pontificem nouerat proprium , ſed grege ſolutum :*
*Nam Agareni famoſam legibus vrbem*
*Conſtrictam tenuere diù ſceleratis , & armis.*

*Calagurritanus Epiſcopus Titularis fuit.*

Hinc quidquid de Noſtro Theodomiro Epiſcopo *Calagurritano* dixere *Luitprandus* , & *Iulianus* probatur ; & Ego addo , quòd ipſe S. Vir interfuit confirmationi Donationis , quam *Alphonſus* Rex *Aſturicæ* cognomento *Caſtus* fecit S. E. *Ouetenſi* Anno DCCC. XXX. vt patet ex confirmationibus ſcripturæ inſtrumentalis , quam refert Ambroſius Moral. *Tom.* 3. *Hiſtor. Hiſpan. lib.* 13. *c.* 41. vbi agens de hoc *Calagurritano* Præſule , aſſerit quòd erat Titularis ; & apud *Ouetum* demorabatur ( pro vt cæteri ) Antiſtes , qui ſedibus orbati , Regum Curiam inſequebantur : quod & notauit Epigramma ſuperius adductum , in finalibus *Quatuor carminibus.* Quæ omnia omiſere P. Higuera in *Not. ad Luitprand. d. Ann.* 840. *n.*287. & D. Thom. Tamayo *in eiſdem Not. fol.* 189. & M. Ægidius Gonzal. Chronographus Regius *in Theatr. Eccleſ. Hiſpan. Tom.* 2. *fol.* 348. qui nec verbum de confirmatione *Donationis* Regis Caſti ſcripſere. De eo Scriptores ſuperius relati,

*Scriptores.*

apud quos nihil de Actis coadunatum reperio. Illa pro vt inſtituti expoſtulat neceſſitudo breuiter contexemus.

## *ACTA S. THEODOMIRI Calaguritani Præſulis, ex Luitprando Iuliano, & aliis.*

*Origo.* Theodomirvs *origine* Hiſpanus, *tempore Sarracenicæ captiuitatis in Eccleſiaſticis literis eruditus, maximam doctrinæ, & eruditionis famam adeptus eſt. Hic igitur inter Benedictini ordinis alumnos adſcriptus, maximo virtutum, & eloquentiæ ſpecimine enituit, ita vt ad Abbatiale munus feliciter deueniſſet.* *Inſtitutū.* *In cuius miniſterio non ſolùm interna domus ſibi commiſſæ onera ſufferebat, ſed etiam, pro fidei Catholicæ defenſione, externos aliquorum errores ſcriptis, & ſermonibus abſtergere conabatur. Hinc cùm* Claudius *quidam, vir fallax, qui ex Capellano* Ludouici *Francorum Regis factus Epiſcopus* Taurinenſis *in Gallia, Iconomachorum hæreſim ſuſcitaret,* *Scripta.* *Beatiſſimus Vir aduerſus eum, & eius errorem, Librum elegantem pro Imaginum defenſione conſcripſit. Poſthæc Epiſcopus* Calagurritanus *in* Hiſpania *factus, tunc temporis quando ciuitas illa ſub Arabum iugo tenebatur, illius Sedis,* *Sedes.* *licet tantùm Titularis Antiſtes, honoribus fruebatur, & apud* Ouetum *cum aliis Præſulibus, propriis eccleſiis carentibus, ſiſtens, Regum Aſturienſium aulam ſequebatur. Huius cùm tempore* Alphonſus *cognomento* Caſtus *Eccleſiam* Ouetenſem *ditare conſtituiſſet, & donationem opulentam conſignaſſet eidem, vnus ex Epiſcopis qui huiuſmodi donationem Regiam firmauit,* *Mors.* *fuit Noſter Beatiſſimus* Theodomirvs, *qui tandem virtutibus, & bonis operibus plenus, & doctrinæ fama celebris vitam cum morte commutauit* Die XXX. Iulij *circa annum Domini* DCCC. XLIV.

Hæc de Noſtro hoc ſanctiſſimo Præſule elicere, ad hæc Acta conſcribenda, potuimus: Sed vt de *Libello* aduerſus *Claudium Taurinenſem* hæreticum Hagiomachum, & Iconoclaſtam, à Noſtro *Calagurritano* Pontifice conſcripto, aliquid ſuperioribus addamus, ſciendum eſt, qualiter etiam *Claudius* ille aduerſus *Claudius Taurinenſis ſcripſit contra Theodomirum.* Theodomirvm Apologeticum ſcripſit, vt notauit Ionas Aurelianenſis Epiſcopus de *Imaginib. lib.* 1. relatus à Cæſar. Baron. *Annal Eccleſ. Tom. 9. Ann.* 825. *n.* 58. his verbis: *Sed quàm peſtiferum dogma, & ab Eccleſiæ auctoritate abhorrens in plebem ſibi transfuderit commiſſam,* Libellus *quem ad* Theodomirvm *venerabilem Abbatem, ſe charitate imperante corrigentem, eumque à ſuperſtitioſa doctrinâ auertere volentem, ſcripſit, eundem legere, & noſſe volentibus patenter demonſtrat.* *Quis Claudius remiſſiuè?* Quem etiam locum refert D. Thom. Tamayo in *Not. ad Luitprand. in Chron. Ann.* 840. *fol.* 189. De Claudio verò Taurinenſi plura qui velit adeat Baronium *d. Ann.* 825. *n.* 58. Gualter. in *Chron. Secul.* 9. *in Collat. Veter. Error. c.* 1 *fol.* 602.

S. Ostanvs, *ſiuè* Ostianvs *Epiſcopus* Aucenſis *in Hiſpania.*] Hactenus eius memoria ſub ſilentij velo iacebat, ſed iam auctoritate *Luitprandi*, & *Iuliani* reuiuiſcens, tanti Confeſſoris Nomen in publicis adſcribere Tabulis conuenit. *Scriptores.* De eo ſic Diaconus Ticinenſis in *Chron. Ann.* 933. *n.* 318. ſcriptum reliquit: S. Ostanvs *Epiſcopus* Aucenſis *in* Hiſpania, *interfuit Concilio* Ouetenſi; *moritur in Tractu* Viuarienſi XXX. *Iulij. Relatus inter Sanctos, in Catalogo numeratur.* Archipresbyteri Toletani *in Chron. Ann.* 886. *n.* 457. *fol.* 110. auſculta verba: Ostinvs *Sanctus Vir, & Epiſcopus*, Aucenſis *interfuit Concilio* Ouetenſi, *moritur in Tractu* Viuarienſi (*nunc* Viuar) *Didaci Roderici, Campiatoris dicti, patria. Relatus eſt in Catalogo Sanctorum. Agitur eius* Dies XXX. *die Iulij.* Hæc in antiquis Noſtris Scriptoribus elicitur anamneſis; addit P. Ieronymus Roman. de la Higuera in *Not. ad Luitprand. d. n.* 318. *fol.* 435. *Error aliquorum.* quòd S. Ostanvs Epiſcopus *Aucenſis* confirmat in quodam Priuilegio (abſque expreſſione cuius) anno DCCC. XC. ſub hac formula: *Sub Dei gratia* Ostanvs *Epiſcopus confirmat.* Qui etiam videtur innuere, quòd elogium *Die* XXX. *Iunij*, apud *Vſuardum, & Martyrologium Romanum*, dum



dicitur: *In tractu Viuarienſi* S. Ostiani *Presbyteri, & Confeſſoris*; intelligendum eſt de Noſtro hoc Præſule *Aucenſe.* Quod & notauit D. Thom. Tamayo *in Not. ad Luitprand. Ann.* 895. *fol.* 217. Sed proculdubio falluntur, nam ille Presbyter de quo *Vſuardus*, & *Martyrologium Romanum*, diuerſus fuit à Noſtro, vt patet ex monumentis S. E *Viennenſis in Gallia*, è quibus Andreas Sauſſay. in *Martyrolog. Gallican. Tom.* 1. *Die* XXX. *Iun. fol.* 397. hocce congerit elogium: *Eodem die in agro* Viuarienſi, *ſub Viennenſi prima, Natalis* S. Ostiani *Epiſcopi, & Confeſſoris,* *Diuerſus à Viennenſi Epiſcopo.* *qui huic oppido præcepta fidei, primus poſt S. Andeolum, S. Benigni aſſeclam, Beatique Polycarpi diſcipulum, & Chriſti iuratum teſtem, feliciter tradidit; omnibuſque illic ad Domini gloriam, & populi ſalutem, piè ac præclare conſtitutis; pacifico demum fine, obdormiuit in Domino.* Ex quibus verbis colligitur, quòd Ostianvs de quo in Martyrologiis *Vſuardi*, & *Baronij Die* XXX. *Iunij* antiquior fuit; & *Aucenſis* de quo *Iulianus* & *Luitprandus* multis ſeculis illo recentior. Quapropter crederem nominum tautologiâ allecti duos Ostanos confundere curauere. Quidquid ſit hoc de Noſtro Præſule in ſæpius repetito *Codice MS. Carminum* Hali, *Epitaphium* inueni.

*Epitaphium Aucenſis Præſulis.*

*Hoc corpus iacet* Ostani *ſub marmore clauſum,*
*Pontificem ſanctum, quem vocat* Auca *ſuum.*
*Suſtinuit poſtquam graues pro lege labores*
*Chriſti; tunc vitam exuit almus homo.*

His ſic digeſtis, venio ad Acta, quæ licet à Nemine hactenus conſcripta reperiantur, tamen pro noſtræ inſtitutionis more, illa etſi breuiora coagulabimus.

## *ACTA S. OSTANI AVCENSIS Epiſcopi in Hiſpania Confeſſoris ex Variis Scriptoribus.*

Ostanvs *origine* Hiſpanus *inter turbulentas* Hiſpanici *excidij ſub Sarracenorum oppreſſione ſolicitudines, & anguſtias, ad faſtigium* Aucenſis *Eccleſiæ Præſul non ſine renitentia feliciter ſublimatus agnoſcitur;* *Origo.* *cuius munera ſuper humeros ſuſtinens graues pro Chriſti fidei ſuſtentatione labores perpeſſus eſt.* *Sedes.* *Interfuit Concilio* Ouetenſi, *quod Magnus ille* Alphonſus Aſturicæ, & Gallæciæ *Rex indicere curauit, vbi inter alia quæ ibi ſunt ſtabilita, ſedes* Ouetenſis *Metropolis effecta eſt.* *Ouetenſi Conſilio interfuit.* *Poſt hæc qualis huius S. Præſulis vitæ curſus fuerit, ignoratur. Creditur illum in bonis operibus, & plebis admonitione expleuiſſe, ita vt ad immarceſſibilem Confeſſoris, & Pontificis coronam, Deo auſpice, properaſſet* III. Kal. Auguſti, *Anno Domini* DCCCC. IV. *vel circiter.* *Obitus.*

Huius *Ouetenſis* Concilij ſummam breuiter retulit Sampyrus Aſturicenſis Epiſcopus *in Chron. Era* 910. & Ambroſ. Moral. *Hiſtor. Hiſpan. lib.* 15. *c.* 26. *fol.* 173. & licet ibidem nulla adſit memoria Noſtri Antiſtitis, tandem credendum eſt illum huic Synodo interfuiſſe, prout notauit *Luitprandus*, cui in hoc deferendum eſt. *Defenditur Luitprandus.*

Avca. Ciuitas vetuſta Hiſpaniæ, olim Sede Epiſcopali condecorata, de qua & eius Eccleſia ſupra diximus, vbi Catalogum ipſius Sedis Antiſtitum deſcripſimus *Die XX.* huius Menſis. *Topographia.*

# PRIDIE KAL. Auguſti.

## DIES XXXI.

*A.* Romæ *natalis* S. Ignatii Loyola *Hiſpani, qui adoleſcens militiam ſequutus ſecularem, ſtrenui ducis nomen promeruit: adultus ſplendidiſsimum ſub nomine* Iesv *ſocietatis agmen contra Eccleſiæ Catholicæ rebelles, animauit: ſenior in abſolutæ, perfectæque virtutis faſtigio fulſit. Vndique triumphis illuſtris, ſpecioſiſsimum de omnium gentium manubiis trophæum ſtatuit, ac Numini, cuius vnius gloriæ tenebatur ſtudio humili ſubordinatione dicauit. Denique Confeſſor egregius, pede licèt claudus, ſpiritu integer, & ſublimis, lacteâ viâ, ad æternæ vitæ manſionem mirabilis properauit.*

*B.* Madridii *in Cœnobio SSS. Trinitatis Fratrum Excalceatorum Depoſitio ſacrorum pignorum* S. Prosperi *Martyris Romani, cuius corpus Vrbanus VIII. Pont. Max. iiſdem fratribus cum aliis conceſsit, & ibidem quieſcens, honorificè conditum, deuotiſsimè veneratur.*

---

# NOTÆ.

A. *Elogia.* Sanctvs Ignativs cognomento Loyola Societatis Iesv Patriarcha.] Celeberrimus eius nominis ſplendor Orbe toto diffuſus, totum orbem in poſterùm abſque nebulæ alicuius opacitate compleuit, ita vt *Anima mundi* myſticè vocitatus Ignativs, mundum penè exanimem flatu ſuæ ſanctitatis, & Religionis erigeret. Nam quid in eo fuit, quod mirabile non fuiſſet? A belli flamma, mentis auſpicatus eſt lumen: Ab arcis ruinâ, celſum faſtigium gloriæ; à terræmotu conſtantiam; ab ictu bellici fulminis vitam. Murale tormentum aperuit virtuti aditum; globus igneus ſtabilem illum, & quadratum effecit. Tunc abſtinere cœpit à vitæ ludo, cùm excepit pilam; tunc certior euaſit eius laus, cùm dubia fuit Martis alea. Quæ vulnus inferius obligauit faſcia, ea ſanctitatis altius prætulit diadema. Mira res! Meruit Ignativs idem, quod Magnus olim Moyſes, elogium, vt diceretur



diceretur Dei digitus; ſcilicet, vt ille Naturam ſtupefaceret prodigiis. Vnus hic digitus tòt Tyberi ſubdidit Barbaros, quòt alluit circumfuſus Occeanus. Subiecere captiuas innumeri populi manus vnius Ducis conſtrictas digito. Hoc enim in Ignatio Dei digitus operatus eſt nouum, quod non ſparſit, vt olim, cinerem ad perniciem, ſed mortuos excitauit ad vitam, ne abirent in cinerem; non tenebras fudit, ſed illud, quo radiare viſus eſt, lumen. Quin etiam Ignatii digiti ſcribentis edicto mulctati ſunt exilio infeſti noſtris ædibus Lemures. Parum fuit, iis eripere obſeſſa mortalium corpòra, niſi explicaſſet obſidione Domus Lauretanæ viciniam. Abſens licet Imperator egit triumphum, victor de laruatis Laureti hoſtibus laureatus, ſi fas eſt dicere; penè plus potuit Ignativs vnus edicto abſens, quàm Cohors Prætoria cœlitum circumſiſtens. Factum bene; atramento hoſtes abegit atros. Initium eius tàm illuſtris virtutis obſcura dedit ſpecus, quâ clariùs ſub eius vmbra philoſophatus eſt, quàm olim Gymnoſophiſtæ ſub Sole. Nunquam metuendus magis fuit Ignativs Erebi caſtris, quàm cùm gladium de tholo templi ſuſpendit exarmatus. Igitur Magnæ vouit ea Virgini arma, quibus deuouerat virginitatis hoſtem. Excanduit in Virginalis tutela candoris; penè gladium infecit ſanguine, ne hic inficeretur probro. Denique clarior fuit puluere ſepulchri, quàm campi. Suus ille, quaſi Solis, fuit occubitus; quia non aliæ arſere tædæ, quàm ſydera. Mirè deſcriptas habuit cœli rationes in cinere, cui matheſeos eruditus cederet puluis; in magiſterio virtutis, pro radio radiata frons fruit. Fecit Ignativs, vt aſtra, quæ dominari falsò putabantur in viuos, illi verè famularentur emortuo. Fuit Pontificum Maximorum innumerabilium encomiorum obiectus; Cardinalium apex, Imperatorum, Regum, & Principum ſpecimen, & omnium populorum gloria. Sunt etenim iſtæ honorum humanorum veluti emphaſes, quippè ab his profectæ, quos cæteri mortalium in hos ſuos apices ſemper intenti, haut ægrè adducantur vt imitentur, & dictis ipſorum adſcribantur. Sed ne quis ea parum faciens, iudicia Magnatum plerumque turbida cauilletur, quæ quo ſemel cæco impetu inclinarint, ſiuè conſtanter ſiue pertinaciter progredi pergant, habemus iudicia nulli tali obnoxia cauillo Ignatio perhonorifica, & omnis generis ſapientum, & hominum religionis famâ perilluſtrium, & compertæ ſanctitatis nomine irrectractabilibus iudiciis probatorum. Lvdovici *Stradæ* Viri vndecumque doctiſſimi, ex Ciſter- *Scriptorum.*
cienſium familia, & cœleſtibus operibus clari, extat Epiſtola, quam luculentum Ignatii encomium meritò dixeris. Eâ Epiſtolâ, de huius Serui Dei inſignibus meritis, de charitate, quâ in Deum, proximoſquè flagrauit, de maximis fructibus orbe toto labore eius conſecutis, tanto verborum pondere diſſerit Scriptor ſuâ ætate celeberrimus, & domi ac foris laudatiſſimus, vt non poſſit grauiùs, & magnificentiùs exornare quem celebrandum ſuſcepit. Lvdovicvs *Montoya*, Auguſtinianæ familiæ eâ ætate rarum lumen, regreſſus Româ, vbi cum Ignatio egerat in Luſitaniam, nullas ſe dixit pretioſiores, ſibivè fructuoſiores reliquias Româ exportaſſe, quàm quòd conſpectu, & alloquiis Ignatii fruitus eſſet, & quod de tanti Viri cœleſti ſapientiâ hauſiſſet, altè combibitum retineret. Lvdovici *Granatenſis*, inter Prædicatorum filios pietate, ſapientiâ, eloquentiâ, ſcriptis luculentis, & multis rebus præclarè geſtis, totâ Eccleſiâ celeberrimi, illuſtriſſimum Ignatii encomium legere eſt, eâ Epiſtolâ, quâ *Petro de Ribadeneyra* editum de S. Patriarchæ vitâ commentarium, gratulatur. Venerabilis Ioannes Dauila, Magiſter doctrinæ ſpiritus in paucis præſtans, & Bæticæ Apoſtolus nuncupatus, *puſionem ſe*, Ignativm *verò gigantem* dixit: qui operi de quo ipſe cogitarat, ſed deficientibus viribus non perfecerat, par extitiſſet, vnde quantos poterat è ſuis in via ſpiritus alumnis, ad Ignativm ablegabat, meliore Magiſtro vſuros. Brvno *Loher* Cartuſiani inſtituti vir doctus & pius, præfatione ad opus *Henrrici Harphÿ* Ignatio ſuperſtiti inſcriptum, in eius laudes tantopere effunditur, vt nihil ſit, quod ad encomium abſolutiſſimum deſideretur. Florimvndvs *Remundus*, Vir & publicis muneribus, & zelo fidei auitæ illuſtriſſimus Ignatii decora, latè & ſplendidè expreſſit in *Hiſtor. Naſcent. Hæreſ. lib 5. cap. 2.* Sed cùm Societas Iesv ſit fœtus Ignatii, eumque illa cognoſcat Auctorem, *Pontificū.*

quiſquis laudes in SOCIETATEM digeſſit, IGNATIO tanquam Auctori communicauit. Summorum Pontificum de SOCIETATE laudes colligere, non omnes, aliquas aggredior. Paulus III. in *Diplomate Ann.* 1549. vocat SOCIETATEM: *Agrum fertilem, qui non ſingulis annis, ſed ſingulis diebus, multiplices, vbereſque fructus ad Summi Regis laudem, & fidei incrementum verbo, & exemplo producit.* Iulius III. in *Diplomate dato Ann.* 1552. Eam ait: *Reiectis ſeculi vanitatibus, gratum Altiſſimo præbere ſub humilitatis ſpiritu famulatum, & feruentibus ſtudiis, per exempla virtutum, & ſolidam doctrinam, alios ad diuinæ Maieſtatis obſequia trahere.* Pius IV. *in Bull. Ann.* 1561. Religioſos eius affirmat: *Sicut nomen* IESV *aſſumpſerunt, ita opere, doctrinâ, exemplis, ipſum Dominum* IESVM Chriſtum *imitari, eiuſque veſtigia ſequi.* Pius V. in *Breui Ann.* 1568. de eadem ait: *Innumerabiles eſſe fructus, quos Chriſtiano Orbi* Societas IESV *attulit, & affert, quæ proprij ſanguinis prodiga, vt verbum Dei efficaciùs plantaret, martyrio voluntario ſe ſuppoſuit, & regna ipſa ad Chriſti agnitionem perduxit.* Gregorius XIII. in *Var. Conſtitut. Annor.* 1571. 1576. & 1584. profitetur: SOCIETATIS IESV *filios, tanquam palmites eſſe, qui toto fere Orbe extenſi, tàm in ouibus diſperſis, & extra Chriſti ouile, ſacroſanctique Imperij Chriſtiani tutelam aberrantibus, reducendis; quàm in lupis veſpertinis, & leonum catulis in deuoratiònem expoſitis, reclamandis; & tàm in Nationibus Chriſtiana religione initiatis, quàm in immanibus, barbariſque diuini cultus, & politici ornatus ignaris gentibus, ferinoque potius, quàm humano more viuentibus, Euangelico ſulco, & Eccleſiaſticæ diſciplinæ vomere eruderandis, opimum, vberrimumque fructum indies afferre non ceſſent, ad omnia pericula pro vniuerſali Eccleſia ſubeunda præſtò ſint, & rebus arduis ſuſcipiendis fructuoſos operarios ſubminiſtrent.* Gregorius XIV. in *Conſtitut. Ann.* 1591. affirmat: SOCIETATEM IESV *diuinâ prouidentiâ, nouiſſimis temporibus, excitatam, adeò cum Vniuerſali Eccleſia coniunctam eſſe, vt eius commoda, vel incommoda in commune totius Eccleſiæ bonum, vel malum redundare neceſſe eſt.* Clemens VIII. in *Diplomat. Ann.* 1592. de Religioſis diſſerens, ait: *Diù ſibi fuiſſe exploratum, quantâ charitate, Zelo, & ſollicitudine Presbyteri* SOCIETATIS IESV, *ad remotiſſima quæque loca, nullis parcentes laboribus, nulla formidantes diſcrimina, pro Chriſtiana religione propaganda, & pro Catholica fide conſeruanda, & vbi etiam opus eſt, reſtituenda, ac demùm pro animarum ſalute procuranda, exire curauerint; quantoque item ſtudio, ac diligentiâ Dominicum agrum piis officiis, ac ſtudiis, quibus aſſiduò vacant, colere non deſtiterint, & hoc maximè tempore non deſinant.* Paulus V. in *Bull. Ann.* 1616. de Societate fatetur:

Regum. *Quantum Religio* SOCIETATIS IESV *in Eccleſia, ad fidei, pietatis, & religionis augmentum, profecerit, & in dies magis proficiat, Nos ipſi ſcimus, & Chriſtiana Reſpublica nouit vniuerſa.* De Imperatorum, Regum, Principum encomiis, & auxiliis, ob SOCIETATEM iſtam in ſuorum Regnorum vrbes, & populos attrahendam, & plantandam, plura collegit Symbola Teophilus Raynaudus in *Trinitat. Patriarchar. in Vit. S. Ignat. Punct.* 11. *fol.* 595. Eius nomen in Romano Martyrologio Vr-

Martyrologium. bani VIII. h. d ſequenti elogio: *Romæ natalis* S. IGNATII *Confeſſoris, Fundatoris* SOCIETATIS IESV, *ſanctitate, & miraculis clari, & Catholicæ religionis vbique dilatandæ ſtudioſiſſimi.* In Gallicano Andreæ Sauſſay *Tom.* 1. *fol.* 475. in Hiſpano M S. *Ieronymi de la Higuera. fol.* 36. In Faſtis Chriſtian. Bachoti *fol.* 551. Philippus Ferrarius etiam eius meminit in *Catalog. General. SS. fol.* 309. & in *Catalog. SS. Ital.*

Poëtarum. *fol.* 476. Poëtarum carmina, elogia, epigrammata referre, quæ in laudem, & honorem S. IGNATII conſcripta ſunt, eſſet innumerabilium Chriſtianorum Vatum myriades addenſare. Pro omnibus, aduerſus Hæreticorum malitiam, & ignauiam, adſit *Clarus Bonarſcius*, ſiue vt palam, ſoluto Anagrammate, loquar *Carolus Scribanius* in *Amphitheatr. Honor. lib.* 3. *c.* 2. *Eleg.* 2. *fol.* 149. agens de IGNATII Nomine, & Militia, ſic cecinit.

*Creſcite iam dentes. Quid adhuc edentula lallant.*
*Carmina? Iam toto creſcite ſeſquipede.*
*Quid mihi dentis opus? Procul hinc dentata papyrus;*
*Hæretici gerras vincere luſus erit.*

Sed



*Sed tamen, vt ſtolidi pendens circum ora Moloſſi*
*Sæpe iocos inter vulnera dat catulus:*
*Sic quoque (Quis prohibet? ruit ille in vulnera primus)*
*Penna mihi interdum ſanguinolenta fluet.*
*Noſcere nemo poteſt mutantem Protea vultus:*
*Haut ſecus hæreticum noſcere nemo poteſt.*
*Iam lupus, inſtar ouis, pelle eſt indutus ouinâ:*
*Iam Leo, iam vulpes Protea ſemper agit.*
*Hoc tamen, & ſolum hoc, tuto tibi dicere poſſum:*
*(Lingua, manuſque probant) ambitioſa fera eſt.*
*Nunc etiam ſpoliis effulgere gaudet opimis,*
*Inque ducem ſannis arietat, atque probris.*
*Et caput, & ſtomachum turbat* IGNATIVS *olli,*
*Ructat ſarcaſmos, & maledicta vomit,*
*Cum fluat illimis* LOYOLÆ *vita, nec vllam*
*Criminis illuuiem candida fama trahat:*
*In latus ille ruit; non rectâ fronte duellat,*
*In ius ille apices, litterulaſque vocat.*
*Igne, ait, eſt natus vobis* IGNATIVS. *Eſto;*
*Ignis enim Pietas dicitur, ignis Amor:*
*Ignis & ipſe Deus: rubus igneus, ignea nubes:*
*Ignea lingua fuit: ignis & ipſe Deus.*
*Ergo Deo eſt natus nobis* IGNATIVS. *Hoc eſt,*
*Cur tibi non placeat; dæmoni diſpliceat.*
*Vt canis in felem, lupus eſt propenſus in agnum,*
*(Ingenuè fateor) ſic ego, tuque ſumus.*
*Hoc tamen (vt ſpero) noſtro indulgebis amori,*
*Vt tibi non placeam; dæmoni diſpliceam.*
*Quis mihi nunc circum tarantantara perſonat aures?*
*Arma procul Martis; Palladis arma gero.*
*Militiam crepat Hæreticus: iam ſpiculat enſem;*
*Orphana dùm Calybis torpet arundo mihi.*
*Dux, ait, eſt vobis, dux Martius; ille per vrbes*
*Heſperiæ quondam qui tulit arma ferox.*
*O Tribus Anticyris caput inſanabile! Quantum*
*Auriculas Aſini Pſeudoſophiſta quatis!*
*Dux Abraham, Moſes, Ioſue, tot lumina mundi.*
*Non eſt, crede mihi, dedecus eſſe Ducem.*
*At vitiis coopertus erat, crudelis, & atrox,*
*Hoſtiles populans, fulminis inſtar, agros.*
*Mentiris: ſed vera tamen te dicere fingam.*

Non

*Non quod erat nunc eſt: ſurgere lapſa queunt.*
*Occidit, & rurſum exoritur Sol, ſydera, Mundus;*
*Alternantque ſuas Noxque, Dieſque vices.*
*Cur homines mutare nequit, qui tempora mutat?*
*Sæpe cutem ſerpens exuit, & ſenium.*
*O quoties tepidis tibi dormit* Paulus *in vlnis!*
*Ille tamen bellum mouit, & arma Deo.*
*Si tua non torpent ad Solem lumina*, Bubo,
*Quem tenebra errorum detinet, & ſcelerum;*
*Hoc lege, quod viuax* LOIOLÆ *clamat imago:*
*Hoc mihi pro clypeo diſtichon eſſe poteſt.*
*Miles eram vanis quondam celebratus in armis:*
*Militiæ factus Duxque, Caputque Sacræ.*

Innumera alia carmina, quæ hic tranſcribenda eſſent, ſi Codicis magnitudinem non timerem, aduerſus Hæreticorum fallacias, & inuidias congeſſit elegantiſſima idem *Carolus Scribanius*, quibus IGNATIVM, & eius SOCIETATEM defendit, & validiſſimis rationibus Patriarcham, & inſtitutum tutatur. Nunc ad aliorum carmina pergimus. Ioannes Baptiſta Maſculus *Lyricor. lib.* II. *per totum* XXXII. *Odes* ſcripſit. P. Emanuel Pimenta Luſitanus. *Tom.* I. *Poëmat. Sacr. lib.* II. agens de Confeſſoribus XXVII. *Epigrammata* concinnauit. Iacobus Bidermanus *lib.* 2. *Epigram.* 17. *fol.* 174. *& lib.* 1. *Epigramm.* 77. & 78. 81. 84. 92. & 93. Plura etiam ſcriptitauit *Bernardus Bauhuſius*, & cæteri complures. Eius ACTA ex R. P. Petro Ribadeneyra dabimus.

## *ACTA S. IGNATII LOYOLÆ Societatis Ieſu Patriarchæ, ex R. P. Petro de Ribadeneyra Societ. Ieſu.*

*Patria, natalis & genus.*

IGNATIVS *de* LOYOLA *parens, & fundator Societatis Ieſu natus eſt in ea* Hiſpaniæ *parte, quæ ad Pyreneum pertinet, &* Cantabria *nominatur, ſub Annum Chriſtianum* M. CCCC. XCI. *Parentes habuit de principe familia: Patrem* Bertrandum *virum illuſtrem,* Ognis, *&* Loyolæ *Dominum. Mater fuit* Maria Sone, *domo* Baldenſis, *claro genere, & nomine fœmina, ac nullis animi virtutibus marito impar. Emicabat in* IGNATIO *à pueritia eximia quædam iam tum indoles, animique, & ingenij vis magna. Sed vix morati parentes dùm infantiam exiret, eum præproperâ ſpe ad* Ferdinandi *Catholici Regiam dimittunt inter æquales liberaliter educandum.*

*Infantiæ ſtudium.*

*Hic omnibus aulæ diſciplinis inſtitutus, breui docuit, nihil ſe mediæ fortunæ paſſurum: cæpitque, vt primum vires erant, ardua velle, gloriam è claris facinoribus petere; inter primas curas militiam habere: eoque aſſiduis equitum velitationibus aſſueſcere. A quâ exercitatione, vel idcirco ſe omnibus præſtare aliis ſtudebat, vt vulgo notus eſſet, ac quondam heros indigitari poſſet. Verùm iuueni ad ingentia nitenti materies laudis, quæ adhuc defuerat, haut multo poſt, vbertim ſuppeditauit. Nam Anno Chriſti* M. D. XXI. *vbi percrebuit* Gallos *in armis eſſe, arcemque* Pampilonenſem *iam obſidionibus premere; quam operibus quoque machiniſque verberaturi timebantur:*

*Pampilonam Miles pergit.*

IGNATIVS *cum aliis eius tuendæ negotium accepit, tum deinde, cæteris difficultate rei perterritis, & quòd auxilia nuſquam ſperabat, de præſidio deducendo paciſcentibus; ſolus nimirùm interceſſit, & mutato omnes conſilio, ad mortem oppetendam prius, quàm flagitium conſciſcerent, induxit. Sed* Galli

*pertinacius*



*pertinacius agere, & ferreo telorum imbre in acem effuſo, incuſſoque maioris baliſtæ fulmine inſtiterunt præſidium quatere, vbi tandem muri labentis fragmen conuellitur. Ea moles* IGNATIO *propè aſſiſtenti, & egregie dimicanti, in læuum eius crus incubuit, quæ tibiam modice læſit; ita vt globus ipſe in dexteram illatus vltimè affecit.*

*In crure vulneratur.*

*Collabitur proinde* IGNATIVS, *quem vt afflictum vidére cæteri, animo quiſque confeſtim conficiuntur, ac proſtrato vno, omnes nullâ morâ ſeſe, arcemque hoſti dedunt. Loco in poteſtatem adducto, Galli* IGNATIVM *clementer acceptum, in ſua primùm contubernia perferunt; tùm interim cognito Viri genere, impensè ſtudent, quò ægritudine leuetur: demùm ſuccollantibus humeris in patriam illum reportant, obſequio vel in fratribus memorando. Ibi cùm perdiù in morbo cubaret, re ad ſummum vitæ diſcrimen adductâ, inſperatò propitium habuit Numen.*

*A S. Petro viſitatus ſanatur.*

*Ipſo enim Apoſtolorum Principum peruigilio, Beatus illum Petrus aſpectabili ore inuiſit; ac veluti medicâ manu ægritudinem deterſiſſet, fugientem iam è corpore animam retinere, morbique creſcentem pertinaciam flectere incæpit. Coluerat quippè hunc* IGNATIVS *principe ſtudio, tutelamque adoptarat. Cùm temporis fallendi gratiâ lecto affixus librum prophanum aliquem poſtulaſſet, duo ei libri traditi ſunt, quorum alter Chriſti Domini, alter Sanctorum vitas continebat. Eorum lectione tàm ardenter incenſus eſt, vt decreuerit mundum relinquere, Chriſti, & Sanctorum veſtigia ſequi.*

*Lectione librorum SS. conuertitur.*

*Enim verò hic ipſe aduerſarium habere, multa quibus cæptum deſiſteret, occurrere videt. Verum cœleſtia prætuere, & breui aduerſus illam cogitationum intemperiem debellatum eſt.*

NOCTE *quadam, quod ita iam eius conſuetudo ferebat, cubitu ſurgit, & in genua deiectus, preces Deiparæ Virgini facit, cuius tum icona coram ſpectabat. Hîc ingentis deſiderij plenus, Virginem, Virginiſque Filium adoritur, id vnum adnixus, vt apud eum ducem ſacramento dicere liceret, quippè mortalia prorſus abdicare, vnique illi auctoratus æternum mancipari iam cupiebat. Habuere momentum eæ preces: continuò ædes claris fragoribus exſonare, & cubiculum adeò impatienter moueri, vt vitrea eo concuſſu feneſtra ſe ruperit.*

*B. Virgo ei apparet.*

*At loci is tremor fuit, non* IGNATII, *quem erectiorem cætera, hic porrò metus etiamnum angebat, qui florem corporis aduerſus luxum de reliquo tueretur. Talibus curis anxium non deſtituere oculi cœleſtes; & Magna Virginum Regina pro* IGNATIO *in hanc formidinem pugnatura prodiit, cùm vigilanti illi ſe ſuumque in complexu Filium conſpicuos dedit. Quo repentè ſpectaculo mutatus, in promptu habuit, omnem deinde voluptatem conſtanter repudiare atque ab eo die, donec vixit, integritatem abſque næuo traducere. Vt verò melius macerationi corporis inhærere, Deoque perfectius ſeruire valeret, patriâ excedere placuit: quare profectionem inſtituit, in comitatu duorum famulorum ad Montem Serratum, celebri famâ locum, & religione nobilem.*

*Peregrinatur ad Montem Serratum.*

*Haud longè prouectus, ſeruitiis duobus ſe abdicat, cùm prius earum rerum, quas de veteri fortuna ſibi reliquas fecerat, partem iiſdem erogaſſet. Inde ſolus eſſe; atque toto itinere nullam adeò noctem agere, quâ in ſe ipſe flagris non animaduerteret. Idque iam tum ſalubriter inſtituit, quod poſtmodum ſuis æternum eſſet. Interim dùm pergit ſecum aſſiduè reputare, quibus eximiis ſtudiis Numen ſibi demereatur; ſubit, vota concipere, & primam corporis, animique puritatem, Chriſto, ac Virgini Matri nuncupare.*

*Caſtitatem vouet.*

*Igitur vt proximè eum Montem, de quo ſupra, adfuit, veſtimentum ſibi coëmit, nouè, maleque ſartum, quo priſtinum corporis ornatum mutaret. Id erat omne talaris pro tunica ſaccus, ſpartei pedum calcei, tum baltheum, funis, & hauſtum de veteri cucurbita, paupertina ſupellex, ac profectioni, quam in Palæſtinam moliebatur, idonea. Vix etiam dum in Montem Serratum ventum eſt, velut æger, ſalutis ſuæ percupidus, diligenter inprimis optimum, ac ſolertem animarum medicum perueſtigauit, cui culpas animæ ſuæ aperiret.*

*De tota vita confeſſionem inſtituit.*

*Nactus ergo Sacerdotem Religioſum, virum à ſanctitate celebrem, apud hunc tribus ipſis diebus totius anteactæ vitæ ſordes eluit magnâ diligentiâ, ingentique peccatorum dolore. Iumentum quô vectus erat Cœnobio reliquit, gladium verò,*

pugionemque, quibus mundo meruerat, ante B. Virginis aram, etholo ſuſpendendum curauit. Eâ ipsâ nocte, cui feſtus Angelicæ Salutationi dies illuxerat, quô Dei Verbum in vtero Sanctiſſimæ Matris noſtrâ ſe humanitate veſtiuit, Anno noſtræ ſalutis M. D. XXII. quàm occultiſſime potuit, ad hominem

*Veſtem pauperi dat.*

pauperem ſe contulit, cui veſtes omnes ad interulam exutas dedit, & optatum illum, quem antea mercatus fuerat corpori ſaccum induxit.

Hoc ornatus amictu nouus miles ante B Virginis aram pernoctauit, & ne qua illius fama vulgaretur, priuſquam diluceſſeret, inde digreſſus Manreſam tribus à Monte Serrato milliaribus diſsitam vrbem contendit, ibique ad Noſocomium S. Luciæ rectâ diuertit, vt cum cæteris mendicis quotidie precariò victum oſtiatim quæreret; talemque rationem iniuit, & duro quodam, vt auſtero genere vitæ corpus affligeret, ſenſus coërceret, & inaniſſimas earũ rerum, quæ memoriæ prius inhæſerant, imagines prorſus abſtergeret.

*Mendicus pro Chriſto efficitur.*

Obductus ergo illo ſacco, humo nudâ cubabat, noctes pænè ducebat inſomnes, præteritorumque peccatorum memoria magnam ei lachrymarum vim exprimebat, ſingulis diebus iterum, & tertio ſeſe flagellis acerrimè cædebat, flexiſque humi poplitibus orationem in ſeptenas horas magno animi ſenſu producebat. Matutino ſacrificio, Veſperarum, & Completorij officiis attentâ animi cogitatione intererat. Semel in die corpus reſiciebat, ſolo pane, & aquâ contentus, ad eum modũ ſingulis diebus ieiunabat, exceptis Dominicis, quibus obibat ſacra Confeſſionis, & Euchariſtiæ myſteria. Tanto denique ſtudio appetitiones animi domabat, eaſque rationis ſubiiciebat imperio, vt ſibi ſubtraheret illud omne quod corpus aliquo voluptatis ſenſu poſſet afficere. Quocircà licet optimã corporis conſtitutionẽ eſſet ei largita natura, hanc tamẽ tanta vitæ aſperitas, paucis diebus ita afflixit, vt magnã ei debilitatem attulerit.

*Scrupulis exagitatur.*

Neque tamen iſta dominandi corporis ratio tantùm vires eius extenuauit, quantùm animi ægritudo ſcrupulique fregerunt. Etenim quamuis omni curâ totius vitæ maculas ſacrâ Confeſſione deleuiſſet: Deus autem, qui ſic eum exercere decreuerat, ad eum penitùs expiandum, tantis animi moleſtiis exagitari permiſit, vt nec ab oratione leuamen, nec à vigiliis, ieiuniis, acerrimiſque flagellis, vel alio acerbitatis genere tanto vulneri remedium vllum acciperet. Quare legem hanc ſibi ſtatuit, ſeptem ipſos dies omni paſtu, atque potu ſeſe abſtinere, nihil interim de quotidiana Septem horarum oratione, nihil de trina verberatione, nihil de reliqua exercitatione remittens.

*Sed ab eis per orationem liberatur.*

Hinc Deo tandem viſum fuit, eum recreare, mentemque tàm nouâ, ac cœleſti luce perfundere, ita animum tranquillare, tamque admirabilem ei ſpirituum diſcretionem largiri, neminem vt tanta vexaret religionis anxietas, quem non ab eodem ipſe conſultus omni moleſtiâ liberaret. Nec illud modò ſingulare beneficiũ in eum Deus contulit ſed inſuper memorabile illud habetur; quod qui rebus fluxis ad id locorum impensè deditus, ac militiæ, quàm literaturæ ſcientior fuiſſet (nam huius præter rudimenta nihil attigerat) tanta rerum ſcientiâ pollere cæperit, quantam niſi de cœlo hauſtam, nemo crederet. Per eos dies Librum aſceticum aggreſſus eſt, qui Exercitiorum dicitur, lucubrare, arcanæ ſapientiæ feracem. Sed quia in ſe ipsũ erat durior, nec quidquã de ſolita acerbitate remittebat, immoderatis laboribus corporis, & perpetuis animi cõtẽtionibus victus, in grauẽ morbũ incidit, cui interea Ciues Manreſani omnia neceſſaria, magna charitate ſuppeditabãt.

*Ieroſolymam adire properat.*

In eo vitæ genere Ignatius annum penè Manreſæ commoratus conſtanter perſeuerauit. Sed quoniam Deus eum ad maiora deſtinarat, ex ea ſolitudine reuocauit, & adeundi Ieroſolymam ei mentem iniecit. Manresâ itaque diſceſſit ſolo Deo comitatus, ſicque Barcinonem contendit, ibique Templum ingreſſus ad audiendam concionem ſeſſum iuit in gradibus Altaris inter medios puerorum greges. Illic Eliſabetha Roſella nobilis mulier, vt noſtrum peregrinum adſpexit, neſcio quo fulgore os ei collucere ſibi viſa eſt, intueri; vocemque audire quâ illum iuberetur accerſere. Itaque peractâ concione, ſtatim vocandum curauit, & ad viri ſui prandium benignè adhibuit.

*Romam peruenit.*

Barcinone Caietam inde Romam ipſo Palmarum Dominico peruenit, ſtationes Vrbis, Auguſtaque, ac Sancta loca adiuit, atque Apoſtolicam benedictionem ab Adriano VI. Põt. Max.

accepit.



accepit. Diebus Quindecim Romæ peractis, Quiosâ Patauium abeunti, in æquata agri planitie Dominus Deus ei apparuit, eumque præſentiæ ſuæ ſuauitate recreauit, atque ad toleranda pro amore ſuò multò duriora erexit, facilem denique tùm Patauij, tùm Venetiis ingreſſum præbuit.

*Deus illi apparet.*

Hîc victum de more ſuo quærebat oſtiatim, & in publica S. Marci area noctem exigebat, quandò Senatorem è prima nobilitate ſuauiter quieſcentem in lectulo, cœleſtis eiuſmodi vox excitauit à ſomno: Quorſum tàm mollis, & exquiſitus accubitus? Domus adeò magnifica, & lauta? Interim dum Seruus meus pernoctat nudus, & pauper in publico? Tu pretioſo ſtratu decumbis; ille iacet in humo nudâ ſubdio. Hic ille ingenti metu perculſus, confeſtim è lecto ſe corripit, peregrinum quærit diligenter, deprehenſumque in area S. Marci humi cubantem, cùm eſſe ſentiret de quo vox illa monuerat, domum deduxit, ac perhonorificè liberaliterque tractauit.

*A Patritio Veneto Dei monitu quæritur.*

Sed cùm honores, & delicias huiuſmodi reſpueret, incidiſſetque in popularem quendam, ac veterem ſodalem ſuum, multis ab eo precibus rogatus, à lautiore hoſpitio ad eius conuictum ſe recepit. Haut longo interuallo ad Andream Grittum Venetorum Ducem acceſſit, ab eoque contendit, vti eius auctoritate, primâ nauigatione facultas ſibi tranſmittendi mare gratis concederetur. Annuit ille, præcepitque. vt prætoriâ naui, quâ nouus Gubernator vehebatur ſinè naulo in Cyprum tranſportaretur.

*Nauigat Ieroſolymam.*

Soluit igitur Pridie Idibus Iuliis, Anno M.D.XXIII. quo die æger medicinam hauſerat, quamuis ob hoc Medici manifeſtum ei vitæ diſcrimen denuntiarent, ſed ſuperioris Medici ductum ſecutus, breui inter nauigandum perfectam ſanitatem recuperauit. Multa, vt fit, flagitia in ea naui committebantur, quæ Noſter Peregrinus amore Dei vehementer incenſus, magnâ libertate reprehendebat, quod cùm vectoribus minus probaretur, de eo exponendo in deſerta quadam Inſula deliberarunt; verùm ad eam appropinquantes nautæ, aduerſo repentè vento, naui reiectâ, non potuerunt cogitata perficere.

*Cui Deus ſæpè in itinere fauet.*

In hac nauigatione Deus ſuæ præſentiæ ſuauitatem ei ſæpius impertiuit, eius animum ſpe roborauit, incredibili gaudio confirmauit, tandem Pridie Kalend. Septembris, ſaluum, & incolumem Ioppem inuexit, Ieroſolymamque ante diem XVIII. Kalendarum Octobris. Magis eſt cogitare quàm dicere, quantâ voluptate Deus eum perfuderit, cùm, primùm Sanctam illam Ciuitatem vidit; quantâ gratiâ in ea commorantem affecerit, quantam alacritatem attulerit;

*Loca ſancta ſingulari deuotione viſitat.*

cum ea loca venerabundus adiret, quæ Deus ſuâ præſentiâ conſecrauit, quantâ conſolatione permulſerit illius diuini beneficij memoria, quod nulla mens; aut cogitatio capere poſſit. Conſtituerat Ieroſolymis reliquum vitæ ſuæ tempus degere, hominumque ſaluti pro ſua virili tranſmittere. Re cùm Patre Franciſcano maturius deliberatâ; & multis vndique difficultatibus compertis, neceſſe habuit in Hiſpanias redire, & illud vitæ genus amplecti decreuit, quod Deus ſibi gratum, acceptumque monſtraret.

*In Italiam rediens ſola eius Nauicula ſaluatur.*

Cvm autem Peregrinus hic Noſter Ieroſolymis in Italiam rediret, vt adultâ hyeme omnia glacie, niuibuſque concreuerant. Interim lineâ duntaxat veſte, conciſoque ad humeros thorace, & tunicâ breuiore ſemiamictus; calceis pedibus indutis, cruribus nudis incedebat. Cùm tres porrò naues offendiſſet in Cypro velificari paratas, vnam Turcarum, Venetorum alteram, firmam illam, omnibuſque rebus egregie inſtructam; tertiam modicam; male coagmentatam, & vetuſtate carioſam. In hanc conſcendit Ignatius, propterea quòd Nauarchus Venetæ nauis eum propter egeſtatẽ repudiaſſet, addidiſſetque contumelioſè facetus: Si ſanctitas eius hominũ prædicationi reſponderet, calcaret pedibus freta ſi vellet, nihil eſſe metuendũ, nullũ vitæ diſcrimen aditurũ. Tres igitur illæ ſecundo quidem vento ſimul ſoluerunt, ſed præcipitante iam die, coorta eſt ſæua tempeſtas, quâ Turcicâ cum omnibus vectoribus, fluctibus hauſta periit. Veneta in conſpectu Cypri ad ſcopulum afflicta, ſaluis tamen hominibus confracta eſt. Sola poſtrema, quâ Seruus Dei traiiciebâtur Anno M. D. XXIV medio Ianuario Venetias incolumis tenuit. Hîc paucis diebus cùm reſtitiſſet, viæ ſe rurſum commiſit, vt in Hiſpaniam remigraret.

*Barcinone literas adiſcere cœpit.*

*Incidit in via in milites à quibus comprehenſus, vt explorator malè mulctatus, & vt fatuus irriſus eſt; ſed & pugnis, & calcibus hominem contuderunt vehementer, in media verberum acerbitate gaudentem. Tandem perículoſo, & infeſto pyratis mari Barcinonem reuectus, ſtudia amplectitur, vt ad diuinam gratiam literarum lumen accederet. Quodam die rediens ex Cœnobio Angelorum, hominem impulſu Dæmonis ex ædium ſuarum trabe laqueo ſuſpenſum audiuit, eò celeriter aduolauit, & pendentem ex infelici tigno reſtem abſcidit: ac tametſi de eius morte nemo dubitaret, humi tamen abiectus pro hominis ſalute Deum orare ſupplex inſtitit, hominemque vocauit, & ecce ita reſtitutus eſt ſenſibus, vt peccata ſua Sacerdoti confiteretur, ac tùm demùm animam, inferorum faucibus ereptam, Deo redderet. Ea res, conſideratis omnibus circumſtantiis, miraculi loco habita breui vniuerſam ciuitatem famâ compleuit. Barcinone biennium exegit ad ſtudia Grammaticæ intentus:*

*Complutum venit.*

*tùm verò de quorundam eruditorum hominum ſententiâ Complutenſem Academiam ad capeſſendas altiores diſciplinas petiuit. Sed cùm ſtudio charitatis arderet, & hominum non ſolùm animis, ſed etiam corporibus opitulandi deſiderio flagraret, nec continuis ſtudiorum laboribus fractus, nec oſtiatim mendicandi curâ debilitatus, eodem tempore pueris, aliiſque rudioribus fidei rudimenta tradebat, compluribuſque aliis per orationem, eſt meditationem virtutis viam monſtrabat. Hinc ob quorundam calumnias, vanaſque ſuſpiciones, duos & quadraginta ipſos dies in publica cuſtodia cum ſociis eſt habitus, à qua poſt diligentem inquiſitionem, vnà cum ſociis, vt innocens eſt abſolutus.*

*Vallíſoletū pergit.*

*Compluto* D. Alfonſum Fonſeca *Archiepiſcopum Toletanum Valliſoleti commorantem ſibi adeundum putauit. A quo perbenigne acceptus, operáque ſua, & ſuorum ad omne officium humanitatis prolixè delata, viatico inſuper inſtructus Salmanticam venit.*

*Inde Salmanticam.*

*Ibi nequaquam ſibi quieſcendum ratus, pro ſua conſuetudine cœpit animos hominum excitare, atque ad virtutem, & pietatem cohortari, quo factum eſt, vt paucis diebus eius fama adeò percrebuerit, vt religioſi quidam viri, metu periculi, reique nouitate, & populi concurſu, permoti, qui frequens ad eum audiendum ventitabat, ſimul etiam ne in ſanctitatis nomine malum aliquod occultum lateret, cui facile poſtmodum occurri non poſſet, pro ſuo charitatis ardore rem ad Vicarium detulerunt. Eorum ergo conſilio* IGNATIVS *vnà cum ſocio habetur in vinculis, & ferreâ catenâ bene longâ vterque ſimul ita conſtringitur, vt alter ſine altero neque progredi, neque loco mouere ſe poſſet. Verùm innocentia eorum cognita poſt duos & viginti dies, liberi & innocentes per ſententiam dimittuntur.*

*Pariſiis Magiſter artium creatur.*

DEINDE *per mediam Galliam, Deo duce ineunte Menſe Februario Anno* M. D. XXVIII. *ſaluus, & incolumis Lutetiam vſque penetrauit; ibique in Artibus Magiſter creatus, ſtudia Theologiæ proſequebatur ſingulari Dei ope adiutus, in ſingulos dies oſtiatim victum quæritabat, interim pœnitentiæ ſtudio corpus affligtabat ſuum, aſſiduoque labore proximum iuuandi, & ad omnem virtutem cohortandi amore ferebatur. Hinc natæ ſunt illi magnæ perſecutiones. Ex Scholaſticis enim ingenui quidam adoleſcentes, & ingenio ad virtutis laudem ſingulari, cùm nuntium rebus humanis remittere, & Euangelica ſectari conſilia ſtatuiſſent, ſermonibus exempliſque B. Patris inducti, facultatibus in egentes diſtributis, in hoſpitali domo diuerſabantur, & mendicorum more victum oſtiatim rogabant.*

*Labores, & perſecutiones apud Pariſios.*

*Ea res grauiſſimos Academiâ totâ motus excitauit, magnoque erat in odio parentum* IGNATIVS, *quo fonte genus hoc vitæ manaſſe ſibi perſuaſerant, quam inſaniam æſtimabant. Quare in Gymmaſio* S. Barbaræ, *in quo ſtudiis artium operam dabat, crudelis ei, & publicæ verberationis terror iniectus eſt, propterea quòd ſodalibus ſuis auctor fuiſſet ad frequētanda ſacramenta, Deum feſtis diebus ſupplicatione placandum. Quamuis autem ſurgentis huius in ſeſe machinationis maturè fuiſſet admonitus, Collegij tamen fores occluſæ cum eſſent, ære campano ſignum datum, magiſtri virgis armati, frequentiſſimique diſcipuli adſpectaculum adeſſent, ita præſentiam animi retinuit, vt neque titubaret, neque*





*ſe in latebris abderet, neque vllam timoris ſignificationem daret. Verùm ne imminueretur Dei gloria, ne quâ virtus ignorantiæ labe notaretur, ne vè plantæ nouellæ, atque floreſcentes radicitus, eâ tempeſtate, vellerentur, Gymnaſiarcham adiuit, ſuamque apud eum ſapienter, ac liberè cauſam egit. Afferebat ille quidem, quod in ſe erat promptam, & paratam ſubeundæ propter Chriſtum pœnæ voluntatem; ex altera tamen parte vehementer ſe dolere aiebat, iacturam eorum, quorum animis igniculi virtutum nuper inſiti nondum adoleuiſſent, ſi propterea quod iis colendæ pietatis auctor eſſet, virgis cæderetur. Quâ oratione ita Gymnaſij Moderatoris flexit animum, vt ille cœnaculum ingreſſus omnium expectationem falleret, & cui ſupplicium parabatur, ſupplex ab eo errati veniam poſceret, qui ita affectus eſſet, vt in aliorum ſalutē curandâ Dei ſolius honorem quæreret, ſuum negligeret.*

*Socios Pariſiis colligit; qui cum eo vota edunt.*

*Quoniam verò in eam curam totâ mente incumbebat Pater Beatus, vt auditores, & adminiſtros curandæ ſalutis animorum ſibi adiungeret, nihil ei fuit antiquius, quàm vt aliquos adoleſcentes aptos ad hoc munus, & bene moratos eiuſdem propoſiti ſocios ſibi adiungeret. Lutetiæ igitur decem inſignes viros ſuâ cohortatione, & ſingulari zelo mouit, quos in ſocios piorum laborum, ac ſanctæ vitæ aſciuit. Qui omnes* XV III. *Kalend. Septembris, quo die* Aſſumptionis Dei paræ *memoria celebratur, confeſſione peccatorum expiatis animis, ſumptoque pane cæleſti, in æde ſuburbana Montis Martyrum obſtrinxere ſe voto ſinguli res humanas abdicandi ad conſtitutam diem, & in perpetua paupertate ſeruiendi ſaluti proximorum, nominatim autem nauigandi Ieroſolymam, ſi quidem Venetiis intra anni ſpatium ſoluendi, vel poſteaquam eò traieciſſent, ibidem commorandi facultas eſſet, ſin minus Romam adirent, & Pontifici Maximo ſuam operam impenſè ad auxilium Eccleſiæ, proximique deferrent. His rebus ita conſtitutis, ſociis, emenſo ſtudiorum curriculo, Venetias iter indixit, vt eorum quorundam confectis in* Hiſpania, *aliiſque viis, negotiis, inde rediens illos ibidem ipſe præſtolaretur.*

*Hiſpaniam repedat.*

ITAQVE *Pariſiis diſceſſit in patriam, quò cum perueniſſet, plebem Chriſtianæ doctrinæ rudimentis imbuere, ſacraſque conciones ad populum habere inſtitit, tantâ frequentiâ, vt Templorum excluſis anguſtiis in agrum prodire cogeretur, multique arbores ad eum facilius audiendum, videndumque occuparent.*

*Vbi miracula patrat.*

*In hiſce Sedibus Baſtidium quendam nomine, multis annis comitiali morbo laborantem curauit: Duas item fœminas, vnam quidem nobilem, quam exulcerati pulmones, tuſſis, macies, phtiſiſque extenuabat: alteram quam ſpatio quatuor annorum ſpiritus malignus afflarat, aliaque mirabilia prodigiorum loco habita, diuinâ virtute perfecit.*

*Venetiis conuenit cum Sociis.*

*Ex* Hiſpania *Venetias tenuit, quò etiam Lutetiâ ſocij appulerunt, qui mox in ædes hoſpitales dimiſſi, ſui in pauperum obſequiis experiundi, tantiſper dùm dies Romanæ profectioni conſtitueretur. Ea vbi appetiit, vnà omnes accinxerunt ſe ſe cum extrema rurſus inopia congreſſuri. Nam pedeſtris itineris difficultas, tum quærendâ ſtipe, tùm perpetuo ieiunio haut modice creſcebat. Romæ apud Pontificem Paulum III. oratâ in Palæſtinam tranſmittendi copiâ, eâque datâ cum lætis apprecationibus digreſſi, denuò inter vltimam egeſtatem Venetias reuertuntur, vbi eos* IGNATIVS *opperiebatur.*

*Sacerdotes initiantur.*

*Hîc ad Natalem B. Baptiſtæ Sacerdotes facti, qui nondum fuerant, & corporis prius caſtimoniam, vitæque paupertatem, votis apud Legatum Pontificium editis, ſunt profeſſi. Poſt ergo quam nulla ſe nauigandi in Palæſtinam ſpes oſtenderat, abiecto tamen expeditionis tranſmarinæ conſilio; ad Italiæ frequentiſſimas quaſque Academias conuertuntur. In ea ſortione obuenit* IGNATIO *cum duobus Petro Fabro, & Iacob Layenez ſociis, Roma Prouincia. Proximè vrbem, ſociis fortè ſubſiſtentibus, vſuuenit vt ſolus in ædiculam deſertam ſecederet: Ibi cùm in precibus animus vehementer exarſiſſet, cœleſti quadam voluptate raptus, vidit ilicò, audiitque rem mirificè iucundam.*

*Chriſtus ei apparet, & auxilium ſpondet.*

*Pater enim Æternus coruſcâ nube circumfuſus, Chriſto filio aſſiſtenti, crucemque in humeros geſtanti,* IGNATIVM, *ac ſocios ſuauiſſimè commendabat, eique illos ſingulatim velut emancipatos*

cupiebat. Viſus eſt annuere parenti filius, atque eos in clientelam recipere ſe ſe oſtendit: mox vnà cum Cruce ad IGNATIVM conuerſus, ore ſuauitatis, & amoris pleno, dixit: EGO vobis Romæ propitius ero. Attulit id oſtentum IGNATIO haut dubiam vim gaudiorum, quo etiam ſociis commemorato, illis ad pericula, laboreſque obeundos, noua, quod par erat alacritas inceſſit. Ex eo die mirum eſt, quam inhæſerit animo Nomen IESV. Illûc IGNACIVS vt in ducem vitæ, illuc aſſiduè vt in exemplum ferendæ Crucis adſpicere, indidem Religioni ſuæ conſtituit titulum figere. Nec repugnauit illius deſiderio Paulus III. Pont. Max. ſed eam breui poſt SOCIETATEM IESV inſcripſit eamque, excuſſis calumniis, diligenterque per Cardinales re examinatâ, ipſis Natalibus SS. Coſmæ, & Damiani Anno Domini M. D. XLV. Kalendis Octobris confirmauit. Quam confirmationem Anno demum M. D. XLVI. renouauit, omni hominum, & temporum definitione ſublatâ. Quod ipſum Anno M. D. L. Iulius III. Pont. Max. & deinceps reliqui Pontifices ad hoc vſque tempus cumulatè præſtiterunt, nouis quinimò gratiis SOCIETATEM auxerunt, & beneficiis ornauerunt, vt eorum diplomata teſtantur.

*Occaſio Nominis Societatis IESV.*

*Societatis confirmatio.*

AD eum modum SOCIETATE confirmatâ, primi eius Commilitones, qui in Italia reſtiterant ad creandum Præpoſitum Generalem Romam conuenere, cæteri literas ſuæ voluntatis indices remiſerunt. Atque eo conuentu communibus ſuffragiis, & vnà omnium conſenſione Præpoſitus Generalis IGNATIVS eſt deſignatus. Sed ille quâ erat animi demiſſione, ne SOCIETATI regendæ præficeretur, pro ſuâ virili pugnauit, ne ſuis humeris onus imponeretur cui ſuccumberet, & quod ſine detrimento SOCIETATIS ferre non poſſet. Nihilominus conſtantibus Patrum votis, & ſuffragiis, conſilio Confeſſarij victus IGNATIVS ceruices iugo ſubiecit, quod Deus ei imponebat. Itaque eodem Anno M.D.LI. die X. Kalendas Maij, Vrbis Romæ celebriora Templa, & ſtationes adiuit Patribus comitatus, tribuſque adoleſcentibus adiectis, atque in Æde B. Pauli rem diuinam fecit. Inter quam Tria Religionis Vota nuncupauit, Quartumque adiunxit, quo Romano Pontifici in obeundis quocunque terrarum miſſionibus fidem obſtringeret. Cæteri deinde ſacrum Domini Corpus ab eius manu ſumpſerunt, cùm ſe iiſdem votis ad pedes eius obligaſſent, omnium animi tantâ cæleſtium voluptatum irroratione perfuſis, vt lachrymantibus oculis ſummas Deo gratias agerent, qui ad felicem exitum perduxiſſet, confirmaſſetque quod operatus fuerat in ipſis. Ex eo tempore ſtetit ordo SOCIETATIS ab Apoſtolicâ Sede confirmatus, atque ad maiorem Dei gloriam, vtilitatemque Eccleſiæ, tùm Religioſos votis illigatos, tùm caput à quo gubernaretur habuit. Factus Generalis Præpoſitus IGNATIVS tale ſui muneris duxit exordium: poſtridie ſurrexit benè mane de lecto, & à ſomno reliquos excitauit. Nam aſſiduam ſuorum curam gerere ſuarum partium exiſtimabat, efficiendumque vt ſuum munus quiſque præſtaret. Atque, vt quo ſublimiorem dignitatis gradum aſcenderat, eo magis etiam ſe ſe demitteret: culinam ingreſſus in eius officiis, multis ſe diebus exercuit, tantâque alacritate ad alia viliſſima quæque miniſteria domus acceſſit, vt ea tractare tanquam Nouitius videretur. Doctrinam deinde Chriſtianam tradere aggreſſus, eiuſque rudimentis in æde Societatis puerorum animos, atque ignaræ plebis imbuere XLVI. ipſos dies in expoſitione Mandatorum ſymboli, cæterorumque fidei noſtræ myſteriorum continenter poſuit. Huc accedebat labor nouellæ Societatis radices altius figendi, totoque Orbe propagandi; ad hæc Deus qui eum nec opinantem ad tale opus delegerat, tantam ei gratiarum copiam largitus eſt, vt quidquid ſuſciperet, abſolutum illicò, perfectumque iri, certum videretur. Tantum quippe valuit eius virtus, & induſtria, vt ab Apoſtolica Sede confirmata Societas, quod eſt omnino mirabile, minimis initiis ita creuerit, vt vnius anni ſpatio, cancellis ſuis egreſſa, ſe ſe in Galliam, Italiam, Germaniam, Hiſpaniam, Luſitaniam, Hiberniam, Indiamque Occidentalem effunderet. Præfuit IGNATIVS Societati annos integros Quatuordecim, Menſes Tres, Dies Nouem, à X. Kalendas Maij Anni Domini M. D. XLI. vſque ad Pridie Kalendas

*Præpoſitus Generalis I. inuitus deſignatur.*

*Vota ab eo, & ſociis nuncupata.*

*Quid in munere cœperit agere.*

*Mirè propagatur Societas.*

Auguſti



Auguſti Anni M.D.LVI. quo die diſceſſit è vita. Hoc interim ſpatio nunquam Româ niſi bis abfuit, ſemel cùm in Regnum Campanum profectus: iterum cùm Ozuietam, vt ad Paulum III. Pont. Max. de grauiſſimis negotiis referret. Interim in hac cura verſatus eſt, vt ſtabiliret, & gubernaret ipſemet Romanam domum, quæ eſſet Mater cæterarum, vnde ſocios in varias partes mitteret concionandi gratiâ; iis præceptis inſtructos, quorum normam, ac regulam ſecuti, digne Chriſti miniſterio fungerentur. Multaque alia negotia Romæ direxit, quibus Dei gloria tueretur, & ſalus multarum animarum promoueretur. Præter has occupationes, quæ multos etiam benè ſanos defatigaſſent, accipiebat quotidie litteras ex omnibus Orbis partibus, à Principibus, omniſque generis Optimatibus, quibus alius preces, alius conſilia, alius eius induſtriam ſuis in negotiis expoſcebat: multi item pro beneficiis, & labore filiorum acceptis, gratulabantur: mitto cætera quibus proculdubio fractus, debilitatuſque ſuccumberet, niſi Dei ope ſuſtentaretur, qui ita leuabat IGNATIVM, vt quo eſſet infirmior, inque onere tam graui, quo magis humano eſſet auxilio deſtitutus, eò maiorem præferret alacritatem, Deique virtus magis in eius infirmitate clareſceret. Denique B. Pater animi virtute corporis debilitatē ſubleuabat, huius vitæ labores patienter ferebat, ex vnius diuinæ nutu voluntatis ſuam pendere deſiderans. Sed quamuis ita ſe res haberet, tantâ tamen cupiditate Dei videndi, fruendique ardebat, vt nunquam de morte ſine lachrymis gaudio fluentibus cogitaret.

*Occupationes Ignatij Romæ.*

*Mortem cum lachrymis deſiderat.*

QVAMOBREM ingraueſcente iam ætate, morbis oppreſſus, turbulentis Eccleſiæ temporibus afflictus, Chriſtique intuendi deſiderio, gemebundus eum obſecrauit, vt huius vitæ exilio liberatus, eò migrare ſibi liceret, vbi liberiùs laudes eius decantaret, beatoque conſpectu frueretur. Nec irritas fuiſſe preces haut dubio intellexit; vnde cùm diem ſibi extremum aduentare certò haberet, animum Confeſſione expiauit, & cæleſtibus epulis refecit; quod ei ſolemne erat, quoties rem ipſam diuinam facere non poſſet. Deinde III. Kalendas Auguſti ſub veſperam Ioannem Polancum, quo in ſcribendis literis vſus erat administro, tale nihil opinantem aduocauit, eique animo tranquillo obitum ſibi inſtare prædixit: quamobrem ſuo nomine Summum Pontificem mature adiret, ab eoque poſt religioſa pedum oſcula, fauſtam ſibi precationem, peccatorumque indulgentiam impetraret, quo lætior, & ſecurior migraret è corpore: Eam verò S. Pontifex admodum libenter, magnâque ſignificatione tùm amoris, tùm doloris impartiuit. Itaque proſtridie manè, primâ ab ortu ſolis horâ, Pridie Kalendas Auguſti, Anno M. D. LVI. feriâ Hebdomadæ Secundâ, ſublatis manibus, ſereno vultu, oculis in cœlo defixis, voce, menteque appellato IESV præclariſſimo Nomine, animam ſuam reddidit creatori: Ætatis agebat cùm diſceſſit Annum LXV. à conuerſione XXXV. quos in extrema paupertate, pœnitentiâ, peregrinationibus, litterarum ſtudiis, vexationibus, vinculis, compedibus, laboribus, ærumniſque traduxit, quæ omnia pro Chriſto ſummâ lætitia, animique magnitudine pertulit. Luxit Romana Ciuitas vniuerſa S. Viri mortem, ſed eius inprimis filij, qui Romæ tunc erant. Eius Corpus in Templo Societatis S. MARIÆ de Strata ad dexteram Aræ ſummæ humili ſepulchro mandatum eſt. Donec poſtmodum honorifice tranſlatum Die XVIII. Kalendis Decembris, Anno M. D. LXXXVII. vt infra dicetur, ibidem quieſcit, & pluribus miraculis ſplendet, quibus Sedes Apoſtolica permota, Gregorio XV. Pont. Max. diſponente, IGNATIVM in Sanctorum numerum retulit XII. Martij, Anno Domini M. DC. XXII.

*Ad mortem ſe præparat.*

*Moritur.*

*Sepelitur.*

*Canonizatur.*

Hactenus S. Patriarchæ ACTA, quorum ſi copioſiorem relationem perlegere deſiderat deuotus adeat R. P. *Petrum Ribadeneyra* in Vita prolixiori ab eo deſcripta, *P. Gaſparem Quartemont*, & *Iacobum Bidermannum*; breuiori R. P. *Heribertum Roſueydum*, & D. *Vuierum Tenhaëff.* Calcarienſem S. T. L. & alios. Apud quos multa ſcitu digniſſima reperiuntur. Hîc ex more *propagationem* huius *Societatis* referemus, vt quantum ex homine Hiſpano Orbi decus enatum fuerit demireris.

CATA-

# *CATALOGVS PROVINCIARVM, Domuum, Collegiorum, Seminariorum, & Reſidentiarum toto Orbe ex Societatis* IESV *Religione à S. Ignatio fundatâ diſperſarum, & notarum.*

Italia. ITALIA.

*Hæc habet Prouincias VI. huiuſmodi.*

I. ROMANA I.

Româ. Collegia VII.
I. *Romanum.*
II. *Pœnitentiariorum.*
III. *Germanorum.*
IV. *Anglorum.*
V. *Græcorum.*
VI. *Maronitarum.*
VII. *Scothorum.*
*Domus Profeſſa.*
*Domus Tyronum.*
*Seminarium.*
Tuſculi. *Reſidentia.*
Tyburi. *Collegium.*
Laureto. { *Collegium Lauretanum.* / *Collegium Sclauonum.* }
Peruſij.
Florentiâ.
Senâ.
Mazeratâ.
Ricineto.
Sezza.
Anconâ.
Monſancto.
Monte-Peſulano.
Firmij.
Ciuitate Caſtelli.
Aſculi.
Sorâ.
Spoleto.
Viterbo.
Interamnâ.
Camarino.
} *Collegia.*
Gruieto. *Reſidentia.*
Herminij. *Reſidentia.*

II. SICVLA OCCIDENTALIS. II.

Panormij ſunt.
*Domus Profeſſa.*
*Domus Tyronum.*
*Collegium.*
Monte Regali. *Collegium.*
Viuone. *Collegium.*
Drapano. *Collegium.*
Lylibæi. *Collegium.*
Caltanyſcâ. *Collegium.*
Sciacca. *Collegium.*
Agrigento. *Collegium.*
Ennâ. *Collegium.*
Himerâ *Collegium.*

III. SICVLA ORIENTALIS III.

Meſſanæ *ſunt.*
Domus *Profeſſa.*
Domus *Tyronum.*
*Collegium.*
Syracuſis.
Cathaniæ.
Caltagirone.
Mineo.
Melitâ.
Foro Allieni.
Affinaro.
} *Collegia.*

IV. NEAPOLITANA. IV.

Neapolis *habet.*
*Domum Profeſſam.*
*Collegium Neapolitanum.*
*Collegium* S. IGNATII.
*Collegium S. Franciſci Xauerij.*
*Collegium S. Ioſeph.*
*Domum Tyronum.*
Catanzaro.
Nolæ.
Rhegij.
Aletij.
Barij.
Salernij.
Conſentiæ.
Baruli.
Theateâ.
Aquilâ.
Beneuenti.
Atrij.
Bouiniaco.
Poſtropæâ.
Voltumnæ.
Volturno.
Capuæ.
Monteferetro.
Napitiæ.
Monte-Leccæ.
} *Collegia.*

Tridentino.



Tridento. *Collegium.*
Paulâ. *Reſidentiam.*

V. MEDIOLANENSIS. V.

Mediolani *habet.*
*Domum Profeſſam.*
*Collegium Breranum.*
Genua *habet.*
*Domum Profeſſam.*
*Domum Tyronum.*
*Collegium.*
Turonij.
Comij.
Bercellis.
Mondeuij.
Cremonæ.
Laro.
Baſti.
Niceæ.
Alexandriæ.
Caſtro-Nouo.
Nouariæ.
Iſſu.
Sauo.
} *Collegia.*
Patauij. *Reſidentiam.*
Pinarolij. *Reſidentiam.*
Vandoli. *Reſidentiam.*
Ponte. *Reſidentiam.*

VI. VENETA. VI.

Venetiis. *Domum Profeſſam.*
Paduæ. *Collegium.*
Ferrariæ. *Collegium.*
Bononiæ. *Collegium.*
Brixiæ. *Collegium.*
Foro-Liuij. *Collegium.*
Mutinæ. *Collegium.*
Parmæ. { *Collegium Parmenſe.* / *Collegium Nobilium.* }
Placentiæ.
Veronâ.
Mantuæ.
Ocelis.
Immolæ.
Mirandulæ.
Rearij.
Fauentiæ.
Caſtellum.
Rabbenis.
} *Collegia.*
Candiæ. *Reſidentiam.*
Vicentâ. *Collegium.*
Caſuento. *Domum Profeſſam.*
Carpis. *Reſidentiam.*

Hiſpania. HISPANIA.

*Habet Prouincias* V. *extra* Portugalliam, *quæ cum Orientali India conſignatur.*



I. TOLETANA. I.

Toleti *ſunt.*
*Domus Profeſſa.*
*Collegium S. Eugenij.*
Madridij. *Domus Profeſſa.*
*Collegium Imperiale.*
*Domus Probationis.*
*Collegium Anglicanum.*
*Collegium Scothorum.*
Compluti.
Olcadibus.
Placentiæ.
Conchâ.
Bellomonti.
Bigaſtro.
Carauaccâ.
Securæ.
Huetè.
Talabricâ.
Oropeſsâ.
Almagrij.
S. Clementi.
Almonacidij.
Villaregij.
Naualcarnerij.
Ieſu Monte.
Guadalfajaræ.
Pax Auguſtæ.
Lerenæ.
Turre Iuliâ.
Caſtro-Cereris.
} *Collegia.*
Aymeliæ. *Reſidentia.*
Alcarazij. *Reſidentia.*

II. CASTELLANA. II.

Valleſoleti *ſunt ſequentia.*
*Collegium S. Ignatij.*
*Collegium S. Ambroſij.*
*Collegium Anglicanum.*
Salmanticæ. *Collegium Salmantin.*
*Collegium Ibernorum.*
Burgis *Collegium.*
Metinæ. *Collegium.*
Segobiæ. *Collegium.*
Abulæ. *Collegium.*
Pallentiæ. *Collegium.*
Compoſtellę. { *Collegium.* / *Collegiū Ibernorum.* }
Pampilona. *Collegium.*
Legione. *Collegium.*
Lucronij *Collegium.*
Oueto. *Collegium.*
Numantiæ. *Collegium.*
Santarenij. *Collegium.*
Monte Regio. *Collegium.*
Monte forti. *Collegium.*

Areuali.
Vergaræ.
Tudelæ.
Bilbaô.
Bellemarij.
Villâ-Francâ.
S. Sebatianô.
Auriâ.
Taurij.
} *Collegia.*

Villâ Garſiæ. *Domus Probationis.*
Azcoitâ. *Reſidentia.*
Vxamâ. *Reſidentiâ.*

III. ARAGONENSIS. III.

Valentiæ. *Domus Profeſſa.*
*Collegium Valentinum.*

Barcinone.
Cæſaraugustæ.
Maioricâ.
Gerundæ.
Gandiæ.
Bilbili.
Turyaſone.
Vrgellæ.
Oſchæ.
Ilerdæ.
Perpinianij.
Athanagriæ.
Vicco.
} *Collegia.*

Tarracone. *Domus Probationis.*
Segobricâ. *Collegium.*
Derthusâ. *Reſidentia.*
Illici. *Reſidentia.*
Iaccâ. *Reſidentia.*

IV. BÆTICA IV.

Hiſpali *ſunt ſequentia*
*Collegium Hiſpalenſe.*
*Collegium* S. MARIÆ.
*Domus Profeſſa.*
*Domus probationis.*
*Seminarium Anglorum.*
*Seminarium Ibernorum.*

Triguerij.
Gadirâ.
Marciæ.
Cordubæ.
Iliberi.
Beatiæ. *Collegium.*
} *Collegia.*
*Domus Probationis.*

Malacâ.
Aſtâ.
Cazorlæ.
Vbetâ.
Aſtigi.
Acci.
Nertobrigæ.
} *Collegia.*

Montillæ.
Carmone.
Antiquariâ.
Vrſaone.
Illiturgi.
Vtriculæ.
Mauronij.
} *Collegia.*

Giennij. *Reſidentia.*
Lucento. *Reſidentia.*
Fano Luciferi. *Collegium.*
Aſtapâ. *Collegium.*

V. SARDINIÆ. V.

Saſſari. *Domus Profeſſa.*
*Collegium Saſſaritanum.*
*Seminarium S. Antonij.*
Calari. *Domus Profeſſa.*
*Domus Probationis.*
*Collegium Calaritanum.*
*Seminarium Calaritanum.*
Eccleſiis. *Collegium.*
Algueri. *Collegium.*

INDIA OCCIDENTALIS. *India Occidentalis.*

*Quæ cum* Hiſpania *computatur, habet Prouincias V. & Vice prouinciam I.*

I. PERVANA I.

Limæ *ſunt ſequentia.*
*Collegium Limenſe.*
*Domus Probationis.*
*Seminarium.*
*Reſidentia S. Iacobi.*
Arichippâ. *Collegium.*
Cuzchij. *Collegium.*
*Seminarium.*
Potoſij. *Collegium.*
Chuchiſaccâ. *Collegium.*
*Seminarium.*
Ciuitate Pacis. *Collegium.*
Guamangâ. *Collegium.*
Iulij. *Reſidentia.*
S. Cruce Serrenſi. *Reſidentia.*
Orurô. *Collegium.*
Piſchij. *Collegium.*
Callaô. *Collegium.*
Truxillij. *Collegium.*

II. NOVI REGNI GRANATÆ. II.

S. Fide *ſunt hæc quæ ſequuntur.*
*Collegium S. Fidei.*
*Seminarium S. Bartholomæi.*
Quitô *ſunt ſequentia.*
*Collegium Quitenſe.*
*Domus Probationis,*
*Seminarium.*

Carthagine.



Carthagine. *Collegium.*
Tunge. *Domus Probationis.*
Pampilonæ. *Collegium.*
Pannamâ. *Reſidentia.*
Caxicâ. *Reſidentia.*
Duythamâ. *Reſidentia.*
S. Annâ. *Reſidentia.*
Vndâ. *Reſidentia.*

III. MEXICANA. III.

Mexicô *ſunt ſequentia.*
*Domus Profeſſa.*
*Collegium.*
*Domus Probationis.*
*Seminarium.*
Guaxacâ. *Collegium.*
Guadalſaxaræ. *Collegium.*
Angeliopolis. *Collegium. S. Ildefonſi.*
*Collegium S. Spiritus.*
*Seminarium.*

Valleſoletô.
Pazquarij.
Topozotlanij.
Guatimalâ.
Zachatechiis.
Emeritâ.
S. Ludouico Potoſi.
Queretarij.
Realexij.
} *Collegia.*

Verâ Cruce. *Reſidentia.*

Zinaloæ.
Guadianæ.
Nouâ Granatâ.
Maij.
Tepeguaniis.
Topiæ.
Santandreſij.
} *Reſidentiæ.*

IV. PHILIPINARVM. IV.

Manillæ *ſunt ſequentia.*
*Collegium. Manillenſe.*
*Seminarium.*
Zebû. *Collegium.*
Ciuitate S.Petri. *Domus Probationis.*
Antopolis. *Reſidentia.*
Taytaij. *Reſidentia.*
Boolij. *Reſidentia.*
Dulacij. *Reſidentia.*
Cariagaræ. *Reſidentia.*
Tinagone. *Reſidentia.*

V. PARAQVARIENSIS. V.

Cordubæ *ſunt ſequentia.*
*Collegium. Cordubenſe,*
*Domus Probationis.*
Ciuitate Aſſumptionis. *Collegium.*
Ciuitate S. Michaelis. *Collegium.*

Tucumane. *Collegium.*
Ciuitate Boni aeris. *Collegium.*
Ciuitate S. Fidei. *Collegium.*
Ciuitate S.Iacobi Sterij. *Collegium.*
Stechij. *Collegium.*

CHILENSIS Vice-Prouincia. I. *I. Vice Prouincia I.*

Chile. *Collegium.*
Ciuitate Conceptionis. *Collegium.*
Mendozæ. *Collegium.*
Valle Vulcani. *Domus Probationis.*

PORTVGALLIA. *Portugallia, & India Orientalis.*

*Hæc cum* India Orientali *habet. Prouincias V. & Vice-Prouincias II.*

I. PORTVGALENSIS. I.

Olyſipone *ſunt ſequentia.*
*Collegium S. Antonij.*
*Domus Profeſſa.*
*Domus Probationis.*
*Seminarium Ibernorum.*
Conimbricâ. *Collegium.*
Eborâ. *Collegium.*
Oppido Purificationis. *Collegium.*

Portucallenſi.
Braccaræ.
Bragantiæ.
Ad Pharum.
} *Collegia.*

Villâ Vitioſâ. *Domus Profeſſa.*

Scalabi.
Funchalij.
Angræ.
Oppido S.Michaëlis.
Portu alacri.
Eluiis.
} *Collegia.*

Oppido S.Felicis. *Reſidentia.*
Canalij. *Reſidentia.*
Angolæ. *Collegium.*
Maſanganij. *Reſidentia.*
Congij. *Collegium.*
Inſulis Heſperidum. *Reſidentia.*

II. GOANA IN INDIA Orientali II.

Goæ *ſunt ſequentia.*
*Collegium. Vetus S. Pauli.*
*Collegium Nouum S. Pauli.*
*Domus Profeſſa.*
*Domus Probationis.*
*Noſocomium SS. Regum.*
*Seminarium S. Fidei.*
Salſetij. *Collegiũ cum XIX. Reſident.*
Chaulij. *Collegium.*



Thanaâ.

Thanaâ. *Collegiũ cum III Reſident.*
Bazaimij. *Collegiũ cum IV. Reſident.*
Damamij *Collegium.*
Mozãbichij. *Collegiũ cũ VI. Reſidẽt.*
Taraporij. *Reſidentia.*
Dij. *Collegium.*
Æthyopicâ *Miſſio cum IV. Reſident.*
Mogorij. *Reſidentia.*
Bandorâ. *Reſidentia.*

III. MALABARICA. III.

Cochinij *ſunt ſequentes.*
*Domus Probationis.*
*Collegium cum V. Reſident.*
Oppido S. Iacobi. *Reſidentia.*
Oppido S. Andreæ. *Reſidentia.*
Calecutij. *Reſidentia.*
Tanorij. *Reſidentia.*
Cangranore. *Collegium.*
Vaipichotæ. *Seminarium.*
Palippore. *Reſidentia.*
Coulane. *Collegium.*
Piſchariæ. *Collegium.*
Tuchurimij. *Reſidentia.*
Columbi. *Collegium cum VII. Reſid.*
Nagapatamij. *Collegium.*
Oppidũ S. Thom. *Colleg cũ IV. Reſid.*
Pegù.
Bengalæ.
Malacâ. } *Collegia.*
Ternatè. *Reſidentia.*
Malucis.
Madurè.
Golinij.
Manarij.
Lauanapathanij.
Oppido S. Michaëlis.
Inſulâ Mauri.
Inſula Siaoënſi.
Laphanapatæ. } *Reſidentiæ.*

IV. XAPPONENSIS. IV.

Nangaſachij *ſunt ſequentia.*
*Collegium.*
*Domus Probationis.*
*Reſidentia Xenodochij.*
*Domus Miſericordiæ.*
Arimæ. *Collegium Arimenſe.*
*Seminarium.*
Meacô. *Collegium.*
Macaô. *Collegium.*
Vracami.
Tonij.
Fudoyamæ.
Iſſaphaij.
Xichij.
Cochuræ. } *Reſidentiæ.*
Norzû.
Ozachæ.
Firoximæ.
Iacathæ.
Aariyæ.
Conzzuræ.
Facathæ.
Amaguij.
Ianagauæ.
Bungi.
Xingæ.
Fugimij.
Saccaij.
Foccocû. } *Reſidentiæ.*

V. BRASILIENSIS. V.

Baiæ *ſunt* Collegiũ, *&* Reſidentiæ *ſequentes.*
*S. Spiritus.*
*S. Ioannis.*
*S. Antonij.*
*S. Sebaſtiani.*
S. V. MARIÆ.
Portu-Securo. *Collegium.*
Ilhæis. *Collegium.*
Pernambucci. Collegiũ, *&* Reſid.
*Conceptionis.*
*S. Andreæ.*
*S. Michaëlis.*
*S. Ioannis Baptiſtæ.*
*Maragnenſis.*
*Arrecifenſis.*
Flumine Ian. Colleg. *&* hæ *Reſid.*
*S. Barnabæ.*
*S. Spiritus.*
*S. Ignatij.*
*S. V. Aſſumptæ.*
*Sanctorum Omnium.*
Oppido S. Pauli. *Reſidentia.*
Paratiningariæ. *Reſidentia.*
Oppidum Sanctorum. *Reſidentia.*
Capite frigido. *Reſidentia.*

COCHINENSIS. *Vice Prouincia I.*

*Hæc habet Quatuor Reſidentias.*
*ſequentes.*
*Tayphoënſem.*
*Pullocambenſem.*
*Alias duo anonymas.*

SINENSIS. *Vice-Prouincia II.*

Pachinij. *Collegium.*
Nanchinij. *Collegium.*
Xauccô. *Reſidentiam.*
Kiatinij. *Reſidentiam.*
Hancherij. *Reſidentiam.*
Hambaij. *Reſidentiam.*

GALLIA.



*Gal-lia.* GALLIA.

*Hæc habet Prouincias V. huiuſmodi.*

I. GALLICA I.

Pariſiis *ſunt ſequentia Collegia.*
*Collegium Claramontanum.*
*Collegium Conuictorum.*
*Domus Profeſſa.*
*Domus Probationis.*
*Reſidentia Pontisfarienſis.*
Bituricæ. *Collegium.*
*Collegium Conuictorum.*
Floropoli. *Collegium.*
*Collegium Conuictorum.*
Rotomagô. *Collegium.*
*Seminarium.*
*Domus Probationis.*
Nouiodunô.
Ebroicè.
Redone.
Ambiani.
Monleoni.
Aurelianis.
Quimpercopretini.
Bleſis. } *Collegia.*
Alenzone. *Reſidentia.*
Dieppæ. *Reſidentia.*
Cannadæ. *Reſidentia.*

II. AQVITANICA. II.

Burdigalâ. *Domus Profeſſa.*
*Domus Probationis.*
*Collegium.*
*Reſidentia S. Macharij.*
Agenno.
Petragoricæ.
Lemouicæ.
Pictauij.
Sanctonæ.
Tutelæ.
Tricaſtinô.
Engoliſmæ. } *Collegia.*

III. LVGDVNENSIS. III.

Lugduni. *Collegium.*
*Domus Probationis.*
*Collegium Conuictorum.*
Auenione. *Collegium.*
*Domus Probationis.*
Dolæ. *Collegium.*
*Domus Conuictorum.*
Fero Vaconij.
Veſontij.
Viennâ.
Eburodunô.
Carpectorate. } *Collegia.*



Rhoane.
Veſuli.
Aquis.
Maſſilia.
Trenoſle. } *Collegia.*

TOLOSANA. IV. IV.

Toloſa. *Domus Profeſſa.*
*Domus Probationis.*
*Collegium.*
*Collegium Conuictorum.*
Toumone.
Billone.
Mauriache.
Segoduni.
Auſci.
Anicij.
Biterij.
Cadurcij.
Aaurillaci.
Aubenis.
Carcaſone.
Albigi. } *Collegia.*

CAMPANIÆ. V. V.

Muſipontij. *Collegium.*
*Collegium Conuictorum.*
*Seminarium.*
Rhemis. *Collegium.*
*Conuictorum.*
Veroduno. *Collegium.*
*Conuictorum.*
Diuioni. *Collegium.*
Nannete. *Collegium.*
*Domus Probationis.*
Carolopoli.
Auguſtoduno.
Catalaunô.
Barleduce.
Ponteſij.
Vellauduno.
Metis.
Senone. } *Collegia.*
Lingone. *Reſidentia.*

GERMANIA. *Germania.*

*Hæc Prouincias V. habet.*

GERMANIÆ *Superioris. I.* I.

Ingolſtadij. *Collegium.*
*Seminarium.*
Dilingenij. *Collegium.*
*Seminarium.*
Camboduno. *Collegium.*
Auguſtæ Vindelicorũ. *Collegium.*
Oëniponte. *Collegium.*
Hallâ. *Collegium.*

Lucemi.
Cardabiancâ.
Auguſtæ Tiberij.
Brantlutij.
AuguſtæRomãduorũ.
Aureati.
Vruncæ.
Nouidunô.
Mindelehimij.
Friſburgis.
*Collegia.*

Landeſpergij. *Domus Probationis.*
Oëtingenij. *Collegium.*

Eheſpergium.
Biburgum.
Sittenum.
Donneuertium.
Fueſſemum.
Brigennum.
*Reſidentiæ.*

Ambergium.
Chamlum.
Neumartium.
Tentum.
S. Morandius.
Eluuangenium.
*Reſidentiæ.*

II. RHENI *Superioris II.*

Metis. *Collegium.*
*Seminarium.*
Nouiomago. *Collegium.*
Artauni. *Collegium.*
*Seminarium.*
Heilingeſtadij. *Collegium.*
Molſechimij. *Collegium.*
*Seminarium.*
Granionarij. *Collegium.*
*Seminarium.*

Borbetomagô.
Hagenauij.
Bicurgij.
Aſchafemburgij.
*Collegia.*

Bedenô. *Reſidentia.*

Ruffaccô.
Friçllardi.
Aëydelbergij.
Creutzzenathô.
Neuſtadij.
Brukſuale.
*Reſidentiæ.*

III. RHENI *Inferioris III.*

Coloniæ. *Collegium.*
Treuiris. *Collegium.*
*Domus Probationis.*

Coblenitij.
Teuderij.
Monaſterij.
Aſcalingij.
Aſciburgij.
*Collegia.*

Aachemij. *Collegium.*
Duſſeldorpij. *Collegium.*
Oſi. *Collegium.*

Sigene.
Bon.
Nuis.
Lipſtad.
Santene.
*Reſidentiæ.*

IV. AVSTRIACA. IV.

Vienna. *Collegium.*
*Seminarium.*
*Domus Profeſſa.*
*Collegium Vngarorum.*
Graicô. *Collegium.*
*Seminarium.*

Labachi.
Claudiuij.
Agrami.
Lontij.
Conſuanetè.
Hemmonaij.
Tornaci.
*Collegia.*

*Seminarium.*

Crembſe.
Gortſe.
Ludemburgi.
Trieſte.
*Collegia.*

Leubeni. *Domus Probationis.*

S. Bernalgit.
Milſthadij.
Eberndorffi.
Plettriæ.
Traunchireſij.
Presburgi.
Rabbe.
Coluſſuvvari.
Faiuuari.
*Reſidentia.*

V. BOHEMICA. V.

Pragæ. *Collegium.*
*Seminarium.*
*Domus Profeſſa.*
Eburô. *Collegium.*
*Seminarium.*

Cromlauuij.
Commotauij.
Neubauij.
Glatzij.
Neiſſe.
Gitzchimij.
Znaimij.
Iglæ.
*Collegia.*

Brunnij. *Domus Probationis.*
Noliſchouuij. *Reſidentia.*
Bultembergij. *Reſidentia.*
Glogauuij. *Reſidentia.*

FLANDRIA.



*Flandria.*

FLANDRIA.
*Hæc Prouincias II. continet.*

I. FLANDROBELGICA. I.

Antuerpiæ. *Collegium.*
*Domus Profeſſa.*

Neruij.
Aëlſtij.
Belli.
Geſonaci.
Bruxellis.
Caſſeli.
Pleumoſij.
Gandani.
*Collegia.*

Ippris.
Louuecæ.
Machliniæ.
Ruremundi.
Shertongenhorſi.
Traiecti.
Vuinoxbergheni.
*Collegia.*

Dum-Kerchij. *Reſidentia.*
Bredâ *Reſidentia.*
Lyræ. *Reſidentia.*

II. GALLOBELGICA. II.

Duuione. *Collegium.*
*Seminarium.*
Oromanſacij. *Collegium.*
Tornaci. *Collegium.*
*Domus Probationis.*
Eburoni. *Collegium*
Lylæ. *Collegium.*
*Seminarium.*

Monte Hannoniæ.
Valencine.
Arebati.
Cameraci.
Auguſt. Romãduorũ.
Nemetocernæ.
Dinanti.
Heſdini.
Aëriæ.
*Collegia.*

Huij. *Domus Probationis.*
Magduni. *Collegium.*
Niuigellæ. *Collegium.*
Athe. *Reſidentia.*
Armamentarij. *Reſidentia.*
Bethunſe. *Reſidentia.*

*Polonia.*

POLONIA.

*Hæc Prouincias II. continet.*

I. POLONICA I.

Cracouiæ. *Collegium.*
*Domus Profeſſa.*
*Domus Probationis.*

Potznane.
Kaliſzij.
Luuouuij.
Sendomirzij.
Lublini.
Taroſlauuij.
Luekij.
*Collegia.*

Torune.
Kamientij.
Dancikij.
Oſtragij.
Rauuæ.
Fauſtouuij.
Brezchij.
*Collegia.*

Choinicæ.
Prezmisfij.
Malburgi.
Groſtij.
Gronziozij.
Vuinicæ.
Vualchi.
Bidgozij.
Bari.
*Reſidentia.*

II. LITHVANICA. II.

Vuarſauuiæ. *Domus Profeſſa.*
Vuilno. *Collegium.*
*Seminarium.*
*Domus Profeſſa.*
*Domus Probationis.*

Branſbergij.
Pultouuſchij.
Nieſuuiezij.
Lomzæ.
Polochij.
Rigæ.
*Collegia.*

Derpi.
Orſzæ.
Kroſæ.
Smolenchij.
Plochkij.
Vuendæ.
*Collegia.*

Grondô. *Reſidentia.*
Vuorniæ. *Reſidentia.*

*Anglia.*

ANGLIA.

*Hæc Vnica Prouincia eſt, quæ continet*
Collegia, *& domos ſequentes.*
*Collegium & Seminarium* Liegè.
*S. Ignatij Domum Profeſſam.*
*S. Xauerij Collegium.*
*S. Mariæ Reſidentiam.*
*S. Michaelis Reſidentiam.*
*S. Omerij Reſidentiam.*
*S. Dominici Reſidentiam.*
*S. Ludouici Collegium.*

*Vuatenſem*

*Vuatenſem Domum Probationis.*
*S. Annæ Reſidentiam.*
*S. Georgij Reſidentiam.*
*Gandaucenſem Domum Probationis.*
*S. Staniſlaij Reſidentiam.*
*S. Franciſci Borgiæ Reſidentiam.*
In *Ibernia* ſunt nonnullæ.
In *Scotia* ſunt aliquæ.
In *Belgio*, & *Hollandia*, ſunt *Miſſiones* aliquæ *Terreſtres*, & *Nauales*.

IN IMPERIO ORIENTIS.

*Imperium Orientale.*

*Aliquæ etiam numerantur* Reſidentiæ, *quas adhuc* SOCIETAS IESV *firmiter, & conſtanter retinet, quorum nomina ſunt ſequentia.*

*Scione.*
*Conſtantinopoli.*
*Smyrnæ.*
*Albâ-Regiâ,*
*Quinque Eccleſiis.*
} *Reſidentiæ.*

*Societatis Ieſu quot Collegia, & Domus in Orbe.*

Hæc omnia deſumpſimus ex *Libro Romæ edito*, Anno M. DC. XXVI. ex alioque qui IMAGO I. SECVLI nuncupatur, *Antuerpiæ* edito Anno M. DC. XL. Vbi *lib. 2. tit. Societas creſcens. cap. 10. fol. 146.* relata Collegia, Domus, Reſidentiæ, & Seminaria continentur. Et libellus Romanus addit, tunc temporis fuiſſe in SOCIETATE, XXXVI. *Prouincias.* III. *Vice Prouincias.* CCCC. XLIV. *Collegia.* XLIV. *Domos Probationis.* CC. XXVIII. *Reſidentias.* LVI. *Seminaria.* XV. M. D. XLIV. *Religionis alumnos.* Vt Deo gratias agamus, qui dignatus eſt tàm breui temporis ſpatio erigere, ſublimare, dilatare, & in ſuo primæuo inſtituti rigore conſeruare hanc totis clauſulis abſolutam Religionem, de qua optimo iure IESVS eius Protector ad eius aſſeclas dicere potuir.

*Mactæ animis, ô* LOYOLÆ *generoſa propago,*
*Digna meas Aquilas, & mea caſtra ſequi.*
*Vtar pectoribus fortiſsima pectora veſtris*
*Quæ pridem ignauos dedidicere metus.*
*Vos infanda manent, & mille pericula lethi,*
*Mille pericla ſolo, mille pericla ſalo.*
*Sed durate animum: Romani pectoris olim,*
*Nunc* IESV *Socij eſt, fortia multa pati.*
*Ergo agite, Eoi vada cærula verrite Ponti,*
*Romuleâ nunquam ſollicitata rate.*
*Frangite & Heſperias remis audacibus vndas,*
*Nec rabidos contra ſit timor ire Notos.*
*Ite ad odoratos, poſitoſque ſub ignibus Indos;*
*Tithoni roſeos ite videre Lares.*
*Ite boni, geminamque Iauam, virideſque Molucas,*
*Ite Antarctoï viſere Regna Poli.*
*Ite, vocat toto cantata Iaponia Mundo*
*Clauſaque ſanguineâ China ſuperba ſerâ.*
*Ite, vocant Gentes, queis Numen mugit in agris,*
*Et curuum tacitis paſcitur in ſiluis.*
*Ite, vbi vicino ſorbentur flumina Phœbo,*
*Peruuiæ ad nigras, Braſiliæque plagas.*
*Currite, currite, quaquâ iter eſt Boream per & Auſtrum,*
*Et per flammiuomi Solis vtramque domum.*
*Et Morinos alios, & Thulas quærite; nam ſunt*
*Mille ſuper Thulæ, mille ſuper Morini.*

*Quot climata perrerent.*

Cum omnia hæc Orbis vtriuſque climata Religioſi Patres huius inclytæ *Societatis* perluſtrarint, & in eis Catholicam fidem diſſeminare ſatagerent, & adhuc in Dei gloriam continuis ſpiritibus ſatagant. Multa in eorum laudem ocyus ſcribere potuiſſem, ſed cum ad huius *Menſis* metam peruenerim calamum ſuſpendo, & Noſtrorum Sanctorum ad grates diuertens, cum antiquo Poëta concludo.

*Cyprianus in MS.SS. Cordubenſ.*

*Accipite hoc quodcumque poteſt mea ſcribere penſum*
*Martyres excelſi, Sancta cohorſque, manus.*
*Mens mea, corque meum grates ſine limite vobis*
*Offert quòd veſtris pergimus auſpiciis.*
*O vtinam reliqua à Nobis meditata perennem*
*Finem Opera acciperent, vt placeantque Deo.*



# INDEX.

## RERVM NOTABILIVM, quæ in Anamneſi Sanctorum Menſis IVLII continentur.


A.

*Abdon, & Sennen.*

ABDON & Sennen Perſæ Martyres Romani. *pag.* 292
Celebris eorum memoria apud Martyrologia & ſcriptores. ibid.
Acta ex R. P. Petro Ribadeneira. ibid.
Admodum nobiles, potentes, & opulenti. ibid.
Martyribus humandis deuoti. ibid.
Capti, & in triumphum Decij expoſiti. ibid.
Blanditiis miniſque tentati. 293
Plumbatis atrociſſimè cæſi. ibid.
Beſtiis obiecti. ibid.
Coronantur, & ſepeliuntur. ibid.
Tranſlatio ad Hiſpaniam ſacrarum exuuiarum. ibid.
Tranſlationis tenor ex authenticis ſcripturis. ibid.
In Tranſlationis itinere multa euenere miracula. ibid.
Obſeſſa liberata. 294
Sedata tempeſtas. ibid.
Duo cæci illuminati. ibid.
Mulus præceps ſanus euaſit. ibid.
Territorium à ſimiarum & tempeſtatum frequentia liberum. ibid.
Pars reliquiarum apud Florentiam. ibid.
Ferrarij aſſertio diluitur. ibid.

*Abula.*

Dedicatio S. E. Abulenſis. 124
Abulenſis ſedis extructio. ibid.
Cathalogus Epiſcoporum S. Abulenſis E. in Vettonia antiqua Hiſpaniæ, nunc in regno Caſtellæ veteris. 125. & ſeqq.
Caput S. Dionyſij apud Abulam. 130

*Abundius.*

Martyrologia de eo. 110
An ſocios martyres habuerit? ibid.
Probatur Habundum diuerſum ab Abundio. ibid.
Acta S. Abundij. 111
Origo. ibid.
Ducitur ad Tribunal. ibid.
Coronatur. ibid.
De eo Scriptores. ibid.

*Adeodata.*

Circa S. Adeodatam error P. Higuera probatur 3. rationibus. 50
Pro eadem Octaſtichon. 51
Eius acta nullus ſcripſit. ibid.
Eiuſdem acta. 51
Illuſtriſſima Gothorum gente progenita. 51
Italiam pergit. ibid.
Gregorio Magno ſcribit. ibid.
Cui ille reſpondet. ibid.
Romam adiit. 52
Fit Monialis Benedictina. ibid.
Et Abbatiſſa. ibid.
Ei nauem Gregorius emittit. ibid.
Illam à Gabellis liberat. ibid.
Monaſterium aliud conſtruit. 53
Illius conſecrationem efflagitat. ibid.
Scriptores Toletani S. Virginem omiſerunt. ibid.

*Adonis.*

Adonia Sacra quæ? 7
Quo die celebrata? ibid.

*Albugenſis vrbs.*

Topographia 205
Hodie Albugela. 206

*Allia.*

Allienſis clades. 7

*Alphonſus.*

Alphonſus VIII. edictum fecit contra veſtes ſuperfluas. 136
Calatraua reſtituitur Alphonſo Regi. 138
Conſilium Regis Alphonſi præualet. 140

Alphonſi Regis conſtantia. 142
Crux Alphonſo apparet in cœlo. ibid.

*Amphilochia.*

Amphilochiæ topographia. 160
Hodie *Orenſe* dicitur. ibid.
Epiſcopali Sede decorata. ibid.

*Anagramma.*

Caroli Scribanij Anagramma; Clarus Bonarſius, 302

*Ananellos.*

Huius vici topographia. 111

*Anatholia.*

Anatholia an Itala martyr, an Hiſpana? 96
Qualis in aliquibus Baronij perſuaſio? ibid.
Gloſſema in editis Luitprandi commentariis detegitur. ibid.
Martyrologia de ea. ibid.
Acta SS. Anatholiæ & Audacis. 97
Origo. ibid.
Victoria ſuadet ſororem ad nuptias. ibid.
Anatholiæ conſtantia. ibid.
Viſio Anatholiæ. ibid.
Româ expellitur. ibid.
Dæmonem expellit. ibid.
Hiſpanias SS. Sorores ducuntur. 98
Dirè cruciatur. ibid.
Serpens nil ei nocet. ibid.
Magus credit. ibid.
Conſtantia Audacis. ibid.
Capite cæditur. ibid.
Coronatur virgo. ibid.
Nomina & patria coniugum SS. Virginum. 99.
Biuarij error circa Marſum veneficum. ibid.

*Anna.*

S. Annæ Matris Mariæ Dei Genitricis Officium tempore Gothorum. 256
Duo Hymni pro Officio S. Annæ à Iuliano compoſiti. 257
Alter Hymnus ex Breuiario vetuſtiſſimo Toletano ad Veſperas. ibid.
Officium in Hiſpaniæ Eccleſiis & cōmune & proprium. 258
Brachium S. Annæ Vliſippone, & alibi Reliquiæ. ibid.
Cuiuſdam Poëtæ de S. Anna Carmen. ibid.
A tempore S. Iacobi hæc feſtiuitas culta in Hiſpania. ibid.
S. Anna Auia S. Iacobi ex matre Salomè. 259
Baptiſt. Mantuan. de S. Anna Carmina. ibid.
Acta ex Breuiariis antiquis Hiſpaniæ referuntur. ibid.
Eius origo. ibid.
Tribus viris ſucceſſiuè nupta eſt. ibid.
Ex primo Viro Anna glorioſam Virginem Mariam genuit. 260
Ex ſecundo viro Mariam Alphæi. ibid.
Ex tertio Mariam Salomè. ibid.
Ante tertij mariti obitum in pace quieuit. ibid.
Tranſitus Annæ poſt Chriſtum conceptum. ibid.

*Apollinares Ludi.*

Apollinarium Ludorum origo & cauſa. 3.4.
Inſtitutio. 4
Solemnitas. ibid.
Diei aſſignatio. ibid.

*Apollonius & Eugenius.*

De S. Martyribus Martyrologia. 202
De iiſdem Scriptores. ibid.
Error ſanatur in Codice edito Iuliani. 203.
Acta ex Iuliano & aliis. ibid.
Nobiliſſimi ex Colonia Martia in Bætica. ibid.
Eorum conſtantia. ibid.
Capiuntur. ibid.
Torquentur. ibid.
Coronantur. ibid.
An Ciues Martiæ. ibid.
Pro eiſdem Epigramma. 203
Quo imperatore paſſi? ibid.

*Aquila & Priſcilla.*

An Confeſſores, an Martyres? 86
Vbi paſſi? 87
De hoc tres opiniones. ibid.
SS. coniuges Heracleæ in Hiſpania Apoſtoli. ibid.
Confirmatur tertia opinio ex reuerentia oppidanorum. 88
De SS. Aquila & Priſcilla Scriptores. 90
An Priſca, an Priſcilla? 91
Acta SS. Aquilæ & Priſcillæ. ibid.
Origo. ibid.
Romam pergunt. ibid.
Conuertuntur ad fidem. ibid.
Romam expulſi Corinthi ſiſtunt. 92
Paulum hoſpitio ſuſcipiunt. ibid.
Ab eorum domo diſcedit. ibid.
Syriam cum Apoſtolo petunt. ibid.
Apollini Iudæo exponunt viam Domini. ibid.
SS. varia itinera. ibid.
Hiſpanias veniunt. ibid.
Heracleæ ſiſtunt. ibid.
Ad Bæturiam Turdulorum accedunt. 93





Comprehenduntur, & coronantur. ibid.
An Nazaræi & Pontici.? ibid.
Quæ eorum ars Scenofactoria? ibid.
Quo tempore, & à quo Chriſtiani facti? ibid.
Quo anno Româ expulſi. 94
Quæ illa aſſumptio Apollinis? ibid.

*Auca.*

Aucenſis vrbis Topographia. 299
De eadem remiſſiue. ibid.

*Audax.*

Vide Sancta Anatholia.

*Aulus Halus.*

Aulus Halo Poeta Burdigalenſis. 220
De eo meminit Iulianus Archipresbyter Toletanus. ibid.
Eiuſdem poëma de Aduentu S. Iacobi, ad ſanctiſſimum Bernardum Hiſpaniarum Primatem. ibid. & ſeqq.
Eiuſdem, Hiſpaniæ deſcriptio. 225

*Aurea.*

De S. Aurea Virgine & Martyre Cordubenſi Martyrologia. 172
De ea Scriptores. 173
F. Didaci de Coria error. ibid.
Acta ex D. Eulogio. ibid.
SS. Adulphi & Ioannis Martyrum ſoror. ibid.
Vitæ inſtitutum. ibid.
Eius fides à propinquis experitur. ibid.
Iudex eius conſanguineus. ibid.
Iudicis perſuaſio. ibid.
Fidem abnegat. ibid.
Dimittitur libera. 174
Eius pœnitudo. ibid.
Ipſius pœnitentia. ibid.
Fidelibus adhæſio. ibid.
Diaboli malignitas. ibid.
Accuſatur. ibid.
Conſtantia. ibid.
Capitur. ibid.
Coronatur. ibid.

*Aurelius Romanus M.*

S. Aurelij Martyris Romani memoria. 282

*Aurelius & Socij Martyres.*

De iis Martyrologia & Scriptores. 267
Acta ex D. Eulogio Martyre. ibid.
Aurelius natalibus & rebus pluribus excellens. ibid.
Educatio & Religio. ibid.
Adoleſcens ſtrenuus, florentibus genis virili decore. ibid.
Cum Sabigothone Virgine Matrimonium. ibid.
Sabigothonis Origo. ibid.


*Mart. Hiſpan. Iulij.*


Coniugium cum Aurelio. ibid.
Felicis proximitas cum Aurelio. 268
Lilioſa Felicis vxor. ibid.
S. Ioannis Confeſſoris ſupplicium. ibid.
S. Ioannis fidei ſtabilitatem admiratur Aurelius. ibid.
Aurelij ad vxorem verba. ibid.
Sabigothonis ad maritum reſponſio. 269
Coniugum ſanctorum caſtitas; & virtutum ſtudia. ibid.
Aurelius ab S. Eulogio docetur. ibid.
S. Eulogij ad Aurelium exhortatio. ibid.
S. Eulogius omnia pro Chriſto deſpicienda ſuadet. ibid.
Sabigothonis pietas. 270
Flora & Maria Sabigothoni apparent. ibidem.
Sabigothonis ad Virgines allocutio. ibid.
Martyres ad Sabigothonem. 271
Sabigothonis exercitia. ibid.
Præclarè ſe præparant ad Martyrium. ibid.
Aurelij filiæ infantes. 271
Diuinum infantulæ ad Eulogium reſponſum. ibid.
Aluarum adit Aurelius. 272
Aurelius ad Aluarum. ibid.
Sabigotho Martyrium lamentis quærebat. ibid.
Menteſis filia Sabigothoni apparet. ibid.
Georgius Monachus adhæret Martyribus. ibid.
Georgius quis? & vbi Monachus? 273
Affricana Eccleſia hoc tempore afflictiſſima. ibid.
S. Monachi virtutes. ibid.
S. Georgius de ſeipſo ſcripſit. ibid.
De S. Georgio S. Eulogius ſcribit. ib.
G. Monachi epiſtola. 274
Ad Monaſterium Tabanenſe pergit. ib.
Sabigotho apparet Georgio. ibid.
Felix & Lilioſa omnia ſua pauperibus erogant. ibid.
Sabigotho & Lilioſa ad Eccleſiā accedunt.
Aurelius ante paſſionem S. Eulogium inuiſit. 275
Aurelius cum cæteris comprehenditur. ibid.
Georgius lictores prouocat, vt eum capiant. ibid.
Georgius capitur, & miſerè pulſatur. ibid.
Conſtantia Martyrum. ibid.
Sancti carcerantur. 276
Eorum ſecuritas ad Martyrium. ibid.
Georgius denuò ſe offert Martyrio. ibidem.

Coronantur, & ſepeliuntur. ibid.
Corpus S. Felicis apud Carrionem. ibid.
SS. Aurelij & Georgij corpora, & caput S. Sabigothonis apud Pariſios. 277

*Arabes.*

Arabum officia & mores in bello. 141

*Armenia.*

Armenia vrbs in Gallæcia. 160
Hodie Armea in campo *Limiæ*. ibid.

*Arſa.*

Arſa vbi ſita? 88
Sitûs diſcriptio. ibid.
Iuliani error in conſignatione ſitus vrbis Arſæ. 89
Ambroſij Morales, & aliorum lapſus. ibidem.
Roderici Caro lectio in Dextro diluitur. 90
Arſa quantum diſtat à Corduba, ab Emerita, & à Pace Auguſta? 94
Apud Arſam vrbem agon SS. Aquilæ & Priſcillæ. ibid.

B.

*Beatrix.*

S. BEatrix Virgo & Martyr Roman. 290
De eadem Martyrologia. ibid.
Eius virtutes & pietas in fratres. ibid.
Accuſatur, Coronatur, & Sepelitur. ibid.
Mors Virginis vindicata. ibid.
Corporis tranſlatio ad Hiſpaniam. ibid.

*Bellum.*

Bellum contra Agarenos. 136
Toleti congregatur exercitus. ibid.
Toletanus Pontifex iudex inter nationes conſtituitur. ibid.
Petrus Rex Aragoniæ venit Toletum. ibid.
Ex Regno Aragoniæ qui venerunt. 137
Vltramontanorum Magnates qui? ibidem.
Caſtellæ Concilia plurima: militum copia. ibid.
Epiſcoporum nomina. ibid.
Magnatum Caſtellæ nomina. ibid.
Militia Cruce ſignata. ibid.
Exercitus profectio. ibid.
Malagon capitur. ibid.
Agarenorum ſtratagema ad Calatrauam. 138
Calatraua obſidetur. ibid.
Vrbis munitiſſimum præſidium. ibid.
Capitur, & reſtituitur Regi. ibid.
Vltramontani ab exercitu recedunt. ibidem.
Hiſpani bellum proſequuntur. 139
Sanctius Rex Nauarræ aduenit. ibidem.
Oppida manſionum. ibid.
Mahomat Rex Agarenorum dubitat de congreſſu. ibid.
Ad nauas Toloſæ munitionem emittit. ibid.
Montis Ferral ſummitatem capiunt Chriſtiani. ibid.
Caſtrum occupant. ibid.
Impoſſibiliitas tranſitus multos deterret. 140
Conſilium Regis Alphonſi præualet. ibidem.
Paſtoris cuiuſdam veritas comprobatur. ibid.
Reges montis planitiem occupant. ibidem.
Mahomat acies ad bellum parat. ibidem.
Eius arrogantia & elatio. ibid.
Chriſtianorum pietas. ibid.
Acierum diſpoſitio. 141
Caſtellanorum acies. ibid.
Aragonum acies. ibid.
Regis Mahomat ſitus & forma. ibidem.
Almohadura & Arabum officia & mores in bello. ibid.
Belli congreſſus incipitur. 142
Alphonſi Regis conſtantia. ibid.
Crux Pręſulis Toletani miraculosè cuſtodita. 142
Crux apparet in cœlo. ibid.
Mahomat Beatiam fugit. ibid.
Præſules canticis gratias agunt Deo. ibidem.
Occiſorum numerus de Agarenis Chriſtianis. 143
Virgo Maria item auxilium detulit Regibus. ibid.

*Benedicta.*

Huius nominis quatuor diuæ, & quæ. 108
An Lugdunenſis quæ fuit Romana? ibidem.
An Bonoſa pro Benedicta? ibid.
Probatur. 4. rationibus. ibid & 109
Acta S. Benedictæ. 109
Origo. ibid.
Fides. ibid.
Capitur. ibid.
Flagellatur. ibid.
Carceratur. ibid.
Conſtantia. ibid.
Iterum flagellatur. 110
Milites conuertit ad fidem. ibid.
Flagellatur iterum. ibid.
Ad Lupanar nuda mittitur. ibid.
Quartò verberatur. ibid.
Coronatur. ibid.
Diei & Anni vera computatio. ibid.

*Bernardus Scalabitanus.*

S. Bernardus & pueri Scalabitani. 121
De iiſdem Scriptores. ibid.
Acta S. Bernardi. ibid.
Origine Gallus ex oppido *Morlans* in Vaſconia. 121
Eius exercitium in edocendis pueris. ibid.
Pueri inuitant Ieſum ad ientaculum. ibid.
Accedit Bernardus & Ieſu ferculum efflagitat. 122
Omnes genu flexi aſtra petunt. ibid.
Eiuſdem Encomium. ibid.
Annus euentus huius conuiuij quis. ibid.

*Bonoſa.*

Vide verb. *Banedicta*.

*Braulius.*

Acta inuentionis ſeu Tranſlationis SS. Pignorum S. Braulij Cæſarauguſtani Epiſcopi. 175
Annus Tranſlationis. ibid.
Corpus abſconditur. ibid.
Reuelatur. ibid.
Inuenitur. ibid.
S. Valerius apparet S. Petro ſucceſſori. 176
Duplex feſtum de S. Braulio in Eccleſia Cæſarauguſtana. ibid.

*Brictius.*

S. Brictius an confeſſor in Italia, an in Hiſpania. 100
Scriprores pro Hiſpania. ibid.
Italorum opinio diluitur quinque rationibus. ibid.
Acta S. Brictij. 101
Origo. ibid.
Prædicat in tota ferè Hiſpania. ibid.
Myrtilim vrbem ingreditur. ibid.
Capitur. ibid.
Torquetur. ibid.
Apparet illi S. Petrus, qui S. Præſulem ſanat, & è carcere educit. 102
Moritur. ibid.
Apud Giennenſes colitur officio duplici. ibid.
An Petrus Apoſtolus an Ratenſis ſoluerit vincula S. Præſulis? ibid.

C.

*Carmo.*

CIuitatis Carmonéſis Topographia. 255
Eam variè ſcribunt Geographi. ibid.
Nomen Carmo ex nummis antiquis liquet; & ex Antonini Imperatoris Itinerario. ibid.
Quis fuerit huius Vrbis conditor? ibid.
De eius antiquitatibus remiſſiuè. ibid.

*Caſtitas.*

Caſtitas coniugum. 268

*Chriſtophorus Martyr.*

Celebris eius memoria in Martyrologiis tum græcis tum latinis. 240
De eodem Scriptores recenſentur. ibid.
Eius acta puriora dantur ex Flor. SS. R. P. Petri Ribadeneira. ibid.
Natione fuit Cananæus. ibid.
Venuſtæ conſtitutionis, & ſtaturâ procerus. 241
Eius precibus & miraculis multi ad Chriſtum conuerſi. ibid.
In vrbe Samo comprehenditur. ibid.
Conſtantia caſtitatis. ibid.
Meretrices conuertit. ibid.
Variis exquiſitiſque tormentis cruciatur. ibid.
Telis à Iudice configi iuſſus, ſed fruſtra. ibid.
Cæcus & animi & corporis lumen ex ſanguine Martyris recepit. ibid.
Demùm ab impiis obtruncatus eſt. ibid.
Apud Hiſpanos reliquiæ. ibid.
Hymnus Iſidorianus totam ferè Actorum ecphraſim includens. ibidem & 242
Reliquiæ S. Martyris an Toleti requieſcant? 243
Dextri locus correctus & ſubſannatus. ibid.
S. Maximi & Iuliani Archipresbyteri verborum intellectus. ibid.
Quibus Eccleſiis Hiſpaniæ ſint pignor. S. Martyres? ibid.
Quare in Templis pingitur imago S. Martyris intra vel extra Baſilicarum atria. ibid.
Cur puerum Ieſum ſuper humeros per fluminis vndas deferens pingitur? 244
De Hymnis & Encomiis in S. Martyris honorem conſcriptis, remiſſiue. ibid.

*Chriſtus.*

De Chriſto Prophetarum vaticinia. 217
De Chriſti Conceptione & Natiuitate. ibid.
De Paſſione Chriſti. ibid.
De Reſurrectione & Aſcenſione. 218

*Cælum.*

Ad regnum cœlorum non genus, ſed virtus quæritur. 270

*Columba.*

Plures in Portugallia Columbæ. 183

# Index Rerum Notabilium.


I. Eboracenſis Martyr. ibid.
II. Lamecenſis Abbatiſſa, Martyr. ibid.
III. Interamnenſis. ibid.
IV. Conimbricenſis de quâ hîc. ibid.
De S. Columba virgine & Martyre Conimbricenſi Martyrologia. 183
De eadem Scriptores. ibid.
Eiuſdem Acta recenſentur. 184
Plures habet Eccleſias in Luſitania. ibid.
Cruci affigitur. ibid.
Quo loco paſſa? ibid.
Cauſa agonis. ibid.
Miracula ad locum ſepulchri. ibid.
Prima tranſlatio. ibid.
Oleum ex corpore. ibid.
Tranſlatio II. ibid.
Dies cultus XX. Iulij apud Conimbricenſes. ibid.
Aliquorum error circa diem cultus. 185
Miracula. ibid.

*Concordius.*

Aluari Gomezij lapſus circa ætatem S.Concordij. 15
De S. Concordio Scriptores. ibid.
Acta S. Concordij Præſulis Toletani. 16
Eiuſdem origo. ibid.
Ordinatur Archidiaconus. ibid.
Toletanus Præſul eligitur. ibid.
S. Veranus exul à S. Concordio benignè exceptus. ibid.
Obitus S. Concordij. 17
Eiuſdem ſepulchrale carmen. ibid.
Scripſit homiliam de laudibus S. Turibij Palentini. ibid.
Quis Author carminis ſepulchralis? ibid.

*Conſtantia.*

Conſtantia S. Cucuphatis Barcinonenſis. 249

*Continentia.*

S. Seculina ſponſum ad continentiam prouocat. 205

*Cæſarea.*

Huius vrbis topographia. 105

*Cucuphas Irienſis.*

S. Cucufas Irienſis diuerſus à Cucuphate Barcinonenſi Martyre. 244
Irienſis idem ac Braccarenſis, & quare? ibid.
Pro S. Cucuphate Martyre Irienſi epigramma. ibid.
Pignora S. Martyris Irienſis Braccarâ Compoſtellam tranſlata. 245
Error P. Biuar. notatur. ibid.
Acta ex Lectionibus Breuiarij vetuſtiſſimi S. E. Compoſtellanæ. ibid.
Lectio I. origo, fides, tormenta, & corona ibid.
Lectio II. Sepultura, & Tranſlatio 1. ibid.
Lectio III. vltima Tranſlatio. ibid.
Dies, & Annus Martyris agonis, ex Lectionibus pateſcit. ibid.
Ex aliis verò ſcriptoribus. 246

*Cucuphas Barcinonenſis.*

De Inuentione Sacrarum exuuiarum, remiſſiuè. 246
Paſſionis memoriam recolunt Martyrologia paſſim. ibid.
De eodem Scriptores & Breuiaria omnia Hiſpaniæ ſpecialiter. ibid.
Hymnus Iſidorianus totas res geſtas in agone S. Martyris complectens. ibid. & ſeq.
De eodem S. Martyre Scriptores Flor. SS. 248
Acta ex Breuiar. MS. Monaſterij Octauiani in Cathalonia. 248
Ortus in Scillitana vrbe, nobiliſſimis parentibus. ibid.
Cum Felice quodam Cæſaream proficiſcitur. ibid.
Cæſareâ Barcinonem Hiſpaniæ habitu & forma Mercatorum. ibid.
Operibus pietatis vacat. ibid.
Verbum Salutis priuatim & per domos prædicat. ibid.
Barcinone miraculis egregiè ornatus. ibid.
Iubente Galerio Proconſul capitur. ibid.
Conſtantia eius. 249
Crudelitate exquiſita atrociſſimè flagellatur. ibid.
Galerij Proconſulis repentinus interitus. ibid.
S. Martyr operatione diuina repente ſanatus gratias agit Deo. ibid.
Totus populus Chriſtum Deum verum confitetur. ibid.
Ad Præſidis tribunal iterum S. Martyr ſiſtitur. ibid.
Conſtantia in Præſidis præſentia. ibid.
Aſſatur in craticula ſinapi & aceto perfuſus. 250
Præparatus ignis extinguitur, & illæſus euadit. ibid.
Iterum grauiſſimo ferri & catenarum pondere oneratur. 250
Cuſtodes conuertuntur. ibid.
Iterum flagellatur, & vox cœlitùs audita. ibid.
Præſes nutu Dei in medio foro crepuit miſerè & extinctus eſt. 251
Ruffini Præſulis exhortatio. ibid.

Capite

Capite damnatur S. Cucuphas? & coronatur. ibid.
Caput S. Martyris Caroli Magni Imperatoris nutu Pariſios transfertur. ibid.
Reliquum corporis apud Octauianum Cœnobium etiamnum religioſiſſimè colitur. ibid.
Tranſlationis capitis & Inuentionis corporis illuſtratio. ibid.
Cætera ex Actis illuſtrantur, remiſſiuè. ibid.
Error Authoris Actorum apud Surium. ibid.
Ex vetuſtiſſimo Officio MS. Hymni in Primis Veſperis, ad illatutinum, & ad Laudes. 252
Monaſterium S. Cucuphatis Del Valles. ibid.
De eius Topographia & conditore remiſſiue. ibid.
Caſtri Octauiani Memoria. ibid.

D.

*Diabolus.*

Diaboli malignitas. 174

*Dictinus.*

De S. Dictino Confeſſore Epiſcopo Aſturicenſi Martyrologia. 208
De eodem Scriptores.
Acta ex Conciliis & Scriptoribus Hiſpaniæ. ibid.
Origine Græcus. ibid.
A Sympoſio epiſcopalibus infulis inſignitus. ibid.
Priſcillianiſta Hæreticus. ibid.
Damnatur, & anathemate feritur. ibid.
S. Ambroſium adiit. ibid.
Ab eo confunditur. ibid.
Impij Priſcilliani abiurat errores. 209
Ad Concilium accedit. ibid.
Eius confeſſio & abiuratio apud Concilium Toletanum. ibid.
Ad pœnitentiam admiſſus Eccleſiæ gremio reſtituitur. ibid.
Eius in fide conſtantia. ibid.
Epiſcopus fit Aſturicenſis. 209
Templum B. M. Virgini conſtruit. 210
Beatum ſpiritum obtulit Redemptori. ibid.
Corpus in eadem Eccleſia B. M. ſepultum innumeris coruſcauit miraulis. ibid.
Pro S. Dictino Aſturicenſi Epiſcopo & Confeſſore carmen ſepulchrale. ibid.
An Græcus origine, illuſtratur. ibid.
Corrigitur doctrinâ S. Ambroſij. ibid.
Hæreſis abiuratio & confeſſionis Fidei emiſſio. 211
Templi conſtructio; & B. V. Mariæ conſecratio euincitur. ibid.
Controuerſia circa locum ſepulturæ ſedatur. ibid.
Verus dies tranſitus ex Epigrammate pateſcit. ibid.
Annus quo è viuis diſceſſit ex eodem Epigrammate elicitur. ibid.
Ex eodem carmine deſumitur Era quâ ocbuit. ibid.

*Dies.*

Dies Ægyptiacus. 9

*Diodorus.*

De S. Diodoro Martyre Campano Scriptores. 144

*Dionyſius.*

Vide verbo S. Lucilla & ſocij.

E.

*Eccleſia de Pilari.*

Eccleſiam de Pilari conſtruit Iacobus Apoſtolus. 215
Virgo Maria oratorium ſibi petit dicari. ibid. & 232.
Prima Mundi Eccleſia in honorem Virgiginis. ibid. & 232
Theodorum apud Baſilicam hanc conſtituit Epiſcopum S. Iacobus. ibid.

*Elizabetha.*

De eâ Martyrologia. 41
Scriptores Hiſpani. ibid.
Scriptores Exteri. ibid.
Eiuſdem Acta. ibid.
Parentes. ibid.
Natiuitas. ibid.
Nomen vnde inditum? ibid.
Vbi nata eſt inter auum & patrem pacem firmauit. 42
Virtutis indicia in infantia. ibid.
A multis petita Dionyſio deſpōdetur. ibid.
Legati Portugallenſes ad Aragonium Regem. ibid.
Concluſio Matrimonij. ibid.
Deducitur in Luſitaniam. ibid.
Nuptiæ Francoſij celebrantur. ibid.
Quo ordine diſponebat tempus ad preces & alia pia opera? 43
Mira Reginæ abſtinentia. ibid.
Aqua in vinum bis mutata. ibid.
Largitas in pauperes & hoſpites. ibid.
A cancro & ictu fœminam, & virum ſanat. 44
Nummi in roſas verſi. ibid.
Maritum cum fratre conciliat. ibid.
Pacis conciliandæ ſtudioſa. ibid.
Alphonſus ſæpe patri pacificatus. 45
Exulat ob delationē quòd filio faueret. ibid.


Illicitos

Illicitos Dionyſij amores tolerat. ibid.
Aulicus pœnas luit de crimine in Reginam conficto. ibid.
Conſtantia filia nupta Regi Caſtellæ obiit. 46
Matris precibus à Purgatorij flammis liberatur. ibid.
Reginæ munificentia egregia. ibid.
Expoſitorum infantium ædem Scalabi perficit. ibid.
Conimbricæ monaſterium S. Claræ ædificat. 47
Verus in Regem coniugem amor. ibid.
In S. Claræ Monaſterium ſe abdidit. ibid.
Peregrinatur Compoſtellam, & Apoſtolo munera offert. ibid.
Omnia ſua in ſacram ſupellectilem expendit. 48
Sepulchrale ſaxum tactu eleuauit. ibid.
Pacis & concordiæ deſiderium. ibid.
Moritur. ibid.
Sepelitur. ibid.
Beata renunciatur. ibid.
Inter SS. refertur. ibid.
Officium conceditur recitandum in Eccleſia ad libitum. ibid.
Ad S. Reginæ reliquias carmen. 49

*Emerita Auguſta.*
Topographia. 208
Conditor. ibid.
Veterani, idem quod Emeritenſes. ibid.
De eadem remiſſiuè. ibid.

*Epænetus.*
Quâ Vrbe Epiſcopus? 131
An Carthaginis Hiſpaniæ? 131
An Sexi-Firmij in Bætica? ibid.
Quid tenendum? ibid.
Nunquam fuit Epiſcopus Africanus. 132
Acta S. Epœneti. ibid.
Ex Aſia, vt creditur, oriundus. ibid.
Comes peregrinationum S. Petri. ibid.
Hiſpanias adit, & Epiſcopus conſtituitur. ibid.
Carthaginis Spartariæ Epiſcopus. ibid.
Ibi hoſpitatur Paulum Apoſt. ibid.
Quanta pro fide paſſus? ibid.
Moritur. ibid.
Aduentus in Hiſpanias. 133
Quo anno moritur. 133

*Equites.*
Equitum Romanorum tranſuectionis inſtitutio. 7
Quo die celebrata? ibid.
Eius cauſa. ibid.
Eius forma. ibid.

*Eugenius.*
Tres Eugenij apud Toletum. 10
Eugenij II. ſanctitas. ibid.
De Eugenio II. Scriptores. ibid. & 11
Eiuſdem acta ex D. Ildephonſo & aliis. 11
Origo. ibid.
Educatio. ibid.
Ordinatur. ibid.
Epiſcopus renunciatur. ibid.
S. Iſidoro amicitia coniunctus. ibid.
S. Iſidori ad eundem epiſtola. ibid.
Coronat Regem Chintilanim. 12
Alios etiam Reges coronat. ibid.
Tres Synodos congregauit. ibid.
S. Eugenij mores. ibid.
Eruditio. ibid.
Mors. ibid.
Eiuſdem carmen ſepulchrale. 13
Originis Toletanæ probatio. ibid.
Amicitia cum S. Iſidoro Hiſpalenſi. ibid.
Sepeliuit S. Bonifacium. ibid.
Tres Hiſpaniæ Reges coronauit. ibid.

*Eugenius Martyr Romanus.*
Hic fuit barbarorum Rex Affricæ. 289
Aliquorum error, & Acta conſcripta de S Martyre reſpuenda. ibid.
S. Martyris Acta gemina ex Ferrario & aliis. ibid.
Perſequitur & capitur. ibid.
Coronatur. & ſepelitur. ibid.
Vbi Martyris corpus? ibid.

*Eulalia.*
De tranſlatione eiudem ſacrorum pignorum Scriptores. 105
Acta iſtius tranſlationis. ibid.
Cauſa inuentionis. ibid.
Inuentio. 106
Miracula duo. ibid.
In ſacrario conduntur. ibid.
Tranſlatio ſecunda. ibid.
Regum & Prælatorum aſſiſtentia. ibid.
Vetus Tranſlationis annus. ibid.

*Euphemia Obobrigenſis.*
Hæc Virgo & Martyr ab aliis tribus huius nominis Diuis diuerſa. 260
De hac S. Martyre ſoli Scriptores Hiſpani. ibid.
Eius acta ex Breuiario antiquo Compoſtellano. ibid.
Filia fuit C. Attilij Seueri Gallæciæ Reguli. ibid.
Mater cum ipſa octo alias vna die peperit. ibid.
Ipſius educatio. 261
Capiuntur, & ante conſpectū patris ſui crudeliter attrahuntur. ibid.
Euphemia Obobrigam venit. ibid.
Torquetur, & Coronatur. ibid.
Corpus in Sarcophago litteris exornato repoſitum Gothorum æuo. ibid
Inuentio, & Tranſlatio. ibid.
Inſcriptio in marmore à quo inuenta? ib.
Laus Martyrij. ibi.
Hymnus in Breuiario Toletano pro noſtra Martyre ſcriptus. 262

F.

*Felicianus.*
De S. Feliciano Martyre Cordubenſi Martyrologia. 194
De eodem Scriptores. ibid.
Eiuſdem Acta. ibid.
Patria. ibid.
L. Annæi Senecæ familiaris. ibid.
Romam pergit. ibid.
Patriam repedat. ibid.
Coronatur. ibid.
Annus perſecutionis & agonis. ibid.
Hiſpania tempore Neronis tota Chriſtiana. ibid.

*Feſtum.*
Metagnia feſta quæ? 3
Lucaria feſta quæ? 7

*Flauia Lambris.*
Huius vrbis Topographia. 284
An Iria-Flauia, hodie Elpadron? ibid.
An vero Baiona tractu Tudenſi in Gallæcia? ibid.

*Flauio-Briga.*
Topographia eius. 197
Hodie Bermeo. ibid.
De eadem remiſſiuè. ibid.

*Flora.*
Vide Verb. *S. Lucia & Socij.*

*Flora Virgo & Martyr.*
Eius ſacrorum pignorum tranſlatio ad Hiſpanias. 289
Quæ aut qualis iſta ſit Virgo Authori penitus eſt ignotum. 290

*Formido.*
Formido aliquando reuerentia eſt. 89

*Fortuna.*
Fortuna muliebris quæ? 6
Quo die celebrata? ibid.
Dies ſacrorum tranſlatus. ibid.
Sacrorum cauſa quæ? ibid.

G.

*Godinus.*
S. Godinus Epiſcopus Braccarenſis. 295
Eius nulla memoria in Martyrologiis. ibid.
Acta ex D. Roderico de Acunha. ibid.
Eius Origo, & infantia. ibid.
Monachatum ambit; fitque Canonicus Regularis. ibid.
Eius exercitia & otij fuga. ibid.
Prior eligitur. ibid.
Fit Archiepiſcopus Braccarenſis. ibid.
Mores, & vitæ auſteritas, & in pauperes charitas. 296
Obitus. ibid.
Diuerſus à Godinio Lamecenſi Præſule. ib.
Hoc probatur ex Epigrammate Emanuelis Faria de Souſa. ibid.
Item ex eo quòd vterque eodem tempore vixit. ibid.

*Gudenes.*
S. Gudenes virgo & martyr Carthaginis in Hiſpania. 160
De eadem Martyrologia. ibid.
Ferrarij error. ibid.
De eadem Scriptores. ibid.
Eius Acta ex Legend. Segobienſi. 161
Origo. ibid.
Educatio. ibid.
Perſecutio. ibid.
Capitur. ibid.
Torquetur. ibid.
Coronatur. ibid.
Annus Agonis. ibid.

H.

*Heraclea.*
Heracleæ Topographia. 60
Ibidem S. Lucia martyr. 59
S. Felix M. Heracleæ obiit An. 296. 60.
Heracleæ ſitus apud Hiſpanias. 88

*Hiſpani.*
Hiſpanorum Sanctorum memorias ad tempus obliterauit incuria & bellorum ſtrages. 91

*Hiſpania.*
Hiſpania tempore Neronis tota Chriſtiana. 194
Hiſpaniæ deſcriptio heroico carmine. 223
Vrbium Hiſpaniæ deſcriptio. ibid. & ſeqq.

*Hyacinthus Martyr Romanus.*
De S. Hyacintho Martyre Romano. 265
Roma Hiſpan. corpus eius delatum. ibid.

I.

*Iacobus.*
Feſtiuitas S. Iacobi Zebedæi Hiſpaniar. Apoſtoli Octauo Kal. Auguſti. 212
Cur feſtiuitas in hunc diem tranſlata. 213
De eodem Martyrologia omnia Græca & Latina. ibid.
Hinc Breuiaria Hiſpaniæ & totius Orbis Eccleſiarum. ibid.
Eius acta apud Scriptores & græcè & latinè

tinè conſignata. ibid.
Eius Acta hîc dantur ex Legendar. Hiſpalenſi, & aliis. 214
Parentes eius, & nobilitas. ibid.
Ad Apoſtolatus apicem vocatus. ibid.
Diuina ſortione Hiſpaniæ prædicatio contigit Iacobo. ibid.
Per Samariam & Iudæam in Synagogis prædicat. ibid.
In Hiſpaniam Chriſti & Virginis præcepto properat. ibid.
Duodecim Diſcipulis comitatus Hiſpanias luſtrat. ibid.
In Celtiberiam, vbi ſita eſt Cæſarauſta ingreditur. 214
Virgo Maria inter choros Angelorum apparet Iacobo. 215
B. V. Maria Oratorium ſibi petit à Iacobo dicari. ibid.
Eccleſiam de Pilari Primam Mundi in honorem Virginis conſtruit. ibid.
Theodorum in Pilari Epiſcopum conſtituit, & relinquit. ibid.
Ieroſolymam reuertitur. ibid.
Geſta per eum Ieroſolymis. ibid.
Hermogenis & Phileti contrarietas. ibidem.
Iacobi miracula ex confeſſione Phileti ad Hermogenem. ibid.
Philetum vinculis Magicis conſtrictum liberat Iacobus. 216
Dæmones à S. Apoſtolo miſericordiam petunt. ibid.
Dæmones Catenis igneis illigatos exoluit Iacobus. ibid.
Dæmonum ipſorum reuerentia erga Apoſtolum. ibid.
Pietas Apoſtoli in ſolutione Hermogenis Magi. ibid.
Hermogenis conuerſio. 217
Iacobi iuſſio ad reſtitutionem. ibid.
Virtutes fiebant à Domino per Hermogenem conuerſum. ibid.
Oblata pecunia Centurionibus duobus capitur Apoſtolus. ibid.
Repletus Spiritu-ſancto Iudæos redarguit & conuincit. ibid.
Vaticinia Prophetarum de Chriſto obiicit Iudæis Apoſtolus. ibid.
Vaticinia in conceptione & Natiuitate. ibid.
Prophetarum vaticinia de Paſſione ibidem.
De Reſurrectione. 218
De Aſcenſione. ibid.
Nexo in collum fune per vnum ex ſcribis Phariſæorum capitur Apoſtolus. 219
Curat Paralyticum. ibid.
Ioziam Phariſæorum ſcribam ſuum captorem conuertit. ibid.
Decollatur Iacobus, & Iozias cum eo. ibid.
Sacra oſſa Apoſtoli in Galleciæ finibus condita Gentium veneratione coluntur. ibid.
Actorum S. Iacobi illuſtratio. ibid.
Pater Ariſtobulus Zebedęus, remiſſiuè. ibid.
Mater Maria Salomè, remiſſiuè. ibid.
Apoſtoli nobilitas & generis proſapia illuſtratur. ibid.
In Hiſpanias aduentus affirmatur ex Scriptoribus. 220
Auli Hali Poëtæ poëma de aduentu S. Iacobi in Hiſpanias. ibid.
Nouiter editum, & illuſtratum Anno 1648. abs Auctore. ibid.
Nomina Diſcipulorum Iacobi. 222
Iacobus ſoluit Carthagine, & apud Illiberim ſuſcitat Petrum Ratenſem. ibid.
Sedium nomina quibus præficit diſcipulos ſuos. ibid.
Miracula multa patrat apud Gentiles. ibid.
Apoſtoli verba ad Hiſpanos. 223
Septem conuertit Apoſtolus Hiſpanos. 224
Oratio Apoſtoli ad Deum. ibid.
Virginis Matris auxilium implorat Apoſtolus. ibid. & ſeqq.
Cæſarauguſtæ Virgo apparet Apoſtolo ſupra Columnam. 229
Virginis ad Apoſtolum verba. 230
Prædicit Virgo aduentum Pauli poſt Iacobum. ibid.
Prædicit item aduentum Petri Apoſtolorum Principis. ibid.
Oratorium iubet ibidem ab Apoſtolo conſtrui. 231
Ieroſolymam reuertitur per Galliam & Brittanniam. ibid.
Occiditur, & corpus Hiſpaniam transfertur. ibid.
Eccleſiam de Pilari erectam fuiſſe iubente Mariâ ſcriptorum auctoritatibus fulcitur. 232
Interfuiſſe profectioni octo Apoſtolorum teſtis eſt Dexter. ibid.
Diſceſſus cum B. V. Epheſum confirmatur. ibid.
Quæ pars ſymboli ab Apoſtolo prolata? 233
Immaculatam Conceptionem B. Virginis in Hiſpania prædicat. 233
Decollatus

Decollatus ſuum caput propriis manibus primus excepit. ibid.
Anima. B. Iacobi interfuit dormitioni B. Mariæ Virginis. ibid.
Ipſe Apoſtolorum Protho-Martyr primus bibere calicem Domini meruit. 234
Adhuc viuus teſtis interfuit tribus reconditis myſteriis. ibid.
Solus inter Apoſtolos Equitis bellatoris nomen accepit, & quare? 235
Apparitiones S. Iacobi Regibus & ducibus Hiſpaniæ in bello, XV. recenſentur. 235. & ſeqq.
Aliæ plures apparitiones in diuerſis partibus Mundi, remiſſiuè. 237
A quo tempore cultus Apoſtolus in Hiſpania? ibid.
De S. Apoſtolo hymnus ex Breuiario Iſidoriano. ibid.
Apoſtolus Iacobus Friſiorum Patronus, & quare? 239
An Epiſtola Canonica ſit Iacobi Maioris ad duodecim tribus Iudæorum per Hiſpanias? ibid.
Hæc Epiſtola Canonica prima ſcriptura Noui Teſtamenti. ibid.
S. Stephanus prothomartyr Diaconus S. Iacobi. 240
De S. Iacobo remiſſiuè. 240

*S. Ignatius Loyola.*

S. Ignatius cognomento Loyola Societatis Ieſu Patriarcha. 300
Eiuſdem Elogia. ibid.
Anima Mundi myſticè vocitatus Ignatius. ibid.
Ignatius Dei digitus, ſicut Moyſes. 301
Ludouici Aradæ Epiſtola luculentum Ignatij encomium. ibid.
Ioannes d'Auila puſionem ſe, Ignatium verò Gigantem dixit. ibid.
Encomia Scriptorum de S. Ignatio. ibid.
Pontificum Encomia de eodem. ibid.
De eodem Martyrologia. ibid.
Poëtarũ Carmina in laudem S. Ignatij. ibid.
Caroli Scribanij de nomine & militia Ignatij, Carmina. ibid. & ſeqq.
Eius Acta ex R.P. Petro de Ribaden. 304
Patria, Natalis, & genus. ibid.
Infantiæ ſtudium. ibid.
Pampelonam miles pergit. ibid.
In crure vulneratur. 305
A S. Petro vulneratus ſanatur. ibid.
Lectione librorum SS. conuertitur. ibid.
B. Virgo ei apparet. ibid.
Peregrinatur ad Montem Serratum. ibid.
Caſtitatem vouet. ibid.
*Mart. Hiſp. Iulij.*
De tota vita Confeſſionem inſtituit. ibid.
Veſtem pauperi dat. 306
Mendicus pro Chriſto efficitur. ibid.
Scrupulis exagitatur. ibid.
A ſcrupulis per orationem liberatur. ibid.
Ieroſolymam adire properat. ibid.
Romam peruenit. 306
Deus illi apparet. 307
A Patritio Veneto Dei monitu quæritur. ibid.
Nauigat Ieroſolymam. ibid.
Ipſi Deus ſæpè in itinere fauet. ibid.
Loca ſacta ſingulari deuotione viſitat. ibid.
In Italiam rediens; ſola eius nauicula ſaluatur. ibid.
Barcinone litteras addiſcere cœpit. 308
Complutum venit. ibid.
Valliſoletum pergit. ibid.
Inde Salmanticam. ibid.
Pariſiis Magiſter artium creatur. ibid.
Labores & perſecutiones apud Pariſios. ibid.
Socios Pariſiis colligit; qui cum eo vota edunt. 309
Hiſpaniam repedat. ibid.
Miracula patrat. ibid.
Venetias conuenit cum ſociis. ibid.
Sacerdotes initiantur. ibid.
Chriſtus ei apparet, & auxilium ſpondet. ibid.
Occaſio nominis Societatis Ieſu. 310
Societatis confirmatio. ibid.
Præpoſitus Generalis I. inuitus deſignatur Ignatius. ibid.
Vota ab eo, & Sociis nuncupata. ibid.
Quid in munere cœperit agere. ibid.
Mire propagatur Societas. ibid.
Occupationes Ignatij Romæ. 311
Mortem cum lacrymis deſiderat. ibid.
Ad mortem ſe præparat. ibid.
Voce menteque appellato Ieſu moritur. ibid.
Sepelitur, & Canonizatur. ibid.

*Innocentius.*

De S. Innocentio Martyrologia. 49
Vbi ſacra pignora? ibid.

*Ilerda.*

Topographia. 202
Vrbis ethymon ex variis Scriptoribus. ibidem.
Hodie hæc Vrbs Lerida. ibid.

*Iudæi.*

Iudæos redarguit & conuincit S. Iacobus Hiſpaniarum Apoſtolus. 217. & ſeq.
A Iudæis per pecunias excita ſeditione capitur S. Iacobus. 219

# Index Rerum Notabilium.


Ioſias Iudæus à S. Iacobo conuerſus. ibid.
Ioſias Iudæus cum S. Iacobo decollatus. ibid.

*Iuliana, & Sempronia.*

Martyrologia & Scriptores de iiſdem. 266
Officium in Breuiario vetuſto S. Cucuphat. des valles. ibid.
Acta ex vetuſtis tabulis depictis. ibid.
Ex Barcinonenſi vrbe oriundæ. ibid.
Per S. Cucuphatem conuerſæ. ibid.
Pietatis officia erga S. Cucuphatem. ibid.
Abſciſſis ceruicibus coronantur. ibid.

*Iuliobriga.*

Iuliobrigæ Topographia. 59

*Iulius.*

Iulius Quintilis primò vocatus. 1
Quare Iulius vocatus? ibid.
Quot dies habeat? ibid.
Iulius agricolæ ſpes. ibid.
Hominum ſaluti nocentiſſimus. ibid.
De Iulij qualitate carmina ex peruetuſtis Breuiariis. 2
Iulij menſis varia nomina à nationibus. ibid.

*Iuſtus Martyr.*

De S. Iuſto Martyre Martyrologia. 123
Corpus eius in Hiſpaniam tranſlatum. ib.
De eo authenticum teſtimonium. ibid.

*Iuſta, & Ruffina.*

De SS. Iuſta & Ruffina Martyribus Hiſpalenſibus Martyrologia. 164
De iiſdem Breuiaria vetuſta Hiſpaniæ. ib.
Scriptores. ibid.
Flores Sanctorum. ibid.
Acta SS. Iuſtæ & Ruffinæ. ibid.
Hiſpali natæ. ibid.
Exercitium. 165
Virtutes. ibid.
Salambonæ Deæ ſimulachrum. ibid.
Vaſa Virginum conterit. ibid.
Virgines Idolum repellunt. ibid.
Iubente Diogeniano Præſule capiuntur. ibid.
In conſpectu Iudicis torquentur. ibid.
Earum conſtantia. ibid.
Iuſta in carcere occubuit. ibid.
Sepelitur. ibid.
Ruffina fractis ceruicibus coronatur. 166
Acta cecinit hymno ſacro B. Iſidorus. ibid.
Alij duo hymni ſeparatim de S. Iuſta eiuſdem B. Iſidori. 167. 168
De iiſdem Iulius Cæſar Scaliger. ibid.
Telaria martyrium quod? 172
Annus agonis. ibid.
Quo loco ſacra pignora? ibid.
Templa in Hiſpania. ibid.

L.

*Leontius.*

De S. Leontio Martyrologia. 107
Annus paſſionis. ibid.
In Hiſpanias tranfertur ſanctum corpus. ibid.

*Libanienſe Monaſterium.*

Monaſterij Libanienſis Topographia. 36
Comitatus Libanienſis quibus paruit? 37

*Liberata.*

De S. Liberata Virgine & Martyre Martyrologia. 177
De eadem Scriptores. ibid.
In Germania culta, & quo nomine? ibid.
C. L. Attilio Luſitaniæ Regulo oriunda. 178
Eius Natiuitas. ibid.
Educatio. ibid.
Perſecutio. ibid.
Captura. ibid.
Parentum perſuaſio. ibid.
Vuilgefortis ſeceſſus. ibid.
Comprehenditur. ibid.
Crucifigitur. ibid.
Tumulatur. ibid.
Pluries transfertur. ibid.
Roderici de Ancuña error. ibid.
Probatur duabus rationibus. ibid.
An S. Vuilgefortis Hiſpana, ſit eadem ac illa à Germanis culta? 179
Tranſlatio S. Liberatę Virginis & Martyris. 133
De ea tranſlatione Scriptores. ibid.
Acta tranſlationum S. Liberatę ibid.
Poſt Martyrium corpus honorificè ſepelitur. ibid.
Tranſlatio quadruplex. ibid.
Tranſlatio V. 134
Tranſlatio VI. & vltima per Illuſtrem Fredericum à Portugal. Epiſcopum Seguntinum. ibid.
Memoria in Eccleſia Seguntina de Translatione à Simone Epiſcopo factâ. ibid.
Et de eadem à Frederico Epiſcopo completa. ibid.

*Longinus*

De S. Longino Martyrologia. 30
de eodem Scriptores. ibid.
Eiuſdem acta. 31
Origo & militia. ibid.
Cuſtos S. Pauli Apoſtoli. ibid.
Conuerſio & martyrium. ibid.
Tranſlatio & veneratio. ibid.

*Lucia.*

In Hiſpania patitur. 58
Martyrologia de ea. ibid.





Eius acta. 59
Origine Campana. ibid.
Hiſpanias venit. 59
Comprehenditur & Rictiouarum conuertit. ibid.
Sociorum nomina. ibid.
Coronatur. ibid.
S. Lucia Martyr Heraclæenſis ab antecedenti diuerſa. ibid.
De eadem Scriptores. ibid.

*Lucilla & Socij.*

SS. Lucilia, Flora, & Dionyſius Martyres Romani. 290
De iiſdem Martyrologia. 291
SS. Martyrum Acta. ibid.
Lucilla & Flora Virgines Romanæ accuſantur & torquentur. ibid.
Coronatur Dionyſius, & Tranſlatio. ibid.
Petri Equilini de SS. Martyribus Acta apocrypha. ibid.
Tranſlationis probatio. 291

*Lucus Aſturum.*

Huius vrbis topographia. 287
Sic dicta ad differentiam vrbis, quam Lucum Auguſti vocauere. ibid.

*Ludi Circenſes.*

Circenſium ludorum ethymon. 5
Olim conſuales dicti. ibid.
Inſtitutio. 6
Quo die celebrati? ibid.
Circi extructor. ibid.
Ara Conſi Dei in circo. ibid.
Ludi victoriales qui? 8
Ludi votiui qui? 9

M.

*Magus.*

Magicis vinculis Philetum liberat S. Iacobus Hiſpaniarum Apoſtolus. 216
Magi Dæmones à S. Iacobo miſericordiam petunt. ibid.
Illos à catenis igneis exoluit. ibid.
Dæmonum Magi reuerentia ad Apoſtolum. ibid.
Pietas Apoſtoli in ſolutione Magi. ibid.
Magus collectis libris Magicis Zabyras plenas ad Apoſtolum attulit. ibid.

*Mahomat.*

Mahomat vaſtat vrbes Chriſtianorum. 136
Saluam-terram capit. ibid.
Eiuſdem ſtratagema ad Calatrauam. 138
Dubitat de congreſſu. 139
Ad Nauas Toloſæ munitioné emittit. ibid.
Mahomat acies ad bellum parat. 140
Eius arrogantia & elatio. ibid.
Regis Mahomat ſitus & forma. 141
Mahomat Beatiam fugit. 142

*Maiorianus.*

S. Maioriani Epiſcopi Toletani confeſſoris celebris apud ſcriptores memoria. 179
Quintana-Dueñas incuria. 180
Acta ex variis Hiſpaniæ Scriptoribus. ibid.
Auum habuit Maiorianum vtriuſque militiæ Magiſtrum tempore Theodoſij. ibid.
Ad Toletanæ ſedis primatum euectus. ibid.
Concilio Africano interfuit. ibid.
Acta Martyrum ſcripſit. ibid.
Italiam pergit. ibid.
Addit in Symbolo fidei, verba illa: Qui à patre filioque procedit. 180
Fit Epiſcopus Placentię in Æmilia. ibid.
Moritur, & corpus Toletum transfertur. ibid.
Epitaphium. 181
Nobilitas probatur. ibid.
Iſtius ex Sydonio Apollinari proſapia indicatur. ibid.
Acta SS. Martyrum ſcripſit. ibid.
Contrahit Synodum Toleti. ibid.
Interfuit Concilio Mediolanenſi. ibid.

*Maiorica.*

Vna ex Inſulis Balearibus. 199
Hodie Mallorca. ibid.
De ea remiſſiuè. ibid.

*Mamia.*

Mamiæ vrbis Topographia. 289

*Margarita Antiochena.*

Marita & Margarita vna & eadem Virgo & Martyr eſt. 158
Huius rei probationes congerit Biuarius. ibid.
De S. Margarita Scriptores. ibid.
Eius Acta. 159
Attilij Seueri Luſitaniæ Reguli filia. ibid.
Educatio. ibid.
Perſecutio. ibid.
Fuga. ibid.
Amphilochiæ ſiſtit. ibid.
Capitur. ibid.
Cruciatur. ibid.
Vincit tormenta & Tyrannum. 160
Item Diabolum in forma Draconis. ibid.
Coronatur. ibid.

*Margarita Romana.*

S. Margareta Virgo & Martyr Romana diuerſa ab Antiochena. 185
Eius tranſlatio Româ Madritium. ibid.
Cui Dicata? ibid.

*B. V. Maria.*

B. V. Maria apparet Iacobo. 215. & 229
Oratorium ſibi petit dicari. ibid. & 231

*Marinus.*
De S. Marino Martyrologia. 103
De eodem Scriptores. 104
Diſcrimen inter Marinum militem, & hunc. ibid.
Acta S. Marini. 104
Origo. ibid.
Africam pergit. ibid.
Capitur. ibid.
Coronatur. ibid.
Marinorum memoria apud Vlyſiponem. ibid.
Apud Gallæciam. 105
Marinorum origo & inſigne in parmis. ibid.
*Martiana.*
Baronij lapſus circa hanc. 112
Probatur 4. rationibus. ibid.
De S. Martiana Scriptores. ibid.
Eius acta olim apud Fuldenſes Monachos, & alibi MSS. 113
Parentes. ibid.
Natiuitas. ibid.
Educatio. ibid.
Perſecutio. ibid.
Toletum deuenit. 114
Capitur & flagellatur. ibid.
Coronatur. ibid.
Miraculum. ibid.
An in crucem acta? ibid.
Acta ex hymno feſtiuitatis. 215
Acta ex Epigrammate. ibid.
Toletanæ vrbis Patrona. 116
Miraculum de ruina domûs Budarij probatur. ibid.
Equilini confuſio diluitur. ibid.
Concilij Illiberitani canon explicatur. ib.
*Martia Colonia.*
Topographia. 204
Hodie dicitur Marchena. ibid.
De eadem antiquæ baſis epigraphe. ibid.
A quo condita? ibid.
Quis eius Dynaſta? ibid.
*Martula.*
Martulæ topographia. 102
*Myrthilis-Iulia.*
Vide verb. Martula.
*Maximilianus.*
De S. Maximiliano Epiſcopo Calagurritano, & martyre Scriptores. 120
Eiuſdem Epitaphium. ibid.
*Monachus.*
Virtus propria, non Proauorum ſanguis, eſt Monachi mobilitas. 253
*Mutianus, & Socij.*
De SS. Marco, Mutiano, & Paulo Martyrologia. 33
De eiſdem Scriptores. ibid.
Pro eiſdem Decaſtichon. ibid.
Officio duplici donati. 34
Eorum acta. ibid.
Origo. ibid.
Chriſto adhærent. ibid.
Capiuntur. ibid.
Cruciantur. ibid.
Puer Martyres monet. ibid.
Puer flagellatur. ibid.
Pauli exhortatio ad Martyres. 35
Coronantur. ibid.
*Mundus.*
Mundus pro Chriſto deſpiciendus. 269
Natalis Mundi ſolemnitas apud Egyptios. 8
Natalis Mundi quo tempore? ibid.
N.
*Neptunus.*
NEptunus equeſtris quis? 6
Neptunalia quæ? 8
O.
*Obobriga.*
OBobrigæ Topographia, vbi error P. Biuar. notatur. 263
Obobriga diuerſa ab Amphilochia. ibid.
Hodie Moncio in Gallæcia dicitur, aut fortè potius Mouzon in Regno Portugalliæ. ibid.
*Odo.*
Martyrologia de eo. 82
Scriptores. ibid.
Acta S. Odonis. 82
Proſapia. ibid.
Parentes. ibid.
Studia. ibid.
Militia. ibid.
Vacat ſedes Vrgellenſis. ibid.
Eius infulas induit. ibid.
Diœceſim reformauit. 83
Mores in Præſulatu. ibid.
Mors. ibid.
Sepultura. ibid.
Decaſtichon ſepulchrale. ibid.
Miracula in vita & poſt mortem. ibid.
Mutus linguam & loquelam accipit. ibid.
Alius mutus vocem conſequitur. 84
Paralyticus curatur. ibid.
Item alius natione Gallus. ibid.
Item alter iuuenis ex Oppido Caſtripontis. ibid.
Dubium circa parentum S. Odonis nobilitatem. 85
Aliud dubium circa nomen prædeceſſoris in Epiſcopatu. ibid.
Quo anno in numerum Sanctorum relatus. ibid.
*Opigena Dea.*
*Opigenæ* Deæ ethymon. 9
*Oratio.*
Orationis vis. 286
*Orentius.*
Tres fuiſſe Orentios in Hiſpania ſanctos probatur. 60
Diuerſa obitûs computationis ſeries compulit Scriptores Granatenſis credere, duos fuiſſe Orentios Illiberitanos. 61
Vnus & idem tantum ex Maximi Chronico probatur. ibid.
Lapſus eorundem in aſſignatione vrbis, quâ obiit, & diei. ibid.
Alius eorum error in emendatione textus Martyrologij Romani. ibid.
De S. Orentio Scriptores. ibid.
Biuarij opinio taxatur. 62
De eodem Chronologi. ibid.
Eiuſdem Acta. 62
Origo. ibid.
Studia. ibid.
Epiſtola Sidonij ad eundem. ibid.
Eccleſiaſticam eruditionem amplectitur. 63
Fit Epiſcopus Tarraconenſis. ibid.
Et Illiberitanus. ibid.
Interfuit Conciliis Tarraconenſi & Gerundenſi. ibid.
Moritur. ibid.
Qualis vera nominis ſcriptura? ibidem.
Quo loco natus? ibid.
Commonitorium S. Orentj. 64
Huius præfatio. ibid.
Opuſculum. 65
Primum præceptum Decalogi. 66
Decalogi præceptum II. 68. & ſeqq.
Contra laſciuiam. 71. & ſeq.
Contra inuidiam. 75
In Auaritiam. ibid. & ſeqq.
De Eleemoſyna. 77
Laus pacis. 78
Contra ſuperbiam. 79
Contra Gulam. 80
Scripſit quoque vitam S. Magini Martyris. ibid.
Cuius Illiberis fuerit Epiſcopus? 82
Quod fuerit Bæticæ, probatur 4. rationibus. ibid.
Aliquorum inſtantia diluitur. 81
*Otioſus.*
Contra Otioſos Caſſiani dictum. 292
P.
*Pax-Auguſta.*
DE eius Topographia remiſſiuè. 264
*Pantaleon Martyr.*
Celebris eius memoria & paſſio apud Orientales. 277
De eodem Martyria & Scriptores. ibid.
Acta ex R. P. Petro & Ribadeneyra S. I. ibid.
Oriundus Nicomediâ. ibid.
Rhetoricæ & Philoſophiæ ſtudiis excelluit. ibid.
Medicinæ ſtudio ex vitæ inſtituto vacauit. 278
S. Pantaleo in fide docetur ab Hermolao. 278
Mortuum ſuſcitat. ibid.
Baptizatur, & fidei rudimentis eruditur. ibid.
Cœco lumen reddit. ibid.
Pater S. Martyris conuertitur. ibid.
Ab aliis Medicis accuſatur. ibid.
Cæcus Martyrio coronatur. ibid.
Liberalitas Pantaleonis in egenos. ibid.
Sanat Paralyticum coram Imperatore. ibid.
Cruciatur vngulis ferreis. 279
A Chriſto tribus vicibus mirabiliter liberatur. ibid.
Beſtiis obiicitur, ſed intactus. ibid.
De rota artificioſa illæſus euadit. ibid.
Hermolaus eius Magiſter capitur. ibid.
Coronatur cum fratribus. 280
Ad gladium Pantaleon damnatur. ibidem.
Decollatus vice ſanguinis lacte manauit. ibid.
Lipſana Hiſpaniam tranſlata. ibid.
Apud Portuenſes pars corporis. ibid.
Apud Burgenſes altera pars. ibid.
Apud Coloniam Germaniæ caput. 281
Apup Lugdunum Galliç caput alterius Pantaleonis. ibid.
Encomia & carmina pro S. Martyre. ibid. & 282
*Parentalia.*
Parentalia Fabiorum. 7
*Paulus Diaconus.*
De S. Paulo Diacono & Martyre Cordubenſi Martyrologia. 181
De eodem Scriptores. ibid.
Eius acta ex D. Eulogio Martyre. 182
E ciuibus Cordubenſibus progenitus. ibid.
Eius educatio. ibid.
Carceri mancipatur. ibid.
Tiberinus Pacenſis preſbyter. ibid.

Carceris

Carceris Cordubenſis deſcriptio. ibid.
Paulus Tiberinum à Carcere liberat. ibid.
Coronatur. ibid.
Sepelitur. ibid.
An Monachus? ibid.
Circa hoc carmina Cypriani Archipreſbyteri Cordubenſis. ibid.
Reſpondetur tacitæ obiectioni. 183

*Paulus & Helladius Martyres.*

Diuerſi à Nouiodunenſibus Galliæ. 283
De iiſdem Scriptores. ibid.
Acta ex Iuliano & aliis. 284
Ciues vrbis Gallæciæ. ibid.
Fides eorum & perſecutio? ibid.
Capiuntur & cruciantur. ibid.
Mirabiliter ſanantur. ibid.
Coronantur. ibid.
Octaſtichon Auli Hali de SS. Martyribus. ibid.

*Philaſtrius.*

De S. Philaſtrio Epiſcopo Brixienſi confeſſore, Martyrologia. ibid.
De eodem Scriptores. ibid.
Hiſpanus natione. ibid.
Acta S. Philaſtrij. 161
Origo. ibid.
Hiſpaniam deſerit. ibid.
Presbyter fit. 162
Arrianos oppugnat, à quibus verberatus. ibid.
Venit Brixiam. ibid.
Virtutes eius. ibid.
Feſtus Dies. ibid.
Obitus. ibid.
Athenas pergit. 163
Romam accedit. ibid.
Concilio Aquileienſi interfuit. ibid.
Annus obitus. ibid.

*S. Philippus.*

Quis fuerit? 106
Martyrologia de eo. 107
Annus agonis. ibid.
In Hiſpaniam tranſlatio. ibid.

*Phocatus.*

Plures huius nominis Diui. 123
Hic Epiſcopus & confeſſor Hiſpanus. ibid.
Nominis vera ſtructura. ibid.

*Poplifugia.*

Poplifugia ſacra quæ? 3
Quo die celebrata? ibid.

*Pietas.*

Pietas S. Praxedis. 198

*Praxedis.*

De S. Praxede Virgine, Romana, Martyrologia. 197
Acta eius ex R. P. Petro de Ribadeneira. ibid.
Filia Prudentis Senatoris Romani. ibid.
Exercitia. ibid.
Pietas. ibid.
Charitas. ibid.
Miſericordia. ibid.
Moritur. ibid.
Sepelitur. ibid.
Transfertur. ibid.
Corpus Maioricæ veneratur. ibid.
In D. Praxedem Virginem Romanam mœrore ob Chriſtianorum clades confectam Carmen. 198

*Priſcilla.*

Vide, S. Aquila & Priſcilla. 86

*Proculus & Hilarion.*

De iis Menologium. 118
Martyrologia. ibid.
Galeſinij lapſus. ibid.
Quo iure Hiſpani iſti SS. Martyres? ibid.
Eorum Acta. 118
Origo. ibid.
Perſecutio. 119
Vincula. ibid.
Cruciatus. ibid.
Corona. ibid.
Cultus. ibid.
Eorum cultus poſt duo ſecula apud Serpam. ibid.

*Pudicitia.*

S. Sæculinæ pudicitia. 205

R.

*Religio.*

RELigio Chriſtiana ab Ethnicis ſuperſtitio vocata. 118

*Rex.*

Reges Hiſpani olim conſecrabantur & inungebantur. 14
In Regum Gothorum conſecrationibus, vnctionibus & coronationibus qualis forma? 15
Quo vnguenti genere? ibid.

*Rictiouarus.*

Rictiouari duo, alius Gallicanus, & alius Hiſpanus: ille præcipitatus, iſte Martyr. 59

*Ruffina.*

Vide, *S. Iuſta.*

S.

*Sabigotho.*

SAbigothonis origo. 267
Huius virginis venuſtas. ibid.
Eximiæ animi dotes. ibid.
Coniugium cum Aurelio. ibid.
Aurelius ad Sabigothonem vxorem 268
Sabigotho ad Maritum. 269
Coniugum Caſtitas. ibid.
Virtutum ſtudia. ibid.
Ieiunia & orationes ſine intermiſſione. ibid.
Pauperum Cura. ibid.
Sabigothonis pietas. 270
Flora & Maria Sabigothoni apparent. ibid.
Sabigotho ad Virgines. ibid.
Martyres ad Sabigothonem. 271
Sabigothonis exercitia. ibid.
Sabigotho eiuſque maritus præclare ſe præparant ad Martyrium. ibid.
Natorum poſtponunt affectum. ibid.
Omnia mundialia pro Chriſto deſpiciunt ibid.
Bona ſua vendunt & pauperibus diſtribuunt. ibid.
Tabanenſe cœnobium viſitant. ibid.
Quæ inibi documenta hauſerint. ibid.
Stupenda eorum mundi renuntiatio. ibidem.
Diuinum vnius infantularum Sabigothonis ad Eulogium reſponſum. ibid.
Sabigotho martyrium lamentis quærebat. 272
Menteſis filia Sabigothoni apparet. ibid.
Sabigotho apparet Georgio. 274
Sabigotho & Lilioſa ad Eccleſiam accedunt. ibid.
Martyrio coronatur. ibid.
S. Sabigothonis Caput apud Pariſios. 277

*Sadacia.*

Topographia huius vrbis penitus authori ignota. 121
De eius ſitu duæ opiniones. ibid.
In ea martyrium paſſus S. Maximilianus Epiſcopus Calagurritanus. 120

*Salambona.*

Salambonæ Deæ ſimulachrum. 165
Vaſa Virginum conterit. ibid.
Virgines Idolum repellunt. ibid.
Salambona Dea quæ? 169
Opinio prima Authoris. 169
Opinio II. R. P. F. Luiſij Tineo Præmonſtratenſis. ibid.
Quis Salambonam Hiſpali inuexit? 170
D. Alphonſi Nuñez Godoy Epiſtola ad Authorem de *Salambonæ* Simulachro. 171

*Sebaſtianus.*

S. Sebaſtiani oratio & conſtantia. 29

*Seculina.*

De S. Seculina Virgine Sanctimoniali Scriptores.
Acta eius referuntur. 205
Natione Hiſpana ex vrbe Albugenſi. ibidem.
Pudicitia. ibid.
Matrimonio deſpondetur. ibid.
Sponſum ad continentiam prouocat ibidem.
Monaſticam vitam eligit. ibid.
Fit Abbatiſſa. ibid.
Ad Chriſtum migrat. ibid.
Sepelitur. ibid.
Colitur. ibid.
Probantur Acta. ibid.

*Sennen.*

Vide Verb. *SS. Abdon & Sennen.* ibid.
Plaga Simiarum aduerſus Arelatenſes. 292

*Seraphina Virgo.*

S. Seraphina Virgo Mamienſis in Gallæcia. 288
De eadem Martyrologia & Scriptores. ibid.
Ex Aulo Halo de eadem verſus. ibid.
Acta hucuſque à nullo ſcripta, ex Iuliano & aliis. ibid.
Apud Obobrigam vrbem orta ab incunabulis Gentilium ritus ebibit. ibid.
À S. Iacobo Gallæciam adueniente conuertitur Virgo, & baptizatur. ibid.
Plena dierum ad ſponſum properauit electa. 289
Annus obitus illuſtratur. ibid.

*Serpa.*

Serpæ Vrbis Topographia. 119
Apud Serpam SS. Proculi, & Hilarionis cultus poſt duo ſecula. 119

*Sexiſirmium.*

Eius Topographia. 133
Quadrupliciter vocitatur. ibid.
Hodie *Frigiliana* in regno Granatæ. ibid.

*Simeon Agricola.*

S. Simeonis Agricolæ memoria. 17
Locus Sepulchri. ibid.
Dies cultus. ibid.

*Simon.*

Simon Epiſcopus Seguntinus celebris. 134

*Siſenandus.*

De S. Siſenando Diacono Martyre Cordubenſi Martyrologia. 143
Acta eiuſdem. ibid.
Studia. ibid.
Sui agonis horam præſciuit. ibid.
Capitur ad Martyrium. 144
Coronatur. ibid.
Sepelitur. ibid.
Quâ ex Vrbibus Pacenſibus ortus Martyr? ibid.

# Index Rerum Notabilium.


Ex Auguſta probatur duabus rationibus. 144

De tranſlatione pignorum Authores. ibidem.

*Sixtus.*

De S.Sixto Martyre Gerundenſi Scriptores. 153

Acta paſſionis, Inuentionis, & tranſlationis pignorum erorum. ibid.

Præfatio. ibid.

Fideles corpora matyrum abſcondebant. 154

Angelus apparet Agricolę. ibid.

Agricola vidit in vinea lumen. ibid.

Capſas ligneas inuenit. ibid.

Immobiles factæ ſunt. ibid.

Aræ pro collocatione Capſarum eriguntur, Oppidanorum deuotio. ibid.

*Societas Ieſu.*

Summorum Pontificum de Societate laudes. 302

Imperatorum, & Regum Encomia de eadem Societate. ibid.

Occaſio Nominis Societatis Ieſu. 310

Societatis confirmatio. ibid.

*Speratus.*

De SS. Sperato, Natalio, Cyrino, Donata, Secunda, & Baſſia Martyribus Carthaginenſibus in Hiſpania. 155

Circa horum Sanctorum locum paleſtræ Baronij lapſus. ibid.

Baronio fit ſatis. ibid.

Hymni cuiuſdam verus ſenſus. ibid.

De iiſdem Martyrologia. ibid.

De iiſdem Scriptores. ibid.

Eorundem Acta. 156

Ciues Carthagines nouæ. ibid.

A Saturnino Proconſule capiuntur. ibidem.

D mnantur. ibid.

Coronantur. ibid.

De S. Sperato hymnus. 157

Transfertur corpus S. Sperati Affricam: ibid.

Poſt Lugdunum Galliæ. ibid.

*Stremotium.*

Stremotij Oppidi topographia. 116

T.

*Tabanenſe Cænobium.*

TAbanenſis Cœnobij elogium. 271

*Tactus.*

De S. Tacto Scriptores. 200

De eodem remiſſiuè. ibid.

Epigramma ad eundem. ibid.

Dies obitus. 201

Acta S. Tacti Epiſcopi Ilerdenſis in Cathalaunia. 201

Origine Hiſpanus. ibid.

Epiſcopus. ibid.

Exercitia. ibid.

S. Enneco Abbas Onnienſis. ibid.

Illi abhærere deſiderat Tactus. ibid.

Fit Monachus. ibid.

Eius Sanctitas. ibid

Infirmitas. ibid.

Mors. ibid.

Sepultura. ibid.

Annus obitus. ibid.

*Tarraco.*

Cathalogus Epiſcoporum Tarraconenſium. 54. 55. 56. 57.

Vrbis Tarraconis topographia. 53

Huius vrbis Apoſtolus quis? ibid.

*Thyar.*

Thyar vrbe Nercaonum SS. Audax & Anatholia virgo paſſi. 98

Vrbis Thyar topographia. 99

Eiuſdem conditores. ibid.

Eius Etymon. 100

*Theodomirus.*

S. Theodomiri Abbatis & Martyris Cordubenſis memoria apud Martyrologia & Scriptores. 253

Eius Acta ex D. Eulogio, & R. P. Martino à Roa Soc. Ieſu. ibid.

Ex nobili Gothorum Sanguine in Vrbe Carmone in Bætica natus eſt. ibidem.

Virtus propria, non Proauorum ſanguis, Monachi nobilitas. ibid.

Studiis vacat & cucullam Religionis accipit ibid.

Ad Sacerdotij Ordinem promouetur. 254

Eius conſtantia contra Abderhamanum Saracenorum Regem. ibid.

Ad Abbatiatus prouehitur impendia. ibidem.

Capitur, Coronatur, & ſepelitur. ibidem.

Sacrorum pignorum Tranſlatio, & Inuentio. ibid.

Reliquiæ S. Martyris ipſius Ciuitatis Patroni apud Carmonem. ibid.

In vrbis Porta appoſitum Exaſticon in S. Martyris honorem. ibid.

Aliquorum error & merum gloſſema de S. Theodomiro. ibid.

De S. Theodomiro Abbate & Martyre Cordubenſi Epigramma. ibid.

Theodo-

*Theodomirus.*

S. Theodomirus Epiſcopus Calagurritanus Confeſſor. 297

Monachus fuit diuerſus à Martyre Cordubenſi. ibid.

Carminum floretum de hoc Præſule. ibidem.

Calagurritanus Epiſcopus titularis fuit. 297

De S. Theodomiro Scriptores. ibid.

Acta ex Luitprando, & aliis. 298

Origine Hiſpanus, & Benedictini Ordinis Monachus. ibid.

Scripta eius contra Iconomachos. ibidem.

Claudius Taurinenſis ſcripſit contra Theodomirum. ibid.

Quis Claudius remiſſiuè? ibid.

*Tolobæus.*

De S. Tolobæo Scriptores. 35

Acta S. Tolobæi. ibid.

Origo eius & infula. ibid.

S. Turibio adhærere deſiderat. ibid.

Dimiſſa Sede Eremum petit. 36

Monachum agit. ibid.

Exercitia ſpiritualia. ibid.

Exercitia manualia. ibid.

Moritur. ibid.

An Monachus? ibid.

Quo anno moritur? ibid.

Quo loco ſepultus? ibid.

*Toletum.*

Toleti conditor Alcides probatur. 116

*Tranſlatio S. Laureani.*

De S. Laureano Martyrologia. 37

De eodem Flores Sanctorum. 38

Eiuſdem Acta. ibid.

Pannonienſium territorio oriundus. 38

Educatio. ibid.

Fit Diaconus. ibid.

Hiſpaniam venit. ibid.

Fit Archidiaconus Hiſpalenſis. ibid.

Fit Epiſcopus Hiſpalenſis. ibid.

Hiſpalim deſerere iubetur. 38

Cæcum in via illuminat. ibid.

Maſſiliam appulſus ſuſcitat puerum. 39

Romam venit vbi paralyticum ſanat. ibidem.

Angelus Martyrij locum deſignat. ibidem.

Illuc pergit, vbi coronatur. ibid.

Caput manibus defert. ibid.

Hiſpalim dimittitur. ibid.

A quo eruditus, baptizatus & ordinatus? *Mart. Hiſpan. Iulij.*

Quo anno occubuit Martyr? ibid.

Quo loco caput adlatum? ibid.

Andreæ Sauſſaij error circa corpus S. Laureani. 40

Caput ab excidio Hiſpanico ignoratum. ibid.

Series inuentionis & Tranſlationis Sacrorum pignorum ab Euſebio Arelatenſi. ibid.

Templa S. Martyri Hiſpali dicata. ibidem.

*Tranſlatio S. Braulij.*

De hac Tranſlatione qui Scriptores agant. 175.

Acta inuentionis ſeu Tranſlationis ſacrorum pignorum ſancti Braulij ex probatis authoribus. ibid.

Annus Tranſlationis. ibid.

Corpus S. Braulij abſconditur nè in Sarracenorum manus deueniret. ibid.

Petro Pontifici reuelatur. ibid.

Inuenitur & proceſſionaliter ad B. Virginis de Columna cappellam transfertur. ibid.

Miraculorum frequentia in hac tranſlatione. 176

Duplex feſtum de S. Braulio in Eccleſia Cæſarauguſtana. ibid.

*Tranſlatio S. Eulaliæ.*

De ea meminere Scriptores. 105

Huius tranſlationis res geſtæ. ibid.

Reliquiæ S. Virginis qua occaſione inuentæ. ibid.

Triduanum indicitur ieiunium. 106

B. Virginis & Martyris exuuiæ, odore ſuauiſſimo præcedente, repertæ. ibid.

Miraculum in harum reliquiarum Tranſlatione. ibid.

In ſacrario conduntur. ibid.

Tranſlatio ſecunda in honorabiliorem locum. ibid.

Regum & Prælatorum aſſiſtentia. ibid.

Eulaliæ patrocinium nauigantes experiuntur. ibid.

Item agricolæ contra temporum ſiccitatem. ibid.

Verus Tranſlationis Annus. ibid.

*Trecæ.*

Trecarum in Gallia Topographia. 264

Huius Vrbis Epiſcopus S. Vrſus. ibid.

*Triumphus S. Crucis.*

Cauſa feſtiuitatis. 135

De eadem Scriptores. ibid.

Acta expeditionis Victoriæ Regis Alphonſi

# Index Rerum Notabilium.


VIII. ad Nauas Tholoſæ, cuius occaſione feſtiuitas *Triumphi S. Crucis* in Hiſpania celebris eſt. 136. & ſeqq.
Crux Præſulis Toletani miraculoſè cuſtodita. 142
Crux apparet in cœlo. ibid.
Militiæ cruce ſignatæ. 137

*Tulga.*

Tulga Rex Hiſpaniæ à S.Eugenio coronatur. 13
Gemblacenſis de Tulga commentum detegitur. 14
Regis Tulgæ ſepulchrale carmen. ibidem.

V.

*Vaticinia.*

Vaticinia Prophetarũ de Chriſto. 217
Vaticinia de Conceptione & Natiuitate. ibid.
De Paſſione. ibid.
De Reſurrectione, & de Aſcenſione. 218

*Veranus.*

S. Veranus èxul à S. Concordio benignè excipitur. 16

*Verecundus.*

Quis fuit Verecundus Archipreſbyter Toletanus? 13

*Victoria.*

Victoria Vitula quæ? 5
Quo die celebrata? ibid.
Eadem Dea lætitiæ vocitata. ibid.

*Victor & Socij.*

Dextri locus obſcurus elucidatur. 194
Biuarij lapſus. 195
Probatur duplici ratione. ibid.
Carmen quo Dextri locus illuſtratur. ibidem.
Actorum verba probantur. ibid.
Cantabricum littus oppoſitum Maſſiliæ. ibid.
Andreas Sauſſæus totam Tranſlationis ecphraſim omiſit. 196
Obiectioni tacitæ reſpondetur. ibid.
SS. Martyrum elogia. ibid.
Acta SS. Victoris, Alexandri, Feliciani, Longini, & Deuterij. Martyrum Maſſilienſium. ibid.
Comprehenditur. ibid.
Torquetur. 197
Cuſtodes conuertuntur. ibid.
Martyres coronantur. ibid.
Pluries torquentur. ibid.
Coronantur. ibid.
Eodem inſtanti vox de cœlo: Viciſti Victor Beate.
Corpora in mari proiecta. ibid.
Hiſpaniam veniunt. ibid.
Reliquias Maſſilia impetrat. ibid.
Miracula. 197
Annus agonis. ibid.

*Victor miles, Stercatius, & Antinogenes.*

Celebris eorum in Martyrologiis memoria. 206
De eis Scriptores. ibid.
Acta S. Victoris & ſociorum. 207
Origo. ibid.
Captura. ibid.
Conſtantia. ibid.
Torturæ. ibid.
Equuleum. ibid.
Corona. ibid.
Annus paſſionis aſſignatur. ibid.

*Virginitas.*

Virginitatis encomia. 97

*Viſitatio B. Mariæ Virginis.*

Viſitationis inſtitutio, & à quo anno? 18.
Sixtus IV. feſtum Viſitationis in Hiſpanias induxit. 19
Cauſa inſtitutionis. 20
Hiſtoriam viſitationis huiuſmodi quis ſcripſerit. ibid. & ſeqq.
In feſto Viſitationis Hymnus ad Veſperas. 24
Ad Laudes Hymnus. ibid.
In ſecundis Veſperis hymnus. 25
Quibus in Eccleſiis officium vetus conſeruetur? ibid.
Ex qua Vrbe diſceſſit, & ad quam acceſſit B. Virgo? ibid.
Quo nomine vocabatur ciuitas Iuda, vbi erat Elizabeth? ibid.
Quare in Vrbe Cariatharbe hoc myſterium? ibid.
I Cauſa à loci nobilitate. ibid.
II. Cauſa à loci myſterio. ibid.
III. Cauſa ab vrbis etymo. 26
Cur B. Virgo ad Elizabetham profecta? ibid.
Quinque huius cauſæ recenſentur. ibidem.
Cur feſtum hoc non inſtitutum die quo euenit actio. 27
Quare menſe Iulio? ibid.
An Ioſeph cum Virgine profectus? ibidem.

*Vitalis Martyr.*

De S. Vitali Martyrologia. 27
A quo conuerſus S. Vitalis? ibid.
De S. Vitali Scriptores. ibid. & 28
Acta à quibus ſcripta? 28
S. Vitalis acta. ibid.
Origo. ibid.
Italiam pergit. 29
Hiſpanias repedat. ibid.
Iterum Italiam reuertitur. ibid.
Marcum & Marcelliannum amicos à fide diuertere conatur. ibid.
A S. Sebaſtiano conuertitur. ibid.
A Polycarpo baptizatur. ibid.
In Campania capitur, & coronatur. ibidem.
Vbi ſacrum corpus? ibid.
Biuarij & aliorum commentum circa fraternitatem S. Marthæ Aſturicenſis. 30
Quo anno coronatur? ibid.
Quo loco? ibid.
S. Vitalis Romanus. 31
Eius ſanctitas & tranſlatio. 32
Teſtimonium de tranſlatione. ibid.

*Vitulatio.*

Vitulatio quæ? 3

*Vrbanus.*

D S. Vrbano Martyrologia. 31
Tranſlatio corporis. ibid.
De hoc tranſlatione Diploma. ibid.

*Vrſus Epiſcopus.*

De S. Vrſo Epiſcopo Pace-Auguſtano, Confeſſione, Martyrologia. 264
Duplici ſede fruitur. ibid.
Pro S. Vrſo S. M. Maximi verba probatur. ibid.
Acta à nullo hactenus ſcripta, hic dantur. ibid.
S. Vrſus origine Aluernus in Gallia. 264
Ad Pacis-Auguſtanæ Sedis apicem ſufficitur. ibid.
A Sede per Leouigildum Arianum expellitur. ibid.
Ad Trecenſis Sedis faſtigium euehitur. ibid.
Plenus dierum & bonorum operum in pace apud Meldenſes quieuit, & ibidem ſepultus. ibid.

*S. Vrſus Abbas Confeſſor.*

De eo Martyrologia. 285
Primò apud Hiſpanos Monachus. ibid.
Gregorio Turonenſi reſpondetur. ibid.
Acta ex Gregorio Turonenſi. ibid.
Sanctus Vrſus Cadurcinæ vrbis incola. ibid.
Monaſteria conſtruit plurima in Gallia. 285
Molendinum extruit. 286
Sichlarij Gothi cupiditas. ibid.
Miraculum edit. ibid.
Obitus eius. ibid.
Error in codicibus Gregorij Turonenſis detegitur & ſanatur. ibid.
Biuarij ſuſpicatio de Monaſterio Locis vel Lochis diluitur. ibid.

*Vvigelfortis.*

De ea Martyrologia. 177
Apud Scriptores mentio. ibid.
Attilij Luſitanorum Reguli filia. ibid.
Colitur Religioſe multis Germaniæ locis. ibid.
Quo nomine eam Germani vocitent. ibid.
Hæc Virgo fuit binominis. ibid.
Eius acta in breuiario antiquo Eccleſiæ Seguntinæ. ibid.
Et in manuali edito Madridij. ibid.
Sanctæ Wilgefortis natiuitas. 178
Educatio. ibid.
Perſecutio. ibid.
Captura. ibid.
Virginis Parentum perſuaſio. ibid.
Wigilfortis ſeceſſus in eremum. ibidem.
Cum aliis Chriſtianis. ibid.
Comprehenditur ab impiis Idolorum cultoribus. ibid.
Tortoribus læta fronte obuiam it. ibidem.
Crucifigitur. ibid.
Virginis Corpus à Chriſtianis de cruce depoſitum honorificè tumulatur. ibidem.
Per aliquot ſæcula abſque honore requieuit. ibid.
Pluries transfertur. ibid.
Roderici de Acuña error. ibid.
An S. Vvigilfortis Hiſpana, ſit eadem ac illa à Germanis culta? 179
De hac Virgine hymnus. ibid.
Qua Vrbe paſſa ibid.


¶¶¶ 3 Z

Z.

Ζαβειρόν.

ZΑβειρόν, græcè armamentorum repoſitorium eſt. 216

Hermogenes Magus Zabyras plenas ad S. Iacobum attulit.

Appendit Magus Zabyris lapides & plumbum, & mittit in mare. ibidem.

*FINIS.*

# MENSIS
# AVGVSTI
# MARTYROLOG.
# HISPANVM.

# INDEX

## Sanctorum, & Feſtorum, quæ in Menſe Avgvsto continentur, per Dierum curſum.


I. Sanctvs Lucius Epiſcopus Barcinonenſis M. 330
S. Felix Doctor Gerundenſis M. ibid.
SS. Romanus & Maximus Gerundenſes MM. ibid.
S. Secundinus Monachus Cæſaraugust. Confeſſ. ibid.
S. Maurus Martyr Romanus. ibid.
II. S. Flauius Rutilius M. 339
S. Petrus Vxamenſis Epiſcop. Confeſſor. ibid.
S. Gualterus Diſcipulus S. Franciſci. ibid.
III. S. Honoratus Martyr Romanus. 347
S. Seuerus Epiſcopus Barcinonenſis M. ibid.
IV. SS. Peregrinus, Machoratus, & Viuentianus MM. 349
S. Dominicus Patriarcha Prædicatorum. ibid.
V. S. Memmius Apoſtolorum Diſcipulus M. 382
S. Afra Martyr Auguſtana. ibid.
S. Dominicus Abbas Alcobacenſis. ibid.
VI. S. Sixtus Papa & Martyr. 387
S. Innocentius Subdiaconus M. ib.
SS. Iuſtus, & Paſtor Complutenſes MM. ibid.
SS. Stephanus Abbas & CC. Monachi MM. ibid.
S. Vrbicus Epiſcopus, & Martyr. ibid.
S. Feliciſſimus Martyr. ibid.
S. Stephanus Martyr. ibid.
VII. Tranſlatio I. S. Euphemiæ V. M. 412
S. Iulianus Martyr. ibid.
Tranſlatio S. Ioannis Sahaguntinenſis. ibid.
VIII. S. Famianus Confeſſor. 418
IX. S. Romanus Miles M. 423
Tranſlatio S. Eudaldi Presbyteri. ibid.
X. S. Laurentius Diaconus M. 427
SS. Baſſa, Paula, & Agathonica VV. MM. 428
XI. S. Suſanna V. M. 460
S. Gaugericus Epiſcopus. ib.
S. Tyburtius Martyr. ibid.
XII. SS. Gracilianus, & Feliciſſima MM. 467
S. Arthemia V. & Martyr. ibid.
S. Pontius Porcharius Abbas. ib.
XIII. SS. Centolla V. & Helena Vidua MM. 464. *ſecundò.*
S. Concordia Martyr. ibid.
XIV. S. Aëtius Epiſcopus Martyr. 468
S. Oroſius Presbyter Confeſſ. ib.
S. Marcellus Epiſcopus Martyr. ibid.
S. Creſcens Puer Martyr. ibid.
XV. Aſſumptio B. V. Mariæ Dei-Genitricis. 473
S. Audentius Epiſcopus Conf. ib.
S. Pelagius Epiſcopus Confeſſor. ibid.
S. Pelagius Epiſcopus Confeſſor. ibid.
XVI. S. Serena vxor Diocletiani. 488
S. Simplicianus Epiſcopus, & Confeſſor. ibid.


† 2 S. Titus

# Index Feſtorum Auguſti.


S. Titus Diaconus Martyr. ibid.

XVII. Tranſlatio II. S. Euphemiæ V. & M. 492

Ded.catio S. E. Granatenſis in Bætica. 493

XVIII. Tranſlatio S. Dominici Exilienſis Abbatis. 502

XIX. S. Ludouicus Epiſcopus Toloſanus. 504

SS. Marinus, & Patronus MM. ib.

SS. Iulius Senator Martyr. ibid.

XX. SS. Seuerus, & Memnon MM. 511

S. Maximus Eremita. ib.

S. Philibertus Eremita. ibid.

SS. Chriſtophorus, & Leouigildus MM. ib.

S. Bernardus Abbas. ibid.

XXI. SS. Vincentius & Iulianus MM. 528

SS. Iuuenalis, Bonoſus, & Maximus MM. ibid.

SS. Bonoſus, & Maximianus Blandenſes MM. ibid.

SS. Bonoſus, & Maximianus Vrgabonenſes MM. ibid.

S. Vildefridus Presbyter Confeſſ. 529

S. Quadratus Epiſcopus Confeſſor. ibid.

S. Sampſon Abbas Confeſſor. ibid.

S. Palladius Epiſcopus Confeſſ. ib.

S. Camerinus Epiſcopus Mart. ib.

XXII. SS. Philibertus, & Fabritianus MM. 543

SS. Bernardus, Gratia & Maria MM. ibid.

XXIII. SS. Eleazarus & filij MM 554

S. Fabianus Epiſcopus Confeſſ. ib.

S. Lupus Martyr. ibid.

S. Sidonius Apollinaris Confeſſor. ibid.

S. Maximus Martyr. ibid

XXIV. S. Eutychius Martyr. 565

S. Aurea Virgo, & Martyr. ibid.

XXV. S. Geneſius Miles Martyr. 568

S. Geruntius Epiſcopus Confeſſor.

S. Maginus Anachoreta Martyr. ibid.

S. Ludouicus Rex Galliæ. ibid.

S. Vincentius Martyr. ibid.

XXVI. S. Mames Martyr Tudenſis. 587

S. Victor Cerecenſis Presbyter Martyr. ibid.

XXVII. S. Licerius Epiſcopus Confeſſor. 592.

S. Gudila Diaconus Confeſſor. ibid.

XXVIII. S. Bibianus Epiſcopus Confeſſor. 597

S. Auguſtinus Epiſcopus, & Doctor Eccleſiæ.

XXIX. S. Baſilia Virgo, & Martyr. 611

S. Adelphus Epiſcopus Confeſſor. ibid.

SS. Ioannes, & Petrus Martyres. 612

S. Candida Virgo & Martyr. ib.

XXX. Tranſlatio S. Agnetis V. M. 618

SS. Pelagius, Arſenius, & Syluanus Monachi. ibid.

Benedictini Eremitæ Confeſſores. ibid.

XXXI. B. Iſabella Sanctimonialis Virgo Regia. 623

B. Dominicus Vallenſis Martyr. ibid.

Dedicatio S. E. Malacitanæ in Bætica. ibid.

Dedicatio S. E. Viccenſis in Catalonia. ibid.




# SANCTORVM NOMINA
## Quorum ACTA exprimuntur in Menſe AVGVSTO Alphabeticè.


A.

ADELPHVS Epiſcopus Confeſſor. pag. 611

Aëtius Epiſcopus Martyr. 468

Agathonica Virgo & Martyr. 467

Agnetis Tranſlatio. 618

Afra Martyr. 382

Arſenius Eremita. 618

Arthemia Virgo, & Martyr. 467

Aſſumptio B.V. Mariæ. 473

Audentius Epiſcopus Confeſſor. ibid.

Auguſtinus Epiſcopus, & Doctor. 597

Aurea Virgo, & Martyr. 565

B.

Baſſa Virgo, & Martyr. 427

Baſilia Virgo, & Martyr. 611

Bernardus Abbas. 511

Bernardus Monachus Martyr. 543

Bibianus Epiſcopus Confeſſor. 597

Bonoſus Octogenſis Martyr. 528

Bonoſus Blandenſis Martyr. ibid.

Bonoſus Vrgabonenſis Martyr. ibid.

C.

Candida Virgo & Martyr. 612

Camerinus Epiſcopus Martyr. 528

Centolla Virgo & Martyr. 464 *ſecundò.*

Chriſtophorus Monachus Martyr. 511

Concordia Martyr. 464. *ſecundò*

Creſcentius Puer Martyr 468

D.

Dedicatio S. E. Granatenſis. 493

Dedicatio S. E. Malacitanæ. 523

Dedicatio S.E. Viccenſis. ibid.

Dominicus Patriarcha. 349

Dominicus Abbas. 382

Dominici Exilienſis Tranſlatio. 18

Dominicus Vallenſis Martyr. 623

Ducenti Monachi Martyres. 387

E.

Eleazarus & Socij Martyres. 554

Eudaldi Martyris Tranſlatio. 423

Euphemiæ V. & Martyris Tranſlationes. 412. & 492.

Eutychius Martyr. 565

F.

Fabianus Epiſcopus Confeſſor. 554

Fabritianus Martyr. 542

Famianus Confeſſor. 418

Feliciſſima Martyr. 467

Feliciſſimus Martyr. 387

Felix Doctor & Martyr. 330

Flauius Rutilius Martyr. 339

G.

Gaugericus Epiſcopus Confeſſor. 460

Geneſius Miles Martyr. 568

Geruntius Epiſcopus Confeſſor. ibid.

Gratia Virgo & Martyr. 543

Gracilianus Martyr. 467

Gualterus Monachus. 339

Gudila Diaconus Toletanus. 592

H.

Helena Vidua Martyr. 464 *ſecundò.*

Honoratus Martyr. 347

I.

Ioannis Sahaguntinenſis Tranſlatio. 412

Ioannes Monachus Martyr. 611

Innocentius Matyr. 387

Iſabella Virgo Sanctimonialis. 623

Iulianus Martyr. 412

Iulianus Martyr. 528

Iulius Senator Martyr. 504

Iuſtus Martyr. 387

Iuuenalis Martyr. 528

L.

Laurentius Diaconus Martyr. 427

Leouigildus Martyr. 511

Licerius Epiſcopus Confeſſor. 592

Lucius Epiſcopus Martyr. 330

Ludouicus Epiſcopus Confeſſor. 504

Ludouicus Rex Confeſſor. 568

Lupus Martyr. 554

M.

Machoratus Monachus Martyr. 349

Maginus Eremita Martyr. 568

Mames Confeſſor. 587

Maria Virgo, & Martyr. 543

Marinus Epiſcopus Confeſſor. 504

Maximus Octogenſis Martyr. 528

# Index Feſtorum Auguſti.


Maximianus Blandenſis Martyr. ibid.
Maximianus Vrgabonenſis Martyr. ibid.
Maximus Gerundenſis. 330
Maximus Confeſſ. 511
Maximus Martyr. 554
Marcellus Epiſcopus Martyr. 468
Maurus Martyr. 330
Memmius Epiſcopus Martyr. 382
Memnon Centurio Martyr. 511

O.

Oroſius Presbyter. 468

P.

Palladius Epiſcopus. 529
Paſtor Martyr. 387
Paula Virgo, & Martyr. 428
Pelagius Epiſcopus Confeſſor. 473
Pelagius Eremita. 618
Peregrinus Monachus Martyr. 349
Petrus Epiſcopus Confeſſor. 339
Petrus Martyr. 612
Petronus Confeſſor. 504
Philibertus Eremita. 511
Philibertus Martyr. 543
Pontius Porcharius Abbas. 467

Q.

Quadratus Epiſcopus. 529

R.

Romanus Gerundenſis Martyr. 330
Romanus Miles Martyr. 423

S.

Secundinus Monachus. 330
Sampſon Abbas. 529
Serena Martyr. 488
Seuerus Epiſcopus Martyr. 347
Seuerus Martyr. 511
Sidonius Apollinaris. 554
Siluanus Eremita. 618
Sixtus Papa Martyr. 387
Simplicianus Epiſcopus. 488
Stephanus Abbas. 387
Stephanus Martyr. ibid.
Suſanna Virgo, Martyr. 460

T.

Titus Diaconus Martyr. 488
Tranſlatio S. Euphemiæ. 412. & 492
Tranſlatio S Ioannis Sahaguntini. 412
Tranſlatio S. Eudaldi. 423
Tranſlatio S. Dominici Exilienſis. 502
Tranſlatio S. Agnetis V. Martyris. 618
Tyburtius Martyr. 460

V.

Victor Presbyter. 587
Vigilia S. Laurentij. 423
Vildefridus Presbyter. 529
Vincentius Martyr. 528
Vincentius Martyr. 568
Viuentianus Monachus Martyr. 349
Vrbicus Epiſcopus Martyr. 387


SANCTORVM

# INDEX
## Chorographicus Sanctorum & Feſtiuitatum huius Menſis AVGVSTI.


*ALCOBACIA in Portugallia.*

SANCTVS Dominicus Abbas. 382

*ALZIRA in Edetanis.*

SS. Bernardus, Gratia, & Maria Martyres. 543

*APAMEA.*

S. Marcellus Epiſcopus, & Mart. 468

*AVRIA in Gallæcia.*

Tranſlationes S. Euphemiæ V. M. 412. & 492

*BARCINO.*

S. Lucius Epiſcopus & Mart. 330
S. Seuerus Epiſc. & Mart. 347
S. Aëtius Epiſc. & Mart. 468

*BLANDA.*

SS. Bonoſus, & Maximianus Mart. 528

*BRACARA.*

S. Fabianus Epiſc. Confeſſ. 554
S. Sidonius Apollinaris. ibid.

*BVRGINATVM in Bætica.*

SS. Vincentius, & Iulianus Mart. 528

*BVRGIS.*

SS. Stephanus Abbas, & CC. Monachi Mart. 387
SS. Pelagius, Arſenius, & Syluanus Monachi. 618

*CÆSARAVGVSTA.*

S. Secundinus Confeſſor. 330
S. Dominicus Vallenſis Martyr. 623

*CARTAGO SPARTARIA.*

SS. Baſſa, Paula, & Agathonica Virgines & Martyres. 427

*CASTRVM CAMONE in Gallæcia.*

S. Maximus Confeſſ. 427

*CERESVM.*

S. Victor Presbyter. 587

*COMPLVTVM.*

SS. Iuſtus, & Paſtor Martyres. 387
S. Maximus Martyr. 554

*CORDVBA.*

S. Flauius Rutilius Martyr. 339
S. Stephanus Martyr. 387
SS. Chryſtophorus, & Leouigildus Martyres. 511
S. Sampſon Abbas. 529
S. Geneſius Miles Martyr. 568

*CLVNIA.*

S. Simplicianus Epiſcopus. 488

*DEOBRIGA.*

SS. Seuerus, & Memnon Martyres. 511

*FORVM-FLAVICANVM.*

S. Lupus Martyr. 554

*GALLÆCIA.*

S. Suſanna Virgo & Martyr. 460
S. Arthemia Virgo & Martyr. 467
S. Serena Martyr. 488
S. Maximus Confeſſor. 511

*GERVNDA.*

S. Felix Doctor Martyr. 330
SS. Romanus, & Maximus Martyr. 330
S. Afra Martyr. 382
SS. Marinus, & Patronus Martyres. 504
S. Palladius Epiſcopus. 529

*GRANATA.*

Dedicatio S. E. Granatenſis. 492

*HELENA.*

S. Gaugericus Epiſcopus Confeſſor. 460
S. Tyburtius Martyr. 460

*HISPANIA.*

SS. Peregrinus, & ſocij Monachi Mart. 349
S. Dominicus Patriarcha. ibid.
S. Memius Epiſcopus Martyr. 382
S. Famianus Confeſſor. 418
S. Romanus Miles Martyr. 423
Vigilia S. Laurentij Martyris. ibid.
S. Laurentius Diaconus Martyr. 427
S. Suſanna Virgo & Martyr. 460
S. Arthemia Virgo, & Martyr. 467
S. Oroſius Presbyter. 468
Aſſumptio B. MARIÆ. 473
S. Serena Martyr. 488
S. Bernardus Abbas. 511
S. Ludouicus Rex. 568
S. Bibianus Epiſcopus. 597
S. Auguſtinus Epiſcopus Doctor. ibid.
S. Iſabella Virgo Sanctimonialis. 623

*ILERDA.*

S. Licerius Epiſcopus. 592

*ITALICA.*

S. Geruntius Epiſcopus. 568

*LEGIO.*

S. Pelagius Epiſcopus Confeſſor. 473


*MADRI*

*MADRIDIVM.*

S. Feliciſſimus Martyr. 387
S. Iulianus Martyr. 412
S. Aurea Virgo Martyr. 565
S. Vincentius Martyr. 568
S. Candida Virgo Martyr. 611

*MALACA.*

Dedicatio S. E. Malacitanæ. 623

*MONASTERIA.*

Scurialenſe S. Honoratus M. 347
Hortenſe, S. Sixtus PP. M. 387
S. Innocentius M. ibid.
Exilienſe Tranſlatio S. Dominici Abbatis. 502
Alcobacenſe: S. Dominicus Abbas. 382
Riui-Pollenſe. S. Eudaldi Tranſlatio. 423
Salicienſe. S. Creſcentius Martyr. 468
S. Titus Martyr. 488

*MANRESSA.*

S. Agnetis Tranſlatio. 618

*MVRTIA.*

S. Pontius Porcharius Abbas. 467

*OSCA.*

S. Laurentius Diaconus Martyr. 427

*OCTOGESA.*

SS. Iuuenalis, Bonoſus, & Maximianus MM. 528
S. Vildefridus Presbyter. 529

*PLACENTIA.*

S. Iulius Senator Martyr. 504

*SALARIA.*

SS. Gratilianus, & Feliciſſimus Martyres. 467

*SALMANTICA.*

S. Ioannis Sahaguntinenſis Tranſlatio. 412

*SARDINIA.*

S. Camerinus Epiſcopus Martyr. 529

*SELONE.*

S. Philibertus Eremita. 511

*SEORIS.*

SS. Centolla, & Helena Mart. 564 *ſecundò.*

*SYRMIVM.*

S. Baſilia Virgo, & Martyr. 611

*TARRACO.*

S. Maginus Eremita Martyr. 568

*TELA.*

S. Eutychius Martyr. 565

*TITVLTIA.*

SS. Philibertus, & Fabritianus Martyres. 543

*TVCCI.*

S. Camerinus Epiſcopus Martyr. 529

*TVDE.*

S. Mames Confeſſor. 587

*TVROLIVM.*

SS. Ioannes, & Petrus Martyr. 612

*TOLETVM.*

S. Audentius Epiſcopus. 473
S. Camerinus Epiſcopus. 529
SS. Eleazarus & Socij Martyres. 554
S. Gudila Archidiaconus. 592
S. Adelphus Epiſcopus. 611

*VALENTIA.*

S. Ludouicus Epiſcopus. 504

*VALLIS PINATENSIS.*

S. Maurus Martyr. 330
S. Concordia Virgo & Martyr. 464 *ſecundò.*

*VICCVM.*

Dedicatio S. E. Viccenſis. 623

*VIMARASIVM.*

S. Gualterus Confeſſor. 339

*VLIA.*

S. Quadratus Epiſcopus. 529

*VRGAO.*

SS. Bonoſus, & Maximianus Martyr. 528

*VRGELLA.*

S. Vrbicus Presbyter. 387

*VXAMA.*

S. Petrus Epiſcopus Confeſſor. 339
S. Dominicus Patriarcha. 349






# AVGVSTVS.

SEXTILIS dictus fuit MENSIS iſte, eo quod SEXTVS à *Martio*, olim Anni principio, eſſet, cuius obtinuit *Nomen* aduſque *Octauiani* Auguſti Imperium, quo, Annum à *Iulio Cæſare* ordinatum poſtea negligentiâ conturbatum, atque confuſum, ad priſtinam rationem reſtituens, SEXTILEM hunc Menſem, è ſuo Nomine nuncupauit, & inde AVGVSTVS Menſis iſte in poſterum vocitatus eſt, vt hiſce ipſiſſimis verbis ſcriptum reliquit Sueton. in *Auguſt. c.* 31. Sed quâ de cauſa noluerit *Auguſtus* inſequi veſtigia *Iulij* Cæſaris, qui ſuum QVINTILI Nomen impoſuit, ob eius Natalem eo Menſe ſignatum; & *Octauiani* Natalis cùm fuiſſet Menſe *Septembri*, iſti hunc honorem non detulit? Suetonius *d. c.* 31. reſpondit: SEXTILEM *Menſem ex ſuo cognomine nuncupauit*, *magis* quàm SEPTEMBREM, quo erat natus: quia hoc ſibi, & primus Conſulatus, & inſignes victoriæ *obtigiſſent.* Eadem Dio Caſſ. *Hiſtor. Rom. lib.* 45. hac ſerie: *Menſemque* SEXTILEM, AVGVSTVM *nominauit*, *quod Nomen alij* SEPTEMBRI, *quo Menſe natus eſſet* Auguſtus *indere vellent*: *ipſe* SEXTILEM *prætulit*, *quòd eo* Menſe *primùm Conſul factus*, *ac eo multis magnis prælijs victoria potitus eſſet.* Sequitur Macrob. *lib.* 1. *Saturnal. c.* 12. ex verbis S. C. hoc Nomen ſic approbantis: *Nomen vetuſtum. Recentior. Nominis mutationis cauſa?*

CVM. IMPERATOR. CÆSAR. AVGVSTVS. MENSE. SEXTILI. ET. PRIM. CONSVLATVM. INIERIT. ET. TRIVMPHOS. TRES. IN. VRB. INTVLERIT. ET. EX. IANICVLO. LEGIONES. DEDVCTÆ. SECVTÆQVE. SINT. EIVS. AVSPICIA. AC. FIDEM. SED. ET. ÆGYPTVS. HOC. MENSE. IN. POTESTATEM. POP. ROMANI. REDACTA. SIT. FINISQVE. HOC. MENSE. BELLIS. CIVILIBVS. IMPOSITVS. SIT. ADQVE. OB. HAS. CAVSAS. HIC. MENSIS. HVIC. IMPERIO. FELICISSIMVS. SIT. AC. FVERIT. PLACERE. SENATVI. VT. HIC. MENSIS. AVGVSTVS. APPELLETVR. *Ex Senatus Conſulto.*

Sed & *Plebiſcitum* factum fuiſſe ob eandem cauſam *Sexto Pacuuio Tribuno* Plebem regente referunt idem Macrob. *d. c.* 12. & Roſſin. *Antiquitat. Roman. lib.* 4. *cap.* 12. *Ex Plebiſcito.*

Ex Romuli conſtitutione Menſis iſte XXX. Dierum fuit, quem numerum poſtea *Numa Pompilius* inuertens, eum tantum XXIX. diebus reliquit, donec *Iulio Cæſare* Anni circulum in melius dirigente, XXXI. Dies SEXTILI aſſignauit, quos adhuc retinet poſt emendationem Gregorij XIII. Pont. Max. *Quot olim, & nunc Dies habet?*

FVIT Ethnicorum ſeculo Menſis iſte in tutela CERERIS, eo quod ipſa frugum, & meſſium Dea ſit habita, & cùm hoc Menſe collectio meſſium, & frugum ſæpe numerò fiat, ideo huic Deæ Menſis huius tutela commiſſa fuit, vt notauit Manil. *lib.* 2. *Aſtronom.* Virgil. *lib.* 1. *Georg. verſ.* 147. vbi P. Ioann. Ludou. de la Cerda in *Not. n.* 1. *&* 2. *fol.* 226. Hinc Spiceâ corona redimitam depingunt Ouid. *Lib.* 3. *Eleg.* *Sub tutela Cereris, & quare.*

Mart. Hiſp. Iulius.

*Flaua* Ceres *tenues* Spicis *redimita capillos.*

*Ceres ſpicis coronata.* Tibull. *lib* 1. *Eleg.* 1. vbi vitæ ruſticæ commoda referens, ſic proſequitur:

*Flaua* Ceres *tibi ſit noſtro de rure corona*
Spicea *quæ Templi pendeat ante fores.*

Virgil. in *Priapeis* ferè eandem ſententiam dixit, his carminibus:

*Magnaque fœcundis cum meſſibus area deſit,*
*In Cereris crines vna corona datur.*

Ouid. in *Faſt. lib.* 4. de Sacris *Cerealibus*, hoc eſt, *Cereri* Menſe Aprili indictis & à Romanis factis, ſic alloquitur:

*Tum demùm, vultumque* Ceres, *animumque recepit:*
*Impoſuitque ſuæ* Spicea *ſerta comæ.*

De quo alia ſexcenta hic tranſcribere carmina poſſemus, quæ ſuperiùs adductæ cauſæ rationem probarent.

*Documenta Medica.* Circa Documenta Medicinalia quibus hoc Menſe vti debet prudens quiſque vt à nocentibus liberetur, & propriæ ſaluti conſulat, audi Natanim Chythreum:

Avgvstvs *Venerem, ſomnos, & reiicit eſcas*
*Immodicas; atra corpora bile tument.*
*Tu liquidis, gelidiſque vtens, ſalſiſque, cauebis*
*Pharmaca, aquas gelidas: nec tibi vena fluet.*

Ioachimus Camerarius in Carminibus de *Ratione Victus* apud Reuſnerum ſimile carmen exponit.

*Ipſe etiam* Avgvstvs *ſomnum reſtringit, & eſcas:*
*Et Veneris cupidos gaudia ferre vetat.*
*Pharmaca nemo bibat: laceret neque corpora ferro:*
*Nec gelidas intra delicietur aquas.*

*Nomina varia.* Varia hic Menſis Nomina apud diuerſas gentes ſortitus eſt, quæ prout inſtituti ratio expoſtulat breuiter ſubiiciemus. Hebræi AB. quo etiam nomine Syri, Chaldæi, & Ægyptij Thot. Abiſſini Mvsri. Græci, & Athenienſes ΒΟΗΔΡΟΜΙΩΝ. Macedones ΛΩΟΣ. Cypri ΑΤΑΜΑΡΧΕΞΑΣΙΟΣ. Perſæ Aban Arabes, & Sarraceni Scabab. Babylonij Evl. Cappadoces Osmonia. Bythini Stratigios. Kauolini antiqui Erndmonat. Faſti Germanici Veteres Oegst. Alemani Avgvstmonat. Belgici Oogstmaent. Cymbrici Oestmaanet Itali, & Hiſpani Agosto. Galli Aovst. Quibus abſolutis ad Faſtos Romanorum, & Græcorum pergo.

I. *Triumphi.* Kal. Avgvsti. Celebris apud Romanos Dies ob triumphum *Romuli*, quem in exordio Vrbis de *Camerinis* egit Anno Vrbis Conditæ XVI. necnon ob alterum *Q. Fabij Maximi* de *Samnitibus* Anno Vrbis Conditæ CCCC LXII. vt ex *Liuio*, & *Goltzio* probant Maſcul. in *Prolegom. Menſ. Auguſt. fol.* 338. *num.* 1. Reuſner. in *Diar. Hiſtor. fol.* 116.

*Certamen Equeſtre. Sacra Spei Deæ.* Item hoc Die, Certamine Equeſtri Roma hilaris & lætabunda viſa fuit, ob Conſecrationem Templi *Martis Equeſtris*, vt referunt ex Dione *lib.* 60. *Hiſtor. Rom.* Ioann. Roſinus *lib* 4. *c* 12. *fol.* 408. & Maſcul. *fol.* 338. *num.* 1. Qui etiam aſſerit hoc Die, Romanos Spei Deæ in *Olitorio* foro ſacra feciſſe.

II. *Clades Cannenſis.* IV. Non. Avgvsti. Primo ſeculo Vrbis Ater, & infauſtus Romanis hic Dies fuit, eo quod Romani ab *Annibale* ad Cannas miſerè trucidati, ſplendorem Vrbis



Vrbis quaſi deperditum ſunt intuiti, Anno Vrbis Conditæ D. XXXVIII. Sed poſtmodum poſtea celebris, & candidus, victoriâ Cæſaris, quam de Noſtra Citeriori *Hiſpania* retulit vt ex *Veteribus Kalendariis* probat Sigon. in *Comment. ad Faſt. Ann.* 708. & probatur ex Sueton. *de Cæſarib. in Cæſar c.* 36. Plutarch. in *eius Vit.* Hirtio *de Bell. Hiſpan.* Vellei. Patercul. *lib.* 2. Roſin. Maſculo, & aliis. Quo etiam Die Feriæ, & Ludi erant. *Triumphus Cæſaris.*

III. Non. Avgvsti. Græcis & Lacedæmonibus Dies iſte lætus, & ſacrificiis decoratus ob duplicem victoriam, quarum alteram de *Perſis* ad platæas *Pauſanias* Lacedœmoniorum Dux, alteram ad Mycalem *Xantippus* Anno Mundi 3485. reportarunt, vt Maſculus à *fol.* 338. *n.* 3. & Reuſner. *d. fol.* 116. *Diar. Hiſtor.* referunt. III. *Clades Perſarum.*

Prid. Non. Avgvsti. In *Veteri Kalendario* Romano Victoriæ feſtum deſignatur. Fuit apud Græcos, & Romanos Victoria Dea, cuius ſimulachrum ab Arcadibus Romam aduectum, & Templi honore donatum in colle *Auentino*, Ludis Megaleſiis ſolemnibus in eius Dedicatione exhibitis, Romanis celebre fuit, vt Dionyſ. Halicarnaſ. *lib.* 1. *Antiquit. Roman.* refert, à quo Vuolfgang. Lazius de *Republ. Rom. lib.* 7. *c.* 3. & Lyl. Gyrald. *Hiſtor. Deor. Syntagm.* 10. Cuius iconem deſcripſit irridens Prudent. in Symmach. ſic: IV. *Feſta Victoriæ Deæ.*

*Vincendi quæris Dominam? ſua dextera cuique eſt;* *Victoriæ icon.*
*Non nudo ſuſpenſa pede, ſtrophioque recincta,*
*Nec tumidas fluitante ſinu veſtita papillas.*

Quo loco plura notauit Iſaacius Grangæus in *Not. fol.* 144. *n.* 35. Claudianus etiam de *Laudib. Stilicon.* hanc etiam picturam carmine prodidit:

*Ipſa duci ſacras* Victoria *panderet alas;*
*Et palma viridi gaudens, & amicta trophæis;*
*Cuſtos Imperij Virgo, quæ ſola mederis*
*Vulneribus, nullumque doces ſentire laborem.*

*Salutis Deæ ſacra.* Non. Avgvsti. In *Veteri Kalendario* Dies iſte ſacer exprimitur in honorem Salvtis Deæ in Monte *Quirinali*. Eam ſanctè, & religiosè coluerunt Romani, vt notauit Macrob. *lib.* 1. *Saturnal. c.* 16. à quo Gyrald. *Syntagm.* 1. Roſin. *lib.* 4. *c.* 12. & *lib.* 2. *c.* 18. *fol.* 239. Necnon & Græci quam Hygeiam vocauere. Apud Romanos Templum Salvtis Anno Vrbis Conditæ CCCC. XLVI. à *C. Iunio Bubulco* Cenſore conditum, quòd ipſe Conſul dùm fuiſſet, bello *Samnitum* vouerat, & mox eo Dictatore conſecrauit, vt notarunt ex T. Liu. *lib.* 6. & 10. Lyl. Gyrald. *d. Syntagm.* 1. & Roſin. *d. lib.* 2. *c.* 18 *fol.* 239. Maſcul. *d. fol.* 339. *num.* 5. *Templum Salutis à quo conditum.* Illam, vt ex Nummis conſtat, effingebant Romani, Mulieris formâ, in ſolio ſedentis, pateram tenentis, penes quam Ara erat, & Aræ anguis inuolutus, caput attollens, hac inſcriptione: Salvs. P. R vt notarunt poſt Anton. Auguſtin. *Dialog.* 5. Guillelm. de Choul in *Nummiſm. Rom. fol. mihi.* 136. Hemelar. in *Nummiſmat. Imperat. Tabul.* 9. *n. fin. fol.* 29. *Tabul.* 30. *fol.* 94. & alibi paſſim, Gyrald. *d. Syntagm* 1. *fol.* 48. Roſin. *d. lib.* 2. *c.* 18. *fol.* 239. Lazius de *Rep. Rom. lib.* 3. *c.* 12. *Icon Salutis.*

*Spei Deæ ſacra.* Item hoc die ſacra erant Spei Deæ, quam etiam Romani, diuinitatem in ea maximam ſuſpicantes, coluere; eique Templum conſtruxit *Calatinus* vetuſtus Vrbis Rex in *Foro Olitorio*, vt referunt Cicer *de Natur. Deor. lib.* 2. T. Liuius *lib.* 21. Qui *lib.* 40. aliud Templum (antiquo, fulmine, icto) ad Tyberim extructum à *M. Fuluio* Cenſore, recenſet. Spei Deæ effigiem, vt ex Antiquis Nummiſmatibus apparet, Romani delineabant, Fœminam ſtantem, iuſtitiæ laciniam, ſiniſtrâ manu, nonnihil attollentem, dextrâ in cubitum elatâ, pateram proferentem, in qua repoſitum inerat velut ciborium, id eſt, vas in florum ſimilitudine, cum hac epigraphe: Spes. P. R. De qua plura *Anton. Auguſtinus*, *Guillelmus de* *Effigies ſpei.*

*Choul.* Hemelarius *Tabul.* 20. & 21. Girald *d. Syntagm.* 1. *fol.* 40. Roſin. *d lib.* 2. *c.* 18. *fol.* 237. & alij. Hæc ex *Theogone* inter homines remanſit, cæteris ſororibus in cœlum fugientibus:

*Alma Fides Dea magna abiit, Pietáſque, Pudorque,*
*Cum Nemeſi Charites, Pax bona, nudus Amor.*
SPES *Dea, quæ gentes falsâ dulcedine ſemper*
*Paſceret, in terris ſola relicta fuit.*

VI. *Triumphus Augusti Caſ.*

VIII. ID. AVGVSTI. Diem hunc celeberrimum habuit Roma, cùm *C. Octauianum* Cæſarem Auguſtum vidit de *Pannoniis, Dalmatis, Iapibus*, & *Gallis* triumphantem, & ſpoliis diuitem Anno Vrbis Conditæ DCC. XXIV. vt notauit Dio *lib* 51. à quo Sigon. *in Not. ad Faſt. Conſul. Ann.* 724. *fol.* 321. Elias Reuſner. in *Diar. Hiſtor. fol.* 118. De quo, duobus ſequentibus triumphis locutum fuiſſe Maronem *lib.* 8. *Æneid. verſ.* 714. probant Sigonius, & alij.

*At* Cæſar *triplici inuectus Romana triumpho*
*Mœnia, Diis Italum votum immortale ſacrabat,*
*Maxima Tercentum totam Delubra per vrbem.*

*Virgilij locus de Triplici triumpho Auguſti.*

Hic triplex Triumphus *Octauiani* hoc Die, & Duobus ſequentibus refertur à Sueton *de Cæſarib. in Auguſt. c.* 22. his verbis: *Curules triumphos* TRES *egit*, Dalmaticum, Actiacum, Alexandrinum, *continuo triduo omnes.* Horum Trium Dierum pompæ deſcriptionem proſequitur *Virgilius* hiſce carminibus.

*Lætitiâ, ludiſque viæ, plauſuque fremebant:*
*Omnibus in Templis matrum chorus, omnibus aræ:*
*Ante Aras ipſi terram ſtrauere iuuenci.*
*Ipſe ſedens niueo candentis limine Phœbi*
*Dona recognoſcit populorum, aptátque ſuperbis*
*Poſtibus, incedunt victæ longo ordine Gentes,*
*Quàm variæ linguis, habitu tàm veſtis, & armis.*

*Athenis victoria Marathonia.*

APVD Græcos etiam celebris fuit victoria *Marathonia*, quâ Dux *Miltiades* Medos, & Perſas profligauit, Anno Mundi 3464. vt ex Iuſtino *lib* 2 *Hiſtor c.* 9. & Plutarcho referunt. Reuſner *in Diar. Hiſtor. d. fol.* 118 & Maſcul. *fol* 340.

VII. *Triumphus II. Auguſti Caſ.*

VII. ID. AVGVSTI. Celebris fuit etiam Dies iſte ob ſecundum *Octauiani Auguſti* triumphum, quem deuicta *Macedonia* dicto Anno DCC. XXIV. reportauit. Hanc fuiſſe *Acticam* Naualem victoriam contendit Dio *Hiſtor Rom. lib.* 51. his verbis: *Prima Die* Cæſar *triumphum egit de* Dalmatis &c. *Secunda Die Cæſar de* Actica Nauali *pugna triumphauit.* De quo bello Virgil. *lib.* 8. *Æneid. verſ.* 675. ſic.

*In medio claſſes æratas,* ACTIA *bella*
*Cernere erat, totumque inſtructo Marte videres*
*Feruere Leucatera, auroque effulgere fluctus.*
*Hinc* AVGVSTVS *agens Italos in prælia* Cæſar
*Cum Patribus, populoque, Penatibus, & magnis Diis*
*Stans celsâ in puppi: geminas cui tempora flammas*
*Læta vomunt; patriumque aperitur vertice ſydus.*

VIII. *Triumphus III. Auguſti Caſ.*

VI. IDVS AVGVSTI. Celebrior item iſte Dies, quo *Auguſtus Cæſar* Tertium Triumphum egit, ſubactâ *Ægypto*, & ſuperatis *Antonio*, & *Cleopatra*; cuius etiam meminit



meminit Dio *d. lib.* 51. hac ſerie: *Tertia Dies de ſubacta* Ægypto. Sueton. *in Auguſt. c.* 17. Huius Naualis pugnæ ecphraſim cecinit Maro *d. lib.* 8. *verſ.* 685. Victoriam *verſ.* 704. ſic:

*Actius hæc cernens arcum intendebat Apollo*
*Deſuper: omnis eo terrore* Ægyptus, *& Indi,*
*Omnis Arabs, omnes vertebant terga Sabæi.*
*Ipſa videbatur ventis Regina vocatis*
*Vela dare, & laxos iamque immittere funes.*
*Illam inter cædes pallentem morte futura*
*Fecerat Ignipotens vndis, & Iapige ferri.*
*Contra autem magno mœrentem corpore Nilum,*
*Pendentemque ſinus, & tota veſte vocantem*
*Cæruleum in gremium, latebroſaque flumina victos.*

V. IDVS AVGVSTI. In Antiquis *Kalendariis* Romanis notatur, & inſignitur Dies iſte fauſtus, & celebris ob victoriam, quam *Iulius* Cæſar pertulit, de HISPALI, cùm vrbem illam *Hiſpaniæ* diuitem, & validam cepit, vt referunt Dio *lib.* 43. Sueton. *in Cæſar. c.* 17. Hirtius de *Bello Hiſpan.* Roſin *h. d. lib.* 4. *c.* 12. *fol.* 408. Maſcul. *fol.* 341. Roderic. Car. *Hiſtor. Hiſpal. lib.* 1. *c.* 20. *fol.* 31. IX. *Hiſpalis à Cæſare capitur.*

IV. IDVS AVGVSTI. Hunc Diem celebrem fuiſſe Romæ ob conſecratas Aras OPI, & CERERI Deabus in Vico IVGARIO, ſcripſit Lil. Gyrald. *de Menſ.* ex Veteri Kalendario, quod & notauit Roſinus *d. c.* 12. *fol.* 408. Ioannes Baptiſta Maſculus in *Encomiis Sanctor. Menſ. Auguſt. fol.* 341. *num.* 10. etiam ex *Veteri Kalendario* contendit, hoc Die fuiſſe ſacra BELLONÆ, quo omnia perſtrepebant fragore armorum, & Sacerdotes humeros, & brachia cultris cruentabant. De hac Sacerdotum cruentatione, inſignia in Scriptoribus ſacris & profanis extant loca. Tertullian. in *Apologet.* ſic: *Longius excurro, hodie iſtic* BELLONÆ *ſacratus ſanguis de femore proſciſſo in palmulam exceptus, & ſuis datus ſignatis.* Lactant. de *Diuin. Inſtitut. lib.* 1. *c.* 21. hac ſerie: *Alia ſacra Virtutis, quam eandem* BELLONAM *vocant, in quibus ipſi Sacerdotes, non alieno, ſed ſuo cruore ſacrificant: ſectis namque humeris, & vtraque manu diſtrictos tenentes gladios currunt, & efferuntur, & inſaniunt.* Tibullus *lib.* 1. *Eleg.* 6. ſic: X. *Ara Cereris, & Opis Dearum. Sacra Bellonæ.*

*Hæc vbi* Bellonæ *motu eſt agitata, nec acrem.*
*Flammam, non amens verbera, torta timet.*
*Ipſa bipenne ſuos cædit violenta lacertos,*
*Sanguineque effuſo ſpargit inepta Deam.*

*Iuuenalis* quoque horum fanaticorum Sacerdotum deſcribens delitia *Satyr.* 4. *verſ.* 123. vbi Iſaacius Granæus in *Not. fol.* 147. & Lubinus in *Not. Var. fol.* 128.

*...... Sed vt fanaticus, œſtro*
*Percuſſus* Bellona *tuo, diuinat, & ingens*
*Omen habet.*

De quo etiam Horat. *lib.* 1. *Sermon.* & Lucanus *Pharſal. lib.* 1. Gyrald. *Syntagm.* 10. & Roſin. *lib.* 2. *c.* 10. *fol.* 175.

III. IDVS AVGVSTI. Ominoſus Romanis habitus hic Dies fuit, ob mortem *Traiani* Imperatoris *Hiſpani*, præclariſſimi Principis, Anno Domini C. XVIII. meritò deploratam. Eius elogia paſſim apud Scriptores inuenies; illud præclariſſimum obſeruaui; quòd eius memoria tanti pretij apud poſteros fuerit, vt poſtea ſemper, quoties Romæ in Senatu Imperator deſignaretur, publicis votis *Trajani mors.*

*Eius encomium.* optari conſuetum ſit, vti felicitate AVGVSTVM, & probitate TRAIANVM adæquaret; ita Goltzius in *Imag Imperat. Tabul.* 14.

XII. *Hercules Cuſtos Magnus quis?* PRID IDVS AVGVSTI Solemnis Dies iſte Romanis extitit, ob Sacra *Herculi*, dicto CVSTODI *Magno*, celebrari ſolita in Circo *Flaminio*, in quo Templum alterum extructum Senatus Romani decreto, iuſſu Oraculi Sybillini, de quo templo, & nomine *Herculis* meminit Ouid. *lib 6. Faſtor.* his Carminibus:

> *Altera pars Circi* CVSTODE *ſub* Hercule *tuta eſt:*
> *Quod Deus Euboico carmine munus habet.*

*Chariſteria feſta Athenis.* Conueniunt Roſin. *d.c.*12.*fol.* 408. & Maſcul *fol.* 341. *num.* 12. ex *Vet. Kalendario* apud Roſin *lib.*4. *c* 4. *fol.* 345. In Veteri Kalendario apud *Reuſnerum*, cuius locum extollit Maſcul. *d. n.* 12. *fol.* 342. inuenitur ſcriptum, etiam hoc Die feſta CHARISTERIA fuiſſe apud *Athenienſes* celeberrima, ob libertatem partam, & authorem *Plutarchum* exponit. Sed fateor nullibi hoc inueniſſe.

XIII. *Sacra Dianæ.* IDIBVS AVGVSTI. Singularis iſte Dies Romanis illuxit, ob feſta quotannis repetita in honorem DIANÆ, vt teſtatur Martial. *lib.*12. *Epigr.*68. his verſibus:

> *Maiæ Mercurium creaſtis Idus,*
> Auguſtus *redit* Idibus *Diana.*

Quod & Auſonius in *Eidyllio* 25. *de Fer. Roman.* vbi Vinet. *in Not. fol.* 331. ſimiliter adnotauit, his carminibus:

> *Et medias* Idus, *Maÿ*, Auguſtique *recurſu*,
> *Quas ſibi Mercurius, quaſque Diana, dicat.*

*Quibus vota ſoluebant fœminæ.* Hoc igitur Die Fœminæ Romanæ, quæ ex voto Templum Dianæ adire compellebantur, in *Aricinum* Nemus, vbi religioſiſſimè colebatur, ferebant ardentes faces, vt à voti vinculo ſoluerentur, vt Propert. *lib.* 2. *Eleg.* 33. his carminibus recenſuit:

> ... *Sed tibi me credere turba vetat:*
> *Cùm videt accenſis deuotam currere tædis*
> *In nemus, & Triuiæ lumina ferre Deæ.*

Ouidius *lib* 3. *Faſt* vbi de *Aricino* Nemore, & Templo ibidem Dianæ conſtructo, agit huius etiam ritus, & Matronarum ſolemnitatis, ſic meminit.

> *Sæpe potens voti, frontem redimita coronis*
> *Fœmina lucentes portat ab vrbe faces.*

Statius Papin. *lib* 3. *Syluar. Eleg.*1. de Hercule Surrentino, vbi Domitius Calderin. in *Not. fol.* 60. *verſ* 28. de hoc fœminarum voto, & ſolutione agens, proſequitur.

> *Iamque Dies aderat, profugis cum Regibus, aptum*
> *Fumat* Aricinum *Triuiæ Nemus, & face multâ*
> *Splendet*, &c.
> ........ *Omniſque pudicis*
> *Itala terra focis Hecateias extulit* IDVS.

De hoc etiam plura apud Lil. Gyrald. *Syntagm.* 12 *&* 17 Turnebum in *Aduerſar. lib* 7. *c.*26 Roſinum *lib.*4. *c.*12. Curtium *lib.*4. *Hortor. c.* 15. Stuchium de *Sacrific. Gentil. fol.* 106.

ERAT



ERAT etiam hic Dies VENATORIBVS ſacer, quo in idem Templum Dianæ Nemoris Aricini cum facibus ſpicatis ardentibus conuenientes, canes ſuos morbo, aut ſcabie affectos, infulis velatos, Deæ ſiſtebant, omneque inſtrumentum venatorium ante eam collocabant, ſic Gratius de *Venation.* *Venatores etiam cum facibu, & canibus hiſce ſacris intererant.*

> Spicatáſque *faces ſacrum ad Nemorale Dianæ*
> *Siſtimus, & ſolito catuli velantur honore.*
> *Ipſiuſque per flores medio in diſcrimine luci*
> *Strauere arma ſacris, & pace vacantia feſta.*

Immò & ipſa *Diana* venationum Dea, his ipſis Feriis, emeritos canes, & à venatione quietos, & immunes habere credebatur, ipſaque etiam feriari: ſic Stat. Papin. *d. lib.*3. *Eleg.*1. *Ipſa Diana hæc ſacra obſeruabat.*

> ........... *Ipſa coronat*
> *Emeritos Diana canes, & ſpicula tergit,*
> *Et tutas ſinit ire feras.*

ITEM hoc eodem Die Feſtum erat Seruorum vtriuſque ſexus, quo fœminæ lauare, & purgare capita ſtudebant. Sit Plutarch. *Quæſt. Rom.* 100. his verbis: *Cur* IDVS Sextiles, *qui nunc* Auguſtus *dicitur*, Feriæ *ſunt vtriuſque ſexus Seruis: Mulieres autem tùm maximè lauare, & purgare capita ſtudent? An hoc ſeruis datum, quòd eâ Die* Seruius *Rex natus è captiua fuit ancilla? Lotio autem capitis ab ancillis feriarum causâ cœpta, etiam ad liberas peruaſit.* De quibus Feriis loquitur Roſin. *ſupr. d. lib.*4. *c.*12. *fol* 408. *Feriæ ſeruorum.* *Quare indictæ?*

XIX. KAL. SEPTEMBRIS. Græcis fauſtus Dies, ob celebrem victoriam, quam *Artabanus* eorum Dux de *Perſis*, & *Cabrias* Athenienſium Imperator Nauali prælio reportarunt, Anno Mundi 3985. vt notarunt Reuſner. in *Diar. Hiſtor fol.* 122. & Maſcul. *ſupr. fol.* 342. *n.*14. XIV. *Victoria Græcorum.*

XVIII. KAL. SEPTEMBRIS. De hoc Die meritò Ioannes Baptiſta Maſculus *ſupr. fol.* 343. aſſerit: Non eſt auſa vetuſtas in contentionem venire de gloria, cum magnitudine, atque præſtantia eius prodigij, quo Magna Dei Mater, deluſâ morte, euecta in cœlum eſt. Hinc nulla apud Romanos, Græcos, & cæteros Gentiles feſtiuitas iſtis reperitur Kalendis. XV. *Cur hoc die nulla ſacra apud Gentiles?*

XVII. KAL. SEPTEMBRIS. Solemnis iſte Dies apud Romanos extitit, quo *Romulus* Equeſtria certamina in honorem *Neptuni* inſtituit, vt ex *Veteri Kalendario* refert Maſculus *d. fol.* 343. *n.* 16. Necnon & celebris Dies ob victoriam, quam ex *Africa*, Anno Vrbis Conditæ DCC. XXIV. *Luc. Ant. Pætus* Proconſul, triumpho ſubſequente, reportauit, vt Reuſner. in *Diar. Hiſtor. fol.* 122. reliquit ſcriptum. XVI. *Equeſtria Neptuno inſtituta. Triumphus.*

XVI. KAL. SEPTEMBRIS. Romanis ſacer, quo PORTVNALIA ſacra erant. De quibus M. Varr. *de Ling. Lat. lib.*5. inquit: PORTVNALIA *eſſe feriæ inſtitutæ, cùm* Portuni *Ædes in portu* Tyberino *facta fuit.* Sic notauit Gyrald. *Syntagm.* 5. Roſin. *d. lib.*12. *c.*4. *fol* 408. Quis fuerit PORTVNVS cui hæ feriæ dedicarentur, adi ſupradictos, & Ouid. *Met* 4. XVII. *Portunalia ſacra.*

SED & apud *Babylonios* hoc die feſtum, SACEAN appellatum, celebre erat per Quinque Dies continuos, de quo Beroſ *Babylonicar. Rer. lib.*1. Cteſias *Perſicar. lib* 2. ſcribunt, relati ab Atheneo *Dypnoſoph lib.* 14. *c.* 17. his verbis: XVI. Kalend. Septembris *fuit feſtum* SACEAN *vocatum per Dies Quinque in* Babylonia, *in quibus mos erat, vt Serui Dominis imperitarent, atque vnus eorum educebatur ex domo ſtolam Regiæ ſimilem indutus, quem Zoganem appellabant.* Huius etiam feſti meminit Guillelmus Stuchius *Antiquit. Conuiuial. lib.* 1. *c.*22. Aſt Dio Chryſoſtomus *Orat.* 4. *de Regno*, feſtum hoc vocitat Σακκῶν, & *Perſis* attribuit, nec non Seruum pœnæ è vinculis abſolutum contendit hoc feſto in Regem ſublimatum, & denudato imperio eum flagellatum ſuſpendi. Eius verba Græca, & Latina auſculta: Οὐκ *Feſtum Sacean apud Babylonios, quale?* *Quale apud Perſas?*

ἐννενόηκας

ϲυνενόηκας τὴν τ̃ ΣΑΚΚΩΝ ἑορτὴν ἣν Πέρσαι ἄγουσιν; λαβόντες δεσμωτων ενατ̃ επι θανάτω, καθιζουσι εις τον θρονον τ̃ βασιλεως, και το εσθητα διδοασιν αυτω τ̃ αυην, και τρυφᾶν και ταις παλλαμαις χρῆσθαι τας εμερας εκεινας ταις βασιλεως. καὶ ὃ δεις ὃ δεν κωλυει ποιεῖν ων βουλεται μὲν ἢ ταῦτα ἀποδισαντες καὶ μαστιγωσαντες εκρεμασαν. Ic eſt: *An* SACCORVM *ſolemnem ignoras quod* Perſæ *celebrant: Vinclorum qui duci ad ſupplicium debent, aliquem in Regis ſella collocant, & veſte Regiâ ornant, faciuntque ei poteſtatem delicatè, & molliter viuendi, Regiſque pellicibus per eos dies vtendi: neque illum quiſquam impedit, quominus quidquid voluerit faciat: deinde exutum & flagellatum ſuſpendunt.* Iſaacus Caſaubonus in *Not. ad Atheneum lib.* 14. *c.* 10. *fol.* 574. aſſerit apud *Dionem* huius feſti eſſe nomen erratum, & vbi reperitur verbum τ̃ ΣΑΚΚΩΝ reponendum eſſe τ̃ ΣΑΚΕΩΝ, eo quod nomen iſtud feſti huius originem à SESACEA quæ eſt *Babylon* traxit, quod ex *Ieremiæ* locis probat. *Etymon huius feſti.*

XVIII. XV. KAL. SEPTEMBRIS. hoc Die *Sabinarum* raptus diſponente *Romulo*, Conſi Dei oraculo euenit, vt refert Plutarch. *in Vit. Romul.* Qui ob adæquatum conſilium feſta CONSVALIA decreuit, audi Plutarchum: *Sparſerat iam antea* (Romulus) *rumorem reperiſſe ſe* Aram *cuiuſdam Dei ſub terra occultatam: Dei nomen* CONSVS *fuit* &c. & paulo poſt: *Ea ergo* Ara *prolata ſacrificium eius nomine ſplendidum, & ludos, & ſpectaculum publicum edidit* &c. Deinde inferiùs: *Raptæ ſunt Virgines* XV. Kalendis Septembris, *quâ Die* CONSVALIA *celebrantur.* De quibus aliqua diximus ſupra hoc *Tom.* 4. *in Prolegom. Iul. Die XIII.* vbi de Ludis *Circenſibus*, & *Conſualibus* egimus. & Gyrald. *Syntagm.* 5. Maſcul. *fol.* 344. *Conſualia ſacra quæ?*

XIX. XIV. KAL. SEPTEMBRIS. Dies iſte lætus, & alacer, ob VINALIA ſacra II. quæ hoc Menſe IOVI a Romanis dicata prædiximus ſupr. *Tom.* II. *in Prolegom. Menſ. April. fol.* 444. *IX. Kal. Maij.* Hæc igitur RVSTICA dicebantur; quia hoc Die Flamen Dialis vindemiam auſpicabatur, quâ ceremoniâ *Ruſtici* ad illam faciendam ſe ſe præparabant. Feſtus de *Ling. Lat.* cauſam huius feſti recenſet, his verbis: *Ruſtica* VINALIA *appellantur Menſe* Auguſto XIV. KAL. Septembris, IOVIS *Dies feſtus, quia Latini bellum gerentes aduerſus* Mezentium, *omnis vini libationem, ei Deo dedicauerunt.* De hiſce Feſtis, & ſacris, multa colligere poteris ex Gyrald. *Syntagm* 17. Roſin *lib.* 4. *c.* 12. *fol.* 405. Scaliger. in *Coniectan.* Maſcul. *fol.* 345. *n.* 19. Carol. de Neapol. *ad Ouid. Faſt. lib.* 4. *verſ.* 263. Stuchius de *Sacrific. Gentil. fol.* 52 & 130. apud quos hæc eſt differentia horum feſtorum, quæ Menſe Aprili, & iſto indicebantur. Nam quæ hoc Menſe, Ioui dicata erant, ob rationem à Feſto aſſignatam, eo quod VINVM nouum exprimebatur, & ad vrbem deferebatur, vt in Vinariis doliis conderetur. Ideo apud *Tuſculanos* cautum lege fuit: *Ne quis nouum vinum antequam* VINALIA *calarentur, in vrbem inueheret.* Huius noui VINI ſacra libabantur IOVIS. Quæ verò fiebant Menſe Aprili VENERI è veteri Vino peragebantur, vt notauimus *ſupra d. Prolegom. fol.* 445. In hiſce IOVIS feſtis, Flamen Dialis poſtquam auſpicaretur vindemiam, vinum iubebat legere, & AGNA Ioui faciebat, inter cuius exta cæſa vinum porrigebat vt notauit idem Stuch. *d. fol.* 130. *Vinalia Secunda Ioui ſacra.* *Cur dicta Ruſtica?* *Qualis differentia horum feſtorum?* *Agna Ioui ſacrata hoc die.*

XX. XIII. KAL. SEPTEMBRIS. Dies ater, & funeſtus hic Dies *Athenienſibus* extitit; ob captam eorum vrbem ab *Antipatro*, Anno Mundi 3633. vt ex *Plutarcho* referunt Reuſner. in *Diar. Hiſtor. fol.* 124. Maſcul *ſupr. fol.* 345 Nec non & *Thæbæ Bæociæ* ab *Alexandro* Magno captæ, funditusque deletæ, Anno Mundi 3628. iidem affirmant. *Vrbium ſtrages.*

XXI. XII. KAL. SEPTEMBRIS. In hunc Diem reiicit CONSVALIA ſacra Roſinus *d. lib.* 4. *c* 12. *fol.* 405. ſed perperam, cùm illa XIV. *Kalend. Septembris* reponant *Plutarchus*, *Feſtus*, & alij. Hoc Die Romam nobilitauit *M. Fuluius* Nobilior Conſul, eo quod Anno Vrbis conditæ D. XCV. de *Liguribus*, & *Eleatibus* triumphauerit, vt notarunt Goltzius *in Triumphal. Ann.* 595. Maſcul. *d. fol.* 345. *numer.* 21. *Triumphus Fuluij Conſulis.*

XXII. XI. KAL. SEPTEMBRIS In Veteri Kalendario à Maſculo *d. fol.* 346. relato, inueniuntur feſta ſacra DIANÆ à *Venatoribus* indicta in eius honorem, quæ VENATRICIA nuncupabantur. Sed quæ illa fuerit, nec vllus ex Antiquis, aut Neothericis Scriptoribus, quos viderim, indigetat, nec ego diuino: niſi fortè, quæ *Venatricia ſacra.*

actitabantur



actitabantur *Idibus Auguſti*, per Nouendium protrahebantur, & in hunc Diem terminarentur. Quidquid fuerit Doctioribus relinquo.

X. KAL. SEPTEMBRIS. Apud Romanos celebris Dies ob VVLCANALIA XXIII.
ſacra, hoc Die ab ipſis in honorem *Vulcani* indicta. Varro *lib.* 5. *de Ling. Lat.* ea ſic recenſet: VVLCANALIA, *Feriæ* Vulcano *ſacræ, & eo Die Populus pro ſe in ignem animalia mittebant, &* Sextili *Menſe agebantur.* Quæ ſacra abs Athenienſibus *Chalcea* dicebantur. ita Gyrald. *Syntagm.* 13. Roſin. *d. lib* 4. *c.* 12. *fol.* 405. Stuch. de *Sacrific. Gent. fol.* 10. Maſcul. *d. fol.* 346. *n.* 23. *Vulcanalia ſacra quæ?*

ITEM hic Dies inſignis fuit L. *Papyrij Curſoris* Conſulis triumpho, quem de *Samnitibus*, Anno Vrbis Conditæ CCCC. XXXIV. egit, vt probant Goltzius in *Triumphal. Ann.* 434. Reuſner. in *Diar. Hiſtor. fol.* 126. Maſcul. *d. fol.* 346. *Triumphus.*

IX. KAL. SEPTEMBRIS. In *Veteri Kalendario* Marmoreo peruetuſto, de quo XXIV.
Goltzius, Roſinus, Reuſnerus, Maſculus, & alij, Feriæ LVNÆ hoc Die conſignantur. Fortè his Feriis Taurus ipſi mactabatur, quo ſacrificio illam placabant, vt ex pluribus Scriptoribus deducit Gyrald. *Syntagm.* 17. Roſin. *lib.* 3. *c.* 39. Nec harum Feriarum aliquam alibi rationem inueni; ideo ſufficit Kalendarij memoria. *Lunæ Feria.*

VIII. KAL. SEPTEMBRIS. Iſte Dies ſacer fuit OPI CONSIVÆ Deæ apud XXV.
Romanos, de qua iſta proloquitur Varr. *Lib* 5. *de Ling. Latin.* his verbis: OPE-CONSIVA, *Dies, ab Dea* OPE CONSIVA, *cuius Regia Sacrarium: quod eo actum, vt eò præter Virgines Veſtales, & Sacerdotem publicum introeat nemo: is cum eat, ſuffibulum haut habeat* Fuit hæc Dea, quam *Rheam*, & *Cybelem* vocitarunt. Ethnici, Matrem Deûm, & Terram, ex quo omnia genita fuiſſe credidere, eamque Tutelarem Vrbis Romæ; ideo in Sacrario Veſtalium cultam, & occultam, ne eius Nomen hoſtibus innoteſceret, ob periculum euocationum, ita Macrob. *lib.* 3. *Saturnal. c.* 9. vbi de Euocationum more, & formis multa refert à quo Lil. Gyrald. *Syntagm.* 17. Alderete *Hiſtor. Antiquitat. Afric. lib.* 2. *c.* 6. *fol.* 352. *Ope-Conſiua Dies, & Dea.* *Tutelaris Romanæ Vrbis.*

VII. KAL. SEPTEMBRIS. Celebris Dies iſte Romanis, & Macedonibus; XXVI.
illis quia in eo *M. Horatius Barbatus* Conſul, Anno Vrbis Conditæ CCC. IV. honorificum de *Sabinis* triumphum egit, vt ex Goltzio in *Triumphal. Ann.* 304. Reuſner. in *Diar. Hiſtor. fol.* 126. probat Maſculus. *ſupr. fol.* 347. Iſtis, quia *Alexander* Magnus vltimo prælio *Darium* deuincens, ſub Macedonum, & Græcorum Imperio, Perſici Imperij vrbes, & populos ſubiugaret Anno Mundi 3634. vt ex eod. Reuſner. & Maſcul. *vbi ſupr.* pateſcit. *Triumphi.*

VI. KAL. SEPTEMBRIS. Apud *Hetruſcos* antiquus Deus fuit, quem *Vertumnum* vocauere Scriptores, eumque ſe Volſinum dicere, illud Propertij *lib.* 4. XXVII.
*Eleg* 2. ſuadet: *Volturnalia ſacra.*

*Quid mirare meas tot in vno corpore formas?*
*Accipe* Vertumni *ſigna paterna Dei.*
*Tuſcus ego, Tuſcis orior, nec pœnitet, inter*
*Prælia*, Volſcinos *deſeruiſſe focos.*

Deam quoque habuiſſe *Hetruſci* cognomine VOLTVRNAM patet ex Tit. Liu. *Decad.* 1. vbi ad eius fanum frequentia Hetruſcorum concilia fuiſſe habita recenſet. Sed an Deo, an Deæ hoc Die apud Romanos hæc feſta VOLTVRNALIA ſacrata fuere, in dubio eſt. Feſtus, apud Roſin. *lib.* 2. *c.* 21. in fine, pro Deo ſtat; Gyrald. *Syntagm.* 4. & Maſcul. *d fol.* 348. *n.* 27. pro Dea ſcribunt. *Volturnus, & Volturna Dij Etruſcorum.*

V. KAL. SEPTEMBRIS. Fuit Dies iſte famigeratus apud Romanos, ob conſecratam Ædem VICTORIÆ Deæ in Curia Iulia, abs *Auguſto Cæſare*, cùm de XXVIII.
Ægypto triumphatâ Romam ingreditur, in cuius Æde ſimulachrum huius Diuæ *Tarento* deuectum in Patris honorem collocauit, & ſacris præeuntibus conſecrauit, vt notauit Dio *Hiſtor. Rom. lib.* 51. conueniunt Roſin. *lib* 4. *cap.* 12. *fol.* 410. Maſcul. *fol.* 348. *Ædium Victoriæ Deæ Dedicatio.*

IV. KAL. SEPTEMBRIS. Ater, & funeſtus Dies fuit, maximè, quòd *Vulcano* XXIX.



Te atro

*Vulcano ſacer Dies, & ater.*

*atro* Deo ſacer extiterit, ſed quibus ſacris hoc Die litaretur, nullus aperit. De hoc Maſcul. *ſupra fol.* 349. Qui plura de *Vulcano* deſiderat Mythologos, & Scriptores profanos adeat.

*Mundus Cereris hodie patebat.*

XXX. III KAL. SEPTEMBRIS. Dies Ethnicis infauſtus, atque innominatus omnino fuit, eo quòd hoc Die MVNDVS *Cereris* patere credebatur: quippe myſteria toto Erebo clauſa, ex vmbra proferebantur in lucem. Hinc nihil aggrediebantur, quod eſſet alicuius momenti, quia totum ſibi depoſcebant Diem Inferi Manes His verbis Maſculus *fol.* 349. *num.* 30. hunc Diem illuſtrat. Sed qualis iſte *Cereris* MVNDVS, qui hodie patebat, fuerit, aperiamus. De eo ſic Cato in *Comment. Iur. Ciuil* relatus à Gyrald. *Syntagm.* 6. hiſce verbis: MVNDVS Cereris, *ſic dictus, & illi nomen impoſitum eſt, ab eo Mundo, qui ſupra Nos eſt. Forma enim eius, ex his qui intrauere, cognoſci potuit, aſſimilis illi: atque eius inferiorem partem, veluti conſecratam Diis Manibus. Hunc autem* Cereris MVNDVM *Ter in Anno patere putabant, his Diebus Poſtridie Vulcanalia, & ante Diem III. Non. Octobris, & ante Diem VI. Idus Nouembris.* &c. *Quos Dies Religioſos iudicauerunt, eam ob cauſam, quòd iis Diebus, ea quæ occulta ſunt, & abdita, Religionis Deorum Manium eſſent, in lucem adducerentur, & patefierent; nihilque eo tempore in Rep. geri voluerunt.*

*Quis dictus Mundus Cereris?*

*Quæ hoc die agere fas erat.*

*Natales Imperatorum.*

XXXI. PRID. KAL. SEPTEMBRIS. Innominatus, & infauſtus Dies fuit iſte apud totam Orbis Romani Rempublicam, ob natales *C. Caligulæ* Cæſaris Anno Chriſti XIII. & *L. Antonij Antonini Commodi* Imperatoris Anno Chriſti C.LXII. qui Romanæ iuuentutis, & Patritiorum excidium fuere.

EN quæ hoc Menſe FESTA, & FASTOS conſecrauit ſuis Diuis obſcæna Gentilium ſuperſtitio; Quibus opponi vera Noſtrorum Sanctorum encomia, vitæ, & miracula, ex inſtituto ſubiicimus.

# KAL. AVGVSTI.

## DIES I.

*A.* BARCINONE *in* Hiſpania *Citeriori* S. LVCII, *ipſius vrbis* Epiſcopi; *qui propter Chriſti fidem in Neronis ſæuâ perſecutionis procellâ, per innumera tormentorum flagra, ad æternæ gloriæ requiem ſtrenuus agoniſta peruenit.*

*B.* GERVNDÆ *in* Hiſpania *Tarraconenſi* S. FELICIS *cognomento* DOCTORIS, *de quo* B. Iſidorus *luculentum edidit carmen; Qui à Præſide* Datiano *in carcerem incluſus, poſtmodum diuerſa ſuppliciorum genera expertus, & aduſque viſcera dilaniatus, ſic vitam in fidei confeſſione retinuit, vt verberum anguſtiis exploſis, inuictum Domino redderet ſpiritum.*

*C.* *Ibidem memoria* SS. ROMANI, & MAXIMI *Martyrum, qui cùm Magiſtrum in fide* Felicem *meruiſſent adipiſci, in corona ſocium, & in gloria conſortem feliciter etiam habere meruerunt.*

D. TRIDENTI



*D.* TRIDENTINI *in Italia* S. SECVNDINI *Monachi recluſi, domo* Cæſarauguſtani *ex Hiſpania, qui à* B. Gregorio *epiſtolis, & muneribus ſuffragatus, tandem virtutibus clarus, manſionem in cœlis inuenit æternam.*

*E.* *Apud* VALDEPENAS *in primitiuo Ordinis fratrum SSS. Trinitatis Excalceatorum cœnobio,* Depoſitio *ſacrorum pignorum* B. MAVRI *Martyris, Romæ paſſi, quæ eleganti incluſa ſarcophago, piè à fidelibus venerantur.*

# NOTÆ.

*A. Martyrologia.*

SANCTVS LVCIVS *Epiſcopus* Barcinonenſis *Martyr.*] Celebris adhuc huius Sanctiſſimi Præſulis memoria perſeuerat in Eccleſiaſticis Annalibus Hiſpaniæ, vt ex *Catalog. SS. General. h. d. fol.* 311. Philipp. Ferrar. probat, hac ſerie: *Barcinone in Hiſpania* S. LVCII *Epiſcopi, & Martyris ſub Nerone.* Illumque fuiſſe Epiſcopum *Barcinonenſem* tempore Neronis fatentur Antonius Vincentius Domenec *Hiſtor. SS. Cathalon. lib.* 2. *fol.* 68. qui ex Epiſcopologiis Regalis Archiui, & Capituli Barcinonenſis, & ex Catalogis Michaelis Carbonellij, Ieronymi Pauli, & aliorum exiſtentiam huius S. Pontificis in Sede *Barcinonenſi* probat. Quibus etiam adhærent F. Franciſç. Diago *Hiſtor. Comit. Barcinonenſ. lib.* 1 *c.* 6 *fol.* 18. & 19. Ieronymus Pujades *Hiſtor. Cathalon. lib.* 4. *c.* 16. Eius ACTA ex profeſſo nullus ſcripſit, illa ex coniectationibus relatorum Scriptorum ſic compagino:

*Scriptores.*

## ACTA S. LVCII I. EPISCOPI Barcinonenſis, Martyris, ex Variis Scriptoribus Gotholanis.

*Origo.*

LVCIVS *creditur natione* Hiſpanus, *& origine* Gotholanus *ex vrbe* Barcinonenſi *oriundus, qui cùm* B. Ætij *illius vrbis Epiſcopi in fidei apprehenſione inſequeretur veſtigia, ita & in paſſione viriliter eſt aſſecutus exemplar. Nam illo è viuis ſublato, & per martyrium in cœlos collocato,* LVCIVS *ad Sedem eſt* Barcinonenſem *euectus: in cuius regimine, ſic ſollicitè vixit, vt totius ordinis ſtatum Clericalis in melius redigeret. Illius igitur Pontificatus tempore,* B. Paulum *Gentium Apoſtolum* Hiſpanias *aduentaſſe creditur, & apud* Barcinonem *diuertiſſe;* LVCIVM*que Noſtrum in fidei regulis roboraſſe, quô, ad interiora* Hiſpaniæ, *profecto, B. Præſul iterum fortior exiſtens ad ea quæ operi ſibi commiſſo vtiliora videbantur, vires charitatis adiunxit. Igitur in harum exercitationum ſollicitudine B. Vir tempus Paſtor ſedulus quæritabat, cùm Nero Romanorum Imperator aduerſus Chriſti Eccleſiam, perſecutionem abſque tergiuerſatione vulgauit; quæ* Hiſpanias *deueniens* B. LVCIVM, *tanquam fidei Magiſtrum apprehendens, poſt varia cruciatuum genera martyrio coronauit* Kal. Auguſti, *Anno Domini* LXIX.

*Fit Epiſcopus.*

*Paulum viſitat Barcinone. Comprehenditur.*

*Duo Lucij Epiſcopi Barcinonenſes.*

HÆc ſunt quæ potuimus ACTA de hoc Sanctiſſimo Viro, & Epiſcopo *Barcinonenſi* huius nominis I. ex auctographis Scriptorum extrahere, nam cætera, quæ de illo poſſemus recenſere, penitùs deliteſcunt. Hinc ſciendum eſt, quòd Eccleſia *Barcinonenſis* alium habuit Præſulem etiam LVCIVM nomine ad Annum CC.VIII. vt refert Dext. *in Chron. Ann.* 208. *num.* 5. hac ſerie: LVCIVS *Barcinonenſis*

nonenſis Epiſcopus præeſt Annis IV. Coniectauit perperam Biuar. in Comment. ad Dextr. d Ann. 180. n. 5. fol. 259. & Ann. 208. n. 5. fol. 268. credens hunc LVCIVM Epiſcopum Barcinonenſem huius nominis II. fuiſſe illum de quo idem Dexter in Chron. d. Ann. 180. in illis verbis: Vtriculi (quæ Bætis olim) Ciuitas eſt in Bætica, prope Hiſpalim, natus LVCIVS, floret Romæ, ingenij laude præclarus. Quia iſte LVCIVS Vtriculenſis fuit Orator, & Poëta, de quo Martialis.

*Vtricalenſis Lucius diuerſus ab illis.*

### LVCI *gloria temporum noſtrorum.*

Lil. Gyrald. de Vit. Poëtar. his verbis: Poſt hunc erat LVCIVS Poëta HISPANVS, qui Horatium Flaccum imitatus eſt, Domitiano Cæſare; & ideo diuerſus à Barcinonenſibus.

ALIVS etiam fuit LVCIVS Anteius Flauinus origine Bæticus, & Aſturicenſis Ciuis, de quo adhuc memoria eſt in priſco lapide apud Tarraconem hac Inſcriptione:

*Nec non Aſturicenſis Ciuis.*

LVCIO. ANTEIO. FLAVIANO.
BÆTICO. COS. CIVI. ASTVRI.
LEG. VII. G. P. FEL. AN. XLV.
STIP. XXIIII. ANTEIVS.
ANTIOCHVS. LIB. PATRONO.
OPT. BENEM. SECVND. VOL.
SVAM.

Quam Inſcriptionem refert Roderic. Caro in Not. ad Dexter. d. Chron. Ann. 180. lit. Z. & Ianus Gruter. in Inſcript. Antiq. fol. 350. n. 9.

*B. Diuerſitas inter duos Felices Gerundenſes.*

S. FELIX Doctor Gerundenſis.] Alium fuiſſe hunc S Martyrem FELICEM ab illo cuius paſſio recenſetur in Actis S. Narciſſi Gerundenſis Epiſcopi, & temporum intercapedo, & dierum cultus conſignatio ſuadent. S. Narciſſus Diaconus martyrio coronatur XV. Kal. Aprilis; iſte Kalendis Augusti. Ille Anno Domini CC. LXXVII. ſub Lucillo Ruffiniano Iudice; hic Anno Domini CCC. ſub Daciano Præſide. Ille titulo Diaconi; iſte laureâ Doctoris. Ille cum Narciſſo Præſule occubuit; iſte cum Maximo, & Romano agonizauit. Ille denique ſub Aureliano Cæſare; iſte ſub Diocletiano Principe; quorum diſcrimen etiam retulimus ſupra Tom. 2. Die XVIII. Mart. fol. 299 Hanc etiam diuerſitatem Sanctorum agnouere Martyrologium Romanum Baronij, Vſuardi Adônis, & recentiorum, à quibus Caſtellanum Vaſquij Luſitanum Lupi, Hiſpanum Higueræ, & Italum Felicis, vbi diuerſis Diebus elogia perleges. Sequuntur etiam hanc ſententiam Anton. Vincent. Domenec Hiſtor. SS. Cathalon. lib. 1 fol. 71. Ieronym. Pujad. Hiſtor. Cathalon. lib. 4. c. 73. & 75. fol. 210. P. Mariet. Hiſtor. SS. Hiſpan. lib. 2. c. 7. fol. 28. Vincent. in Specul. Hiſtor. lib. 13. c. 134. & 135. Truxill. in Theſaur. Concionat. tom. 2. fol. 1383. Equilin. in Catalog. SS. lib. 7. c. 9. Biuar. ad Dextr. Ann. 300. Comment. 3. n. 6. fol. 336. & Ann. 277. num. 2. verſ. Quod ſpectat. fol. 298. Roder. Car. d. Ann. 300. lit. Q. fol. 107. Gregor. Turonenſ. lib. 1. de Glor. Martyr. c. 92. Prudentius Noſter in Periſteph an. Hymn. 4. ſic:

*Martyrologia.*

*Scriptores.*

*Parua* FELICIS *decus exhibebit*
*Artubus ſacris locuples* Gerunda.

*Breuiaria.*

S. Eulog. in Memor. SS. lib. 1. n. 16. fol. 249. De eo etiam Breuiaria Hiſpaniæ à Muzarabi S. Iſidori vſque ad alia vetuſta Anni 1570. vt refert Ambroſ. Moral. Hiſtor Hiſpan. lib. 10. c. 2. B. Ioann. Marian. ead. Hiſtor. lib. 4. c. 10. S. Antonin. Florent. tit. 8. c. 1. §. 25. & 28. A veritate deuiauit Petr. Anton. Beut. Hiſtor. Hiſpan. 1. p. c. 24. aſſerens hunc FELICEM fuiſſe Diaconum S. Narciſſi, & S. Cucuphatis fratrem germanum, cùm contrarium conſtet ex omnibus ſupra adductis Scriptoribus. ACTA huius ſanctiſſimi Martyris ex antiquo Legendario Hiſpalenſi damus.

*Error Beuteri, & aliorum.*

ACTA



## *ACTA S. FELICIS GERVNDENSIVM Doctoris, Apoſtoli, & Martyris, ex Legend. Hiſpalenſi vetuſto.*

*Perſecutio.*

IN *Diebus illis, ſub Diocletiano, & Maximiano Conſulibus, tempore, quo in Chriſtianos ſæua perſecutionis crudelitas graſſabatur: ita vt in vniuerſo Orbe terrarum poſitis ſiuè Orientalium prouinciis, ſiuè Occiduis partibus conſtitutis, impiorum Principum iuſſio ſeruabatur; vt non eſſet Ciuitas, aut Caſtellum, vbi non idola colerentur, & nefariæ dæmonibus victimæ cæderentur.* Sanctus *igitur* FELIX *de Ciuitate* Scyllitana *oriundus fuit, qui cùm ad Ciuitatem pergeret* Cæſaream, *quæ eſt in Mauritano litore conſtituta, & eius Metropolis nuncupatur, vbi literarum liberalium ſtudia præfulgebant, ibi ſe S. Martyr erudiendum ſubdidit diſciplinæ, vt in cunctis perfectior appareret. Igitur S. Vir cùm audiret, quòd apud* Hiſpaniam *grauis in Chriſtianos perſecutio graſſaretur, omnia volumina Auctorum, quæ eius manibus geſtabantur, à ſe proiecit, dicens:* Quid mihi eſt philoſophia huius mundi? Ad illam nunc neceſſe eſt properare vitam, quæ temporibus dat tempora: quæ mortis non formidat auctorem, ſed vitæ inſpicit Creatorem.

*Origo.*

*Hiſpaniam pergit.*

*Gerundæ prædicat.*

IGITVR *in naui B* FELIX *amore martyrij, Deo auxiliante, proſperâ nauigatione,* Barcinonenſem *perductus eſt Ciuitatem, vbi relicto* Cucufate *fratre, eiuſdem itineris ſocio, in* Empurias, *&* Gerundam *verbum Dei prædicare, magno fidei cœpit ſpiritu. Sed cùm fama eius longè, latéque crebreſceret, iubente Datiano, à* Ruffino *Officiali tentus eſt. Cumque nomen Chriſti confidentiſſimè fateretur, primò fuſtibus cæſus, deinde ligatis manibus, & pedibus, negato cibo, & potu, in loco ſqualido proiectus eſt. Poſt hæc per plateas ab indomitis mulis tractus, & penè in fruſta diſcerptus, rurſumque in carcerem miſſus, ea nocte fuit ab Angelo viſitatus, & ſanatus.*

*Capitur, & torquetur.*

*Daciani in Chriſtianos ſæuitia.*

FACTA *autem die, ad certamina reuocatur: & cùm* FELIX *beatus tunc eſſet ferè ex primis fidelibus, quos in* Hiſpania *Datianus cruciauerat, tormentorum atrocitate cæteros Chriſtianos perterrere decreuit. Aſt è contra Chriſtus, victoriâ* FELICIS, *reliquos eius ſeruos animare conſtituit, vt magno quodam ſpiritu, tormenta ſubire non dubitarent. Ergo in publicum extractus* FELIX, *tunc vngulis excoriatus eſt, & inuerſo capite, ab hora tertia, vſque ad veſperam ſuſpenſus, nullum penitus ſenſit dolorem. Deinde in carcerem eſt reuerſus, vbi per totam noctem ſplendor copioſus refulſit, ſed & voces Angelorum pſallentium auditæ ſunt. Quod cùm nuntiatum fuiſſet* Ruffino *à cuſtodibus, iuſſit eum in mare manibus poſt tergum reuinctis profunde demergi. Sed continuò Angelico ſolatus præſidio, ſuper vndas ambulans ad litus virili ſtrenuitate deuenit. Tunc* Ruffinus *iuſſit eum tamdiù vulnera vulneribus inſtaurari, vſque dùm inuictum Chriſto ſpiritum redderet. Quod vt factum proſpexit Iudex, & adhuc in Martyre, validiſſimum, ad maiora ſuſtinenda certamina, ſpiritum adnotaret, iam ſe prorſus victum cernens, eum in carcere gladio interfici iuſſit: atque ita* FELIX *ad felicitatem tandem peruenit ſempiternam, pro qua tàm egregie pugnauerat.* CORPVS *verò eius* Gerundæ *in Eccleſia* Cathedrali *honorificè conditum fuit, à quo poſtmodum* CAPVT *ſeparatum, in Baſilica* Collegiata *ſuo nomini ſacra cuſtoditur. Eius triumphus euenit* Kalendas Auguſti, *Anno Domini* CCC. *Cuius meritis, & precibus vitæ perpetuæ conſequamur effectum, præſtante Domini Noſtro Ieſu-Chriſto, qui Martyrem ſuum coronauit in pace, cui eſt honor & gloria in ſecula ſeculorum.*

*Excoriatur, & ſuſpenditur.*

*Voces Angelorum in carcere. In Mare merſus Angelico præſidio liberatur.*

*Coronatur.*

Celebris fuit omni tempore, & adhuc in præſenti apud Hiſpanos eſt memoria huius S. Martyris FELICIS, cuius ACTA & Laudes S. Iſidorus Hiſpalenſis Antiſtes metricè coagulauit, & inter Breuiarij Muzarabis eccleſiaſtica officia, ſequenti Hymno permiſcuit:



HYMNVS

## HYMNVS
## DE S. FELICE MARTYRE GERVNDENSI.

*Fons Deus vitæ perennis, lux origo luminis,*
*Aſpice plebem canentem feſta ſummi Martyris,*
*Excipe vota precantium, ſume laudum carmina.*
*En tui* FELICIS *almi pangimus inſignia,*
*Tu reſolue vincla linguæ, dans ſonora cantica,*
*Vt tua ritè queamus promere magnalia.*
*Iſte namque* Cæſareæ *vrbis Mauritaniæ*
*Mundialis diſciplinæ dum ſtuderet literis,*
*Artium famoſa verba te ſequendo deſerit.*
*Audiens plecti fideles, mox* Gerundam *peruenit*
*Præſidis iuſſu retentus, truditur in carcerem,*
*Ferreis vinclis onuſtum, conlocuntur Angeli.*
*Siſtitur Aræ, cruentis vt litaret Idolis,*
*Reſpuit infame feſtum, voce Chriſtum profitens,*
*Perſtrepit turba biſulcis oſſa nudans vngulis,*
*Nempe mulis adligatus diſſipatur artubus;*
*Fluctibus preſſo marinis, vnda turgens ſubditur,*
*Angelus immixtus, almis ora pandit canticis.*
*Omnia tormenta forti percurrit pectore,*
*Et poſt pœnas, & catenas, vngulas, & verbera,*
*Carnea clauſtra relinquens, migrat ad cæleſtia.*
*O nimis* Gerunda *felix, O beata Ciuitas,*
*Nil malorum tu paueſcis freta tanto Martyre,*
*Poſtulata promeretur, quiſquis hîc confluxerit.*
*Hîc Dei virtute preſſi lancinantur dæmones,*
*Verberantur, vinciuntur, & cremantur acriter,*
*Atque fumus, & fauilla nil vigoris obtinet.*
*Hîc ſalus optata feſſis, ſed cæleſtis profluit,*
*Viſio cæcis pateſcit, lingua mutis aduenit,*
*Surdus aures hic receptat, atque claudus exilit.*
*Inde cuncti te precamur vna ſumma Trinitas,*
*Martyris vt impetratu noſtra tollas crimina,*
*Noxia cuncta repellas, & ſecunda impertias.*
*Clerus hîc vitâ niteſcat, & Sacerdos floreat,*
*Plebs fidelis quod requirit impetraſſe ſentiat,*
*Omnis ætas, atque ſexus hoc patrono gaudeat.*
*Gloria Patri, Natoque, ſemper & Paraclito,*

Laus,



*Laus, poteſtas, atque virtus, gratiarum copia,*
*Quæ Deum cuncta fatentur ſeculorum ſecula.*

*Reccaredi Regis oblatio ad S. Martyrem.*

Ob hanc igitur deuotionem, quâ S. Martyrem Noſtrum tota proſequebatur *Hiſpania*, euenit vt Religioſiſſimus, & Catholicus Rex Gothorum *Reccaredus*, poſt ſuam & ſuorum ad fidem Catholicam conuerſionem, coronam auream ad eius tumulum obtuliſſet, vt teſtantur Hiſpanicarum Rerum Chronographi, & notant Mariet. *d.c.*7. P.Ribadeneyr. *Tom.*2.*SS.h d.fol* 219.

*Nonniti Epiſcopi deuotio.*

ITEM *Nonnitus* Epiſcopus *Gerundenſis*, cultor eximius fuit S. FELICIS huius B. Martyris, vt ſcribit S. Illephonſus in *Catalog. de Scriptor. Eccleſ. c.*10. his verbis: *Adhærens inſtanter* (Nonnitus) *obſequiis ſepulchri* S. FELICIS *Martyris.* Conueniunt *Domenec, Pujades, Marieta, & Ribadeneyra.*

*Miraculum.*

ETIAM tempore *S. Gregorij Turonenſis* admirabilis erat S. Martyris deuotio, ob inſigne miraculum, quod recenſet *lib.* 1. *de Glor. Martyr. c.* 92. vbi de quodam latrone Eccleſiam S. Martyris ſpoliante, ab ipſo Martyre emendato, caſum, & hiſtoriam exponit. Cuius ecphraſim ſequuntur ſupra relati.

*Reliquiæ aliquæ apud Narbonam.*

AST quamuis in relatione *S. Gregorij* dicatur, Reliquias S. FELICIS Noſtri adſeruari in Baſilica *Narbonenſi*, hoc accipiendum erit; de aliqua parte oſſium, non de corpore toto; quia poſtmodum poſt multum temporis Pontifex *Formoſus* ad Annum Domini DCCC XCIII. petente *Seruo-Dei* Epiſcopo *Gerundenſi*, omnia bona ad Baſilicam S. Martyris pertinentia ſuo Diplomate probauit. Quod adhuc ſcriptum in frondibus palmæ adſeruatur in Archiuo Capituli Gerundenſis, illudque refert Domenec *fol.*73. ſic:

### *FORMOSVS SERVVS SERVORVM Dei, Reuerendiſſimo, & Sanctiſſimo* SERVO-DEI *Sanctæ Gerundenſis Eccleſiæ Epiſcopo, & per te in eadem Venerabili Eccleſia in perpetuum.*

*Diploma quo probatur exiſtentia corporis apud Gerũdam.*

SICVT *per donum Spiritus ſancti B. Apoſtolorum Principi Petro, & cæleſtis Regni Clauigero, ligandi, atque ſoluendi ab ipſo Domino tradita eſt poteſtas, Euangelicâ ſubſequente lectione, quæ inter cætera ait:* Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam. *Ita Sedes Apoſtolica, canonicâ, legalique auctoritate, ſuffulta, omnibus Eccleſiis Dei per vniuerſum Orbem diffuſis, ſuffragio, & iuxta poſtulationis ſubſidia vt præbeat, tàm diuini, quàm humani iuris ratio poſtulat. Igitur veniens iam dicte* Serue *venerabilis Epiſcope, causâ orationis, ad eorundem ſacratiſſima Beatorum Apoſtolorum limina, ſuggeſſiſti nobis: quatenus huius Apoſtolicæ Noſtræ confirmationis priuilegio confirmare deberemus, omnes res mobiles eiuſdem* Gerundenſis *Eccleſiæ in honorem S. Dei Genitricis, & ſemper Virginis* MARIÆ *Dominæ Noſtræ, vbi* B. FELIX, *Chriſti Martyr* CORPORE *requieſcit, hoc eſt, domos, plebes, cellas, Eccleſias, villas, & Inſulas* &c. *Vnde ſalubribus petitionibus tuis inclinati, decernimus, & à præſenti, ac Decima Indictione, per hoc Apoſtolicum noſtrum Priuilegium roboramus, confirmamus, & in perpetuum ſtabilimus in vſu, & vtilitate eiuſdem Eccleſiæ* Gerundenſis, *cui præeſſe dignoſceris, omnes domos* &c.

*Scribendi vſus in foliis arborum.*

Sed quia hocce Diploma in Foliis Palmæ, ſiue ad eorum ſimilitudinem in Corticibus herbæ cuiuſdam in fluminibus inuentæ ſcriptum referat *Domenec*, non abs re erit, huius moris eruditionem repetere. De eo locus eſt expreſſus Plinij *Hiſtor. Natural. lib.*13. *c.*11. his verbis: *Antea non fuiſſe chartarum vſum, in* Palmarum Foliis *primò ſcriptitatum, deinde quarundam arborum libris.* Et licet *Guillandus* ad hunc locum *Plinij* contendat, non in *Foliis Palmarum*, ſed *Maluarum* ſcribi ſolitum, ex illis Carminibus apud *Iſidorum*:

*An Palmarum?*

Hæc

*An Malvarum?*

*Hæc tibi Aratæis multum inuigilata lucernis*
*Carmina, queis ignes nouimus aërios,*
*Læuis in aridulo* Maluæ *deſcripta libello,*
*Pruſiacâ vexi munera nauiculâ.*

*Forma ſtructuræ in Diplomate.*

Nihil ad Nos, cum conſtet Diploma ſcriptum in *foliis herbæ* cuiuſdam, ſimilem *foliis Palmarum*, quam Gotholani patrio idiomate *Boua* dicunt, vt patet ex ipſo Domenec *fol.*73. hac ſerie: *Hoc eſt fideliter, accuratè, & diligenter tranſcriptum, ex quibuſdam literis Apoſtolicis, ſcriptis characteribus Longombardis in foliis, ſiue herbis fluminis, ſimillimis corticibus, aut frondibus Palmarum, quæ antiquitus* Papyrus *dictæ fuerant, nunc* Bouæ *vulgò nuncupantur, quarum quidem contextura artificioſa, admirabilis erat, ita vt vix commiſſuræ diſcernerentur.* Plura qui de hoc ſcire voluerit adeat Pancirol. *Rer. Memorabil. lib.*2. *tit.*13. vbi Henric. Salmuth. *in Not. fol.*252.

*Caput Martyris vbi adſeruetur?*

QVOD, S. Martyris CAPVT in Eccleſia Seculari Collegiata, in honorem S. FELICIS erecta, adhuc exiſtat, probant Domenec *fol.* 72. *col.* 4. his verbis: CAPVT *huius glorioſi Diui adhuc in Eccleſia Seculari Collegiata* S. FELICIS *cuſtoditur, vbi ego illud inuiſi, & adoraui.* Eadem Ieronymus Pujades *Hiſtor. Cathalon. d. lib.*4. *c.*76. vbi controuerſiam mouet circa verum locum depoſitionis ſacrorum pignorum, & vltimò concludit tàm *caput*, quàm *Corpus* recondi in Eccleſia S. FELICIS, non in *Cathedrali*, quia hæc extructa dignoſcitur tempore *Caroli Magni*, & illa olim fuerat *Cathedralis*. Quod variis rationibus, & inſtrumentis probare contendit.

*Quo Mari merſus Martyr?*

HINC etiam aliquando controuerſum vidi, quo pacto, cùm *Gerunda* non ſit Ciuitas littoralis, ſed mediterranea, potuit S. Martyr in mare mergi. Cui difficultati reſpondet Ieronymus Pujades *d. c.*76. quod locus vbi merſus fuit Martyr, & vbi Angeli apparuerunt, & illum è gurgite liberarunt, erat oppidum GVIXOLS, quod poſtmodum Sancti FELICIS nomine, ob paſſionem, & miraculum, condecoratum credunt incolæ; & probat hoc quodam carmine in feſto S. Martyris, hac ſerie:

*Capite verſo ſuſpenſus*
Guixollenſi *Mari merſus*
*Molis ſuperpoſitis.*

Quâ ſolutione adhibitâ huius ecphraſis contextus remanet omnibus ſuis partibus comprobatus, & abſolutus.

C.
*Socij S. Felicis Doctoris Martyris Gerundenſis.*

SANCTVS ROMANVS, & MAXIMVS *Martyres Gerundenſes.*] Hos fuiſſe ſocios in fide, & paſſione S. FELICIS Martyris *Gerundenſium* Apoſtoli, & Doctoris, clarè colligitur ex auctoritate, & certitudine cuiuſdam Scripturæ de Anno M. LXXXVII. quam referunt Anton. Vincent. Domenec *Hiſtor. SS. Cathal. lib* 1. *fol.*26. *col.*2. & Ieronym. Pujad. *Hiſtor. Cathal. lib.*4. *c.*73. *fol.*209. Carolus Siengel. *Hiſtor. Auguſt. Vindel.* 1. *p. c.*10. *fol.*21. & Nos ſupr. *Tom.*2. *Die XVIII. Mart. fol.*300. vbi cùm *Sighardus* Abbas S. Vdalrici vrbis Auguſtæ Vindelicorum ab Epiſcopo, & Capitulo S. E. Gerundenſis aliquam Reliquiarum partem Corporis *S. Narciſſi* illius Vrbis Epiſcopi, & Martyris efflagitaſſent, *Berengàrius* tunc huius Sedis Epiſcopus Abbatis annuens votis, & deſiderio, aliquas particulas oſſium, & cruoris *S. Felicis Doctoris*, & veſtimenti, & ſtolæ *S. Narciſſi* miſit, & proſequitur Epiſtolaris ſcriptura: *Mittimus etiam vobis de Oſſibus Capitis, atque manus* S. ROMANI *precioſiſſimi Martyris Chriſti,* SOCII *videlicet prætaxati* FELICIS *venerandi Martyris* Gerundenſis, *Hiſpaniæque Doctoris.* En ex relatione huius Scripturæ memoria S. ROMANI, quem S. FELICIS Doctoris SOCIVM *Berengarius* appellat. Ieronymus Pujad. *d. lib.*4. *c.* 77. *fol.* 212. Probat validis rationibus exiſtentiam huius S. Martyris, eumque fuiſſe *Socium*. S. Doctoris FELICIS; cuius rei causâ, apud *Gotholanos* paſſim extructas fuiſſe Baſilicas in eius honorem fatetur, videlicet in Oppido LLORET, in Valle LOBREGA iuriſdictioni Oppidi de Palamos; in

*Probatur S. Romani Societas cum Felice.*

*Eius Eccleſia in Cathalonia.*



in Comitatu Empuritano apud Oppidum DALFIA, & alibi. Qui etiam, ex picturis iconum quæ viſuntur in Aris prædictarum Eccleſiarum, vbi huius S. Martyris hiſtoria delineatur, colligit, S. Martyrem in CRVCE ſuſpenſum, martyrium conſummaſſe. Eius verba ſunt, ſuo idiomate: *Y ſi ſe deu donar fe à las pinturas Eccleſiaſticas, quiza podrian dir, quæ* S. ROMA *mori en Creu, perque en los ſeus Altars de aqueſtas Igleſias, lo pintan, y figuran de aqueſta manera, que degue ſer axi lo ſuo martyri.* Hactenus ille, cuius opinioni adhæreo, ob ſuperius à Nobis dicta *Tom.*2. *Die XV. Mart. fol,*250. *& ſeq.* cum de Hiſtoria *S. Matronæ Capuanæ* in pariete depictâ egimus.

*Eius martyrium in Cruce conſummatũ.*

*S. Maximi Socij S. Felicis memoria.*

QVATENVS ad ſocietatem S. MAXIMI Martyris cum *S. Felice Doctore*, expreſſus eſt Flauij Dextri V. CL. aſſenſus in *Chron. Ann.* 300. *num.* 6. his verbis: *Durat nihilominus atrox Diocletiani perſecutio: Patiuntur* GERVNDÆ *in Hiſpania Sancti Martyres* Felix, *&* MAXIMVS. Conueniunt cum Dextro *P. Higuera* in *Martyrolog. Hiſpan. h.d.* D. Martin. Carrillo *in Annal. Eccleſ. Ann.* 300. & Camargo in *Reſumpt. Hiſtorial. d. Ann.*300. Quis, qualisvè fuerit; aut quo ſuppliciorum genere vitam exuerit, nullus aperit, nec *Gotholani*, apud quos altum ſilentium.

D.
*Secundellus Nannetenſis in Gallia diuerſus ab Italo.*

S. SECVNDINVS *Monachus, origine Cæſarauguſtanus.*] Philippus Ferrarius in *General. Catal. SS. h. d fol.* 311. agit de quodam SECVNDELLO Abbate, ſocio *Friardi* recluſi, qui apud *Nannetem* Britanniæ inter Galliæ Celticæ vrbes ſitam, hodieque *Nantes*, vocitatam, vitam tranſegit. Huius fortè nomine allectus Rodericus Caro in *Not. ad S. M. Maxim. in Chron. Ann.* 598. *fol.* 212. *lit. X.* verba *Maximi* deſtruxit, & SECVNDVM in *Italia* ſolitarium, ad *Galliam* tranſtulit, contra *Maximi* ſenſum, & ſententiam dicentis: SECVNDINVS domo CÆSARAVGVSTANVS, *ſolitarius in* Italia *concluſus, moritur, ad quem* S. Gregorius *literas, & dona mittit.* Quod ſi ex *Maximo* recluſus in *Italia* fuit, perperam illum ad *Gallias* tranſmittit. Nec ad hunc Gallum Monachum *Gregorius* Magnus dona, & epiſtolas miſit, ſed ad *Italum*, vt patebit infra. Hoc igitur cognito ad verum SECVNDINVM Monachum, cuius meminit *Maximus* Noſter deueniamus. Is fuit valde familiaris *Theodelindæ* Longobardorum Reginæ, cum qua in huius gentis ad Fidem Catholicam conuerſione plurimum deſudauit; & *Adoualdum* filium Reginæ ſacris aquis tinxit. Eius etiam meminere Paul. Diacon. *Hiſtor. Longobard. lib.*4. *c.* 2. *&* 8. 13. *&* 14. Baron. in *Annal. Eccleſ. Tom* 8. *Ann.* 599. P. Biuar. in *Not. ad Maxim. d. Ann.* 599. *n* 8. §.38 *fol.*700. Eius ACTA nullus continua oratione conſcripſit, illa ex relatis Scriptoribus aſſuemus.

*Error R. Caro.*

*Scriptores.*

## *ACTA S. SECVNDINI MONACHI Recluſi, Origine Cæſarauguſtani in Hiſpania, ex Variis.*

*Origo.*

SECVNDINVS *natione* Hiſpanus *ex* Cæſarauguſtana *vrbe in Citeriori oriundus*, Italiam *deueniens apud Tridentum illius regionis celeberrimam vrbem pedem fixit; vbi Monachi recluſi cucullam induens, ſolitariam ad tempus vitam exegit. Regnum tunc* Italiæ *ſchiſmatici Longobardi tenebant, quorum Regina* Theodelinda *Catholicam fidem profitebatur, quæ gentis ſuæ conuerſionem deſiderans S. Virum ſecum trahere totis viribus conabatur. Piis Reginæ deſideriis* SECVNDINVS *annuens, extemplò eremum, & ſolitudinem derelinquens, vrbem ingreſſus; Catholicæ Reginæ ſpiritum acuit; vt ad opus diù concupitum vires totius perfectionis exponeret. Igitur Regina S. Viri conſiliis, & orationibus freta,* Longobardos *ad Romanæ fidei, & Catholicæ veritatis regulam perduxit.*

*Italiam petit.*

*Familiaris Reginæ Longobardorum. Eius operâ gens iſta cõuertitur.*

*Quæſita S. Viri ad B. Gregorium.*

POST *hæc cùm S. Abbas, cùm aliquot dubia emergerent, videlicet, an recipienda eſſet omnimodo Synodus Generalis Chalcedonenſis; De Epiſtola Ibæ Epiſcopi, & S. Cyrilli defenſione; De Ordinatione Apoſtolicæ Sedis; Vtrum poſt B. Hormiſdam aliqua decreta ſint addita; De Sacerdotali Officio poſt lapſum, ſi pænitentia ſecuta fuerit, in priſtinum gradum reſtituendo; & deniquè*

*ni que de Paruulorum animabus, qui ſine Baptiſmo moriuntur; illa ad Sedem retulit Apoſtolicam; eaque Sanctiſſimo* Gregorio *Magno Pontifici direxit humiliter, vt ad poſtulata quantocyus reſponderet; quod & rogauit ſuis literis Regina Gregorium, qui ſuſceptis vtriuſque, &* SECVNDINI, *&* Theodelindæ *Epiſtolis, tantùm Reginæ reſpondit, aſſerens ſe ſic prodagræ doloribus affectum exiſtere, vt non ſolum non dictare, ſed nec ad loquendum poſſet aſſurgere; & demùm hiſce verbis concludit:* Sed ſi Omnipotente Deo diſponente, conualuero, ad cuncta quæ mihi ſcripſit, ſubtiliter reſpondebo. *Quod reſponſum poſtmodùm S. Pontifex iam ab infirmitate ſolutus abſoluens, omnibus dubiis S. Viri efficaciter ſatisfecit, & iunctim ad eum mittens Duos Homiliarum Codices, quas ſuper Euangelium dictauerat, exiguum quoque veſtimentum, necnon Imagines Saluatoris, & Sanctæ Dei Genitricis* MARIÆ, *Beatorumque Apoſtolorum Petri, & Pauli, & Crucem vnam, Clauemque etiam pro benedictione à ſanctiſſimo Corpore Petri, Apoſtolorum Principis; in maxima apud eum S. Vir, ob vitæ ſanctitudinem, & doctrinam exiſtimatione remanſit.* Agiulfo *Regi Longobardorum natus fuit filius ex* Theodelinda *coniuge, qui baptizatus eſt in Eccleſia S. Ioannis in Modoëcia, & ſuſceptus fuit de Fonte à* SECVNDINO. *Qui poſt aliquod temporis res geſtas Longobardorum ſcripſit, & tandem virtutibus, & inſignibus facinoribus clarus obdormiuit in Domino, Anno Salutis* D.XC.IX.

*Theodelindæ Reginæ reſpondit Gregorius.*

*Munera mittit Gregorius Secundino.*

*Moritur.*

*Origo probatur.*

HÆC ex relatis Scriptoribus ACTA decerpſimus, quorum ecphraſim breuiter comprobauimus, vt nihil intactum relinquamus. De Origine *Hiſpana* apud *Cæſarauguſtam*, iam locum Maximi in *Chron. Ann.* 599. ſubiicimus. Cui veritati non obſtat relatio Pauli Diaconi *lib.* 4. *c.* 8. *&* 14. vocans eum de *Tridento*, quia ibi non reſpexit ad originem, ſed ad exiſtentiam, & mortem, vt notauit Biuar. *Ann.* 598. § 40. *n.* 8. *fol.* 700.

*Familiaritas cum Theodelinda.*

QVATENVS ad familiaritatem cum *Theodelinda* Regina Longobardorum, cui adſtitit, donec gens illa fidem reciperet, videndus Paulus Diacon. *d. lib.* 4. *c.* 2. qui *cap.* 8. refert, qualiter S. Vir *Adabaldum* Reginæ illius filium, è ſacro fonte ſuſcepit.

*Dubia ſoluta à S. Gregorio.*

CIRCA Dubia ab ipſo S. Viro ad *S. Gregorium* Magnum emiſſa, & per *Theodelindam* ſolicite procurata, videnda *Epiſtol.* 7. *lib.* 2. *Regiſtr.* apud S. Gregor. & Reſponſum de Dubiis *lib.* 7. *c.* 53. eiuſdem Regiſtri, vbi munera in Actis relata ab ipſo Pontifice S. Viro remiſſa continentur. Cætera communia ſunt.

E. *Martyrologia.*

S. MAVRVS *Martyr Romanus.*] Martyrium conſummauit cum *Fauſto* Preſbytero, & aliis Nouem; vt ex *Vſuardo*, & Romano Martyrologio *Baronij*, Caſtellano, *Vaſquij*, Luſitano *Lupi*, & Italo *Conſtantij Felicis?* Græcorum Menologium eorum paſſiones reiicit in diem ſequentem. De eo Baron. *Annal. Eccleſ. Tom.* 2. *Ann.* 259. *n.* 21. *&* 260. *n.* 3. Eorum ACTA recenſentur in paſſione *S. Stephani* Papæ, & Martyris. Quatenus ad Noſtri S. MAVRI Martyris lipſana, quæ inter alia *Vrbanus* VIII. Pont. Max. R. P. F. *Ioanni ab Annuntiatione*, eius aliquando Confeſſario, & totius Ordinis Fratrum Excalceatorum SSS. Trinitatis Commiſſario, conceſſit, pluries in hiſce TOMIS diplomata ſubiunximus; remiſſionemque ſacrarum exuuiarum *Roma Madridium*, vt ibidem à R. P. F. *Iſidoro à S. Ioanne* eiuſmodi Ordinis Generali Miniſtro diſtribuerentur, pro vt ab ipſo factum fuit, & tunc Cœnobio *Valliſpinenſi* hæc S. MAVRI pignora conceſſa fuere, vt patet ex diſtributione facta, & Madridij edita, de qua ſuperius mentionem fecimus, maximè *Tom.* 1. *Die XIV. Februar. fol.* 131.

QVARTO



# QVARTO NONAS Auguſti.

## DIES II.

*A.* CORDVBÆ, *& alibi in* Hiſpania, *memoria* S. FLAVII RVTILII *Afri Martyris; qui poſt varias profugus exantlatas timore agonis prouincias*, Hiſpanias *adiit, & apud* Cordubam *Bæticæ quietos lares inueniens, illic per aliquot annos ſiſtit, quibus tranſactis Africam reuerſus, protinus tenetur, & in carcerem detruditur, è quo poſt varia tormentorum examina, ad præmium, quod tantopere timidus diffugerat, ſtrenuus agoniſta deuenit.*

*B.* VXAMA *Hiſpaniæ* S. PETRI *ipſius vrbis Epiſcopi, qui ex Aquitania Galliæ à* Bernardo *Archiepiſcopo I. Toletano euocatus, cucullam Ordinis Benedictini in* Sahaguntino *cœnobio recepit, poſt,* Toletanus *Archidiaconus factus, ad infulas Præſulatus acceſſit, quibus exemplo, & doctrinâ clarus, inſignis Confeſſor ad lucrum migrauit æternum.*

*C.* VIMARASSII *in Portugallia* B. GVALTERI *Diſcipuli* B. Franciſci, *qui poſtquam prouinciam illam, Euangelium prædicando, luſtraſſet, populos ordini deuinciſſet, condiſcipulos congregaſſet, & prodigia peregiſſet innumera, in Domino quieuit.*

---

# NOTÆ.

SANCTVS FLAVIVS RVTILIVS *Martyr.*] Celebris huius S. Martyris fuga, ne ad agonem deueniret, apud Scriptores Eccleſiaſticos circumfertur. De ea audi Tertullianum de *Fug in perſecut. c.* 5. *n.* 41. dicentem: RVTILIVS *ſanctiſſimus Martyr, cùm toties fugiſſet perſecutionem, de loco in locum, etiam periculum (vt putabat) nummis redemiſſet, poſt totam ſecuritatem, quam ſibi proſpexerat, exopinatò apprehenſus, & Præſidi oblatus, tormentis diſſipatus, de hinc ignibus datus, paſſionem quam vitarat, miſericordiæ Dei retulit.* Ex cuius verbis *Martyrologium Romanum* h. d. encomium deſumpſit, ſic: *In Africa* S. RVTILII *Martyris, qui cùm ſæpius de loco in locum, perſecutionem fugiſſet, & periculum interdum etiam pecuniâ redemiſſet,*

A. *Tertulliani encomium de Martyre.*

*Martyrologia.*

 *exopinatò*

exopinato aliquando comprehenſus, & Præſidi oblatus, tormentis plurimis cruciatur: demùm ignibus traditus, egregio martyrio coronatur. Conueniunt Martyrologia Caſtellanum Vaſq. Luſitanum Lup. & Italum Felic. & Cardinal. Baron. Annal. Eccleſ. Tom. 2. Ann. 205. num. 23. Aduentum fugiendo in Hiſpaniam S. Martyris, & Cordubæ conſiſtentis, refert Dexter. in Chron. Anno 110. n. 5. his verbis: FLAVIVS RVTILIVS fugiens venit Cordubam Hiſpaniæ, ſed tandem in Africa patitur. Idem Dexter in Chron. Ann. 116. hac ſerie, vt in meo MS. RVTILIVS ad Hiſpaniam profugus, apud Africam fit Martyr. Meminit eius Tertullianus præclaro quidem elogio. Quâ Lectione veriſſimâ ceſſat conſtructionis inuolucrum, quo cruciatur Biuar. in Not. d. Ann. 116. num. 5. fol. 223. S. Marcus Maximus in Chron. Ann. 612. his periodis: RVTILII paſſi ſub Trajano, in Africa, qui profugus venit ad Hiſpaniam, & manſit Cordubæ, poſtea celebris eſt hîc memoria. Deinde periodo proximè ſequenti: In Africa celebratur memoria RVTILII Martyris, cuius mentionem fecit celebrem Septimius Tertullianus. Etiam de eo agunt Biuar. in Comment. ad Dextr. Ann. 110. n. 5. fol. 215. & Ann. 116. n. 5. fol. 223. Roder. Car. ibid. fol. 60. lit. B. & fol. 65. lit. E. Adeſt præterea Epigramma non inuenuſtum Cypriani Archipresbyteri Cordubenſis in Codice MS. meo, cuius copiam poſtea dabimus. Eius ACTA nullus ſcripſit, illa prout ex relatis Scriptoribus deprehendimus, excribemus.

*Scriptores.*

## ACTA S. FLAVII RVTILII
## *Martyris Africani, ex Tertulliano, Baronio, & aliis.*

*Origo.*

FLAVIVS RVTILIVS natione Italus, & ex illuſtri ſanguine procreatus, iam ætate firmatus Chriſto nomen dedit, in cuius doctrina nutritus egregium de eius virtute cæteris fidelibus præbuit ſpecimen. Per idem tempus Trajani Imperatoris, aliàs excellentiſſimi Principis, origine Hiſpani, ſæuiſſima cœpit perſecutio excitari; quâ totius Orbis Romani circulus aduerſus Chriſti membra deſæuiens, illa, vt per cruciatuum anguſtias deperirent, totis viribus conquirebat. Ad RVTILII ergo hæc tumultuantium ſatellitum procella deuenit auditum, & vt prolixiùs pro fide ſuſcepta pateretur, omnia relinquens, patriam dimiſit, & profugus de loco in locum, periculum etiam pecuniâ redimens, plurimas eſt, conſtanti ſpiritu expertus prouincias. Igitur Hiſpaniam deueniens, apud Cordubam totius Vlterioris celebrem vrbem prolixius demoratus, tandem, exardeſcente in illa regione Præſidum ſæuitiâ, per fretum Herculeum Mauritaniæ littora perquiſiuit, quibus adeptis, Africanam prouinciam ingreſſus, inopinatò à ſatellitibus comprehenſus carceri mancipatur. Ad Præſidis itaque tribunal pro Chriſto agoniſta felix oblatus; ſe eſſe Chriſtianum, fideique ſignaculo prænotatum fatetur, ideoque fruſtra ſolitis vanitatis ambagibus, illum ab illa confeſſione dimouere ſatageret. Tunc Præſes furore excandeſcens, S. Martyrem per varios cruciatus à propoſito auellere diſpoſuit: ſed cùm Dei virtus eſſet in illo, facilè Præſidis præcepta, & Satellitum tormenta virili pectore deſpiciebat. Talis in Martyre conſtantia in angoribus viſa eſt, vt non ſolùm Iudicis iracundiam, ſed & carnificum furorem excitaret, ita vt ad maiora incitarentur inferenda cruciamina. Nec vlla profuit tortoribus, & Præſidi crudelitas, donec igne incenſo Martyrem in rogum præcipitant, quo eius ſanctiſſimus ſpiritus ad gloriam Chriſti ſui coronatus adſcendit. IV. Nonas Auguſti, Anno Dominicæ Natiuitatis C.XVI.

*Perſecutio.* *Hiſpaniam adiit.* *Comprehenditur.* *Cruciatur.* *Coronatur.*

Omnia, quæ in hiſce ACTIS continentur, & referuntur in Prolegomeno probata conſpicies, illud tantùm probatione indiget, ſcilicet de Origine, quam Italam fuiſſe ſcribit Cyprianus in Epigrammate MS. huiuſmodi.

*Epigrāma Cypriani.*

Italus en *Noſtras* RVTILIVS *corpore caſſas,*
*Trajani metu, inuiſit; cum profugus Orbis*

Abdita



*Abdita ſollicitat: forſan quia plurima quærit*
*Tunc tormenta pati prolixius, agmine duro*
*Angorum, quos ſæpe tulit. Poſt denique Mauros*
*Viſitat: hic mortem Diuo dedit Afer acerbus.*

Ex quo Epigrammate elicitur RVTILIVM fuiſſe origine Italum, cuius Nomen plurimi Viri illuſtres ex proſapia Rutiliorum traxere, de quibus paſſim apud Gruterum inſignes Inſcriptiones inuenies. Hinc quoque notabis Cyprianum in primo carmine locutum de CORDVBA patriâ ſuâ, & ideò dixit RVTILIVM inuiſiſſe Caſas Cordubenſes, quia ibidem aliquot temporis pedem fixit Sanctiſſimus Martyr.

S. PETRVS Epiſcopus Vxamenſis Confeſſor. ] Apud Hiſpanos frequens fuit olim, & adhuc eſt feſtiuitas huius Sanctiſſimi Præſulis, & maximè in eius Eccleſia, quæ non hoc Die, ſed Die IV. huius Menſis, eius ſanctiſſimam recolit memoriam. De eo hoc Die Martyrolog. Monaſtic. hoc elogio: In Hiſpania S. PETRI Oxomenſis Epiſcopi, Ordinis Cluniacenſis. & ibidem Hugo Menardus lib. 2. Obſeruat. fol. 653. etiam hoc Die Andr. Sauſſay. in Martyrolog. Gallican. in Supplement. fol. 1154. In HISPANIA Natalis S. PETRI, Oxomenſis Epiſcopi, Ordinis Cluniacenſis, qui ob fulgentia gratiæ lumina, à S. Bernardo Archiepiſcopo Toletano, Ortu Aquitano, in Hiſpaniam euocatus, commiſſum ſibi populum, verbo pauit & exemplo, multiplicatoque, ex ouium ſalute, Domini fœnore, æternum introiuit gaudium. Conuenit Martyrologium Hiſpanum P. Higuera MS. etiam h. d. his verbis: En Oſma de Eſpaña S. PEDRO, Obiſpo de la meſma Ciudad, que fue primero Monje de Cluni, deſpues de Sahagun, Arcediano de Toledo, varon docto, y ſingular en virtudes y milagros. Latinè ſic ſonant. Vxamæ Hiſpaniæ P. PETRI ipſius vrbis Epiſcopi, qui primò fuerat Monachus Cluniacenſis, poſt Sahaguntinenſis, Archidiaconus Toletanus, Vir doctrina, virtutibus, & miraculis ſingularis. Plures ex Noſtris de eo ſcripſere ſanctitatis titulo, videlicet Rodericus Archiepiſcopus Toletan. Hiſtor. Hiſpan. lib. 6. c. 87. Marineus Siculus de Reb. Hiſpan. lib. 5. Blaſius Ortiz. de Templ. Toletan. c. 16. Truxillo in Theſaur. Concionat. tom. 2. fol. 1430. P. Marieta Hiſtor. SS Hiſpan. lib. 5. c. 84. Alcozer Hiſtor. Tolet. lib. 1. c. 17. Petrus Medina de Magnitud. Hiſpan. lib. 2. cap. 110. Piſa Hiſtor. Tolet. lib. 3. c. 26. Villegas in Flor. SS. Hiſpan. tom. 2. fol. 140. P. Anton. Yepes in Chron. Benedict. Tom. 6. Cent. 6. fol. 381. & Cent. 7. Ann. 1080. c. 5. Don Prudent. Sandoual. Hiſtor. Monaſter. Sahaguntinenſ. c. 3. & 20. M. Ægidius Gonſal. in Theatr. Eccleſ. Vxamenſ. c. 3. P. Quintana-Dueñas Hiſtor. SS. Toletan. Secul. 12. § 1. fol. 337. Primus Cabilonenſ. in Topograph. SS. verb. Oxama. Breuiaria quoque nonnulla Hiſpaniæ vetuſta huius S. Præſulis officium continent, ſcilicet Toletanum Anni 1483. Compoſtellanum Ann. 1569. Ciuitatenſe Ann. 1555. Palentinū, & Salmanticenſe Ann. 1538. quæ feſtum ad XII. Octobris reiiciunt. Conchenſe Ann. 1570. ad diem IV. Auguſti. Carthaginenſe Ann. 1536. hoc die, ſequenti Lectione: Venerabilis Antiſtes, & pius Paſtor PETRVS, natione Bituricēſis, parētibus Chriſticolis, cùm eſſet bonæ indolis adoleſcens, inter ſcholares diligēter inuigilās, in lege Domini die, ac nocte meditabatur. Archidiaconus igitur factus Toletanus in ipſa Eccleſia res Eccleſiaſticas diligenter, & opportunè tractabat; & excubitor in Domo Domini ſui prouidus, non tantum temporalia, ſed ſpiritualia erogabat. Eodem tempore Oxomenſis Eccleſia ſolatio Paſtoris carebat, quæ Sarracenorum incurſibus, cum aliis multis Hiſpaniæ Eccleſiis, & ciuitatibus depopulata fuerat; multiſque annorum curriculis orbata Rectore, deficientibus habitatoribus permanſit. Dei tamen nutu, reædificabatur ciuitas Oxomenſis à paucis habitatoribus. Huic Ciuitati prædictus Vir laudandus in Paſtorem præficitur, dirutæquè & ab ipſis fundamentis euerſæ Eccleſiæ (cuius nec ſigna, nec veſtigia vetuſtate reperiri poterant) Rector conſtituitur. Ipſe itaque nec rerum affluentia, nec famulantū vallatus circumſtantiâ, nec denique Palatiorum dilatatus ſpecioſitate, nouus cœpit ædificator exiſtere: & non tantum parietes, ſed & ſubditorum mores reformare. His igitur ritè expletis Vir Dei protinùs febre corripitur, & viribus corpore deſtituto, poſt ſacramentorum ſumptionem, ſpiritum Domino reddidit, IV. Nonas Auguſti. Eius ACTA in Legendario MS. Aſturicenſi copioſiora referuntur, illa, quia alibi non inueniuntur dabimus.

*B.* *Martyrologia.* *Scriptores.* *Breuiaria.* *Acta per ſynopſin ex Breuiario Carthaginenſi.*

## ACTA S. PETRI VXAMIENSIS Epiſcopi, Confeſſoris, ex MS. vetuſto Legendario Aſturicenſi.

*Origo, & Parentes.* PETRVS in Gallia Celtica apud Bituricos natus, Patrem Guillelmum, & Neym ram Matrem, non tantum ſanguine, ſed & moribus nobiliſſimos habuit. Ab infantia fidei ſacris excultus rudimentis, & Dei timore nutritus, *Fit Miles.* ad iuuenilem acceſſit ætatem virtutum perfectione compactus. In illa (vt ea tempora ferebant) armorum ſtrepitu illectus, baltheum profanæ indutus militiæ, vexilla Regum, temporum occaſione, proſequitur. Ea per aliquot annorum curricula ſtrenuus Iuuenis defenſauit, donec periculum in exercitio prudens diſcurſus explorans, ſigna bellica ſagax animaduerſio reliquit. *Monachū induit.* Tunc quid agendum quæritans, S. Benedicti ordinem totâ viſcerum compage ſuſpirans, calcatis innumerabilibus contradictionis ambagibus, in Auricenſi Cœnobio cucullam induit. Ibidem S. Vir per aliquos annos Monachum egit, donec Rex Alphonſus Caſtellæ, qui Toletum cepit, *Sahaguntinenſe Cœnobium reædificatur.* Sahaguntinenſe Monaſterium reædificare conſtituit, illudque totius Regni caput inter cætera deſtinare. Qui vt iſtius populationis fundamina præceptoribus niterentur illuſtribus, ab Abbate Cluniacenſi aſſiduis efflagitabat Epiſtolis, quatenus in Hiſpaniam aliquos ex Cluniaco Monachos, & doctrinâ celebres, & virtutibus claros, qui Regale Cœnobium erigerent, & illuſtrarent ſpiritu & totius regionis ambitum præclaris moribus, & virtutibus inſignirent, emitteret.

*Cum aliis Petrus in Hiſpaniam venit.* IGITVR Cluniacenſis Abbas Regis inclyti, humili petitione conuictus, Duodecim Monachos morum illuſtrium ſpecimine roboratos ad Regem deſtinauit, inter quos Bernardum, qui poſtea fuit Archiepiſcopus Toletanus, & PETRVM, eius ſecundum carnis vinculum Nepotem, licèt meritò profeſſione Filium. Qui apud prælibatum Sahaguntinenſe Cœnobium, Monaſticam per aliquot temporis curſum, vitam exegit, vbi in oratione, nocturnis excubiis, ieiuniis, & ſimilibus exercitiis, aſſiduus Domini perſeuerauit *Mores in Monaſterio.* Miniſter. Paſſim extra ordinem Homo Dei de more cum Fratribus in diuinæ legis meditationem incumbebat, vt melius, & efficacius ab ocio diffugeret. Omnes ſuo exemplo, & eloquentiæ dulcedine, ſiue Monachos, ſiue Laycos, ad Dei amorem inflammabat; qui cùm eius ſanctimoniam exploratam haberent, eum maioribus proſequebantur honoribus, qui Seruo-Dei maioris humilitatis anſam præbuere, iuxta illud Salomonis: *Sap. c. 17.* Quanto magnus es, humilia te in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam. Itaque, quia iam eum Dominus in benedictionibus dulcedinis præuenerat, frequens erat in ieiuniis, creber in vigiliis, iugis in oratione, diuinæ lectioni inſiſtens, moribus ſuauis, eloquio dulcis, ante omnia verò ſollicitus ſeruare vnitatem ſpiritus in vinculo pacis: denique corpus ſuum caſtigans, & in ſeruitutem redigens, omnia Fratrum communia exercitia ſoluebat, & plura, extra chorum meditabatur pœnalia, vt ſic melioribus polleret moribus, quibus Chriſto ſuo placeret.

*Toletana Vrbs recipitur.* POST hæc Rex Alphonſus, Regiam vrbem, quam triennio obſederat ſtrenuâ conſtantiâ, Sarracenorum deditione recepit; qui vt & cultus Eccleſiaſtici reparationi addictiſſimus fuiſſet, extemplò Antiſtitem S. E. Toletanæ conſtituere decreuit, qui eccleſiaſtica munia, & canonica miniſteria, *Bernardus, Archiepiſcopus conſtituitur.* etiam Sacerdotum deſignatione, & miniſtrorum nominatione, diſponeret. Ad hoc fuit Bernardus Sahaguntinenſis Abbas electus, qui prouidâ animaduerſione ſingula Eccleſiæ neceſſaria digeſſit, & Eccleſiaſticum ordinem tantâ diſpoſitione conſtituit, vt ad priſtinum Metropoliticæ Dignitatis ſtatum, illam, Regiâ auctoritate reduceret. Inter alios igitur, quos ſecum Bernardus *Archidiaconus Toletanus creatur.* Monachos è Cœnobio, ad opus nouum deduxit, vnus fuit PETRVS, quem in Archidiaconum ſanctæ illius Eccleſiæ, meritò ſublimauit. In eo igitur S. Vir fastigio



faſtigio collocatus, non elatior fuit, nec nihil de Monaſtico rigore remiſit, nam totum illud ingens Diuini Officij penſum, cui in choro adſtinguntur Cluniacenſes ſtrenuè quotidie perſoluebat. *Mores in officio.* Vix à Templo diuelli poterat, niſi quando in Archidiaconatus munere, iudicialibus miniſteriis vacabat, & negociis. Tanta igitur S. Viri virtutum fama, per omnium ora dilapſa, percrebuit, quod Regem, Archiepiſcopum, Clerum, & Populum, in profundam admirationem, illuſtrium facinorum frequentiâ, raperet.

EVENIT ergo cùm hæc agerentur, quòd vrbs Vxamenſis, de Sarracenorum faucibus eriperetur, in qua antiquam reſtituere Cathedralem Eccleſiam conuenit. Sed cùm de Paſtore protinùs deligendo, qui vrbem repararet, & Eccleſiam conſtrueret, diſceptaretur, illicò vnus Beatiſſimus PETRVS, qui *Eligitur Epiſcopus Vxamẽſis.* perfectius Opus illud exequeretur, in mentes omnium occurrit; ideoque à Rege, & Archiepiſcopo conſignatus, ei munus hoc quantocyus indixere: & licet S. Vir infulam induere recuſaret, demum Regis placitis, & Bernardi precibus adquieuit, cuius miniſterio conſecratus, onus ſuis humeris impoſitum admiſit, & ad Sedem ſuam magno profectionis feruore, humilis & egregius peruenit Antiſtes. Mox itaque dirutæ, & ab ipſis fundamentis euerſæ Eccleſiæ fabricam erigere deſtinauit, quam ſic aſſiduis auxiliis, & aſſiſtentia, breui tempore, conſtruxit, vt pene ad miraculum huiuſmodi Opus computaretur excelſum. *S. Viri exercitia in Epiſcopatu.* In hac igitur dignitate, tanquam in altiſſima arce PETRVS conlocatus, omnis pietatis, & perfectionis tanquam aliquod ſignum ſuis extulit. Nihil rerum diuinarum contemplatione antiquius ducebat. Carnem ieiuniis, nocturnis vigilijs, & nodoſo cilicio ſubigebat. Clerum, & Populum ſibi à Deo commiſſum, maximâ adhibitâ diligentiâ regebat. Pauperum, infirmorum, & hoſpitum curam gerere procurabat. Erga honeſtos, & dociles manſuetus erat, & benignus. Errantes ſeueriùs cohibebat; in ſuperbos, & contumaces animaduertebat atrocius, ita vt omnibus Paſtor exiſteret integerrimus.

*Iurium Eccleſiæ Defenſor.* FVIT quoque iurium, bonorum, & rerum ad ſuam Eccleſiam, & Dignitatem pertinentium acerrimus defenſor, ita vt quidquid à Potentioribus ſublatum, & inter eorum facultates incorporatum inuenit, cenſuris Eccleſiaſticis, in priſtinum Eccleſiæ vſum, iure concedente reducere per reſtitutionem curauit. Hinc contra S. Præſulem non immodicæ perſecutiones exortæ, quibus aliquando in maximum vitæ periculum conſtitutus, vix niſi Dei miſericordiâ opitulante liber euaderet. *Miraculum.* Erat enim tunc temporis Miles quidam in vrbe prædiues, qui quantò proprijs, & opulentioribus abundabat poſſeſſionibus, & diuitijs, tantò aliorum etiam, maximè Eccleſiæ, bona vtiliora temerarius inhiabat auarus. Plures ergo Eques iſte poſſeſſiones Eccleſiaſticas detinebat, quas relinquere nequibat. Tunc aduerſus eum S. Pontifex, præuiis humanitatis, & pacis interpellationibus, arma Eccleſiaſticæ diſtrictionis exercuit, quorum cùm debuiſſet viribus ſacrilegus parere detentor, vt erat nobilitate, & opibus inflatus, vitam eripere S. Præſuli minitauit. Quod vt exequeretur commodiùs, ſciens B. PETRVM ad Oppidum S. Stephani, causâ viſitationis, procedere, ei obuiam iuit, vt ſacrilegum ad perfectionem conamen reduceret. Sed vix à longè S. Virum eſt temerator intuitus, cùm à Dæmone obſeſſus grauium cœpit cruciatuum pondera ſuſtinere. Tunc Militem famuli ſemimortuum ad propria redigere decreuerunt, qui cauſam cognoſcentes euentus, B. Præſuli omnia retulerunt. Ille vero ſanctâ pietate conſtrictus, oratione emiſſâ, Militem à Dæmonis vinculo liberauit.

*Piſce ægrotum ſanat.* HIS ita expeditis B. PETRVS ad vlteriora in ſua viſitatione Epiſcopali proceſſit, & cùm ad pagum Lagan nomine, in Durij fluminis ripa deueniſſet, pro manuum ablutione ad eius litus acceſſit, vbi maximam piſcium multitudinem ſuper aquas exilientem, & ad eum apropinquantem inſpexit. Tunc ſuper vndas, ſigno facto, baculi cuſpide, illis in Dei Nomine, vt ad litoris arenas propriùs accederent, præcepit. Illicò piſciculi ſui Paſtoris iuſſum obtemperantes, gurgitis ripam exultantes, impleuere. Omnibus denique Epiſcopali benedictione dimiſſis, vnum ſibi reſeruauit Antiſtes, quem ad ægrotum febri

febri Quartanâ laborantem emittens, vix de eo manducauit infirmus, quando ab ægritudine liber, gratias Deo, & eius ſeruo, non ſine lachrymis lætabundus exegit. Deinde cùm Vir Dei, ad pagum, qui Freſnelo dicebatur, in proprio territorio viſitando deueniſſet, & poſt Eccleſiæ conſecrationem eiuſdem Oppidi, domorum cogente penuriâ, ſub Quercu iuxtà poſitâ, cum ſuo comitatu ad reficiendum reſideret: cúmque manum ablutioni aquam non haberent, aqua ſtatim deſuper ex prædicta arbore ſcaturiens, contra naturam, deſcendit, quæ cum magna omnium admiratione & manibus abluendis, & ſiti petentium ſe ſe obtulit. Quæ res admiranda, & eorum oculos non latuit, & circumiacentes regiones fama volante impleuit, ita vt Quercus illa adhuc vndas ſcaturiens ad ægrotantium ſolamen mirabiliter perſeueret.

*Quercus aquam profert.*

*Venit Toletum.*

Ergo viſitationis, his, & alijs mirabilibus, & prodigijs expeditis, munere expleto, in propriam repedauit Eccleſiam, è quâ Toletum conceſsit, vbi Regem Alphonſum, qui Toletum cepit, graui infirmitate oppreſſum inuenit, cuius morti, & funeri, eiuſque corporis tranſlationi ad Regium Sahaguntinenſe Cœnobium, comes indiuiduus interfuit. Hinc ad ſuam Eccleſiam cùm accedere conſtituiſſet, lætali morbo impeditus, iter illud perficere non valuit, niſi Palentiam vſque, quâ, prolixâ ægritudine grauatus, inuitus ab itineris proſecutione ceſſauit. Hîc à Petro ipſius Palentinæ vrbis Epiſcopo charitatiuè ſuſceptus, in infirmitate confotus, & in ſufferendis hiſce laboribus roboratus, aliquantulum inducias obtulit ægritudo. Sed Vir Dei ſui tranſitus horam appropinquantem agnoſcens, Epiſcopo Palentino dixit: Venerabilis Frater, iam ex hac vita, ad immortalem gloriam diſcedo, à tua humiliter efflagito charitate, quatenus hoc corpuſculum meum, ſacris indutum infulis, ad S. E. Oxomenſem, cuius, licet indignus, Epiſcopus ſum, deferatur, vt in ea ipſi Eccleſiaſticum concedatur ſepulchrum. Quo dicto, & deuotis ſingultibus, omnibus Sacramentis ſuſceptis, & vale dicto ſuis tàm præſentibus, quàm abſentibus fratribus, & clientibus cum benedictione, oculis in cœlum ſublatis, ſpiritum ſuo tradidit Creatori, IV. Nonas Auguſti, Anno Domini M. C. VIII. præſentibus Petro Palentino, Petro Segobienſi, & Bernardo Zamorenſi Epiſcopis. Eius Corpvs, vt præceperat, ad Vxamam honorificè delatum, & in Cathedrali Eccleſia conlocatum, per tempus ibidem requieuit humili loco, donec ad altiorem, inſtantibus miraculis, tranſlatum, omnium fidelium neceſsitatibus occurrit. Præſtante Domino Noſtro Ieſu-Chriſto, qui cum Patre, & Spiritu-ſancto viuit, & regnat per infinita ſecula ſeculorum Amen. In eius primo ſarcophago hocce Carmen Sepulchrale poſuere.

*Infirmatur.*

*Moritur.*

*Sepelitur.*

*Epitaphium.*

*Marmore ſub duro iacet hic qui munera puro*
*Corde, Deo Chriſto obtulit almus Heros.*
*Vxama Paſtoris Corpus, poſt plurima honoris*
*Munia Pontifici debita, corde capit.*
*Igitur hanc metro poſuit cum carmine* Petro
*Laudis ſcripturam, quam fides vna dedit.*
*Nobile quòd Bonus erexit ſub lege Patronus*
*Templum Catholicâ, hìc datur vrna Viro.*

*Error aliquorum circa originem.*

En genuina S. Præſulis Acta, quæ fortè alibi non ſic integra comperies. Illorum probationem in aliquibus ſubijciemus, vt nihil intactum relinquamus. Circa originem proculdio hallucinati ſunt Alphonſus Villegas, F. Thomas Truxillo, & P. F. Ioannes Marieta, qui S. Præſulem ex Vrbe Victoria in Alauæ Cantabriæ Regione, originem traxiſſe contendunt, cùm aduerſus eos ſtet Antiquorum Scriptorum auctoritas, audi D. Rodericum Archiepiſcopum d. lib. 6. c. 87. dicentem: De Bituricis attulit Bernardus S. Petrvm, quem prius Archidiaconum Toletanum, poſtea



ſtea fecit Epiſcopum Oxamenſem. Conueniunt Alcozer ſupr. d. lib. 1. c. 17. Franciſc. Piſa lib 3. c. 26. & cæteri Scriptores. Huius etiam originis notitiam præbuere Breuiaria, tàm edita, quàm M S S. pro omnibus Vxamenſe, ſic: Petrvs natione Bituricenſis, parentibus Chriſtolis, cùm eſſet bonæ indolis adoleſcens, &c. Eadem Carthaginenſe, cuius verba dedimus ſupra in Prolegomen. Anſam, vt credo, huic errori dedit, lectio aliquorum Breuiariorum vbi corruptè loco Bituricenſis, legitur Victoricenſis, quaſi verbum hoc adiectiue prolatum, deducatur ex ſubſtantiuo Victoria, vrbe Cantabricâ.

*Erroris cauſa.*

Qvod fuerit Monachus Cluniacenſis probant ad amuſſim P. Anton. Yep. d. Tom. 6. Cent. 6. fol. 381. & Cent. 7. Ann. 1080 c. 5. D. Prudent. Sandoual d. c 3. Hugo Menardus d. lib. 2. Obſeruation. fol. 653. Quamuis à relatione Actorum hic excriptorum diſſentiat, aſſerens, S. Petrvm cucullam induiſſe in Monaſterio Sahaguntinenſi, illum aduerte: Fuit S. Petrvs, Gallus natione, Biturigibus oriundus. Venit in Hiſpaniam vocatus à B. Bernado, qui tum Abbas erat Sahaguntinenſis. Sumpſit habitum in dicto Cœnobio, à prædicto B. Bernardo, vbi vixit ſecundum inſtituta Ordinis Cluniacenſis, quæ tunc in Cœnobio illo vigebant. Quæ opinio etiam nonnullis ex Noſtris Scriptoribus arridet; ſed veriorem credo, quam Acta referunt.

*An habitum ſumpſerit apud Sahaguntinos?*

Qvatenvs ad Archidiaconatum Toletanum ipſi per Bernardum delatum: iam ex Roderico Toletano probationem vidiſti, audi nunc Blaſ. Ortiz. ſupr. c. 16 fol. 43. dicentem: Petrvs Oxomenſis Illefonſi VI. Regis tempore, ſub Bernardo Præſule Eccleſiæ Toletanæ, Archidiaconatum obtinuit. Eadem vniuerſi ſcribentes. In antiquo Hymno Officij S. Vxamenſis Eccleſiæ, omnia ſuperius adducta referuntur, ſic:

*Archidiaconus Toletanus.*

*Plaudat phalanx Angelica*
*Tanti feſta Pontificis,*
*Quæ* Oxomam Biturica
*Iuſsis tranſmiſit cœlicis.*
*Vt tribulos euelleret,*
*Spinas, & ſentes vepriũ,*
*Et ſurculos inſereret*
*Virtutum coruſcant ium.*

*Prius* Toleti *floruit,*
*In* Archidiaconio:
*Metropoli ſe ſubdidit*
*Sub* Bernardi *dominio.*
*Poſt* Vxamæ *Baſilicam*
*Inſtaurat, & ſpiritu*
*Gentes edocet, qualiter*
*Sit venerãdus Dominus.*

Huius etiam muneris, & officij poſſeſſionem per Bernardum indictam S. Petro, probat etiam Hugo Menard. d. fol. 653. his verbis: Fuit poſtea (Petrvs) Archidiaconus Toletanus, beneficio eiuſdem B. Bernardi. Et ſubſcribunt cæteri ſuperius relati.

*Epiſcopus Vxamenſis.*

De Epiſcopatu Vxamenſi, non eſt ambigendum; Probant quotquot ſuperius in Prolegomeno retulimus, quibus addendi ſunt Philip. Ferrar. in Catalog. General. SS. h. d. fol. 313. hoc elogio: Vxamæ in Hiſpania S. Petri illius vrbis Epiſcopi, & Patroni, & Die IV. Aug f. 315. hac clauſulâ: Vxamæ in Hiſpania S. Petri Epiſcopi eiuſdem Vrbis. Rodericus de Silua in Populat. Hiſpan c. 16. fol. 20.

Coetera omnia quæ in Actis referuntur deſcribunt Sandoual. ſupr §. 3. & Yepes d. Centuria 7. & addit Marineus Siculus d. lib. 5, Rer. Hiſpan. Quod idem Petrvs cum negotijs emergentibus multorum precibus adductus, Palentiam veniſſet, reprehenſibile ducens, ſecularibus rebus, & neceſſitatibus continuâ ſollicitudine implicari, inter mundanas varietates, propoſuit in Eccleſia B. Antonini in vigilijs, & orationibus pernoctare, quod propoſitum fuit ad effectum executus. Quæ in Actis non ſunt ſcripta.

*Pernoctauit in Eccleſia S. Antonini.*

Qvod è vita diſceſſerit IV. Non. Auguſti, & non Pridie Nonas ipſius communis aſſenſus eſt, non ſolum plurimorum Scriptorum, ſed & Martylogiorum ſuperius relatorum, necnon S. E. Vxamenſis, quæ hoc Die feſtum honorifice agit, & Officium Duplex primæ claſſis omnibus recitandum proponit. Quatenus ad Annum Actorum opinionem ſequitur Quintana-Dueñas fol. 340. & ab eo recenſiti.

*Dies obitus.*

C.

S. Gvaltervs ex Ordine Minimorum Confeſſor.] Celebris eſt huius S. Fratris memoria apud Portugallenſes, & ciues Vimaranenſes, qui eius feſtiuitatem annuâ

*Martyrologia.* repetitione concelebrant. Eius elogium concinnauit Philippus Ferrar. *in General. Cathalog. SS. h. d. fol.* 313. ſic : *Vimaranis in Luſitania* B. GVALTERI *Ordinis Minorum.* Arturus à Monaſter. in *Martyrolog, Franciſcan. fol.* 325. hiſce verbis : *Vimarani in Luſitania*, B. GVALTERI *Confeſſoris, eiuſdem Diui* P. Franciſci *Diſcipuli, vita, & miraculis inſignis.* De eo Marianus *lib.* 1. *Sacr. Mont. Oliuet. c.* 12. *& lib.* 2. *c.* 17. Toſſinianus *Hiſtor. Seraph. lib.* 1. *fol.* 105. Gonzaga 3. *p.* Elzear. *lib.* 1. *Sacr. Mont. Oliuet. c.* 11. *& lib.* 3. *c* 8. *Scriptores.* Vvading. *Annal. Minor. Tom.* 1. *Ann.* 1216. §. 2. 12. 17. 22. *&* 25. *& Tom.* 2. *Ann.* 1258. §. 9. Ex Noſtris Marcus Vlyſipon. *Chron. Minor. p.* 1. *lib.* 1. *c.* 59. *& lib.* 6. *c* 27. *&* 30. Brandas *Monarch Luſitan. lib.* 13. *c.* 13. Eſtazus in *Antiquitat. Luſitan. c.* 29. D. Roderic. Acuña *Hiſtor. Braccar.* 2. *p. c.* 27. *fol.* 119. ACTA ſic breuiter compaginat Arturus *d. fol.* 325. §. 11.

## *ACTA S. GVALTERI CONFESSORIS, ex Ordine Minorum, ex Var. Scriptoribus.*

*Origo.* GVALTERVS *fuit natione* Italus, *qui* B. Franciſco *adhærens, eius Diſcipulus, & pediſequus meruit nominari.* *Diſcipulus S. Franciſci.* *Illum cum alijs Seraphicus Pater ad* Portugalliæ *Regnum deſtinauit.* *Luſitaniã venit.* *Vbi* B. GVALTERVS *tam inſigni floruit ſanctitate, vt populos longè, latéque Ordini deuinciret, eique plures congregaret.* *Moritur.* *Mortuus multis claruit miraculis, atque eo perenni vt ex eius ſepulchro, iugiter oleum, morbis quibuſque medendis, optimum ſcaturiret. Obijt.* IV. Nonas Auguſti, *Anno* M. CC. LVIII. *Cuius feſtum à circumuicinis populis magna cum pietate, celebratur. Eius Corpus primò tranſlatum fuit Anno* M. CC. LXXI. *poſt Anno* M. D. XXVII. *Transferttur.* *In eius honorem fuit Confraternitas erecta, quam* Gregorius XIII. *Pontifex magnis conceſſis indulgentiis condecorauit,* XVII. Decembris *Anni* M. D. LXXVII. *Hodie Sacellum S. Viro dicatum viſitur, vbi eius Corpus requieſcit, hocce carmine.*

GVALTERI *tegit hoc venerabilis oſſa ſepulchrum.*

*Epitaphiũ ſupra arcum tumuli.* Hactenus ACTA ex *Arturo*, & *Acuña*, qui etiam refert, quod ſupra arcum, quo S. Confeſſoris Sarcophagi ſtructura conſpicitur, literis Gothicis hoc Epitaphium legitur.

DIVO GVALTERO. D. F. D. VIMARAN.
PATRONO. INSTAVRATI FESTI.
VOTO IIII.
ANNOQVE M. D. LXXVII.
P. V. F. C.

Qua verba ſi ſoluas, hunc ſenſum facere liquet : *Diuo* GVATERO, *Diui Franciſci Diſcipulo, Vimaranenſium Patrono, inſtaurati feſti voto* IIII. *Annoque* 1577. *Populus Vimarenſis facere curauit.* *Cuius ope tranſlatus?* Vltimam Translationem fecit *D. Fulgentius* Prior *Vimaranenſis* Eccleſiæ, filius Ducis *Bragantiæ.* Hucuſque Acuña *fol.* 120.





# TERTIO NONAS Auguſti.

# DIES III.

*A.* ROMÆ *natalis* S. HONORATI *Martyris, qui fuit vnus ex Presbyteris, quibus vtebatur* B. Stephanus *Pontifex, & Martyr in diuinis Officiis. Eius ſacra pignora in Regio* Scurialenſi *Cœnobio, in capſula affabre facta, & auro contexta honorificâ magnificentiâ ſeruantur.*

*B.* BARCINONE *in Hiſpania Tranſlatio* S. SEVERI *ipſius vrbis Epiſcopi, & Martyris, quæ perfecta dignoſcitur ex Cœnobio* S. Cucufatis *Vallenſi, ad Eccleſiam Cathedralem procurante* Ioanne Armengaudio *Epiſcopo, & aſsiſtente Petro Aragonum Rege* Martino,

# NOTÆ.

SANCTVS HONORATVS *Martyr Romanus.*] Illum fuiſſe vnum ex Presbyteris, quibus vtebatur *S. Stephanus* Pontifex Maximus, & Martyr, quotieſcumque Diuina celebrabat Officia, probat *Græcorum Menologium*, hac ſerie : *Item Romæ* S. HONORATI *Presbyteri, cuius miniſterio* B. Stephanus *Papa vtebatur in diuinis officiis, qui ad martyrij coronam acceſsit.* Quo cruciatuum genere nullus aperit, nec alibi eius Nomen ſcriptum inueni. Eius corona fuit *hoc Die* Anno Domini CC. LX. vt notauit Baron. *Tom.* 2. *Annal. Eccleſ. Ann.* 160. *num.* 2. agens de martyrio *S. Stephani* Papæ I. QVOD autem eius ſanctum CORPVS apud Regale, toto Orbe famigeratum, *Scurialenſe* Cœnobium cuſtodiatur, probant Siguenza *Chron. S. Ieronym. Tom.* 2. *lib.* 6. *c.* 29. D. Sanct. Dauila de *Venerat. Reliquiar. lib.* 3. *c.* 8. *fol.* 292. his verbis : *In Monaſterio Regali* S. Laurentij, *quod inter Orbis miracula computatur, conſtructo à Regis* Philippi II. *potentiâ, & ſapientiâ*, Corpus S. HONORATI *Martyris, qui fuit ex Sacerdotibus, quos cum* S. Stephano *Papa, & Martyre abſumſit Valeriani crudelitas.* Hæc de hoc S. Martyre tantum ſcribere potuimus, cùm omnia eius ACTA adhuc in obſcuro deliteſcant. A. *Martyrologia.* *Corpus in Scurialenſi Cœnobio.*

TRANSLATIO *Corporis* S. SEVERI, *Epiſcopi Barcinonenſis, & Martyris.*] Anceps eſt inter *Scriptores Hiſpanos* diſceptatio de tempore, quo S. SEVERVS Epiſcopus *Barcinonenſis* fuerit per martyrium ſublatus. Nam aliqui tempore *Diocletiani*; alij tempore *Eurici* Gothorum Regis, & cæteri tempore *Suinthilæ* Hiſpaniæ Principis. Quorum diſcrimen ſic omnium animos excruciauit, vt vix quo pedem figas locum, apud veteres, inuenias. Sed illuxit *Flauij Dextri* lux, quâ, plura, quæ ſub variis diſceptationibus terebantur, lucidum fulguranti veritatis ſpecimen accepere. Sic hæc controuerſia, nam *Dextri* claritáte percipimus duos fuiſſe in Sede B. *Diſceptatio de tempore paſsionis S. Seueri.*

*Dextri placito Duos diuerſos fuiſſe Seueros probatur.*

*Barcinonenſi* SEVEROS; alterum tempore *Diocletiani* ad Annum CCLXXXV. de quo ſic Dexter: *Barcinone* S. SEVERVS *eiuſdem Vrbis Epiſcopus*, *&* *Martyr.* alterum ſeculo Conſtantini Anno CCC. LII. de quo idem Flauius: *Barcinone* S. SEVERVS, *religionis cauſâ*, *ab hæreticis Arrianis*, *cum eam ſedem ſanctè*, *piéque regeret*, *patitur.* Hanc Sanctorum *Barcinonenſium* Præſulum diuerſitatem apertius Heleca Cæſarauguſtanus Epiſcopus in *Addition. ad Maxim. fol.* 223. probat, his verbis: *Hoc tempore Duo* SEVERI Barcinonenſes *Epiſcopi Martyres cum gloria miraculorum*, *&* *ſignis dicuntur clarere. Senior ſub Diocletiano claruit*; *Alter ſub* Conſtantino. Hic iam primam diſceptationem ſedatam fateberis; ſed nunc ex ipſa, ad noſtrum propoſitum, alia exoritur, ſcilicet, Cuius nè horum Duorum Præſulum, & Martyrum ſacra pignora *Barcinonem* ex Monaſterio *S. Cucufatis* tranſlata hoc Die fuere? Fateor equidem me multoties ancipitem tenuiſſe variantium ſcriptorum opinionem, ita vt ſi aliquando me portum veritatis habere coniector, in nouarum difficultatum ſcopulos incido; maximè cum video, in quantas iuere ſententias Scriptores, qui de hac TRANSLATIONE egerunt. Sed cùm prorſus qualis fuerit Epiſcopi ex his ignoretur TRANSLATIO, Deo ſinamus, quod inueſtigare non poſſumus. Igitur de ea Anton. Vincent. Domenec *Hiſtor. SS. Cathalon. lib.* 1. *fol.* 100. Franciſc. Diago. *Hiſtor. Comit. Barcinocenſ. lib.* 3. *c.* 20. *fol.* 201. Franciſc. Didac. de Aynſa *Hiſtor. Oſcenſ. lib.* 3. *c.* 19. *fol.* 417. E quibus ACTA huiuſmodi TRANSLATIONIS eruta ſubiicimus.

*Cuiusne Corporis Tranſlatio hodie colatur?*

*Scriptores.*

## *ACTA TRANSLATIONIS*

### *Sacrorum pignorum B. Seueri Epiſcopi Barcinonenſis, & Martyris, ex Cœnobio S. Cucufatis ad Sedem Epiſcopalem Barcinonenſem, Ex Variis.*

*Martyrius Rex ægrotat.*

POSTQVAM *Beatiſſimus Pontifex* Barcinonenſis; *&* *Martyr* SEVERVS *martyrio coronatus*, *manſiones meruit cœlicas obtinere*, *&* *eius ſacras exuuias in Cœnobio* S. Cucufatis Vallenſis *in* Gotholania *fideles piis charitatis obſequiis fideliter condidere*, *cùm Catholicus Rex* Aragonum Martinus *in vna ex tibiis chironio vulnere laboraret*, *tanto ſalutis periculo*, *vt à Phyſicis*, *&* *Chirurgis nullum aliud*, *niſi tibiæ ſectione*, *remedium inueniretur*, *piiſſimus Rex cognitâ Medicorum voluntate*, *ad Diuinum oculos deuotionis erexit*, *&* *interpoſito* S. SEVERI *precatu*, *totius noctis terminum*, *vt eius Deus*, *interceſſione Pontificis* Barcinonenſis, *miſereretur*, *in oratione conſumpſit. In hac igitur perſeuerans*, *in mediæ Noctis ſilentio*, *illi B. Præſul aparuit*, *&* *dixit*, *vt bono animo eſſet*, *quia prorſus ab illo periculo redderetur immunis. Gratias Rex Deo*, *&* S. SEVERO *referens*, *vlcus tibiæ abſque læſione cognouit. Eluceſcente Die*, *totum rei præuiſæ miraculum ſuis familiaribus*, *&* *Medicis patefecit. Tunc vt aliquid Rex piiſſimus*, *in S. Pontificis*, *&* *Martyris benefactoris obſequium*, *efficeret notabile*, *propoſuit*, *vt eius ſacra pignora in Eccleſiam Cathedralem* Barcinonenſem, *cuius fuerat Epiſcopus*, *è Cœnobio* S. Cucufatis Vallenſi *tranſlata penitùs collocarentur. Quod vt facilius exequeretur* Benedicti XIII. *Pontificis*, *interuentione*, *&* *aſſenſu*, *ab eo litteras conceſſionis adeptus*, *per* Armengaudium Barcinonenſem *Epiſcopum*. *&* *Abbate* *&* *Monachis* Vallenſibus *pignora ſacra*, *in ſui ſolamen diutinâ interpellatione quæſiuit. Sed*, *licet in exordio huius negotij innumeræ*, *vt par erat*, *difficultates*, *&* *contradictiones exorirentur*, *tandem*, *mouente Deo corda diſſidentium Monachorum*, *Regi fuere ſacra lipſana omnium approbatione conceſſa. Quo per Regem cognito*, *dimiſſis prædicto* Armengaudio *Epiſcopo*, *&* Ioanne Oſcenſi *eius Confeſſario*, *necnon* Petro Guillelmo, *&* Ferrerio Deſpujol *Canonicis Barcinonenſibus*, *cum* Galcerano Semmanat, *eius Camarlengo*, *&* Franciſco Burgés, *&* Marco Turel

*Orat ad S. Seuerum.*

*Liberatur ab vlcere.*

*Tranſlationem S. Seueri deſiderat.*

*Conſequitur.*



*Turel ipſius Ciuitatis eo anno Conſiliariis*, *ad dictum Cœnobium*, *vbi cum Abbate*, *&* *Fratribus vnanimiter omnes tumulum* S. Cucufatis *aperientes*, CORPVS *integrum* S. SEVERI *titulo prænotatum inuenerunt*, *quod in capſa deaurata collocantes*, *celebri pompâ Barcinonem retulerunt*, *&* *in Eccleſiam Cathedralem honorificè deponentes*, *magno Regis*, *&* *Procerum gaudio condiderunt*, Die III. Nonas Auguſti, *Anno Domini* M. CCCC. V.

*Pignora ſacra Barchinonem tranferuntur.*

*Dies, & Annus.*

Hactenus TRANLATIONIS ſeries, quam deſcriptam in Auctographo MS. adhuc in Archiuo Sedis *Barcinonenſis* aſſeruato, reperiri, refert Anton. Vincent. Domen. *d. lib.* 1. *fol.* 100. vbi hæc ad verbum Clauſula: *Fuit aperta ibidem in conſpectu*, *&* *præſentia omnium iam dictorum*, *quædam magna Caxia de argento*, *quæ Duas Caxias intra ſe continebat: Altera quarum fuſtea*, *ſed altera de viminibus texta. In Caxia autem fuſtea erant* CORPORA *Sancti* Cucufatis, *prædictique* S. SEVERI, *vt de ipſo* S. SEVERO *ſubſcriptus titulus atteſtatur. In quodam vero coſidileto de lineo encerato*, *intus ipſam Caxiam contento*, *erat appoſitus*, *&* *continuatus*, *in quodam pergameneo*, *de quadam antiquiſſima littera titulus ſequens*: *Iſte* SEVERVS *Barchinonenſis Epiſcopus*, *&* *Martyr Sanctiſſimus fuit*, *atque martyrio coronatus eſt* VIII. Idus Nouembris. *Cuius* CORPVS *requieſcit* VIII Milliario *ab vrbe Barchinonenſi*, *in loco*, *qui dicitur* Octauiani *in Monaſterio S. Cucufatis.* Hinc colliges relatorum probatio, quam etiam à Diago pete *d. lib.* 3. *c.* 20.

*Conſtantia diuerſitas.*

# PRIDIE NON.

## Auguſti.

## DIES IV.

*A.* IN *Gallia* SS. PEREGRINI, MACHORATI, *&* VIVENTIANI *Martyrum* Hiſpanorum, *qui profeſſione Monachi*, *zelo fidei accenſi*, *&* *Sororis Virginis*, *Deo deuotæ*, *à quodam Gallo ſacrilego raptæ*, *reſtitutionis ſollicitudine compulſi*; Galliam *petiuere*, *raptorem inuenere*, *Sororem precibus*, *&* *pretio redimendam propoſuere*: *ſed à fero homine trucidati*, *coronas immarceſibiles martyrio promeruere*.

*B.* BONONIÆ *in Italia Depoſitio* S. DOMINICI *cognomento* GVZMANI, *genere* Hiſpani, *qui Fratrum Ordinis Prædicatorum extitit Pater*, *Præceptor*, *&* *inſtitutor*: *hæreſum validiſſimus extirpator*, *peccantium mirabilis coram Domino*, *per pœnitentiam conciliator*, *operum inſignium*, *hominum beneficio patrator*, *virginalis candoris*, *ad extremum vſque vitæ halitum*, *acerrimus obſeruator*, *ſanctitate*, *&* *doctrinâ inſignis*, *charitate*, *&* *modeſtiâ egregius*, *&* *verus gregi Dominico Dominicus Paſtor*,

*poſtquam tot de ſe puriſſimos exhalaret odores, multiplicato fœnore ex ouium manubiis, in cœlum frontis ſtellâ duce, & lilio candido redimitus ingreditur.*

---

# NOTÆ.

*Scriptores.*

SANCTVS PEREGRINVS, MACHORATVS, & VIVENTIANVS, *Monachi, & Martyres Hiſpani.*] Eorum Nomina, & originem, ex *Breuiario Cenomanenſi* in Gallia, primus mihi obtulit *Benedictus Gononus*, Monachus Cœleſtinus in *Vit. Patr. Occidental. lib. 4. fol. 258.* quorum etiam memoriam poſtmodum inueni apud Andream Sauſſay in *Martyrolog. Gallican. Tom. 2. in Supplement. h. d. fol. 1154.* his verbis: *Eodem Die, paſſio Sanctorum Monachorum, & Martyrum* PEREGRINI, MACHORATI, & VIVENTIANI, Hiſpanorum, *qui pro defenſione ſororis ſuæ* FLAMINEÆ, *Virginis Chriſto ſacratæ, ab eius raptore in* Gallia *cæſi ſunt, tempore* Clodouæi *Francorum Regis.* Horum Sanctorum res geſtas cùm penitus ignorarem, cùm apud Noſtrates altum agnoſcerem ſilentium, haut *Gononi* relatione contentus, Epiſtolis, inter bellorum turbines, quibus *Hiſpania, & Gallia*, populorum, & gentium exterminio, & offenſione, implicatæ noſcuntur, aſſiduis, & crebris *Andream Sauſſayum* interpellaui, vt ſiquid aliud ex Actis horum Sanctorum Martyrum, ac à *Gonono* excuſſum, retineret, mecum communicaret, vt huic *Notationi* ad tempus insererem. Annuit doctiſſimus *Andreas*, & in quadam eius Epiſtola, ſub Datis *Lutetiæ Pariſiorum* XV. Kalend. Martij, Anno Domini M. DC. XLVII. iſta mihi formalia verba reſcripſit:

*Epiſtolæ clauſula Andreæ Sauſſay.*

## *ACTA SS. MARTYRVM PEREGRINI, Machorati & Viuentiani, quorum natalis in Cœnomanenſi Diœceſi celebratur Pridie Nonas Auguſti.*

*Lectio I.*

*Clodouæus in Hiſpanos bellum.*

TEMPORIBVS Clodouæi *inclyti Regis, dùm ipſe cum exercitu ſuo, ſcilicet* Francorum, *& aliorum, in partibus* Hiſpaniæ *aduerſus Regem Gothorum properaret: in eadem Prouincia Tres germani nobiles, ſcilicet* PEREGRINVS, MACHORATVS, & VIVENTIANVS, *Chriſtiano apice decorati, & in Monaſterio ſub ſancta regula conſtituti, ordinem Monaſticum, & religioſam vitam erant agentes.*

*Lectio II. Soror Sanctorum rapitur.*

HABEBANT *etiam ſororem germanam, ſpecie decoram valdè, nomine* FLAMINEAM. *Euenit itaque, vt dùm ipſi exercitus ad deprædandum terram illam eſſent diuiſi, eamque delerent: eandem Deo ſacratam* Flamineam *cum aliis pluribus in Franciam reduxerunt.*

*Lectio III. Eam in Francia perquirunt.*

TVNC *fratres ſui* PEREGRINVS, MACHORATVS, *ac* VIVENTIANVS *multum dolentes de perditione germanæ, venerunt in Franciam, perquirentes circumquaque, vbi eam inuenire valerent. Tandem inuenerunt eam, cum vno deprædatore, qui eam rapuerat, aſſerentes eam eorum eſſe germanam. Ille è contrario negans, & dicens eos eſſe raptores, & exploratores. Tandem ipſos temerariâ crudelitate peremit, & ſic ad Dominum migrauerunt, cui eſt honor, & gloria in ſecula ſeculorum, Amen.*

*Coronantur. Proſequitur Sauſſay.*

Hæc ad verbum leguntur in *Breuiario Cœnomanenſi*, ex MSS. Codicibus auctographis expreſſo, iiſque edito characteribus, qui primam ſpirant Typographiæ ætatem. Æſtiualem partem duntaxat in Libraria ſupellectile habeo, initio deficiente, & aliquot Kalendarij Menſibus, ſcilicet Ianuario, Februario, Martio, & Aprili, integris verò cæteris. Sic etiam in Auguſto notatur: *Secundo Nonas* (Sed vt rectiùs dicam Pridie Nonas) PEREGRINI, MACHORATI, & VIVENTIANI, *Trium Lectionum, & Miſſa.* Porrò in corpore Codicis, ſub finem Veſpertini Officij, de Feſto Inuentionis S. Stephani Protho-Martyris, hic Rubrica apicibus minutis extat: *Et fit commemoratio SS. Martyrum* PEREGRINI, & *aliorum, de quibus fit Officium Trium Lectionum, & Miſſa, cætera dicuntur de Communi præter Lectiones, quæ ſunt propriæ, & ſerie illa ſe habent, qua ſuperius deſcriptæ ſunt.*



*Officium Breuiarij Cœnomanenſis.*

*An Clodouæus Magnus bellum in Hiſpania egerit?*

IN harum verò exordio non contemnenda difficultas occurrit; ex eo nimirum quod Sanctorum horum Martyrum coronatio, contigiſſe dicitur, Temporibus *Clodouæi* inclyti Regis, dùm ipſe cum exercitu ſuo, &c. in partibus *Hiſpaniæ* aduerſus Regem Gothorum properaret. Cui enim eruditorum ignotum eſt, *Clodouæum*, nunquam in *Hiſpaniam* cum exercitu tranſiſſe, tribuique Patri, quòd à filiis *Childeberto*, & *Clotario* conſtat eſſe effectum? Verum parum refert, vtrum hi Martyres, ſub *Clodouæo* occubuerint, vel eius filiis, neque inſequens eſt in Actis Sanctorum, cùm Principum adeò affinia ſunt tempora; eadem vt promiſcua promiſceri, ſicut Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ periti norunt. Sed tamen hic propriè, & adæquatè tempora *Clodouæi* Magni conſignari exiſtimo, nec quidquam abſurdi illam complecti apocham. Tametſi enim ſtricte, & accurate loquendo, vt res nunc ſe habet, *Clodouæus* dici non poſſit in *Hiſpania* cum copiis vnquam profectus; tamen cùm *Gallia Narbonenſis* tunc à Gothis occuparetur; qui *Hiſpaniam* iampridem inuaſerunt, hactenuſque detinebant, nec dubium ſit *Clodouæum* occiſo *Alarico*, ad vſque *Narbonenſis* Galliæ (quæ *Hiſpaniæ* contermina eſt) intimos ſinus, perpetuo victoriæ curſu penetraſſe. Si quidem teſte *Procopio Cæſarienſi*, qui etſi Græcus, ſedulus tamen fuiſſe dignoſcitur rerum Francicarum explorator: Poſt *Alaricum* à *Clodouæo* ferro extinctum, Franci eueſtigio *Carcaſſonem* obſederunt, quòd intus ſeruari Regias opes acceperunt, quas *Alaricus* Senior Roma capta, in *Narbonenſem* Galliam aſportaſſet, in quibus ferunt *Salomonis* fuiſſe pretioſiſſimam ſupellectilem, captis Ieroſolymis, adductam à Romanis in Italiam, Tito Duce. Neminem verò latet *Carcaſſonam* eſſe ſub Metropoli *Narbonenſi*, cuius Archiepiſcopus, ſeu Primas, quandiu ſub poteſtate Gothorum fuit, Conciliis Hiſpaniæ intereſſe conſueuerat. Quo ex more, hoc ipſo ſeculo, quo regnauit *Clodouæus* Magnus, in Galliis Belgicâ, Celticâ, & Aquitanicâ, potiori ex parte, *Migetius*, ſeu *Nigetius* Narbonenſis Metrapolites, III. Concilio Toletano, quod conuenit Anno D. LXXXIX. adfuiſſe reperitur; nec non & ſequenti Anno Domini D. XCVII. collecto, *Saluinſque* ſeu *Selua*, Toletanis quoque Synodis IV. V. & VI. interfuit. Cui vltimo, ante *Bracharenſem* Archipræſulem, imò & ipſum Toletanum Primatem ſubſcripſit, Anno DC. XXXVIII. Quin & diu ſatis poſtea *Saniſridus* ad XIII. Toletanam Synodum, *Pacatum* Abbatem procuratorem miſit, qui ſuas vices ſuppleret. His igitur ex cauſis, quod *Narbona* ſub iugo eſſet Gothorum, conterminæ *Hiſpaniæ* dominorum, *Narbonenſiſque* Præantiſtes cum ſuis Coëpiſcopis, vt membrum ferè præcipuum Regni Gothici (vnde etiam num veteri titulo Gothiæ Prouinciæ gloriatur) Conciliis Hiſpaniæ, Toletanis maximè, ſolere priſco de more intereſſe, quin & his aliquando præeſſe: ea propter non vſque adeò, incôngruè Actorum Scriptor, prædictorum Martyrum memoriæ prodidit, floruiſſe eoſdem, dum in partes *Hiſpaniæ* aduerſus Regem Gothorum *Clodouæus* progrederetur. Erat enim tunc *Gallia Narbonenſis*, pars quædam *Gothici Regni*, cuius Sedes, & meditullium in ipſo centro *Hiſpaniæ* ſitum erat.

*Aduerſus Alaricum cum exercitu Narbonam venit.*

*Narbonenſis Prouincia an fuerit Hiſpaniæ pars? & quo ſenſu?*

*Narbonenſis Præſul interfuit Conciliis Toletanis.*

*An iſti SS. Martyres Hiſpani, an Galli?*

AT ſi ita eſt, Sancti iſti Martyres, *Galli*, non *Hiſpani* erant? & forſitan nati erant in *Gallia Narbonenſi*: non tamen ſequitur, quod ſint ab *Hiſpanis* extorres, cum etſi ortu *Galli*, origine tamen eſſent *Hiſpani*, vel Gothi. Verum quemadmodùm multo longius, latiuſque patuit pridem Francorum Regnum, quàm nunc pateat, & ideò in Noſtro Martyrologio, Sanctis Gallicanæ Eccleſiæ, pleroſque vt Gallos, & Francos adſcripſerimus, qui iis locis nati ſunt, quæ tunc parebant Francorum Regi, ac deinde diuulſa ſunt ab eius imperio, neſcio quâ rerum humanarum

narum viciſſitudine, ſic Gothorum, dudùm *Hiſpaniam* occupantium, Regnum, longè eo amplius fuit, quòd *Hiſpani* tandem exciſis Gothis, Mauris depulſis, Regulis pleriſque extinctis, non ita diu inſtaurarunt; Pyreneorum enim iugis concluditur, nec extra ipſius *Hiſpaniæ* natiuos extenditur limites. Vnde qui olim Gothi, vel *Hiſpani* erant, ſi in locis illis, hac ætate nati eſſent, quæ iam extra ſunt *Hiſpaniæ* Regni ditionem, neutiquam ortu *Hiſpani* cenſendi ſunt, tametſi ex *Hiſpanica* ſtirpe procreati. Verùm vt ſcitè, & prudenter ait *S. Auguſtinus*, congruenter temporum rationi ſcribendum eſt, & loquendum. Vnde cùm Acta Martyrum de quibus agitur, fuiſſe partium *Hiſpaniæ* Nobiles eoſdem perhibeant, *Hiſpani* quoque dicendi ſunt, attento temporum illorum ſtatu, quamuis in *Gallia Narbonenſi* fortè nati fuerint, cuius Gothorum gens vicinæ dominatum *Hiſpaniæ* poteſtatem obtinebat.

*Sed quo ſenſu dicendi Hiſpani?*

*Gallorum conuerſionis ad fidem tempus.*

Sed horum in Martyrum hiſtoria, abſonum hoc à veritate videtur, quòd rapta fuiſſet illorum Soror Flaminea, Virgo Deo in omni religione deuota; referaturque cum aliis pleriſque à Francorum victore exercitus, tùm deprędante Galliam Narbonenſem; ipſique Tres huius virginis fratres, cùm vſque in Franciam properaſſent, ad charam Sororem perquirendam, ab eo fuerint interfecti, qui Virginem ipſam rapuerat; Tunc enim Franci Chriſtiani erant, nec veriſimile videtur, quempiam in *Clodouæi* piiſſimi exercitu, auſum fuiſſe tantum aggredi ſcelus; ſed raræ texturæ eſt hic obex. Et ſi enim Septénium antequam *Clodouæus* bellum hoc Goticum adoriretur, Chriſtianis ſacris fuiſſet initiatus, nonnullique cum eo Franci, Chriſti vexillum adoraſſent, non omnes tamen; Sed longè plures fuerunt, qui ita citò non potuerunt ab impio Idolorum cultu abduci. Tales plerique erant in eius caſtris, cùm aduerſus *Alaricum* progreſſus eſt. Ab eiuſmodi igitur hominibus, tàm raptus virginum, quàm cædes piorum committi potuit, præſertim eo tempore, quo *Clodouæus* victor, hoſtiliter cum hac gente ageret, quæ Arianiſmo infecta magnâ ex parte erat: in cuius hæreſis odium, præſertim hanc expeditionem ſuſcepit. Abſit tandem, vt quis ſibi perſuaderi inde ſinat, hac lue totam hanc regionem, tum fuiſſe infectam, cùm viuente *Alarico* (qui quandiù Catholicos benignè habuit, felix, & potens perſtitit, ſed ex quo illos vexare cœpit, corruit, moxque infelici fine perijt) Catholicorum Antiſtitum libera Concilia, ſub eius ditione celebrata fuerint, v. g. *Agathenſe*; in quo SS. Patres congregati preces ad Deum pro eius incolumitate, & ſalute, ipſo in Actorum exordio fuderint.

*Non omnes ſimul conuerſi; ſed paulatim.*

*Frequens apud Gallos virginum raptus.*

*Vt Regiâ, & Canonicâ lege prohibitus perhibeatur.*

Cæterum raptum Virginum, etiam Sacrarum, Francis nonnullis militibus, etiam baptiſmo initiatis, ac adhuc rudibus in chriſtianæ religionis cultu, & obſeruantiâ, fuiſſe tàm familiarem, vel *Canonica lex* indicat, quam Anno DXI. tribus, aut quatuor ſcilicet annis ab *Alarici* excidio, *Clodouæus* ipſe Rex curauit à Patribus *Concilii I. Aurelianenſis* promulgari aduerſus virginum raptores, *cap.* 2. quem profectum ex ſuggeſtione ipſius Regis Papyrius Maſſo *lib.* 1. *Annal. Francor.* inſinuat; vbi Patribus literas dedit, quibus ſignificaret lege à ſe latâ cautum, ne miles hoſtium fines ingreſſus, loca ſacra ſpoliet, dicatas Deo virgines rapiat, ſeruos Eccleſiæ abducat; ſed verè dixit priſcus Sapiens:

*Nulla fides, pietaſque Viris, qui caſtra ſequuntur.*

At verò *Clodouæi* Protho-Chriſtiani Francorum Regis tàm pio edicto, Synodicoque Patrum *Aurelianenſis Concilij* decreto, malè obtemperatum fuit: ſiquidem poſtea neceſſe fuit, vt ſacrilegę huius violentiæ virus, adhuc nihilominus pullulãs, à ſequentibus Regibus, durioribus legibus exſcinderetur, quas latas fuiſſe viciſſim, à *Childeberto*, *Clotario*, & *Chariberto* Regibus ipſius *Clodouæi* Magni filijs, additâ etiam pœna capitis, iuxta Legem Romanam. *l.* 2. *Cod. Theodoſ. de Rapt. V. Mart.* & *l.* 2. *eod. Cod.* & anathematis, ſecundum Canonicas Sanctiones, Patres Concilij II. *Turonenſis*, Anno D. LXVII. collecti, *c.* 20. graui momento teſtantur, vbi inter inſignia eorum dicta, hæc præſertim æternâ memoriâ digna ſunt: *Nos ergo hoc ſequentes, quod vel Apoſtolus Paulus, vel Papa Innocentius ſtatuit, in Canonibus noſtris inſerentes, ſtatuimus obſeruandum, vt nullus ſacratam Deo virginem,*

*Etiam grauioribus pœnis inflictis.*

*quæ*



*quæ in honorem Chriſti veſtem mutauit, aut rapere, aut competere, aut ſibi coniugem ſociare præſumat. Quia etiam lex Romana conſtituit, vt quicunque ſacratam Deo virginem, vel viduam fortaſsè rapuerit, ſi poſtea eis de coniunctione conuenerit, capitis ſententiâ feriantur. Item ſiquis non dicam rapere, ſed attentare matrimonij causâ ſacram virginem auſus fuerit, capitis ſententiâ feriatur.* Et infra: Nam puniendi ſunt oris gladio, & à communione priuandi.

*Suppliciũ raptori Virginis à Deo credit inflictum.*

Qvatenvs verò actum ſit cum impio illo Milite, qui ſacram, & ingenuam virginem Flamineam, non ſolùm rapuit, ſed tres eius fratres, ſanctos Monachos, eam ſibi reſtitui iure naturæ, pietatis, & iuſtitiæ poſtulantes, inhumaniter trucidauit, impacto illis per inſignem nequitiam proditionis, & impoſturæ, fictitio crimine, in diræ necis occaſionem, Acta eorundem Martyrum, minimè ſignificant. Haut dubium tamen, quod vindex ſcelerum Deus, tantum flagitium inultum, vel in hoc ſeculo, vel in altero, non reliquit, in cuius conſpectu proculdubio aſcendit, & raptæ virginis gemitus, & vox ſanguinis interemptorum Sanctorum eiuſdem fratrum, quorum, & pœnam iniuſtæ mortis conuertit in coronam æternæ gloriæ, & honoris; & memoriam voluit ipſo Die quo pro iuſtitia, & religione feliciter occubuerunt, perenni cultu celebrari, Die ſcilicet IV. *Auguſti*. Quare autem de iis peculiare Officium, abhinc fecerit Eccleſia *Cænomanenſis*, hoc in cauſa (vt opinor) fuit; vel quòd in Diœceſi hac, Diem ſuum glorioſum expleuerunt, & agonem, vel quòd ſacræ ipſorum exuuiæ, poſt martyrij triumphum, in Sacrarium Eccleſiæ huius inſignis fuerint ad venerationem illatæ.

*Dies cultus apud Cænomanos.*

Hactenvs Amicus venerandus *Sauſſayus*, apud quem omnia notatu digna continentur, licet circa originem *Hiſpanicam* dubius ſcripſerit; & tandem vi Actorum ab S. E. *Cænomanenſis* Officij Lectionibus relatorum, quibus, toto ore, fuiſſe *Hiſpanos*, aſſeritur, eos ſtirpe *Hiſpanos*, ſed ciuilitate, & incolatu Gallos coniectat. Quod potuit euenire; aſt, meo iudicio, Martyres, verè *Hiſpanos* origine, natiuitate, & habitatione fuiſſe, ex Actorum relatione ſuſpicari compellor.

*Sauſſay perſuaſio diluitur.*

Circa *Annum*, quo Martyres occubuere, nihil *Sauſſay*, crederem, admiſſâ de Belli Gothici per *Clodouæum* Magnum aduerſus *Alaricum* Iuniorem victoriâ, narratione, eos martyrio coronatos ad *Annum Chriſti* D.VII. nam eô victoriam reportauit *Clodouæus*, Alarici nece, vt probant S. M.Maxim. in *Chron. Anno.* 507. S. Iſidorus *Hiſtor. Gothor. lib.* 2. *c.* 11. S. Gregor. Turonenſ. *Hiſtor. Francor. lib.* 2. *cap.* 39. Baronius in *Annal. Eccleſ. Tom* 6. *Ann.* 507. & alij plures.

*Quo Anno coronati?*

B.

*Elogium.*

S. Dominicvs *Patriarcha Prædicatorum, Confeſſor.*] Cui ſe calamus dedicat, & lingua, tanquam fœcundo parenti eorum Heroum, qui Romæ vel calamum dedicauere, vel linguam A materno vſque vtero eius repetendæ ſunt laudes, qui inſtar catuli viſus eſt geſtantis facem, & antequam ederetur in lucem, prætulit lucidam thedam. Natus, ô in bonum omen! exterruit Inferos latratu, cuius ſonitu obmutuit Cerberus, & Cynicæ oppoſitus ſapientiæ, impudentiam pudore frenauit. Cum eo collatus Antiſthenes ex ea diſciplina viluit, & Diogenes ſuo ſe dolio texit; necnon ſileri cœpit in Attica Cynoſarges, vbi ſacrificij fuiſſe miniſter dicitur canis. Gymnaſium omnium nobiliſſimum inſtituit, vbi Religio eſſet magiſtra doctrinæ, & ex ea hauriretur Religione doctrina. Dùm ſacro luſtrabatur fonte infans, in eius viſa eſt collucere fronte ſtella; ſed vt veriùs Sirius in ore canis, non noxius, ſed ſaluber. Quid non, erit frons ſerena, quæ ſplenduit aſtris? Poſt Lateranenſi Delubro humeros ſuppoſuit labenti, & tunc ſtellifero Atlante viſus eſt maior. Eius encomia haut tacet Orbis, quin elogia paſſim recitat Eccleſia, ſic illius meminere ſacræ Tabulæ: *Bononiæ* S. Dominici, *Confeſſoris, Fundatoris Ordinis Fratrum Prędicatorum, Viri ſanctitate, & doctrinâ Clariſſimi, qui virginitatem perpetuò illibatam ſeruauit, & ob ſingularem meritorum gratiam, tres mortuos ſuſcitauit: cumque prædicatione ſua hæreſes compreſſiſſet, ac plurimos ad religioſam, & piam vitam, inſtituiſſet,* VIII. *Idus Menſis huius in pace quieuit; eius tamen feſtiuitas ex Conſtitutione* Pauli *Papæ* IV. *hac Die celebratur.* Conueniunt Martyrologia *Hiſpanum* Higuer. *Caſtellanum* Vaſq. *Luſitanum* Lup. *Italum* Conſt Felic.

*Martyrologia.*

*Dominicanum*, & aliorum recentiorum. De eo innumeri ſcripſere, quorum inſerere catalogũ prorſus prolixitatem inferret, ex his quæ ocyus ad manum venére ſunt Theodoricus de Apoldia *in Vit. S. Domin. lib. 1. c. 1. & ſeqq.* Vincentius Bellouacenſis in *Speculo Hiſtor. lib.* 30. *c.* 94. S. Antoninus Florentinus in *Summ. Hiſtor.* 3. *p. Titul.* 23. *c.* 4. Ambroſius Morales in *Deſcript. Domus Guzman. Tom.* 3. *fol.* 332. Ioannes Marieta *Hiſtor. SS. Hiſpan. lib.* 7. Cherubinus Ghirardaccius in *Annal. Bononienſ. lib.* 5. F. Fernandus del Caſtillo in *Chronic. Prædicator. Tom.* 1. *lib.* 1. *c.* 1. *& ſeqq.* P Ioannes Mariana *Hiſt. Hiſpan. lib.* 10. *c.* 7. Abrahamus Bzouius *Ann.* 1184. *n.* 12. Thomas Bozius de *Sign. Eccleſ. Tom* 1. *lib.* 7. *Sign.* 25. *cap.* 1. *fol.* 253. *& lib.* 9. *Sign.* 35. *c.* 5. *fol.* 347. *& Tom.* 2. *lib.* 15. *Sign.* 61. *c.* 5. *fol.* 111. Grauina in *Voce Turtur. c.* 80. Gabriel Pennotus *Hiſtor. Canonicor. Regular. lib.* 2. *c.* 73. *n.* 4. *fol.* 556. Benedictus Gononus *de SS. Occidental. lib.* 5. *c.* 1. *fol.* 393. Antonius Belinghen in *Kalendar. Marian. Die IV. Auguſt. n.* 3. *fol.* 418. F Thomas Maluenda in *Annal Prædicator. Ann.* 1170. *& ſequent. &* ibidem *Nauclerus*, *Genebrardus*, *Opmerus*, *Gualterius*, *Polonus* & alij Chronographi. Ex Poëtis Baptiſta Mantuanus in *Faſt. Sacr. h. d. ſic:*

Scriptores.

LVX *eadem ſacrata Patri, qui nomina duxit*
*A* DOMINO, *genus* Heſperijs *qui traxit ab oris.*
*Aſpirabat adhuc Puer ad cœleſtia toto*
*Regna animo pendens, terrena negotia parui*
*Immo nihil: iam tunc ſenſus inimicus, & aſper*
*Cenſor inaffectus adigebat pectora Sanctos.*
*Lectus humus, malecondìtum fuit eſca legumen;*
*Fons cadus; ingenium ſtudijs exercuit altis;*
*Et quæ ſcire labor, quæ ſunt abſcondita vulgo*
*Sydera, cœleſtes curſus telluris, & vndæ,*
*Aëris, & flammæ, ſuperum penitiſsima tecta*
*Vidit; & occultis Diuorum interfuit actis.*
*Se quoque cognouit deuotum ſedibus illis.*
*Propterea patriæ illius concepit amorem*
*Magnum immortalem, quem virulenta Megera*
*Vincere cum toto non eualuiſſet Auerno.*
*Mater adhuc prægnans noctu per ſomnia vidit*
*Se catulum geſtare vtero, qui ferret hiulco*
*Ore facem totis ſpargentem lumina terris.*
*Fœmina, quæ ſacro Puerum de fonte leuarat,*
*Viſa eſt in ſomnis puerili in fronte tueri*
*Flammigero ſtellam ingentem ſplendore coruſcam.*
*Talibus infantem monſtrabant Numina ſignis*
*Grande aliquid fore, cùm fortes veniſſet ad annos;*
*Cùm premeret populum Cereris penuria, quidquam*
*In tanta retinere fame ſcelus eſſe putauit:*
*Vænum cuncta dedit, libros quoque, & omnia vertit*
*In pietatis opus, miſeroſque à morte redemit.*
*Hæreticis, quorum officium eſt, confundere falſa*

*Semina*



*Semina ſeminibus veris certabat, & iſta*
*Non pacem, non inducias cum gente volebat.*
*Propoſiti comites huius quærebat, & armis*
*Veridicæ fidei inſtructos mittebat ad vrbes,*
*Ne fructicare iſtam ſineret, neù viuere peſtem.*
*Talibus intento ſtudiis conceſſa poteſtas*
*A ſuperis ſanandi ægros, lemureſque fugandi,*
*Quodque magis mirum eſt, reuocandi in corpora vitas;*
*Vſque à tartarei tenebris horrentibus Orci.*
*Sollicitus demùm pro poſteritate penates*
*Venit in Auſonios. Penetrauit limina Summi*
*Alta Sacerdotis; qui poſtquam ſomnia vidit*
*Admiranda, Virum blandas admiſit in vlnas;*
*Et genus illius durare in ſæcula iuſsit.*
*Viderat in ſomnis Laterani ingentia Templi*
*Tecta, ruinoſum caput inclinare: Virumque*
*Suppoſuiſſe humeros, & ſuſtinuiſſe ruinam.*
*Taliter admonitus Paſtor ſuccurrere feſsis*
*Poſſe hominem fidei rebus, regnoque labanti*
*Annuit, & ventis impleuit vela ſecundis.*
*Lætior euentu tali, Pater vltima Fratrum*
*Circunſtante choro, felici tempora curſu*
*Clauſit, & Æternæ Diuorum eſt additus Aulæ.*

Ioannes Bachot in *Faſt. Chriſtian. Die IV. Auguſt. fol.* 564. Nicolaus Oüdaërt Batauus *in Ephemer. Eccleſ.* 2. *p. IV. Auguſt. Epigramm.* 4. Mutius Sfortia *Monopolitanus in Kalendar. Roman. Heroic. lib.* 2. *Hymnor. fol.* 172. Robertus Obrizius Attrebatenſis in *Hymn. Sacr. lib.* 5. *Hymn.* 29. *fol.* 245. vbi carmine Heroico ſic:

*Heus, veto, ne pueri aſsiduè per compita iactent*
*Somnia, fallaci temeraria ludere nocte:*
*Iſta fidem accipiant infirmo in vertice, & ægros*
*Ludit vbi ſpecie diuerſâ noxius humor,*
*Obiiciens vanas, fictâ ſub imagine, formas.*
*Longè alia eſt ratio, cum Maximus Arbiter Orbis*
*Ante aperit multò cauſas, & ſemina rerum,*
*Proludens certis, & fata, & facta figuris.*
*Felix legitimos habitura puerpera fœtus,*
*Præuiſo & Mulier catulo, qui rictibus Orbem*
*Or. flammiuomi incendat, clamoſus, & acer*
*Latratu valido, ſcelera omnia qui face vaſtet.*
*Scilicet is fuerit* Domini *de nomine magno*
*Dictus Iber, quo ſe Caleruga ad ſydera tollit.*
*Ingenio, doctrina comes, comes addita vtrique*

*Virtus, Heſperias perfundit lumine terras*
*Agnita, & æthereos calefactis inijcit ignes*
*Pectoribus, latéque Dei diſpergit amorem.*
*Nec mora, finitimas ſerpunt incendia in oras:*
*Gens fera, Tectoſages correpti his ignibus ardent;*
*Æſtuat & miſero famoſa Toloſa metallo,*
*Albigio ſacrum fruſtra tentante duellum*
*Difficili euentu; ſed contrà robore multo*
*Obuius iuit Iber, præſens cui pectore virtus*
*Excubat, objectos exantlatura labores.*
*Hæreticus dat terga Viro, non hiſcere coràm*
*Audens vlterius, tenebris ſe ſe abdit opacis.*
*Victor habens toto ſuſpectas Orbe latebras,*
*Peſtiferum affectet lucem ne virus apertam,*
*Vndique collectos bellum ad commune ſodales*
*Accerſit, dictis, animat, dux imperat ardens*
*Fortè renaſcentes excindere viribus Hydras.*
*Ædificat, modicas diſponit ex ordine cellas,*
*Queis, Mundi illecebris purgatâ mente, fugatis,*
*Ambitione malâ, cæcâque cupidine, Fratres*
*Coniuncti inuigilent prohibentes mœnibus hoſtem.*
*Aptat, & ipſe nouæ Pater indumenta cucullæ,*
*Ne quid veſtitu leuiter peccetur inepto*
*Iis, quos vult meritis præſtare, & moribus aptè*
*Compoſitis, turbamque ſimul formare ſequentum,*
*Seminis ætherei (rureſtris culmine villæ,*
*Vrbibus aut mediis per Templa extructa) ſatores.*
*Dùm partes obit ipſe ſuas conanime magno,*
*Viua fides, indefeſſo comitata laborẽ,*
*Multa Patri Sancto extundit miracula, dictis*
*Quæ faciant permulta fidem, cœptiſque ſecundis.*
*Septima terruerat tellurem Solibus Æſtas*
*Sentibus hæreſeon radicitus extirpandis*
*Rite impenſa Patri, peregrinas currere in oras,*
*Præcipuéque Aſiæ (regna hæc ampliſſima) campos*
*Cura ſubit: retinent diuerſa negotia terris*
*Profore Chriſtigenûm ſperantem, parta tueri,*
*Præmonitum ſatiùs, quàm quærere diſſita regna,*
*Succeſſu ancipti, damnoque, maloque ſuorum.*
*Hunc terræ, & pelagi fluctus ſpreuiſſe tumentes*
*Nec fuerit mirum, toties qui obiecerit hoſti*

*Intrepidus*



*Intrepidus caput, aut ingulum pro Nomine Chriſti,*
*Omnibus exoptans votis fudiſſe cruorem.*
*Atque ideò quicunque dies illuxerit Orbi*
*Sacrificus libat non enarrabile donum,*
*Omnia ſeruantis, ſeſe & vertentis in ipſum,*
*Cùm ſpecie veſcâ ſumptus guſtatur ad Aras.*
*Nempè quòd haut ſparſo ſibi parta cruore negatur*
*Laurea, dat pœnas ſibi met, de corpore ſumit*
*Supplicium proprio, teneris ſibi ſæuus ab annis,*
*Defraudans epulis genium, placido vè ſapore,*
*Inuigilans precibus per noctis tempora fuſis.*
*Accurare cutem, putri maduiſſe Lyæo*
*Continuâ ingluuie, & luxu marcere ſueti,*
*Haut facile credant hunc tergo illidere flagra*
*Ferrea, ſeu carnem metuat, ſubigatque rebellem,*
*In mala ſiue alios aduertat ſponte ruentes.*
*Tanta Viro pietas, alienæ & cura ſalutis.*
*Teſtis veriloquo pronuntiet ore Rodulphus,*
*Se rapuiſſe grauem ferro poſt fata catenam*
*Corpore ab exanimo, quæ cinctu dura coërcent*
*Vincla Patris lumbos, obeundæ ſymbola mortis.*
*Et nos non pudeat moli indulſiſſe tot annos*
*Corporeæ, viuumque diù fouiſſe cadauer,*
*Sumptibus, & fœdos operoſis paſcere vermes?*

Iulius Cæſar Scaliger in *Poëmat. tit. de Diuiſ. fol.* 47. Ioannes Carolus Morellus *in Sacr. Tumul. Epigram.* 141. *fol.* 71. P. Emanuel Pimenta Luſitanus *lib.* 11. *Poëmat. Sacr. tit. de Confeſſoribus, Epigram.* 1. *fol.* 394. Ioannes Baptiſta Maſculus *in Lyric. lib.* 10. *Ode.* 36. *fol.* 398. & alij innumeri. Eius vitam, & ACTA ſcripſere *Ioannes Baptiſta Flaminius*, *Theodoricus de Alpodia*, à quo Laurentius Surius *Tom.* 4. Garzo, *Alphonſus Villegas*, *Thomas Truxillo*, *Baſilius Sanctorus*, *Æmilianus*, *Ioannes Lucius*, *Lipocleus*, *Graſſis*, & R. P. Petrus de Ribadeneyra in *ſuis Florib.* SS. à quibus ſequentia damus.

## *ACTA S. DOMINICI ORDINIS Prædicatorum Patriarchæ, origine Hiſpani ex Variis Scriptoribus.*

DOMINICVS *glorioſus* Patriarcha, *Mundi lumen*, *Eccleſiæ columen*, *ſcutum fidei*, Hiſpaniæ *gloria*, *religioſæ* Prædicatorum *familiæ fundator*, *& auctor*, Hiſpaniâ *oriundus in* Vxamenſi *diæceſi*, *Oppido* Caleruegâ, *illuſtribus parentibus natus eſt*, *anno Domini* M. C. LXX. Alexandrô III. *Summo Pontifice*, Friderico *cognomento* Barbarroſâ *Imperatore*, Alphonſo VIII. *Caſtellæ Rege prodigioſâ apud* Nauas Toloſæ *prope Bæticam*, *victoriâ claro*; Ferdinando II. *Legionis*; Sanctio Garſiæ *Vaſconiæ*, *& Nauarræ*; Alphonſo I *Luſitaniæ*; Alphonſo II. *Raymundi Barcinonenſis Comitis*, *& Petronillæ filio*, *Aragoniæ*; Vvillielmo II. *cognomento Bono Siciliæ*; Lu- *Origo.*

*Qui in Orbe regnabant.*

douico VII. Galliæ; Henrico II. Angliæ; Vuillelmo cognomento Leone Scothiæ; Boleſlao Criſpo Poloniæ; Stephano III. Guſæ filio Vngariæ; Vualdemaro S. Canuti Regis filio, Daniæ; Canuto S. Henrici Martyris filio, Gotiæ, & Suetiæ; Emanuele Comneno Porphyrogenito Orientis apud Conſtantinopolim Imperatore; Ieroſolymis Almarico; Saladino Ægypti Sultanô, & Caliphâ; Præte Ioanne Rege, & Sacerdote Indiæ; Imrâ Æthiopiæ interioris Abiſſinorum Chriſtianorum Principe. Pater ei fuit D. Felix Guzman illuſtri Guzmanorum oriundus familiâ, quæ, quod ex ea DOMINICVS genus duxerit, poſtea fuit omnium illuſtriſſima. Mater eius vocata fuit Ioanna de Aza, paris cum marito nobilitatis, & ſtemmatis matrona. Habitarunt in Oppido Aza præfatæ Vxamenſis diœceſis, vbi Tres ſuſcepere liberos, omnes ſingularibus virtutibus inclytos, Parentum ſimiles. Primô nomen fuit ANTONIVS, qui dignitate Sacerdotali inſignitus, erogatis in pauperes facultatibus, infimis ſe ſe Xenodochij cuiuſdam miniſteriis addixit, & in eis ad vſque mortem perſeuerauit, cuius patrocinio multa ſunt à Deo patrata miracula. Alter verò frater MANNES dictus, contemplator, & Sanctus, Deo diù in Ordine ſeruiens, bono fine quieuit. Poſtremò concipitur DOMINICVS, quem cùm mater eius in vtero geſtaret, & nonum iam menſem grauida in Monaſterio S. Dominici Exilienſis ſeptimum diem nihil excubaret, Sanctum quendam Monachum vidit, audiitque filium ſibi promittentem raræ virtutis, & dotis. Quamobrem puerulum recens natum DOMINICVM appellauit à nomine S. Dominici Exilienſis aduocati ſui. Præterea multis ante Menſibus, quàm DOMINICVS naſceretur, Matri ſecundum nocturnam quietem, aliud quoque viſum fuit oblatum. Videre ſibi viſa eſt vtero ferre catellum, qui faculam ore præſeferens, accenderet & inflammaret Orbem. Simul ac natus, & Baptiſmi Sacramento renatus eſt, Nobilis Matrona quædam, quæ puerulum de ſacro fonte ſuſcepit, vidit in eius fronte ſtellam adeò claram, coruſcamque, ſuis vt radiis Mundum conluſtraret vniuerſum. Atque his prognoſticis ſignificare Deus voluit, officia DOMINICI fore, vt adlatraret Stygium latronem, aditùque Eccleſiæ eundem prohiberet, ſuóque exemplo cæteros & inflammaret, & ſuâ, ſuorumque doctrinâ filiorum illuminaret. Aiunt etiam in cunis adhuc vagientem, apum examine circumſeptum, quod eius os inuolare tentarit, quemadmodum de S. Ambroſio recenſetur. Atque hoc prognoſtico ſuauitas ſermonis illius fuit præſignata.

*Parentes.*

*Fratres.*

*Nomen, & eius cauſa.*

*Vaticinia de S. Dominico in vtero, & nato.*

*Studium virtutis, & literarum.*

A primâ pueritia fuit, & à Parentibus, & à patruo ſuo Archipresbytero in Gumiel de Iza Eccleſiâ, omnium virtutum genere, diuinoque inprimis timore imbutus. Ipſe verò tàm naturâ ſuâ docilis, & ad omnes virtutes aptus fuit; vt fræno potius, quàm calcaribus eguerit, in rebus ad pietatem, virtutemque pertinentibus. Hinc etiam ſeptennis intempeſta ſubinde nocte ſtrato ſurrexit, humique cubauit, velut aſſuetus duræ viuendi methodo, quô ſcilicet durior effectus, & maturior eandem continuaret, & creſcentibus annis, etiam virtus ſua ſuſciperet incrementa. Erat cibi, potuſque parciſſimus, & à voluptatibus, iuuenumque relaxationibus alieniſſimus; in omnibus actibus compoſitus, in omnibus exercitiis modeſtus; iudicij adeò maturi, vt etiam prætextatus adhuc, iam patruos ſapere videretur. Adeò ſeriò in literarum ſtudia incubuit, tamque ſacræ muſicæ, & officio eccleſiaſtico addictus fuit, vt nulli rei, niſi lectioni, precationi, cantuique, Altarium ornatui, & SS. Euchariſtiæ cultui vacarit. Hinc à parentibus adlegatum Pallentiam, celebre literarum totâ Hiſpaniâ emporium, quod poſtea à Ferdinando III. Rege Salmanticam tranſlatum. Hîc DOMINICVS adeò ſtudioſè ſcientiis incubuit, vt breuiſſimo temporis ſpatio in Logica, Phyſica, & Metaphyſica, quæ Theologiæ ſtudio magis neceſſariæ ſunt, fuerit eruditiſſimus. Nec tamen interim animi curam neglexit; nam multus erat in precibus, prauorum ſocietates ei periculoſas æuo, cane peius & angue vitabat. Adeò miſerabatur homines ſecundum corpus, animumque miſeros, vt ſi fortè non poſſet eis opitulari, lachrymas vbertim profunderet. Hinc aliena peccata tanquam ſua deflebat, & ob

*Quanta eius miſericordia.*

ea



ea ſuum in corpus acriter animaduertebat. Erat orphanorum, pauperumque præſidium; cùmque ingens annonæ caritas ingruiſſet, rem ſuam, libroſque omnes, quibus vtebatur, vendidit, quo ſcilicet extremæ pauperum neceſſitati conſuleret. Itaque ſe ſe diuitem exiſtimauit, quòd cum pauperibus pauperem ſe videret. Eius S. Iuuenis exemplo, complures alij ſuis bonis in pecunias redactis, eas pauperibus erogarunt. Hos inter fuit & mulier, quæ effusè lachrymata, ſupplex eum rogauit, vt fratrem ſuum apud Mauros captiuum redimere dignaretur. S. Iuuenis miſeræ miſertus tantâ charitate exarſit, vt vrſerit eam ſe tanquam mancipio ſuo vendito, cum fratre permutare. Tanta eſt vis charitatis humanum pectus inflammantis. Eluxit in eo virgineæ caſtitatis integritas, quam totâ vitâ ſeruauit illibatam, cuius ne quam fortè iacturam faceret, capitalis fuit otij hoſtis, omnemque fœminarum familiaritatem, & cibi, potuſque intemperantiam diligentiſſime vitauit: quòd hæc tria cenſeret caſtitati vel maximè aduerſari.

*Caſtitas.*

ERAT, eâ tempeſtate Vxamenſis Eccleſiæ Præſul B. Didacus de Azebes, inclytæ ſanctitatis, & doctrinæ Vir, cui Clerus adeò fuit curæ, vt paucis annis ex Canonicis ſecularibus, Regulares reddiderit. Huic verò negotio proſperè conficiendo, viros adhibuit admodum ſpirituales, & eruditos. Ergo cùm S. DOMINICVS omnibus, & virtutis, & eruditionis famâ præſtaret, Didacus Epiſcopus nullum non lapidem mouit, quo DOMINICVM Pallentiâ Vxamam pertraheret, vt & denique traxit. Hîc Religioſo Canonicorum ſecularium habitu indutum, Epiſcopus Archidiaconum illius Eccleſiæ creauit, tituloque Subprioris inſigniuit; nam cum reformatione nomina quoque dignitatum mutarat. Suſceptum eſt à B. Viro obedientiæ virtute ſubacto, hocce onus, & honos, in quo modeſtiam lenitati, grauitatemque comitati ſic miſcuit, vt tamen acerrimè vitia perſtringeret, & à diſciplinæ ſeruandæ ſtudio nihil relaxaret. Paucis pòſt annis Vxamâ Pallentiam redux, quorundam paupertati ſubuenturus, denuò libris ſuis venditis, pretium confecit, quod liberaliter in egenos erogauit, cœpitque librorum prorſus inops vbique Euangelium prædicare, cùm iam trigeſimum ætatis annum numeraret. Itaque imitatus eſt hoc in genere Mundi Seruatorem, qui quamuis eſſet ipſa Patris Æterni ſapientia, vſque ad annum trigeſimum, mirandum ſanè ſilentium coluit, poſtea verò diuinæ lucis radios toto Mundo diffudit. Igitur Anno Domini M.CC. vſque ad M.CC.II. Vir Sanctus Pallentiæ, & Vxamæ, paſſim viam, quæ ducit in cœlum, docuit, eo fructu, qui potuit à tantâ ſanctitate & eximia eruditione expectari. Legit hoc tempore diligenter, & attentè Caſſiani collationes, quas velut vitæ ſuæ normam ſibi propoſuit, vt inde virtutes erueret, Sanctorumque Patrum illorum Eremitarum perfectionem, collationibus illis expreſſam animo imprimeret. Cæterum DOMINICO ad hunc modum feruenter prædicanti, obtulit ſe forte Didacus Epiſcopus ille peregrè profecturus. Alphonſus enim Rex Caſtellæ (qui paulo ante Blancham filiam ſuam Tertiam, Ludouico VIII Principi, & Galliarum Regni hæredi nuptum collocarat) adlegauit eum in Galliam, grauia cum eodem Ludouico negotia tractaturum, Epiſcopus ſecum duxit S. Virum, vt & conſilio illius vteretur, & familiari, ſanctoque colloquio frueretur. Sed altiora fuere diuinæ prouidentiæ conſilia, nam cùm exorta fuiſſet bruta prorſus & infamis hæreſis ſub hoc tempus in Comitatu Toloſano, Oppido Albi, à quo hæreſis huius aſſeclæ Albigenſes nominati. DOMINICVS cum Epiſcopo ſuo per Toloſates Gallias ingreſſus, vt infandos errores, quos infelices homunculi docebant, & blaſphemias, quas aduerſus Deum ſuum, Catholicamque Eccleſiam euomebant, intellexit, incredibile memoratu eſt, quantum doloris conceperit. Primò ſtatim veſpere, quo oppidum hæreticum ſubiere, obtigit eis hoſpitium hæretici hominis, cui conlocutus de rebus fidei, potenter adeò diſſeruit, vt ex Catholicæ veritatis inimico filium Eccleſiæ reddiderit. Fuerunt hæ primitiæ, quas hoc in itinere Numini obtulit; & vt aduertit à Domino ſe vocari, quo remedium his animis adeò cæcis adhiberet, ſtuduit ſe ſe negotiis

*Archidiaconus Vxamenſis fit.*

*Euangelium cœpit prædicare.*

*Lectioni ſpirituali inſiſtebat.*

*Hæreſis Albigenſium.*

*Hoſpitem hæreticum conuertit.*

omnibus

omnibus expedire, nec non Epiſcopum Vxamenſem ſolicitare, quo ſuæ legationi finem faceret, vt ſibi redire ſtatim liceret, ad hunc agrum diligentius excolendum, ſpinaſque, & Zizania, quæ bonam ſuffocabant ſementem, euellenda radicitus. Vt palatium Regis Galliarum ſubiere, Infantem Caſtellæ Blancham oppidò deſolatam, quòd improlem ſeſe doleret, reperére. Tunc ei Vir Sanctus conſuluit, vt etiam ſe B. V. MARIÆ commendaret, eidem Roſarij preces religioſè perſolueret, eandémque precandi methodum volentibus omnibus impertiret, atque hac exaudiendam à Deo ſe ſperaret, quemadmodum re verâ poſtmodum exaudita, & S. Ludouico filio donata eſt.

*S. Viri conſilio naſcitur S. Ludouicus Rex.*

NEGOTIIS quorum causâ venerant, ex animi ſententiâ feliciter expeditis, Epiſcopus DOMINICO comite aſſumpto, Romam diſceſſit, Innocentium III. Pont. Max. allocutus. Hûc appulſus Papam ſupplex orauit, vt ab Epiſcopatu miſſionem ſibi daret, quo ſic expeditior, reducendus ad Catholicam Eccleſiam hæreticis Gallis operam nauaret. Sed nihil impetrari potuit à Papa, qui noluit Eccleſiam tanto Præſule orbari. Quamobrem perceptâ benedictione vterque Hiſpaniam repetiere. In itinere Monaſterium Ciſtercienſe famâ ſanctitatis inclytum inuiſére. Hîc triduum hæſere, & Epiſcopus pro ſingulari pietatis affectu, habitum, cucullumque monaſticum accepit, ſecumque nonnullos Religioſorum adduxit, regulam, & ordinis ſui normam, & cæremonias docturus. Ventum ad Montem Peſſulanum cum duodecim Religioſis S. Bernardi ſocijs, ab Innocentio Papa ſubmiſſis, conſulturis nempè quomodò Albigenſes eſſent iuuandi, qui potentiâ, numeroque in dies augebantur. Omnes conſilium DOMINICI obſecuti, poſito faſtu, pompâque pedites inceſſere, precibuſque, ieiunijs, & voluntarijs corporis afflictionibus præparari, diſputationibus priuatis, publiciſque ad eoſdem ſermonibus habitis, & præclaris virtutum exemplis, ſpirituale colluſtrandis, conuertendiſque hæreticis bellum mouére. Hæretici cùm non ferrent vim precum à DOMINICO fuſarum, nec robur argumentorum, & rationum ab eodem propoſitarum, eum pluſquàm Vatiniano odio proſequebantur. Cæterum cùm peſtilentem ſuæ ſectæ libellum vulgaſſent, DOMINICVS eundem validè refellit, Catholicamque veritatem fortiſſimè propugnauit. Porrò libellis vtriſque coram frequentiſſimâ Populi concione in ardentem fornacem coniectis, hæreticus codicillus mox exuſtus, & in cinerem redactus eſt; at S. DOMINICI libellus à flammis prorſus illæſus in altum ſe ſe librauit cúmque hinc inde ludibundus volitaſſet, denique in vicina tabe conquieuit. Hic libellus miraculi teſtis adhuc integer, hodieque adſeruatur, qui quamuis ter in ignes ab obſtinatis hæreticis eſſet coniectus, diuino tamen nutu ſaluus, integerque volauit. Atque hoc miraculo nonnulli hæreticorum reſipuere. Sub hoc tempus ſumma Prouincias illas annonæ caritas afflixit, quæ quotidie ſic auxit, vt multi nobiles etiã viri ſuaſmet filias extremâ neceſſitate coacti venundarent His malis auertendis DOMINICVS ſitum quendam ſibi delegit Pullianum Carcaſſam, Toloſamque inter, vbi Monaſterium ædificauit, in quod inops nobilitas reciperetur. In hoc breui multæ nobiles virgunculæ admiſſæ, quibus B Vir certam religioſè viuendi formulam præſcripſit. Cuius exemplo moti ſunt & alij Catholicorum, diuitumque complures ad ſimiles Domos ædificandas, quibus multarum virginum honeſtas, & fides ab hæreticorum, & militum iniuriis vindicaretur. Hæſit S. Didacus Vxamenſis Epiſcopus in prædicto Toloſano Comitatu biennium, & quamuis fructus, quem colligebat eſſet ingens, magis tamen obligabatur ſuo gregi, à quo ſic vrgebatur, vt niſi reditum ad ſuos maturaret, Vxamamque repeteret, non videretur ſuæ conſcientiæ ſatisfacere. His igitur rationibus compulſus ſuam ad Eccleſiam redire conſtituit, huius ſpiritualis expeditionis ducem DOMINICVM relinquens. Quo facto, haut multo poſt, certo nuntio compertum eſt, Sanctum Præſulem deceſſiſſe VIII. Idus Februarij, Anno Domini M. CC. VII. ſepultus in Arce Vxamenſi multis miraculis claret, & debito pietatis cultu veneratur.

*Bellum aduerſus hæreticos mouet.*

*Igne Catholica fides probatur.*

*Virginum pauperum Monaſterium conſtruxit.*

*S. Didacus Vxamenſis moritur.*

DOMINICVS



DOMINICVS huius S. Præſulis (qui totius erat aduerſus hæreticos expeditionis princeps) nonnihil afflictus eſt. & quamuis Abbates iam fatigati, ſua quique Monaſteria repetiiſſent, quòd huic tanto malo mederi ſe ſe poſſe diffiderent, tamen S Vir cum nonnullis aliis qui pro maiore Dei gloria propugnanda ei ſe comites adiunxerant, totius expeditionis in ſe curam ſuſcepit, in qua prorſus inuictâ mente annos omnino decem perſeuerauit. Singula obibat oppida pedes, & quidem nudus, Dei, proximique charitate totus inflammatus; & quemadmodum ceruus telo ſaucius, ſitibunduſque deſiderat ad fontes aquarum, ſic etiam ipſe per medias furcas penetrabat, omnibuſque ſe periculis, incredibili deſiderio martyrij accenſus, exponebat. Harum verò ſumma fuit ærumnarum, vt ipſe ſanctiſſimâ vitâ ſuâ cæleſtique doctrinâ, & multis miraculis eius operâ patratis, quaſi centum animarum millia, hæreſi abiuratâ, reſipuerint. Cæterùm cùm Summus Pontifex officium Inquiſitoris ei demandaſſet, S. Vir illud maximâ auctoritate geſſit, ſpiritualibuſque armis vſus obſtinatos repreſſit, relaxatos puniuit, & ad meliores hominum inſolentias, mores reduxit. His armis ſpiritualibus Catholici Principes externa quoque iunxere, coactiſque magnis copiis hæreticos etiam vi domare decreuerunt. Eadem de cauſa, & in Galliis, & in Italia Crux publicata, & DOMINICI tùm precibus, tùm conſiliis Catholici multas hæreticis munitiones violenter extorſere Comes quoque Simon de Monfort, qui Generalis erat Catholici exercitus aduerſus hæreticos dimicans ſtrenuè, omnes in fugam vertit, cæſis viginti millibus, præter eos qui ſe ſe dederant aquis, euaſuri natatu, ſed fuere miſerè fluctibus hauſti. DOMINICVS intereà dum prælium committeretur, ſublatis ad Deum manibus, fuſiſque vbertim lachrymis propugnantibus, velut alter Moyſes precatus eſt. Itaque Catholicorum Sex, Septem vè deſiderati, quo ſcilicet intelligamus, quàm pronum ſit Deo vincere multos, paucis, ſuorum Sanctorum precibus, ſtipatis, quoties pleni fide, ſpe, & charitate precantur. Aſt Comes Simon, & Epiſcopus Toloſanus cùm aduerterent DOMINICI ſanctitatem, & miracula ab eo patrata diuinitùs; multis eum facultatibus donarunt, quibus ſe ſuoſque comites ſuſtentaret. Nam quamuis tunc religioſum non eſſet ordinem auſpicatus, tamen S. Vir adeò erat hæreticis extirpandis intentus, vt nihil omitteret, quod ad eos conuertendos, illuminandos, & erudiendos facere videretur. Hinc voluntariis afflictationibus corpus atterebat, dies, noctesque precibus intendebat, lachrymarum flumina pro iiſdem fundebat, diuinis de rebus diſſerebat, fidei Catholicæ veritatem docebat, ipſoſq; paſſim ſuis diſputationibus conuincebat; quin & belli ducibus conſulebat, milites animabat, Catholicos omnes excitabat, vitæq; emendationem ſuadebat, vt hanc cauſam Deo commendarent, ſeque Deiparæ MARIÆ deuotos exhiberent clientes, & Roſarij preces recitarent, eiuſque myſteria contemplarentur identidem vrgebat: ſicque victoriis aduerſus Catholicæ fidei hoſtes facile potituros.

*Centum Millia hæreticorum conuertit.*

*Inquiſitor nominatur à Papa.*

*Victoria de hæreticis precibus S. Viri.*

*Exercitia pietatis pro, & contra hæreticos vſurpata.*

HABVIT in hac expeditione vir Sanctus ſocios aliquot, qui vt diximus ei comites adhæſere, quos magno pietatis feruore ad eiuſmodi ſollicitudinem promouebat. Itaque paulatim congregatio, nouuſque Apoſtolicorum Prædicatorum Ordo coaluit. Ergo cùm S. Vir extremam videret neceſſitatem, ſimiliumque hominum in Eccleſia penuriam: cerneret etiam fructus à tàm paucis ſuis comitibus relatos, maiorumque pandi à Domino ſpem, diuino Spiritu inſtinctus Romam petere decreuit, & quid in Comitatu Toloſano geſtum fuiſſet, & quô ſtatu res hæreticorum forent, & quanta neceſſitas eſſet Innocentio III. Pont. Max expoſiturus ſeq; cum ſociis ad hanc expeditionem oblaturus, & vt in cliẽtelam ſuam, ſe ſuoſq; reciperet, nouumq; Ordinem, cuius præcipuus finis eſſet Euangelium prædicare, & vitioſis hominibus conuertendis operã nauare, precaturus. Opportuna prorſus huic itineri ſe ſe obtulit occaſio, quòd inclytum, & magnum œcumenicum illud Lateranenſe Conciliũ eſſet celebrandũ ad quod Fulco Toloſanus Epiſcopus, vir miris & naturæ, & gratiæ dotibus inſignis, ardens honoris diuini propugnator, raræ virtutis exemplar, deuotiſſimuſque S. DOMINICO patronus, proficiſcebatur Illum Romam vſque comitẽ habuit, cuius etiam operâ DOMINICVS à Pontifice, quod deſiderabat,

*Ordinem meditatur.*

*Concilium Lateranenſe indicitur.*

impetrauit. Nam licèt primò quidem Chriſti Vicarius nonnihil ſe ſe opponere viſus eſſet, tamen cùm ſequenti nocte idem Pontifex in ſomnis ſibi videre viſus eſſet, Lateranenſem Eccleſiam grauem minitari ruinam. Cúmque terrore perculſus conſilium tanto malo opportunum inquireret, vidit è conuerſo Virum Dei DOMINICVM accurrentem, ſuiſque humeris totam illam ruinoſam fabricam ſuſtentantem. Eam viſionis nouitatem prudens Pontifex admirans, ilicò quid ſibi vellet inſomnium ſagaciter animaduertit. Alterâ autem die, oblatas preces hilariter admiſit, & pium propoſitum commendauit. Hortabatur verò vt ad ſuos DOMINICVS rediret fratres, communicatoque cum eis conſilio, regulam quandam approbatam deligeret, quam Ordo inchoandus ſectaretur, atque ita ad ipſum rediens confirmationem Ordinis pro voto reportaret. Itaque DOMINICVS finito Concilio, perceptaque à ſummo Præſule benedictione lætus in Galliam remeauit, omnem rem cum ſociis cõmunicaturus. Illi cum B. Patre congregati præmiſſis precibus decreuerunt, quòd regula S. Auguſtini, adiunctis quibuſdam arctioris vitæ cõſtitutionibus, eligeretur. Cúmque ſic inter eos conueniſſet, Fratres qui tunc erant numero plus minus ſedecim gratiis Deo actis, Toloſæ in Eccleſia S. Romani, quã Falco Epiſcopus illis attribuerat, Monaſteriũ extruxere, eodem Præſule, & operã, & opes in ipſum enixè conferente. Hoc ſociorũ conſilio, & aſſenſu inſtructus DOMINICVS Romam repedauit, noui Ordinis confirmationẽ impetraturus: ſed medio itinere intellexit Innocentium III. Peruſiis viuere deſiſſe, electumque Honorium III. qui ſupplicìter hoc petente DOMINICO, ſancitam iam antè inſtituti formulam, Apoſtolicâ auctoritate confirmauit XI. Kalend. Ianuarij, Anno Domini M. CC. XVI.

*Confirmatur Ordo cœleſti viſione.*

*Toloſæ primum Conuentum extruxit.*

SINGVLARI, miraque inceſſit lætitiâ S. Patriarcha, quòd hunc Ordinem videret ſuum à Chriſti Vicario confirmatum, cuius propagationem hiſce cœleſtibus prognoſticis poſtmodum mirabiliter prænouit. Cùm forte aliquando in Eccleſia Principis Apoſtolorum noctu cubaret, vidit in aëre Chriſtum Regio ſolio conſidentem, tribus lanceis Mundum vniuerſum minitantem; ad cuius pedes etiam Virginem Matrem conſpexit, ſupplicibuſque Filium precibus orantẽ, vt populi ſui miſereretur iis poſterum, & mox coram adductis DOMINICO & Franciſco, illos Filio irato offerre, quibus viſis, Chriſtum placatum euanuiſſe. Alterâ die vterque Franciſcus, & DOMINICVS ſeſe inuicem videntes, quamuis antea nunquam viſi, cognouere, mutuoſque in amplexus ruére. Tunc Franciſco DOMINICVS dixit: Tu es ſocius meus, tu mecum pariter curres. Stemus ſimul, & nullus aduerſariorum vincet nos. Sic inter BB. Patriarchas ſancta, perenniſque amicitia coaluit Poſtmodum cum etiam in Eccleſia S. Petri Dominum, vt ſe, ſuoſque ſocios, in obſequio diuino confirmaret, precibus continuis expeteret, apparuerunt ei SS. Apoſtoli, quorum Petrus ſcipionem, Paulus codicẽ porrexit, dicentes: Vade, concionare, diuinitus ad id miniſterium electus. Euanuit hæc viſio, & ſtatim toto Mũdo diſperſos, binos, binoſque ſuæ familiæ fratres, verbum Dei populis annuntiantes conſpexit. Mirificè recreatus eſt hoc viſu DOMINICVS, ideoque nihil ei potius fuit, quàm Romæ ſua negotia expedire, Toloſâq; remeare. Reperit hîc filios ſuos, quibus Apoſtolicũ diploma exhibuit, & quemadmodum à Deo vocarentur, declarauit. Hinc ſingulos monuit, vt tanquã veros Euangelij præcones ſeſe gererẽt, & inſtar Apoſtolorũ, omnes Orbis oras obirent, & ad mortẽ quâq; pro Chriſto obeundam ſe ſe cõpararent. Huius reſolutionis inſtãtia licet Comiti Simoni, Archiepiſcopo Narbonenſi, & Epiſcopo Toloſano grauis appareret, tamen Vir Dei cœleſti ſpiritu plenus eorũ humanas rationes, & argumenta compeſcuit, dicẽs: Nolite Patres, & Domini mihi obluctari. Ego enim probe noui quid faciam. Quibus verbis nullus in poſterũ fratres diſtinere conatus eſt. Porrò Pater ipſe ſanctiſſimus cùm ad Sarracenos penetrare decreuiſſet, Anno M. CC. XVII. Matthæum, natione Gallum, Virum ſanctiſſimum, Abbatem inſtituit, qui cæteros gubernaret (in quo cœpit, finiitque in hoc Ordine nomẽ Abbatis) & regeret. Sed ea profectio diuinitus fuit impedita, & fratribus aliis aliò atque aliò miſſis, ipſe DOMINICVS Romã venit, vbi concionandi munere magna cum laude, & opinione ſanctitatis haut

*SS. Dominicus & Franciſcus iram Dei placant.*

*Apparuerunt & SS. Apoſtoli Petrus, & Paulus.*

*Toloſam repedat.*

*Abbatem in Ordine eligit, qui primus & vltimus fuit.*



haut vulgari aliquando fungens, duos è mortis ſeruitute in vitæ libertatem aſſeruit.

Nam cùm Honorius III. viſâ S. Viri in curandis animabus induſtriâ, pariter & vigilantiâ, ei committeret, vt ſacras Virgines per diuerſa Vrbis loca diſperſas, & multùm à priſtino rigore, ac vitæ ſanctitate alienas in vnum locum congregaret, eiſque leges præſcriberet, quibus & collapſa Sanctimonialium fœminarum diſciplina reſtauraretur: & Deo ſacratæ Virgines iiſdem legibus haut inuitæ colla ſubderent. S. Vir vtrumque præſtitit, quamquam non ſine moleſtiis, admodum egregie. Omnes enim Vrbis Moniales à diſciplina clauſtri inueteratæ libertatis conſuetudine tranſuerſum actas, vnum in Monaſterium conuocauit, eaſque mirâ lenitate ad ſanctiorem diſciplinam reuocauit. Cúmque omnibus in vnum congregatis in domo (vt vocant) Capitulari, præſentibus Tribus Purpuratis Patribus, Hugolino Oſtienſi, Stephano de Foſſa-Noua, & Nicolao Cardinali, Tuſculano Epiſcopo, verba ſalutis earum auribus ſuauiſſimè inferret; ecce vir quidam magno eiulatu irruens, repentino clamore, haut mediocriter cunctos exterruit. Illis verò ſciſcitantibus, quid calamitatis eſſet, reſpondit: Nepotem Stephani Cardinalis ex equo lapſum, vitam cum morte permutaſſe. Eâ re prorſus inopinatâ Stephanus attonitus animo concidit. DOMINICVS verò precibus, & lachrymis multorum commotus, illicò abiit ſacram hoſtiam Deo pro incolumitate iuuenis oblaturus. Cùm autem iam Aræ adſtaret, immenſo profuſus lachrymarum imbre, cunctis qui aderant ſpectantibus, & ſtupentibus, cubitus vnius altitudine è terra eleuatus eſt. Tanto enim ſpiritus ardore ferebatur, vt terrenum corpus, & graue, eiuſdem ſpiritus vi, ſurſum tolleretur. Oblationis deinde miniſterio piiſſimè peracto, rectâ ad corpus defuncti viâ, Cardinalium, & Virginum catervâ ſequente, abiit, & ſublatis in cœlum manibus, iuuenem in Chriſti IESV Nomine incolumen ſurgere præcepit. Res ſtupenda! qui vitâ functus erat, & conquaſſatis miſerè membris, exanguis iacebat, protinus ad vocem DOMINICI membra, & caput erexit, & ſanus planè atque incolumis domum abijt. Intererat & huic ſpectaculo, Monaſterij, quod Mariæ trans Tyberim dicebatur, Abbatiſſa cum ſacro Virginum cœtu; quæ licet antea ad S. Viri obedientiam ægrè ſe adduci paſſa fuiſſet, tunc tamen adeò animo immutata eſt, vt nihil tàm durum, nihil molli, & delicatæ naturæ tàm aduerſum eſſe putaret, quod non libens, ſalutis causâ aſſumeret: & ſe totam, ſuaque omnia Patri DOMINICO curanda permitteret. Itaque felicibus auſpiciis, & magno bonorum omnium gaudio, atque exultatione, ſacer ille Virginum cœtus Monaſterij Mariæ Trans Tyberim ad S. Sixtum tranſlatus eſt; quo in loco ipſe DOMINICVS cum ſuis ad illum vſque diem, domicilium habuerat: & tunc Honorij III. Pontificis munificentia ad S. Sabinæ Eccleſiam, prædicatorio muneri aptiorem cammigrauerat. Igitur Anno M. CC. XIX. Abbatiſſa cum ſuis ſororibus numero XLIV. ad ſanctioris vitæ initium, habitum ſimul cum obedientia integra à S. DOMINICO ſuſcepit, eiuſque in verba ſanctiſſimè iurauit. Et hoc quidem primum fuit ſacrarum virginum Ordinis iſtius Monaſterium, eiuſdem S. Patriarchæ operâ, & ſtudio ſanè florentiſſimum. Virgines enim Deo dicatas aſſiduâ cœleſtis diſciplinæ dulcedine paſcebat; eaſque non tàm ſeueritate, quàm conſolatione, atque vbi opus erat, miraculorum virtute in officio continebat.

*Romam iterum pergit.*

*Moniales ibidem diſperſas colligit.*

*Sacrificans è terra eleuatur.*

*Iuuenem mortuum ſuſcitat.*

*Primum Virginum Monaſterium Romæ.*

AD S. Sabinæ ergo Eccleſiam, quam cum Palatio Pontificum Honorius III. DOMINICO conceſſerat, continuò diuerſorum locorum ſalutem reportaturi plurimi infirmantes accedebant, inter quos cùm Reginaldus Decanus Eccleſiæ Genabenſis, celeberrimus Iuris Doctor, & Academiæ Pariſienſis Profeſſor ſub hoc tempus Romam veniſſet, religioſe deinceps Deo ſeruiturus; euenit quod lethali correptus ægritudine, vitam deſereret, niſi S. Patriarcha, precibus ad Deiparam fuſis, illum è mortis faucibus eriperet. Tunc Virgo Mater Reginaldo ſpecie ſpectabili apparens, & habitum candidum, & ſcapulare demonſtrans, dixit: Hic eſt habitus Ordinis tui. Hoc cœleſti recreatus

*Habitus forma & color à Deipara reuelatur.*

viſo Reginaldus, diſcuſſo protinùs omni morbo conualuit, ſeque imperio DOMINICI addixit, oſtenſum ſibi diuinitus habitum induit, & in ſui Ordinis regulam iurauit. Quo S. Vir cùm abſtuliſſet ſuis Religioſis candida Canonicorum Regularium lintea, & habitum, eos habitu, & ſcapulari niueo, ſupremiſque talaribus atris, quas hodie gerunt, & eis Regina cælitum oſtendit, induit.

*Magiſter ſacri Palatij S. Vir fuit Primus.*

Hîc itidem B. Pater quotidie in ſacro Palatio Euangelium S. Matthæi, & Epiſtolas S. Pauli explicare cœpit, quo ſcilicet vtiliter occuparet populum, & illum ad ſe certatim occurrentem erudiret. Hinc cœpit Officium MAGISTRI Sacri Palatij inſtitui, quod in poſterùm Religioſi Prædicatores obtinuere, & adhuc obtinent, quorum S. DOMINICVS primus extitit. Cùm ſic aliquot annos exegiſſet Romæ, quam proculdubiò ſuis continuis precibus ſuſtentauit, ſuæque exemplo vitæ in admirationem rapuit, & ſuâ doctrinâ colluſtrauit, ſuis miraculis in ſtuporem dedit, & omnes ad emendandam vitam, mundi contemptum, perfectumque amorem Dei mouit; miſſo Bononiam Reginaldo, aliiſque Religioſis ſuis ad diuerſas Italiæ vrbes adlegatis, decreuit ipſe Hiſpaniam, Caſtellæ Regno, in quo natus fuerat, repetere;

*Segobiæ in Hiſpania prædicat.*

vbi ſuæ doctrinæ ſementem cæleſtibus imbribus irrigandam, & horreis Dominicis reponendam, ſpargeret. Venit igitur Segobiam, vbi dies aliquot demoratus, Euangelium maximo animorum fructu prædicauit, vbi Monaſterium S. Crucis inchoauit, & ibidem hypogæum eſt, quo ſe recipiebat, vt & ſuas ad Deum preces funderet, & flagris in proprium corpus animaduerteret. Hypogæum verò hodieque ſanguinis S. Viri veſtigia retinet. Hinc Madridium perrexit, vbi ſuos quoſdam Religioſos à ſe in Hiſpaniam miſſos, omni populo gratos ob virtutum exempla, quæ paſſim in eis prælucebant, inuenit.

*Itidem Madridij.*

Hîc S. Pater & vtiliter, & frequenter verba faciebat, ſic vt auditores in admirationem conuerteret. Hîc itidem Monaſterium Ordinis ſui conſtruxit, quod hodie Virginibus ſacris ſui inſtituti conceſſum, Regale S. Dominici vocitatur, ibidemque locum, quo S. Pater orationi, & flagellationi inſtabat, ſanguine proprio conſperſum demonſtrant. Grata fuit Madridenſibus, & Segobienſibus S. DOMINICI viſitatio hæc, adeò vt in poſterùm Religionem Prædicatorum vnaquæque hæc ciuitas in pretio haberet, & ideo Honorius III. Pont. Max. diplomata confecit, quibus vtique his vrbibus gratias egit, pro beneficiis in eum ordinem collatis.

*Pontifex gratias agit pro beneficiis S. Viro cumulatis.*

His, & id genus Apoſtolicæ Sedis, & maximè cæli fauoribus, quibus, & DOMINICVM, & eius filios Deus cumulabat, ſanctus hic Ordo vehementer in Hiſpania propagatus eſt, & paucis annis plurima obtinuit Monaſteria, & innumeri hoc rigidioris, & religioſioris vitæ genus, quô ſuas noxias expiarent, complexi ſunt.

*Toloſam repetit.*

CVM ſic Hiſpaniæ ſatisfeciſſet, compoſitis Ordinis ſui negotiis S. Patriarcha repetiit Italiam, cúmque Cæſarauguſtam tranſiſſet, Toloſam delatus, vidit ordinis ſui incunabula, vt ſic loquar, primamque domum, quam oppido diligebat, quòd hîc à Deo ſuorum laborum primitiis eſſet donatus. Suos ergo filios hoc loci degentes conſolatus, eoſdem neceſſariis, quæ ad præcipuarum regularum, & cæremoniarum ſui Ordinis obſeruantiam facere viderentur, monitis inſtruxit;

*Inde Pariſios.*

atque ita Pariſios (vbi religionis eius Ordo iam florebat, & in Monaſterio Triginta Fratres numerabat, religioſæ perfectionis admodum ſtudioſos) iter intendit. Hinc profectus in Italiam, Bononiam, appulſus eſt, vbi à ſuis filiis incredibili lætitia exceptus, maximè à Reginaldo, fuit, qui propter virtutes, ſtudiumque propagandi honoris diuini ſingulariter eum dilexit.

*Poſt Bononiam.*

Multos hîc reperit religioſos recenter in ſuum Ordinem admiſſos, quos in rebus Ordinis intentos agnouit, quorum aliquos, vt plurium animas lucrarentur, varias in Prouincias dimiſit. Ita rebus Bononiæ compoſitis Romam abiit, quo grauium negotiorum causâ fuit euocatus. Quibus expeditis, miſſoque cum aliis Religioſis Hyacintho in Poloniam prædicatum;

*Tertiam regulam inſtituit.*

cùm alium quoque Tertiæ Regulæ Ordinem (quæ Militia IESV-CHRISTI fuit appellata) admodum eâ tempeſtate neceſſarium ad defendendam Eccleſiæ auctoritatem inſtituiſſet, viſitaturus aliquot Italiæ Cœnobia



bia Româ profectus, Bononiæque reuerſus, primum celebrauit, eumque Generalem ſui Ordinis Capitulum, in quo multa grauiſſima, magnique momenti decreta religioſæ familiæ ſuæ promouendæ peropportuna ſanciuit, & confirmauit.

*Capitulum I. Ordinis Bononiæ celebrat.*

Et quamuis Religioſi, qui præſentes aderant S. Patriarcham ſuo ſe munere abdicare (quod ipſe Fundator eſſet, & Paſtor Ordinis) non paterentur, nihilominus ipſe, vt erat modeſtiſſimus, quòd indignum ſe ſe hoc officio fateretur, obire magiſtratu conatus eſt. Soluto Bononiæ Capitulo, miſſoque Pariſios F. Iordano, paucis poſt diebus abiit quædam Monaſteria viſitatum, & alia fundatum. Denique Bononiam regreſſus, celebratoque altero Generali Capitulo, lethali correptus eſt ægritudine, quâ ſe corporis ergaſtulo abſoluendum, & ad cælites euocandum cognouit.

*Infirmatur.*

Nam haut multo ante cùm pro ſolemni ſuo precibus vacaſſet, apparuerat illi Dominus his eum verbis allocutus: Veni amice, veni vera gaudia poſſeſſurus. Ex quibus verbis, vt imminere ſibi mortem perſpexit, nequiit conceptam animô lætitiam diſſimulare, quòd abeſſe iam propriùs illa ſe meta ſentiret, quâ cum vita finiuntur ærumnæ. Quamobrem iuſſos adeſſe Cœnobij illius Tyrones, ex aggeſtis illis aſſeribus, quibus incubabat, nam lecto non vtebatur, velut quodam ſuggeſtu comiter affatus, ad amorem Dei, cœptæque religioſæ vitæ perſeuerantiam adhortatus eſt. Hinc apud illius Monaſterij præſidem, totius vitæ peccata recenſuit; deinde ſenioribus domus in hæc verba vale dixit:

*Suprema S. Viri ad domeſticos Oratio.*

Filij, & Fratres mei, quos animo impreſſos circuntuli ſemper, & porrò quoque feram, ne dolete de diſceſſu meo; nam fructus hic eſt contêpti propter Deum mundi, ſic poſſe decedere, ſicut me decedere videtis. Quantò minus terræ nobis adhæſerit, tantò melius fuerit, & vt æternæ vitæ potiamur, huius eſt facienda jactura. Vltima nunc imminet mihi vitæ linea; quamobrem pro veſtro ſolatio, maioreque Dei gloriâ, ſecretum quoddam vobis communicabo. Huc vſque pro ſua miſericordia Deus virgineam integritatem, quam ex vtero matris accepi, ſeruare mihi dignatus eſt illibatam.

*Virginitatem laudat.*

Porrò quemadmodum effuſa fuit aduerſus me Dei liberalitas, ita confidite Filij eandem vobis non defuturam, ſed qui quæſtum hunc vult, ſumptum faciat oportet. Opus eſt huic theſauro ſeruando, vigiliis, precibus, & familiaris cum mulieribus congreſſus fugâ. Nullus integritatem ſuam periculo committat; quæuis occaſio ſatis eſſe poteſt ad hanc corrumpendam; nulla maior eſt negligentia ſine ſecuritate, quæ propriæ, aut alienæ virtutis confidentiâ fundatur. Venerabile, ſanctumque caſtitatis nomen, eſt inſtar vitæ, quæquæ vix amiſſa, & facillimè amittitur, nec vllo poteſt modo recuperari.

*Sepulturā inter defunctos fratres expetit.*

Hinc eos ad amorem Dei, regularumque obſeruantiam, & Ordinis incrementum ſuauibus, ardentibus, & cæleſtibus quodammodo verbis, tanquam verus pater à ſuis filiis auellendus, adhortatus, inſuper precatus eſt, vt ad ſuorum fratrum iam defunctorum pedes ſe ſe tumularent.

ET quamuis arcanum de virginea integritate ſua, rectiſſimo fine, ſoliuſque diuini honoris, & filiorum ſuorum cautelæ causâ, nullâ vanæ gloriæ cupiditate ductus, manifeſtaſſet; nihilominus hanc arcani ſui reuelationem, ſibi poſtea religioni duxit, accitoque Monaſterij præſide, culpam faſſus eſt, haut aliter ac ſi grauiſſimo ſe crimine impiaſſet. Tanta fuit eius conſcientiæ puritas, & verborum cautela.

*Eius humilitas, & prudentia.*

Hinc cùm ſibi SS. Euchariſtiæ viaticum, & Vnctionis extremæ Sacramentum petiiſſet afferri, vtraque ſingulari pietatis affectu percepit, ſic vt ipſemet Sacerdoti reſponderet, & cum Religioſis præſentibus Pſalmos pro ſolemni Eccleſiæ ritu, morituris dici ſolitos diſtinctè pronuntiaret. Itaque cùm circumſtantes eius filij tenere lachrymas nequirent, etiam ipſe vbertim fleuit, & quàm ſuos diligeret, ſignificauit. Denique eos conſolatus, maiuſque ab ſe mortuo, quàm viuo præſidium expectare iuſſos, Domino commendauit. Hinc cùm fraternum amorem, ſummiſſionem voluntariam, Euangelicamque pauperiem identidem inculcaſſet, iuſſit eos incipere officium, quod agonizantibus, & morti colluctantibus recitari ſolet. Illis imperata S. Patris exe-

*Moritur.*

*exequentibus, ſub illa verba:* Subuenite Sancti Dei, occurrite Angeli Domini, ſuſcipientes animam eius, offerentes eam in conſpectu Altiſſimi; *animus cuſtodiâ corporis abſolutus, ab Angelis eſt in cœlum, ad quietem ſublatus æternam.* Die VI. Auguſti, *Anno Domini* M. CC. XXI. *Feria VI. Ætatis anno LI.* Corpus *eius magnâ pompâ ſepultum, cuius exequiis præſens affuit Cardinalis* Hugolinus, *Pontificis Legatus, intimus eius amicus, qui funeribus ſacris operatus, ſuis ſacrum cadauer manibus intulit ſepulchro, quod in Eccleſiæ pauimento, quemadmodum S. Vir imperarat viuens, Religioſi fratres eius effoderant. Adſuit etiam Aquileienſis Patriarcha, multi Archiepiſcopi, & Epiſcopi, aliqui Præſules, & innumera ciuium frequentia, quæ funus eius honeſtatura, & ſuffragantibus eiuſdem meritis diuinos fauores impetratura, confluxerat. Deus igitur ſui famuli gloriam declaraturus, illius patrocinio ſuffragante, multa mira patrauit, omnique ægritudine ad eius monumentum confluentes, liberauit, & ſub idem tempus quanta eſſet eius in cœlo gloria, quam viuus meruerat, ſuis quibuſdam ſeruis reuelauit. His ergo cœli teſtimoniis, & à ſpiritu, nouoque feruore, quem S. Pater eis cœlo dimiſit, filij eius abſentiam ſolati ſunt, & adeò ad imitanda eius veſtigia, totiſque viribus Deo ſeruiendum ſunt inflammati, quaſi tunc primùm cœpiſſent. Poſtea* S. DOMINICI Corpus *alij monumento magis honorifico Anno* M. CC. XXXIII. *Pontificatus* Gregorij IX. *Papæ*, VI. *fuit tranſlatum, & ab eodem, Anno eius Pontificatus* VIII. *in Sanctorum numerum* V. Kalend. Septembris, *relatus eſt S. Patriarcha, cuius Diem feſtum conſignauit* Nonis Auguſti, *& poſtmodum* Paulus IV. *Pont. Maximus, eius memoriam, quod* Quintum Diem *ſolemnitas* S. Mariæ ad Niues *ſibi vindicauit*, Pridie Nonas Auguſti *agi præcepit. Fuit* B. DOMINICVS *mediocri ſtaturâ, corpore venuſto, facie oblongâ, & aquilâ; barbâ ſubrubeâ; vultu candido; vertice, mentoque canis aſperſo; capillo raro, ſine tamen caluitiei veſtigio; voce clarâ, diſtinctâ, & ſonorâ, nihilque faſtidij auditoribus afferente; infirmâ corporis, quod voluntario, pioque rigore attriuerat, conſtitutione; annis diſſimili; oculis, vultuque quidam quaſi radij promicabant, qui apud auditores, eoſque quibus cum verſabatur, auctoritatem conciliabant. Eius denique virtutum inſignia, miraculorum facinora recenſere, haut poterit humana ſedulitas, ideo ſub ſilentio mittere, quam in medio itineris retrocedere, congruum erit, laudes agentes Deo Patri, qui talem ſeruum conſtituit; qui cum Filio, & Spiritu ſancto viuit & regnat in ſecula Amen.*

*Sepelitur.*

*Miraculis illuſtratur.*

*Refertur in Albo Sanctorū.*

*S. Dominici forma, & ſtatura.*

HÆC ſunt S. P. DOMINICI Acta ſummariſſima, pleniora deſcripſit *Laurentius Surius* ex Theodorico de Apoldia, & *F. Thomas Maluenda* per annos vitæ S. Patriarchæ in *Tom.* I. *Annal. S. Dominic.* vbi omnia, quæ ad vitæ Noſtri Sanctiſſimi Patriarchæ cognitionem, & virtutum, miraculorumque relationem ſpectant; felici calamo deſcribuntur. Hic aliqua à Nobis exquirenda, & abſoluenda veniunt, quæ in *Hiſpaniæ* Noſtræ honorificentiam, & ſplendorem emanant. PRIMVM ſit, circa Diploma, quod diximus *Honorium* III. Pont. Max. *Segobienſibus*, & *Madridenſibus* Ciuibus dimiſiſſe, ob charitatem, quâ S. DOMINICVM harum vrbium accolæ recepere, cuius talis eſt ſeries:

*Honorius Papa ſcribit ad Madridenſes, & Segobienſes Ciues.*

## *HONORIVS EPISCOPVS, SERVVS Seruorum Dei, Dilectis filiis, totique Populo Madridij ſalut. & Apoſtol. Benedict.*

*Gratum, acceptumque Nobis fuit intelligere, dilectos nobis filios Fratres Ordinis Prædicatorum*, Madridij *habitantes à vobis exceptos in viſceribus charitatis, & officiis pietatis laudabiliter adiutos, in quo cognoſcimus vos rem facere gratiſſimam Deo. Namque inter opera bona, quibus ei famulamur, vix aliud reperire ſit ei gratius, quàm miſericorditer eis ſuccurrere, qui quòd hominum ſalutem ſitiant, hilariter aquam colligunt de fontibus Saluatoris, vt*



*vt in plateis eam diuidant, non tantummodò ad animarum ſitientium ſatietatem, ſed etiam vt ſit remedium infirmis mentibus aduerſus venena. Et vt melius cognoſcatis affectum noſtrum ſyncerum erga prædictos fratres, volumus Nos omnes rogare, & exhortari, & per Apoſtolicas literas imperare, vt quemadmodum laudabiliter cœpiſtis, ſic ob noſtri, Sediſque Apoſtolicæ reuerentiam, magis etiam eos adiuuetis, vt Deum vobis propitium reddatis, noſque obligetis, vt ſimus erga vos magis beneuoli, & benigni. Dat. Viterbij* XIII. *Kalend. April. Pontificatus Noſtri Anno* IV. *Chriſti* M.CC.XX.

Aliam ſimilem *Bullam* idem Pontifex ad *Segobienſes* deſtinauit, vt notarunt P. F. Ferdinandus Caſtillo *Hiſtor. Prædicat. lib.* 1. *c.*41. Maluenda in *Annal. Tom.* 1. *Ann.* 1220. *c.*9. *fol.*295. qui alias Bullas ſimiles ab eodem Pontifice *Tarraconenſi* Archiepiſcopo, Ciuibus *Maioricenſibus*, & aliis expeditas, refert.

SECVNDVM, cur *Hiſpaniæ Prouincia*, cùm ſit *Toloſanâ* recentior, *primatum* Ordinis totius in Generalibus Capitulis, & aliis actibus habeat. Hoc quæſitum mouet idem Maluenda *Ann.* 1221. *c.*6. *fol.*333. *col.* 1. cui in hæc verba reſpondet: *Aliam rationem* Primatus *diſcernere non potuimus, niſi quod exiſtimamus delatum id honori* S. P. DOMINICI, *quòd ipſe in ea prouincia* Hiſpaniæ *natus, eandem ſingulari proſequeretur amore.* Quæ ſanè ratio mihi admodum placet.

*Cur Prouincia Hiſpaniæ Primatum teneat in Ordine Prædicatorum?*

TERTIVM, quare S. DOMINICO tribuitur *S. Inquiſitionis* aduerſus hæreticam prauitatem munus *Inquiſitoris* in Orbe *primi*, ſi vt ipſe S. Pater fatetur in formulis, quibus vtebatur, quando hæreticum aliquem conuerſum pœnitentiâ donatum dimittebat, in ipſis dicens. *Vniuerſis Chriſti fidelibus ad quos præſentes litteræ peruenerint*, F. DOMINICVS *Vxamenſis Canonicus, Prædicator minimus ſalutem in Chriſto. Auctoritate Domini* Abbatis Ciſtercienſis, *Apoſtolicæ Sedis Legati, qui hoc nobis iniunxit officium, reconciliamus præſentium latorem*, &c. ergo *Abbas* ille *Ciſtercienſis* Apoſtolicus Legatus, cuius ipſe DOMINICVS vices gerebat, primùm à Sede Apoſtolica *Inquiſitor* deſignatus creditur, quàm *S. Patriarcha?* Huic difficultati ſuccurritur atteſtatione *Sixti* V. Pont. Max. in Diplomate inſtitutionis feſti *S. Petri Martyris*, Ordinis Prædicatorum alumni, dato *Idibus Aprilis* Anno 1586. vbi S. DOMINICVM *Inquiſitorem* Primum hiſce nominat verbis: *Is enim præclarus* (S. Petrus Martyr) *Ordinis Prædicatorum alumnus, imitatione accenſus* B. P. DOMINICI, *vt ille perpetuis & concionibus, & diſputationum congreſſibus, Officioque* Inquiſitionis, *quod ei primum prædeceſſores Noſtri* Innocentius III. & Honorius III. *commiſerant contra hæreticos, mirabiliter ſe geſſit: ita ipſe cùm nullum his perditionis filiis locum mouendis in omni ſermone vnquam reliquiſſet, tùm in obeundo Inquiſitionis munere, ſibi literis Apoſtolicis commiſſo.* &c. ex quibus verbis nihil erit quod diſceptetur, cum ex ore Pontificis Summi veritas agnoſcatur, cuius auctoritati aliquid opponere religio foret. Vt vt ſit, ſi in contrarium adducta perlegere Lector eruditus, haut inficianda, deſiderat, adeat Eruditiſſimum D. F. Angelum Manrrique in *Annal. Ciſtercienſ. Tom.* 3. *Ann.* 1204. *c.* 3. *à num.* 1. *& ſeqq. fol.* 420. Vnum hic aſſerere placet in *Ordinis Prædicatorum* magnitudinem, quòd à tempore, quo *S. Inquiſitionis* inſtitutum in Hiſpaniæ Regnis cœpit exoriri, ſemper iuridictio hæc Apoſtolica aduerſus hæreticos penes *Patres Prædicatores*, tamquam in ſuo ordine radicata prorſus extitit, vt ex *Catalog. Inquiſitor.* ſupra à me recenſito *Tom. II. Die XXIX. April. fol.* 823. continetur, & patet. Hinc in huius antiquitatis obſeruantiam mos inueteratus increbuit, quòd in Supremo S. G. Inquiſitionis Conſilio, vbi Generalis Inquiſitor non eſt de familia Prædicatorum, vnus ex eadem alumnus Conſiliarij in hocce admitatur Prætorio, vt ſæpe obſeruatum vidimus, & nunc in R. P. N. F. IOANNE MARTINEZ, Philippi IV. Regis Catholici Confeſſario, literis, & virtutibus eruditiſſimo, qui ex Prædicatorum ordine alumnus integritatis, prudentiæ, & doctrinæ apicibus onuſtus huius muneris infulam tenet.

*An fuerit Primus Inquiſitor aduerſus hæreticos?*

*Ciſtercienſium opinio ſūmariè refertur.*

*Prædicatores olim in Hiſpania Inquiſitores.*

*Et hodie vnus in Supremo Cōſilio admittitur.*

QVARTVM, vt quid, ſi hocce *S. Inquiſitionis* miniſterium in *Hiſpania* S. DOMINICO primæuo *Inquiſitori* conceditur, & eius inclyto Ordini, Miniſtri huius S. Officij S. Petrum Martyrem eiuſdem familiæ alumnum, patronum elegerunt, omiſſo DOMINICO, cui tanquam huius inſtituti Auctori faſces ſubmittere debuerunt.

*Cur tutela Officialium S. Inquiſitionis, non tribuatur Dominico?*

buerunt? Hinc Quæſtiunculæ fecimus ſatis ſupra *d. Tom. 2. Die XXIX. April. fol.* 816. in princip. dicentes hoc factum fuiſſe, vt credimus, & quia *S. Petrus*, Primus inter *Inquiſitores* agnoſcitur *Martyr* munus ſui officij excercens: vel quia primus fuit Martyr ab Eccleſia Catholica Romana ex *Inquiſitoribus* in Sanctorum catalogo renunciatus.

*Officium in Hiſpania.*

His ſic delibatis, poſt S. DOMINICI canonizationem, quam *Gregorius* IX. Pont. Max. V. *Kalend. Septembris Pontificatus ſui Anno* VIII. *Chriſti* M. CC.XXXV. fecit ſolemniter, vt ex Bulla patet, quam ad literam refert Laurent. Sur. *Tom. 4. h. d. fol.* 120 & alij huius familiæ Scriptores; illico per totas *Haſpaniarum* Prouincias, earúmque Eccleſias Officium *Duplex* recitari cœpit, vt ex omnibus *Breuiariis* antiquis liquido pateſcit, in quibus ſequentes Hymni.

### HYMNVS I. ad Veſperas.

*GAVDE Mater Eccleſia,*
*Lætam agens memoriam;*
*Quæ nouæ prolis gaudia,*
*Mittis ad cœli curiam.*
*Prædicatorum Ordinis*
*Dux, & Pater* DOMINICVS,
*Mundi iam fulget terminis,*
*Cuius effectus cœlicus.*
*Carnis liber ergaſtulo,*
*Cœli potitur gloriâ:*
*Pro paupertatis cingulo,*
*Stolâ dotatur Regiâ.*
*Fragrans odor de tumulo,*
*Cum virtutum frequentia,*
*Clamant pro Chriſti famulo*
*Summi Regis magnalia.*

### HYMNVS II. ad Matutinum.

*NOvus Athleta Domini*
*Collaudetur* DOMINICVS,
*Quo rem conformat nomini*
*Vir factus Euangelicus.*
*Conſeruans ſine macula*
*Virginitatis lilium,*
*Ardebat quaſi facula*
*Pro zelo pereuntium.*
*Mundum calcans ſub pedibus,*
*Manum miſit ad fortia,*
*Nudus occurrens hoſtibus*
*Chriſti ſuffultus gratiâ.*

*Pugnat*



*Pugnat verbo, miraculis;*
*Miſſis per Orbem fratribus,*
*Crebros adiungens ſedulis*
*Fletus Orationibus.*

### HYMNVS III. ad Laudes.

*HYmnum nouæ lætitiæ*
*Dulci productum cantico*
*Noſter depromat hodie*
*Chorus Sancto* DOMINICO.
*Vergente mundi veſpere,*
*Nouum ſydus exoritur,*
*Et clauſis culpæ carcere*
*Præco ſalutis mittitur.*
*Doctrinam Euangelicam*
*Spargens per Orbis cardinem,*
*Peſtem fugat hæreticam,*
*Nouum producens Ordinem.*
*Hic eſt fons ille modicus,*
*Creſcens in flumen maximum,*
*Qui Mundo iam mirificus*
*Potum largitur optimum.*
*Trino Deo & ſimplici*
*Laus, honor, virtus, gloria,*
*Qui nos prece* DOMINICI
*Ducat ad cœli gaudia. Amen.*

Sic terminantur, omnes *Tres Hymni*, quos in aliquot *Breuiariis* reperimus *Hiſpanicis*, in quibus Lectiones, & Reſponſoria, nec non Antiphonæ ex vitæ actis deſumptæ recitantur.

*Monaſteria Monialium in Hiſpania quot?*

HABET & Hiſpania plures huius Ordinis *Conuentus* tum Sanctimonialium Virginum, qui omnes ad C. XXVIII. pertingunt, quorum Catalogum excribere prolixum erit; tum Fratrum, quorum Catalogum ex inſtituto hic ſubiicere decreuimus.

## *CATALOGVS MONASTERIORVM Ordinis S. Dominici per Hiſpanias extructorum Chronologicè.*

### PROVINCIA CASTELLÆ.

I. Monaſterium SEGOBIENSE à S. Patriarcha conditum, Anno M. CC. XIX. quod poſtmodum renouarunt Reges Catholici Anno M.CCCC LXXX. 1219

II. PALENTINVM, titulo S. Pauli ab ipſo S. Patriarcha extructum

ad Annum M. CC. XIX. Quod Rex Alphonſus I V. reædificauit, & ſibi Patronatum aſſumpſit Anno M. CC. LXXXIX. quem poſtea Patronatum Reges Caſtellæ Marchionibus de Poza ceſſerunt. 1219

III. ZAMORENSE S. Paulo dicatum, etiam ab ipſo S. Patre erectum, & conditum ad Annum M. CC. X I X. quod hodie *S. Dominici* titulo decoratur. 1219

IV. COMPOSTELLANVM, quod etiam fuit fundatum aſſiſtente B. Patre ad Annum M. CC. XIX. cui hodie dicatum extat. 1219

V. TOLETANVM, S. Paulo ſacrum, à Berengaria Caſtellæ, & Legionis Regina conditum, Anno M. CC. XX. quod poſtmodùm Fernandus Argoniæ Infans, Ioannis II. Caſtellæ Regis in alium locum tranſtulit, & S. Petro Martyri huius familiæ Prædicatorum dicauit, Anno M. CCCC. V I. 1220

VI. BVRGENSE, titulo S. Pauli condecoratum, quod ipſe Ordo conſtruxit ad Annum M. CC. XXIV. poſt illud renouauit Ferdinandus Rex, & eius Mater ad Annum M. CCC. IX. Hîc ſepultus Burgenſis iacet. 1224

VII. SALMANTICENSE, S. Stephano Protho-Martyri dicatum, quod Regum Caſtellæ Ferdinandi cognomento Sancti, & Alphonſi cognomento Sapientis eius filij auſpiciis ipſa Religio conſtruxit, Anno M. CC. XXVII. 1227

VIII. PAMPILONENSE, S. Iacobo Hiſpaniarum Apoſtolo ſacrum, à Theobaldo II. Nauarræ Rege conditum Anno M. CC.LX. 1260

IX. LEGIONENSE, à Rege Alphonſo X. extructum ad Annum Domini M.CC. LXI. quod in perfectionem redegit Sanctius Rex, Maior cuius Monaſterij Cappellia Regum munificentiâ Marchionibus de Toral paret. 1261

X. CIVITATENSE, quod hodie *S. Dominici* titulo decoratur, illud ipſe Ordo conſtruxit Anno M. CC. LXII. cuius Maiorem Capellam Marchioni del Aquila D.Didaço de Silua conceſſit. 1262

XI. STELLENSE, quod hodie *S. Dominici* nomini ſacrum extat, illud Theobaldus II. condidit, Anno M. CC. LXIV. in Nauarra. 1264

XII. SANGVESENSE, S. Dominico dicatum, quod Carolus I. Nauarræ Rex conſtruxit, Anno M.CC.LXX. 1270

XIII. TAVRENSE, S. Ildephonſo dicatum, quod Regina Maria Alfonſi Regis vxor ædificauit Anno M. CC. LXXV. Hîc Prouincia congregat Capitula. 1275

XIV. VALLESOLETANVM, S. Pauli patrocinio ſubmiſſum, illud Violantis Reginæ munificentiâ conditum Anno M. CC. LXXVI. Poſtmodum Philippi III. Regis Catholici beneficio, Cardinalis-Dux Lermæ Capellæ Maioris poſſeſſionem obtinuit Anno M.DC. XVIII. 1276

XV. BENEVENTANVM, S. Dominici nomini dicatum, illud Sanctius huius nominis V. Rex Caſtellæ primùm erexit Anno M. CC. LXXVI. poſt Marchionibus Auſturicenſibus Patronatum Reges dedere, Oppidum verò Comitibus Beneuentanis. 1276

XVI. VICTORIENSE, S. Dominico ſacrum, quod Sanctius Nauarræ Rex Anno M. CC. LXXVI. conſtruxit. 1276

XVII. RIPADAVIENSE in Gallæcia S. Dominico dicatum, quod ipſa Religionis charitas ædificauit Anno M. CC. XCVIII. 1298

XVIII. CORVNIENSE in Gallæcia S. Dominici ſub tutela, à Religione Anno M. CCC. conditum extra vrbis mœnia, ſed Anglorum hæreticorum excidio periit, donec Philippus III. Rex Catholicus illud Anno M. DC. intra vrbem conſtruere iuſſit. 1300

XIX. FORTIGOSENSE in Gallæcia, S. Marthæ dicatum, illud conſtruxit Religio ad Annum M. CCC. II. 1302





XX. PENAFIDELENSE, S. Pauli nomine munitum, illud Infans Emanuel Ferdinandi Sancti nepos extruxit Anno M. CCC. XVIII. 1318

XXI. VALENTINVM cognomento D. Ioannis, S. Domino ſacrum, condidit D. Ioãnes Infans Sanctij Regis Caſtellæ filius Anno M CC. XIX. 1319

XXII. LVCENSE in Gallæcia, quod eadem ipſa Religio conſtruxit, & S. Dominici auſpiciis, & nomini dicauit ad Annum M.CCC.XIX 1319

XXIII. TVDENSE, in Gallæcia, quod etiam Prædicatorum Ordo à fundamentis erexit, & S. Dominico dicauit Anno M. CCC. XXX. 1330

XXIV. PONTEVEDRENSE in Gallæcia, S. Dominico ſacrum, & ab Religioſorum Ordinis diſpoſitione conſtructum Anno M.CCC.XLV. 1345

XXV. PETRAFITENSE, S Dominici ſub tutela cõſtructũ, quod Dynaſtæ Domus Toleti, poſtea Albæ Duces ædificarũt Anno M.CCC.LXX. 1370

XXVI. VIVARIENSE, S. Dominico ſacrum, quod decreto Prouincialis Ordinis eſt conditum Anno M. CCC. XCIII. 1393

XXVII. METINENSE Camporũ S. Andreæ titulo decoratum, illud Ioannes I. Rex Caſtellæ à fundamentis erexit, Anno M. CCC. XCIII. 1393

XXVIII. VILLANOVENSE, ſub B. V. MARIÆ tutela fundatum à Regibus Caſtellæ Henrico III. & Catherina cõiuge Anno M. CCCC. II. 1402

XXIX. VILLALONENSE, S. Dominico dicatum, & ab Infantibus Caſtellæ Ferdinando, & Eleonora conſtructum Anno M. CCCC. II. 1402

XXX. HVETENSE, S. Dominico ſacrum, quod Religionis placito, & expenſis extructum fuit Anno M. CCCC. XXV. 1425

XXXI. TORDESILLENSE, B. MARIÆ nomini dicatum, quod Ioannes II Caſtellæ Rex ædificauit Anno M. CCCCXXXII. 1432

XXXII. QVINCALTARENSE cognomento *de Roias*, B. Deiparæ ſacrum, quod conſtruxere Lupus, & Sanctia de Roxas fratres Anno M. CCCC. XXXV. 1435

XXXIII. PINAFRANCIENSE, V. Matri dicatum, quod Ioannes II. Religioſis Fratribus conceſſit, cùm antea Eremitorium eſſet, Anno M CCCC. XXXVII. 1437

XXXIV. VALLITVRRIVM prope Complutum, D.N. Angelorum nomini ſacrũ, quod Religionis cœtus erexit Anno M. CCCC. XXXVII poſtea eius reddituſ Põtifex Collegio S. Thomæ Cõplutenſi cõſignauit. 1437

XXXV. S. PETRI DOMINARVM in diœceſi Segobienſi, quod D. Lupus cognomento Barrientos conſtruxit Anno M. CCCC. XLII. 1442

XXXVI. VERENSE in diœceſi Placentina, S. Catherinæ dicatum, quò Equites deuoti conuenerunt, & ſub regula Tertij Ordinis S. Dominici militarunt ad Annum M. CCCC. XLV. Qui ſubditi Placentino Præſuli fuere ad Annum vſque M. D. XV. quò Apoſtolicâ auctoritate compulſi Prædicatorum Ordini faſces ſubdidere. Huius Monaſterij Patronatum tenent Duces Albæ. 1445

XXXVII. VALDVERNENSE in diœceſi Aſturicenſi, S. Spiritus titulo decoratum, quod extruere Ioannes Bazan, & eius vxor Oppidi Dynaſtæ Anno M. CCCC. LXI. 1461

XXXVIII. MONTENSE in diœceſi Legionẽſi, S. Iuliano dicatũ, quod D. Alfõſus Alfõſi de Melgar Oppidi Dominus cõdidit Ann. M. CCCC. LXI. 1461

XXXIX. PLACENTINVM, S. Vincentio Ferrer ſacrum, quod Aluarus Stunica & Eleonora Pimentel coniuges, Duces Placentiæ conſtruxere Anno M. CCCC. LXIV. 1464

XL. TRVXILLENSE, Dominicæ Incarnationi ſignatum, & à Religionis Patribus erectum, Anno M. CCCC. LXVI. 1466

XLI. ATARCENSE in diœceſi Aſturicenſi S. Petro, poſt S. Auguſtino dicatum, quod D. Petrus Bazan Mercenariis fratribus, poſt Prædicatoribus conſtruit, ad Annum Domini M. CCCC. LXVI. 1466

XLII. BABYLENSE ſic dictum, quia S. Babylæo extat ſacratum, quod Caſtellæ Ammirali conſtruxere Anno M. CCCC. LXVI. 1466

XLIII. CISNERENSE, S. Catherinæ Martyri dicatum, ab Equitibus domus de Figueroa Comitum Feriæ Anno M. CCCC. LXVII. extructum. 1467

XLIV. ASTVRICENSE, S. Dictini huius vrbis Epiſcopi titulo decoratum, & à D. Petro Aluarez Orozco eius Marchione Anno M.CCCC. LXXX. conditum. 1480

XLV. ABVLENSE, S. Thomæ de Aquino titulatum, à Catholicis Regibus Ferdinando, & Eliſabetha fundatum Anno M. CCCC. LXXXII. 1482

XLVI. SALICENSE quod à Gallæcis vocant, S. Ioanni Lateranenſi ſacrũ, quòd quidem Felix nomine conſtruxit Anno M.CCCC.LXXXIV. 1484

XLVII. VILLADENSE, S. Dominico dicatum, quod D. Henricus Henrrici Magnus Legionis Commendatarius, & D. Maria de Lara coniuges ad Annum Domini M. CCCC. LXXXVIII. à fundamentis erexere. 1488

XLVIII. CARBONERENSE, S. Cruci Domini ſacrum, quod D. Andreas de Calreſa, & D. Beatrix Bobadilli primi Marchiones Moienſes Anno M. D. IV. condidere. 1504

XLIX. TRIANENSE, S. MARIÆ dicatum, primum Canonicis Regularibus conditum à Regibus Caſtellæ, poſt Prædicatoribus datum Anno M.D.XXI. 1521

L. GVADALFAXARENSE, S. Dominici nomine decoratum, quod prius in vico Benhalaque extitit exructum Anno M. D. XXI. 1521

LI. VALLESOLETANVM Collegium, S. Gregorio ſignatum, & à F. Alfonſo de Vargas Regum Catholicorum Confeſſario cœptum, Anno M.CCCC.XCVII. & tandem Anno M.D.XXI. perfectum. 1521

LII. TALABRICENSE, S. Geneſio dicatum, quod F. Ioannes Hurtado Caroli V. Imperatoris Confeſſarius extruxit, Anno M.D.XXIII. 1523

LIII. MOMBELTRANENSE, B V. Mariæ ſacrum, quod F. Petrus de Areonada, ſocius F. Ioannis Hurtado ædificauit, Anno M. D. XXIII. 1523

LIV. OVETENSE, S. Dominici titulo condecoratum, quod F. Paulus Legionenſis Anno M. D. XXIII. condidit. 1523

LV. MADRIDENSE, Deiparæ Virginis Antiochienſis nomine illuſtre, à F. Ioanne Hurtado cœptum, & à D. Guterio Epiſcopo Placentino perfectum, Anno M. D. XXV. 1525

LVI. CONCHENSE, S. Paulo inſcriptum, quod illius S. Eccleſiæ Canonicus Ioannes del Pozo Anno M. D. XXV. erexit. 1525

LVII. COMPLVTENSE Collegium, S. Thomæ Aquinati ſignatum, quod D. Carolus de Mendoza S. E. Toletanæ Decanus extruxit Anno M. D. XXIX. & poſtea D. Garſias Loayſa Toletanus Antiſtes Anno M. D. LII. reparauit. 1529

LVIII. OCANNIENSE, S. Dominico titulatum, quod F. Ioannes Hurtado ad Annum M. D. LII. conſtruxit. 1552

LIX. CARRIONENSE, S. Dominico ſacrum, quod ex Patrum Religionis huius decreto conſtructum extitit, Anno M.D. LII. 1552

LX. CACERENSE Virgini Matri ſacrum, quod D. Catherina de Saauedra Anno M. D. LII. condidit. 1552

LXI. GALISTEENSE, quod Fons-Sanctus dicitur, illudque conſtruxere Fernandus Manrriquius, & D. Maria de Luna Oppidi Comites, Anno M. D. LIII. 1553

LXII. SANSEBASTIANENSE, S. Petro Telmo dicatum, quod D. Alfonſus Idiaquez, & D. Thereſia Zauala coniuges Anno M. D. LIII. condidere. 1553

LXIII. VILLASCVSENSE, S. Cruci Domini titulatum, quod D. Sebaſtianus Ramirez ædificauit Anno M. D. LIV. 1554

LXIV. Fi-



LXIV. FITENSE Dei Matris nomine decoratum, quod D. Geloyra de Mendoza Anno M. D. LIV. à fundamentis erexit. 1554

LXV. TAVARENSE, Ieſu, & Mariæ nominibus ſacrum, quod Marchiones de Tauara D. Bernardinus Pimentel Anno M. D.LV. fundauere. 1555

LXVI. ARANDENSE ad litus fluminis Durij, S. Spiritus titulo inſignitum, quod D. Petrus de Acoſta Epiſcopus Vxamẽſis Ann. M.D.LV. cõdidit. 1555

LXVII. METINENSE ad fluentem fluminis Sicci, S. Petro Martyri dicatum, à F. Thoma de Berlanga in Indiis Panamaẽnſi Epiſcopo Anno M. D. LVI. erectum. 1556

LXVIII. TVTELENSE in Nauarra Dominæ Noſtræ ſacrum, conditum à F. Antonio de Amaya, Apoſtolico Inquiſitore, Anno M.D.LVI. 1556

LXIX. MONFORTENSE in Gallæcia, Purificationi Virginis titulatum, à F. Alfonſo Arias S. Officij Commiſſario Anno M. D.LX. extructũ. 1560

LXX. SANSATVRNINENSE in Gallæcia, D.N. de Roſario inſignitum, à D. Petro de Andrade fundatum Anno M. D. LXIX. 1569

LXXI. SORIENSE, S. Dominici auſpiciis erectum à D. Bertrando Coronel Scholaſtico Vxamenſi Anno M.D. LXXIII. 1573

LXXII. VILLALPANDENSE, S. Dominico attitulatum, quod Religionis ſedulitas Anno M.D.LXXIII erexit, & poſt aliò tranſlatum eſt. 1573

LXXIII. EMERITENSE, S. Andreæ dicatum, quod D. Gundiſaluus de Vargas Anno M.D.LXXIII. conſtruxit. 1573

LXXIV. COMPLVTENSE, Matris Dei nomini ſacrum, quod D. Maria de Mendoza ſoror Principis Melitenſis Anno M.D. LXXIII. fundauit. 1573

LXXV. MADRIDENSE Collegium, S. Thomæ Aquinati dicatum, quod Bachalaureus *Santodomingo* ſic appellatus erexit Anno M. D. LXXXIV. poſtea *Comes Dux Oliuarenſis* annuos redditus ad reædificationem donauit Anno Domini M.DC. XXX. 1584

LXXVI. HYPPONENSE, S. Antonino ſacratum, quod Alfonſus de Arnalte, & D. Petronilla de Chaues, Anno M.D.LXXXVII. erexit. 1587

LXXVII. AZPEITIENSE in Nauarra, conditum à Ioanne de Arriaga, & D. Magdalena de Arrſan, Anno M. D. XCI. 1591

LXXVIII. MADRILEGENSE, S. Hyacintho attitulatum, à Doctore Lazaro Fernandez Anno M. D. XCI. extructum. 1591

LXXIX. SANTILLANENSE, Reginæ Cœli nomini decoratum, ab Alfonſo Velarde Hidalgo erectum Anno M. D. XCI. 1591

LXXX. AGENSE, S. Dominici nomine compellatum, ab Alfonſo Camino, & D. Luyſia Bonifaz fundatum, Anno M.D.XCV. 1595

LXXXI. POTENSE, S. Raymundo ſacrum, in Regno Legionenſi, ab Oppidanis Potenſibus conditum Anno M.D.XCVI. 1596

LXXXII. CALDENSE in Montanis, Dominæ Noſtræ dicatum, & ab ipſa Religione à fundamentis extructum, Anno M.DC. 1600

LXXXIII. VALVERDENSE prope Madridium, Matri Virgini dictum, quod Ioannes Roderici de Velaſco, Adiutor Cameræ Philippi II. Regis Catholici, Anno M. DC. à fundamentis conſtruxit. 1600

LXXXIV. MADRIDENSE quod à *Roſario* vocitant, primum pro Sanctimonialibus S. Franciſci Capuccinis à D. Octauio Centurione Marchione Monaſterienſi conditum, ſed Monialium dimiſſione, Prædicatoribus donatum Anno M. DC. XLIII. 1643

LXXXV. AVRIENSE in Gallæcia, S. Dominico ſacrum, quod ex Patrum ipſius Religionis aſſenſu, ab ipſis conditum eſt Anno M.DC.XLIII. 1643

LXXXVI. MADRIDENSE, quod Dominicæ Paſſionis nomine decoratum extitit, & ad Annum M. DC. XLIII. fundatum, auſpiciis R.P.F. Ioannis Martinez Regij Confeſſarij, & S.G. Inquiſitionis Conſilij Senatoris. 1643

## PROVINCIA BÆTICA.

I. Cordvbense, S. Paulo dicatum, quod S. Rex Ferdinandus Anno Domini M.CCXXXIII. conſtruxit. 1233

II. Hispalense, S. Paulo ſacrum, quod idem S. Rex Ferdinandus ad Annum M.CC.L. fundauit, & D. Alfonſus Sapiens Anno M. CC. XCIII. reparauit. 1250

III. Astigitanvm, S. Dominici titulo ab ipſa Prædicatorum Religione erectum Anno M.CC.LIII. 1253

IV. Astense, S. Dominico ſignatum, quod Rex Caſtellæ Alfonſus Sapiens conſtruxit ad Annum M.CC.LXII. 1262

V. Mvrciense, ſub S. Dominici tutela conditum à Iacobo Aragoniæ Rege nomine Alfonſi Caſtellæ, Anno M.CC.LXV. 1265

VI. Gienense, S. Catharinæ Martyri titulatum, & à Ioanne I. Caſtellæ Rege Anno M. CCC. LXXXII. conſtructum. 1382

VII. Villamenciense in diœceſi Cordubenſi Virgini Cõſolatrici nomine appellatum, à Didaco Fernandez de Cordoua Caſtellæ Mareſcallo, & Baënæ Domino ad Annum M.CCCC.IX. conditum. 1409

VIII. Asafrense, quod D. Laurentius Suarez de Figueroa, & D. Maria Emanuel eius coniux Comites Ferienſes Anno M.CCCC. XXXII. erexere. 1432

IX. Vrcitanvm, S. Dominico ſacrum, quod Reges Catholici ad Annum Domini M.CCCC. XCI. conſtruxere. 1491

X. Hispalense, quod *Porta Cœli* dicitur, à F. Roderico de Valencia à cõfeſſionibus Henrici IV. Regis, Anno M CCCC. LX. fundatum. 1460

IX. Granatense, S. Crucis Dominicæ titulo decoratum, & à Catholicis Regibus Anno M. CCCC. XCIII. extructum. 1493

XII. Malacitanvm, S. Dominico dicatum, & à Regibus Catholicis à fundamentis Anno M. CCCC. XCIV. compactum. 1494

XIII. Chinchillense, S. Ioanni Baptiſtæ ſacrum, & à Patrum Religionis huius placito erectum Anno M.CCCC.XCVIII. 1498

XIV. Civitatis Regiæ, S. Dominico dicatum, quod Ioannes Roderici de Villa-Real conſtruxit Anno M. CCC. XCIX. 1399

XV. Palmense, S. Dominici titulo decoratum, & à Comitibus illius Oppidi cõditũ Anno M.CCCC. quod poſtea Sãctimonialibus ceſſit. 1400

XVI. Alcaracense, S. Dominico ſacrum, conſtructumque à Moſſen Henrrico Cubeli, Equiti Britano, & Iudice Alcarazenſi Anno. M.CCCC. 1400

XVII. Rondense, S. Petro Martyri dictum, & à D. Ioanne Fernandez de Mendoza fundatum Anno M. CCCC. LXXXVI. 1486

XVIII. Alcalaense, quod à Gazulibus vocitant, S. Dominico ſignatum, & à D. Franciſco Henrriquez de Ribera, Bæticæ Dynaſta Anno M. D.IX. conditum. 1509

XIX. Vbetense, S. Andreæ Apoſtoli nomine inſignitum, & ab Andrea Fernandez à fundamentis erectum Anno M. D.XVI. 1516

XX. Sanlvcarense, quod D. Ioannes Perez de Guzman, cognomento Bonus & D. Anna de Aragon Duces Metynæ Sydoniæ conſtruxere Anno M. D. XXVIII. 1528

XXI. Baenense, Beatæ Virgini Guadalupeæ ſacrum, & à D. Petro Fernandez de Cordoua, ex familia Comitum Egabrienſium Anno M. D. XXX. conditum. 1530

XXII. Gvardiense, S. Mariæ Magdalenæ dicatum, à D. Roderico Mexia Carrillo, & D. Maiore de Fonſeca Comitibus Guardienſibus Anno M.D.XXXVII. erectum. 1537

XXIII. Qvesadense, ſub nomine S. Ioannis Euangeliſtæ, à Ioanne Negrillo peditum duce à fundamentis conſtructum Anno M D.XLII. 1542

XXIV. Cor-



XXIV. Cordvbense, SS. Aciſclo, & Victoriæ Martyribus ſacrum, vbi eius ſacra pignora requieſcunt, primùm illud Moniales poſſederunt, illis abeuntibus, ad Fratres tranſlatum eſt Anno M. D.LIII. 1553

XXV. Egabriense, B. Virginis Conceptioni dicatum, & à Sueſſæ Ducibus Anno M. D. LIII. conſtructum. 1553

XXVI. Oscense in diœceſi Granatenſi, S. Dominico ſignatum, & à Religionis Patribus erectum Anno M. D. LXIX. 1569

XXVII. Lvcenense, S. Petro Martyri ſacrum, & à Ducibus Cardonæ, & Segobricæ ad Annum M.D.LXXIX. fundatum. 1579

XXVIII. Hispalense, Reginæ Angelorum titulo decoratum, & ab Eleonora Manrrique Ayamontis Marchioniſa extructum Anno M. D. LXXX. 1580

XXIX. Cordvbense, titulo *Scala Dei* inſignitum, à F. Aluaro Portugallenſi Ioannis II. Regis Confeſſario fundatum Anno M CCCC. XX. & à F. Ludouico Granatenſi, Anno M.D.XLIV. reparatum. 1420

XXX. Pacense, S. Dominico dicatum, & à Venerabili P. F. Ludouico Granatenſi Anno M. D. LVI. conditum. 1556

XXXI. Beaciense, S. Dominici tutela condecoratum, à Religionis Patribus conſtructum Anno M. D. XXIX. 1529

XXXII. Hispalense Collegiũ, S. Thomæ Aquinatis nomine erectũ à F. Didaco Deza Archiepiſcopo Hiſpalẽſi, Anno M D.XVII. Academia. 1517

XXXIII. Carmonense, quod Religio fundauit Anno M D.XVI. 1516

XXXIV. Avrianense in Africa, S. Dominico ſacrum, & à Carolo V. Imperatore extructum Anno M. D. IX. 1509

XXXV. Lepense, quod Religio fundauit Anno M. D. XVI. 1516

XXXVI. Vrsaonense, quod ex Religionis decreto conſtructum eſt Anno M. D. XX. 1520

XXXVII. Antiqvarense, eodem Anno, & ab ipſa Religione conditum. 1520

XXXVIII. Hispalense, quod *Mons Syon* dicitur à Religione erectum Anno M D XXIV. 1524

XXXIX. Almagrense Collegium, Dominæ Noſtræ ſacrum, & à Clauigero Ordinis Calatrauenſis conſtructum Anno M. D. XXVI. 1526

XL. Archidonense, quod Religio Anno M.D.XXVI. fundauit. 1526

XLI. Zafrense, Incarnationi dicatum, & à Religione extructum M. D. XXVII. 1527

XLII. Vtrerense, quod per hæc tempora à Religione creditur erectũ. 1527

LXIII. Marcionense, cõſtructũ à Ducibus Arcẽſibus, Ann. M.D.XXIV. 1524

XLIV Villanovense, quod infantium appellitant, à Religione ad Annum Domini M D.XXVI. conditum. 1526

XLV. Accitanvm, à Religione Anno M D.XX. conſtructum. 1520

XLVI. Carthaginense, Anno M. D. XXX. fundatum. 1530

XLVII. Iliplense, Anno M. D XXXI. extructum. 1531

XLVIII. Lerenense, Anno M. D XXX. conditum. 1530

XLIX. Gibraleonense, Anno M. D. XXXI. erectum. 1531

Alcalaense Regale, Anno M. D. L. perfectum. 1550

L. Hispalense, S. Hyacinthi nomine ſublimatum, & ad Annum Domini conditum M. DC. 1600

LI. Logense, ad Annum M DC. II. conſtructum. 1602

LII. Gaditanvm, à Religione erectum Anno M. DC. XXVIII. 1628

## PROVINCIA ARAGONIÆ.

I. Barcinonense, S. Catherinæ Martyris titulo conſignatum, quod Epiſcopus D. Berengarius de Paloũ, S. Dominici deuotiſſimus conſtruxit Anno Domini M. CC XIX. qui Religioſos è Bononia traxit. Hoc Monaſterium primùm extitiſſe in S. Iacobo, poſtmodum hic tranſlatum. 1219

II. Cæsar-

II. CÆSARAVGVSTANVM Dominæ Noſtræ ſacrum, quod ex Religioſis à B. P. Dominico Toloſâ miſſis conflatum eſt, cuius erectioni Iacobus Aragoniæ Rex multum detulit, ad Annum M. CC. XIX. 1219

III. ILERDENSE quod conditum fuit Anno M. CC. XXX. Rege Iacobo, & eius coniuge Regina Aragonenſibus, adiuuantibus. 1230

IV. MAIORICENSE, S DOMINICO ſacrum, quod Iacobus Aragoniæ Rex ad Annum M. CC. XXXV. erexit, ob admirabilem victoriam à Mauris partam. Quod poſtmodum Anno M. CC. XCVI. cœpit de nouo conſtrui, inſtante F. Michaele Fabra. 1235

V. VALENTINVM, quod Rex Aragoniæ Iacobus, voto edito, ſi vrbem à Mauris caperet, illud conſtructurus, fundauit Anno M.CC. XXXIX. 1239

VI. PERPINIANENSE, conditum ab ipſo Iacobo Aragonum Rege ad Annum Domini M. CC. XLII. qui leproſorum domum Religioſis tradidit. Hîc adſeruatur MANVS integra S IOANNIS BAPTISTÆ, de qua diximus ſupra Tom. 3. Die XXIV. Iunij fol. 1242

VII. TARRACONENSE, quod dicitur ab ipſa Vrbe fundatum ſuis expenſis ad Annum M. CC. L. 1250

VIII. GERVNDENSE, cuius exordium F. Berengarius Caſtelbi huius ordinis alumnus, & Gerundenſis Epiſcopus ad Annum M. CC.LII. ſuis ſumptibus deuotâ beneuolentia perfecit. 1252

IX. BILBILITANVM, S. Petri Martyris titulo inſigne, primùm extra Vrbis mœnia à Iacobo Aragoniæ Rege Anno M. CC. LIII. conditum, poſtea intra Ciuitatem tranſlatum. 1253

X. OSCENSE in Aragonia, quod fundatorem agnoſcit Alfonſum Primogenitum, & hæredem Iacobi Aragonum Regis, Anno M. CC. LIV. 1254

XI. VRGELLENSE in Cathalonia, conditum fuit à Ciuibus, vt ſuſpicatur, Vrgellenſibus, ad Annum M. CC. LXVI. 1266

XII. PVYGGERDANENSE in Cathalonia, illud condidiſſe fatetur Iacobus Aragoniæ Rex Maioricenſis, Anno M. CC. LXXXVIII eique aliquibus condecoraſſe Reliquiis Sanctorum, videlicet Capite S. Iacobi Minoris; Capite S. Henrici Regis; Linteo, quo fuit inuolutum Baptiſtæ caput; & Tibiâ S. Vrſulæ Martyris. 1288

XIII. CAVCOLIBERITANVM in Cathalonia, quod condidit Iacobus Maioricenſis Aragoniæ Rex, Anno M. CC. XC. 1290

XIV. SETAVITANVM in Regno Valentiæ, quod Anno M. CC. LXXXV. pro Fratribus Auguſtinianis, quos de Pœnitentia vocitabant, primùm erectum; ſed horum religione extinctâ, Honorius IV. Pont. Max. Monaſterium Prædicatoribus tradidit, ad Annum M. CCC. 1300

XV. BALAGVERENSE in Cathalonia, quod Hermengaudius Vrgelenſis Comes à fundamentis Anno M. CCC. XIV. erexit. Quod poſtmodum Ferdinandus I. Aragoniæ Rex ſolo æquauit, dum bellum aduerſus Iacobum Vrgellenſem ageret, & Oppidum potenti militum manu obſideret, quo in poſſeſſionem ſuam recepto, Anno M. CCCC. XIII. illud reparauit. 1314

XVI. CASTELLONENSE in Ampuriis Cathaloniæ, quod D Pontius Hugo Vrbis Comes Anno M. CCC. XVII. conſtruxit. 1317

XVII. MANRESENSE, quod à Ciuibus & accolis Manreſenſibus, ſuis expenſis ad Annum M. CCC. XVIII. conditum eſt. 1318

XVIII. CERVARIENSE in Cathalonia, cuius initia referuntur ad Domini Annum M. CCC. XVIII. 1318

XIX. VILLÆ



XIX. VILLÆ S. MATTHÆI in Regno Valentiæ, quod fundamenta ſuſcepit inſtantiis Petri de Thous Magiſtri Ordinis Monteſæ ad Innocentium VI. Pont. Max. Anno M.CCC.LX. licet poſtmodum reformationi ſubiacuit. 1360

XX. DERTOSANVM in Cathalonia Collegium SS. Georgio, & Dominico ſacrum, quod fuit extructum Anno M. CCC. LXVIII. vbi Cathedra, quæ in Eccleſia Cathedrali erat, Collegio, redacta eſt. 1368

XXI. ALCANNIZENSE in Aragonia, S. Luciæ dicatum, quod Ciues, & Oppidani dato loco Religioſis efflígitarunt, & conditum fuit ad Annum Domini M. CCC. XCVII. 1397

XXII. ORIOLENSE in Regno Valentiæ, quod Eleonora Maſquera primitus Anno Domini M. CCCC. VIII. erexit, poſt D. Ferdinandus Loazes Patriarcha Antiochenus, & Archiepiſcopus Valentinus addito Collegio ſublimauit ad Annum M. D. XLVI. & mirificè dotauit. 1408

XXIII. BENAVARRENSE in Aragonia, Comitatu Ripacurtiæ, quod ipſius Oppidi Benauarrenſis Ciues, & accolæ in Eccleſia S. Mariæ de Linares vbi olim fuerat Cœnobium Benedictinorum aſcetarum, Anno M. CCCC. XIII. condiderunt, probantibus Benedicto XIII. & D. Alfonſo Aragoniæ Gandienſi Duce, & Ripacurtiæ Comite. 1413

XXIV. LVCHENTENSE in Regno Valentiæ, quod D. Maria de Vidauia Luchentenſis Oppidi Domina à fundamentis extruxit, ob miraculum S. Crucis coruſcantis ad Puig del Codoll è cœlo apparentis, & locum, quo eſſet conſtruendum Monaſterium deſignantis ad Annum M. CCCC. XXII. 1422

XXV. S. ONVPHRII in Regno Valentiæ, quod Franciſcus Menguer condidit, iubente S. Onuphrio, qui homini apparuit, & locum illud deſignauit, quo Prædicatorum fratrum Monaſterium ſuo nomini dicatum conſtrueret, vt fuit factum Anno CCCC. XL. 1440

XXVI. GOTORENSE in Aragonia, Dominæ Noſtræ Conſolatricis titulo decoratum, quod D. Iacobus Martinez de Luna Cathaloniæ Pro rex Anno M.D.XX. condidit, inſtante poſt eius morte D. Catherina de Vrrea coniuge. 1520

XXVII. MONTALVANENSE in Aragonia, S. Vincentio Ferrer dicatum, quod, Oppidanis Eremitorium S. Luciæ concedentibus, Magiſter Thomas del Camino Canonicus Sedis Cæſarauguſtanæ conſtruxit Anno M. D. XXI. oblatis hæreditatibus, D. Ioannis de Ouon Equitis Iacobæi, Ferdinando Regi Catholico à ſecretis, & Aureliæ del Camino fundatoris ſororis. 1521

XXVIII. ALBAYDENSE in Regno Valentiæ, S. Annæ ſacrum, à D. Chriſtophoro Milan, & Aragon, eiuſque vxore Carocia de Villaragut, Oppidi Dominis Anno M. D. XXXVIII. fundatum. 1538

XXIX. LOMBAYENSE in Regno Valentiæ, S. Crucis Dominicæ titulo inſignitum, quod B. Franciſcus Borgia Dux Gandienſis, & Oppidi Marchio conſtruxit Anno M. D. XLVIII. Is eſt Beatus ille Pater qui Societatem IESV mirabiliter illuſtrauit. 1548

XXX. AYERVENSE in Aragonia, Dominæ Noſtræ à Remediis nomine decoratum, quod D. Hugo de Vrrea ipſius Oppidi Baro, Carolo V. Imperatori, & Hiſpaniæ Regi à Secretis, & D. Grayda de Lanuza eius vxor à fundamentis condiderunt, vterque primum lapidem apponentes ad Annum Domini M. D. XLVIII. cuius Prior I. fuit F. Thomas Eſquiuel Generalis Vicarius Aragoniæ, & Nauarræ. 1548

XXXI. AYORENSE in Regno Valentiæ, Annuntiationi Virgineæ ſacratum, quod à ſucceſſoribus in maioratu Ayorenſi Dynaſtis conſtruxit F. Franciſcus Mexia Ducis Calabriæ Ferdinandi Concionator, Anno M. D. LXI. 1561

XXXII. ORISTANVM in Sardinia, S. Martini titulo decoratum, quod F. Ioannes Porcel in Eccleſia, & Abbatia S. huius condidit Anno M. D. LXX. 1570

XXXIII. BVSAQVIENSE in Sardinia, S. Ieronymi nomine ſubſignatum, illud D. Ieronymus de Torroſano Comes Sedilenſis Anno M. D. LXX. extruxit, poſtea ad locum, quo hodie exiſtit, inſtante D. Ioanne de Sanna Empuriæ Præſule tranſlatum. 1570

XXXIV. CASPENSE in Aragonia, SS. Virgini dicatum, quod primùm Ciues Oppidi, quorum expenſis fuit conditum, S. Pauli titulo decorarunt ad Annum M. D. LXX. ſed eueniente Ordinis Prouinciali, titulum mutauit. 1570

XXXV. DERTOSANVM in Cathalonia, ſub S. Franciſci tutela erectum olim à Minoritis Clauſtralibus, quibus extinctis, Prouincialis Obſeruantiæ illud in ordinarij manus dimiſit, & tum Prædicatoribus ceſſit Anno M.D. LXX. 1570

XXXVI. MONZONENSE in Aragonia, S. Michaeli ſacrum, quod Pius V. Pont. Max. ex hæreditatibus Gabrielis Puellas qui omnia bona ſua pro conſtrueudo Orphanotrophio reliquerat, & Ioannæ de la Torre viduæ, quæ etiam pro Monialium Pœnitentium Monaſterio ædificando redditus neceſſarios reliquerat, commutatis defunctorum huiuſmodi voluntatibus, erigere præcepit Anno M. D LXXI. 1571

XXXVII. VICCENSE in Cathalonia, S. Franciſco ſacrũ, quod cùm ex Clauſtralibus Minoritis fuerit, illud ad Prædicatores deuenit Anno M.D. LXXI. 1571

XXXVIII. MANACORENSE in Maiorica, cuius poſſeſſionem accepit F. Antonius de Creus Anno M. D. LXXV. quo erectum fuit. 1575

XXXIX. AYODARENSE in Regno Valentiæ, S. Vincentio Ferrer dicatum, illud D. Roderici Muñoz huius Oppidi Baronis erectum fuit Anno M.D.LXXVI. 1576

XL. PERALADENSE in Cathalonia, SS. Virgini cõſtructũ Anno Domini M.D.LXXVIII. & Prędicatorib. aſſignatũ, cùm primũ fuiſſet ex Eremitis S. Auguſtini, qui illud dimiſere & inſtãte D. Frãciſco Dalmau de Roccaberti ipſius Oppidi Vice Comite ad Prędicatores deuenit, 1578

XLI. POLLENZANVM in Maiorica, S. Virgini Deiparæ ſacrum, ad Annum Domini M.D. LXXVIII. conſtructum extra vrbis mœnia, ſed poſtea Philippi II. Regis Catholici iuſſu, Anno M. D.XCVIII. intra Oppidum tranſlatum. 1578

XLII. OLLERIANVM in Regno Valentiæ, Dei Genitrici dicatũ in Eremitorio huius Dominæ titulo condecorato ad Annũ M.D.LXXIX. 1579

XLIII. CASTELLONENSE, quod *de la Plana* dicitur, in Regno Valentiæ, B. Virgini ſacrum, eo ſitu, quo hodie exiſtit, quem Doctor Iacobus Miralls obtulit Anno M. D.LXXIX. hodie aduocationi S. Thomæ Aquinati dicatum conſtat. 1679

XLIV. LAVRETANVM in Maiorica, S. Dei Genitricis Lauretanæ auſpiciis, & nomine ſacratum, quod Ordo Minorum deſeruit, & Ordo Prædicatorum aſſumpſit Anno M. D. LXXIX. inſtante D. Ioanne Vich Epiſcopo Maioricenſi. 1579

XLV. EBVSITANVM in Inſula, SS. Iacobo, & Vincentio Ferrer attitulatum, cuius Ciues, & accolæ in obſequium S. Raymundo debitum, ob liberatam Inſulam à perfida Sarracenorum dominatione, & labe, illud extra Oppidi mœnia conſtruxere, Anno M. D. LXXX. poſt intra Oppidum tranſlatum. 1580

XLVI.



XLVI. CIVDADILLANVM in Cathalonia, B. Virgini dicatum, à D. Giſberto de Guimeran, Oppidi Domino magnificè Anno M.D. LXXXII. erectum. 1582

XLVII. CÆSARAVGVSTANVM in Aragonia, ſub nomine S. Vincentij Ferrer, Collegij titulo, à Geronymo Ferrer conditum Anno M. D. LXXXIV. 1584

XLVIII. ILLICITANVM in Regno Valẽtiæ, Dei Genitrici, & S. Petro Telmo ſacrum, cuius ſitum Ciuitas obtulit Anno M.D.LXXXVI. vbi quieuit ad Annum vſque M.D. XCVII. quo aliò tranſlatum fuit. 1586

XLIX. ALMENARENSE in Regno Valentiæ, Virgini Mariæ conditũ per D. Marqueſiã dela Cerda Oppidi Comitiſſã Anno M.D.LXXXVII. 1587

L. HORTENSE in Cathalonia, B. Deiparæ nomini erectum in Montis cacumine Anno M. D. LXXXVII. vbi concurſus ad Virginem magnus. 1587

LI. VILLANOVANVM ad Caſtellionem Setauitanum in Regno Valentiæ, S. Vincentio Ferrer dicatum, & conditum Anno M.D.XC. 1590

LII. VLDECONENSE in Cathalonia, Matri Virgini erectum Anno M.D.XCIII. ob inſigne miraculum, ibidem patratum. 1593

LIII. AGVLLENTENSE in Regno Valentiæ, ſub nomine S. Hyacinthi conditum Anno M. D.XCV. à Franciſco Caſanoua, & eius coniuge Iſabella Sanz. 1595

LIV. SASARENSE in Sardinia, S. Petri Martyris tutamine erectum ad Annum M.D. XCVI. per vrbis accolas, inſtante Alfonſo Peña Inſulæ Inquiſitore. 1596

LV. GRAOSENSE in Sardinia, S. Dominico dicatum, & ab aliquibus Ciuibus Saſarenſibus conditum Anno M. DC. 1600

LVI. SARDINENSE, B. Raymũdo ſacrum, & conditũ Anno M.DC.II. 1602

CÆSARAVGVSTANVM in Aragonia, S. Illefonſo dicatum, quod Alfonſus de Villalpando teſtamento condere iuſſit, Fatribus pluſquam CXXX Mille Aureos relinquens ad operis perfectionem, & Religioſorum ſuſtentationem, Anno Domini M.DC. V. à quo Monaſterij fabrica continuatur. 1605

Alia ſunt Monaſteria in hac Prouincia, ſed ſine Die, & Conſule, ideo illorum nominum contenti relatione, ad vlteriora pergemus. Hæc igitur ſunt ALGEMISENSE, VALENTINVM D.N. de Pilar ſacrum; SEGORVICENSE SS. Paulo, & Thomæ dicatum in Regno Valentiæ. Et ALFANARINVM B. Magdalenæ, ALBARRAZINENSE S. Mariæ, GRAOSENSE S. Dominico, TERVELENSE S. Raymundo, IACCENSE S. Dominico, MAGALLONENSE, B. Dei Genitrici, & BORGIENSE S. Petro Martyri ſacrata in Aragonia.

## *PROVINCIA PORTVGALLIÆ.*

I. SCALABITANVM, quod Socij S. DOMINICI illo viuente, conſtuxere ad Annum Domini M. CC. XXI. 1221

II. CONIMBRICENSE, à Regina D. Blancha Sanctij I. Regis Portugalliæ filia Anno M. CC XXVII. conditum. 1227

III. PORTVCALLENSE, à Sanctio I. Portugalliæ Rege ad Annum Domini M. CC. XXXIX. ædificatum. 1239

IV. OLYSIPPONENSE, ab eodemmet Sanctio I. Portugalliæ Rege ad Annum Domini M CC. XLI. erectum. 1241

V. ELVENSE, quod Patrum Prædicatorum decreto pro ipſa Religione fuit à fundamentis fundatum Anno M. CC. L. 1250

VI. VIMARANENSE, quod idem Patrum Prædicatorum cœtus extruere Anno M. CC. LXX. cœpit, ſed Dionyſius Rex Anno M. CC. LXXVIII. perfecit. 1270

VII. EVORENSE, quod D. Alfonſus III. Portugalliæ Rex ad Annum Domini M. CC. LXXI. conſtruxit. 1271

VIII. Abrantense, quod D. Lupus de Almeyria ad Annum Domini M. CCC. XCI. ædificauit, ſed poſtea aliò tranſlatum. 1391

IX. Batallense, quod D. Ioannes I. Portugalliæ Rex ad Annum Domini M. CCC. XCIV. 1394

X. Venficense, quod F. Vincentius Olyſipponenſis Ioannis I. Portugalliæ Regis Confeſſarius Anno M. CCC. XCIX. fundauit. 1399

XI. Aveyrense, quod Patrum Prædicatorum placito, ipſa Religio ad Annum M. CCCC. L. conſtruxit. 1450

XII. Petragoriense, quod F. Ioannes Dominicus oppido efflagitante ad Annum M CCCC. LXX. perfecit. 1470

XIII. Saltense prope Scalabim, Virgini Matri ſacrum, & ab Emanuele Portugalliæ Rege Anno M. D. VII. conditum. 1507

XIV. Villaregiense, quod Religio ipſa ex Patrum Prædicatorum conſenſu Anno M. D. VIII. erexit. 1508

XV. Azeytonense, quod etiam fuit à Religione ipſorum Patrum acceptatione ad Annum M. D. VIII. conſtructum. 1508

XVI. Conimbricense Collegium, S. Thomæ Aquinati ſacrum, & abs Rege Portugalliæ Emanuele Anno M. D. XVII. erectum. 1517

XVII. Leyriense, quod Religio Superiorum Patrum iuſſione ad Annum Domini M. D. XL. condidit. 1540

XVIII. Alcazavense, Dominæ Noſtræ de Spe dicatum, & à D. Ferdinando Henrriquez Anno M. D. XLI. fundatum. 1541

XIX. Amarantense, S. Gundiſaluo ſacrum, quod Ioannes III. Portugalliæ Rex Patribus Prædicatoribus Anno M. D. XLI. conſtruxit. 1541

XX. Montis Maioris, S. Antonio Paduano dicatum, quod Emanuel Fragoſo, cum D. Beatrice vxore Anno M. D. LIX. condidit. 1559

XXI. Ansidiorense, quod Canonicorum fuerat Regularium, Prædicatoribus Sebaſtianus Portugalliæ Rex Anno M. D. LIX. donauit. 1559

XXII. Vianense, S. Cruci Dominicæ ſacrum, & à F. Bartholomæo à Martyribus Archiepiſcopo Braccarenſi ad Annum M. D. LX. erectum. 1560

XXIII. Setubalense, quod ab ipſa Religione Superiorum permiſſu Anno Domini M. D. LXIII. fuit conſtructum. 1563

XXIV. Cetobrigense, quod petente V. P. F. Ludouico Granatenſi erexit D. Sebaſtianus Portugalliæ Rex Anno M. D. LXIV. 1564

XXV. Almeyriense quod F. Franciſcus Foreyrio, qui interfuit Concilio Tridentino, Anno M. D. LXX. conſtruxit. 1570

XXVI. Tingitanum in Africa, quod Ioannes I. Portugalliæ Rex ad Annum M. CCCC. XV. ædificare præcepit. Hoc Cœnobium, cum extra Hiſpaniæ ambitum ſit, ideo hoc loco repoſuimus.

## *PROVINCIA CANARIÆ.*

Hæc Prouincia olim coniuncta erat cum Bætica; ita vt illius corpori adhæreret, ſed Apoſtolica auctoritate Anno M. DC. L. ſeparata, propriam Prouinciam, licet minutiſſimam conſtituit, in qua hæc ſunt Cœnobia.

I. Magnæ Canariæ, S. Petro Martyri dicatum, & à Catholicis Regibus Ferdinando, & Iſabella, Anno M. CCCC. LXXVIII. conditum. 1478

II. Tenerifense, B. Virgini Candelariæ ſacrum, & à Religione Superiorum permiſſu conſtructum Anno M. CCCC. LXXXIV. 1484

III. Lacunense, S. Dominici titulo decoratum, & ab eadem Religione ad Annum M. CCCC. LXXXV. erectum. 1485





IV. Portus S. Crucis, S. Deiparæ à Conſolatione attitulatum, etiam illud eadem ipſa Religio Anno M. D. extruxit. 1500

V. Lacense, quod ab ipſamet Religione Superiorum Patrum aſſenſu conditum fuit Anno M. D. II. 1502

VI. Garacinense, quod idemtidem ab eadem Religione, eorundem Superiorum decreto Anno M. D. II. conflatum dicitur. 1502

VII. S. Sebastiani in eadem Tenerifenſi Inſula erectum à Bartholomæo Gau, & eius coniuge Anno M. D C. 1600

VIII. Palmense, ſic ab Inſula Palma, quâ iacet, dictum, & S. Michaelis Archangeli tutamine dicatum, quod Religionis inſtantia, Superiorum præcepto, conditum fuit Anno M. DC. II. 1602

IX. Gomerense in Inſula Gomerâ à qua vocabulum, ſitum, & S. Vincentio Ferrer dicatum, & à Religione Anno M. DC. III. fundatum. 1603

Hactenus Monaſteria, quæ hæc Apoſtolica Religio, & toto ſeculo celebris, & illuſtris *Ordo* in his *Hiſpaniæ* Regnis ſuſtinet, & poſſidet, è quibus olim prodiere, & quotidie prodeunt inſignes ſanctitate, literis, & muneribus Viri. Nam ex illis XXXVIII *Religioſi* oriundi martyrio coronati, in diuerſis Orbis partibus numerantur. *Tres* inter *Diuos* Confeſſores relati; ſcilicet S. Dominicus; *S. Vincentius Ferrer*; & *S. Raymundus* Penniafort. VII. *Beatificationis* titulo inſigniti, ſcilicet *Ludouicus Bertrandus*; *Gundiſaluus Amarantus*; *Petrus Telmus*; *Ægidius Scalabitanus*; *Pelagius Portugallenſis*; *Laurentius Mendez*, & *Dalmatius Gerundenſis*. *Purpureo Galero* condecorati VII. *Archiepiſcopi* diuerſarum *Hiſpaniæ* Sedium XXXII. *Epiſcopi* in hiſce Regnis C. LXXVI. *Sacri Palatij* Apoſtolici *Magiſterio* ſublimati XIII. Regum, & Reginarum *Confeſſarij* LXXXVIII. Principum Regum filiorum *Magiſtri* VIII. Aliarum Religionum *Reformatores* X. Regum *Concionatores* LV. Scriptores CC. LVI. Primariam apud Salmanticenſem Academiam cathedram Regentes XVIII. Veſpertinæ, Durandi, Scothi, & Scripturæ C. XX. Quid ſi omnis Ordinis toto Orbe ſparſi inſignium Virorum catalogum adnotamus? Nonne Eccleſia Vniuerſalis veneratur ex eo VIII. *Sancti* canonicè inaugurati? *Beati* LXXIII. quorum alteri in Religione, alteri in variis Prouinciis, & Eccleſiis canonicis officiis, & ritubus coluntur. Ex vtroque ſexu in Omnibus Orbis clymatibus nonne Ordo iſte glorioſus III. M. DC. *Martyres* enumerat, qui fidem Chriſti, & Crucis vexillum reportantes, ſanguinem ſuum fuderunt? Nonne in illo *Innocentius V. Benedictus XI.* & *Pius V.* Summi Pontifices, & Chriſti Vicarij, omnes tres ſanctitudinis gloriâ illuſtres, & miraculorum gratiâ conſpicui? His nonne accedunt XL. S. R. E. *Cardinales* tàm pupureis virtutibus coruſcantes, quàm virtutum candore fulgentes? *Patriarchæ* XV. *Archiepiſcopi* C. XL. *Epiſcopi* DCCC. *Generales Inquiſitores* enumeratis antiquioribus XL. Quid de inferioribus muneribus in Dei Eccleſia, & in Principum Curiis, quibus aſſiſtere ratio eſt. Hodie hic *Ordo* XLVIII. *Prouincias* obtinet, in quibus M. D. L. *Monaſteria*, extra DCC. quæ fœda hæreticorum rabies ſolo æquauit, & in Monaſteriis XXII. *Millia* D. LVI. *Religioſorum*. Benedictus ſit Dominus in Sanctis ſuis, qui tantum Dominico honorem, & Nobis homopolis glorificationem dignatus eſt concedere. O Parens Maxime Dominice, cuius Nomen totius Orbis oras illuſtrat.

*Quot Martyres Hiſpani ex hac familia?*

*SS. Confeſſores?*

*BB. Confeſſores?*

*Diuerſorum munerum Officiis fungentes?*

*Quot toto Orbe Viri illuſtres?*

*Quot Prouinciæ Cœnobia, & Religioſi?*

*Solem in corde gerens, ſiduſque in fronte; coruſcat*
*Vnde per Eoas, Heſperiaſque plagas.*
*Dulce examen apum, dulciſſima pectora monſtrat:*
*Fulmina fax linguæ, quam tenet ore canis.*
*Voce Acheronteos Plutona remittit ad ignes:*
*Corpora de pheretris dat rediuiua ſuis.*
*Exuuiis onerat felicibus Aſtra: ſequuntur,*

*Quo vocat, ingentem cerea corda ducem.*
*Huius ad Auguſtos elementa ſequacia nutus,*
*Et Phlegeton vires dedidicere ſuas.*
*Eſt rerum Dominus, domitor Phlegetonis; & inde*
*Grandius in titulo Nominis omen habet.*

*Autores qui materiam Monaſteriorũ, & Virorũ illuſtrium tractarunt.*

Igitur omnia ſuperius recenſita tàm de Monaſteriis Hiſpaniæ, quàm de Viris Illuſtribus huius ſplendidiſſimæ Religionis, prolixius in Chronicis ipſius Ordinis referunt F.Fernandus del Caſtillo 1. *&* 2.*p.* Epiſcopus Monopolitanus 5.*p.fol.*421. F. Petrus Caluo de *Lachrym. Iuſtor.lib.*2.*fol.* 390. F. Alphonſus Fernandez in *Concertat. Prædicator.* F. Ioannes Gabaſton *in Regul. Beatar. fol.*167. F.Stephanus Sampayo in *Stemmat. Ordin. Prædicat.fol.* 242.*& ſequent.* Sed ne beneficium, ingratitudinis vitio, perſoluam, opere pretium duxi hic *F.Ioannis de Valaſco* huius Sacræ Religionis alumni, & R. P. F. *Ioannis Martinez* Regij Confeſſoris ſuperius laudati, ſocij meminiſſe, cùm ipſe, verè profiteor, illo quo eſt candore, & virtutum ſplendore ſuffuſus, infatigabili librorum reuolutione, Ordinis Schedas, & antiquitatis monimenta reuoluens, Monaſteriorum ſupra relatorum origines, & Annorum ſeriem, quibus vnumquodque conſtructum, & à quibus conditum fuiſſet mihi ſupeditauit, vt in hoc opere, etiam in hoc ſeculo, partem remunerationis obtineat, & in futuro, propter laborem huiuſmodi, æternum præmium ſuſcipiat.

# NONIS AVGVSTI.
## DIES V.

A *In Gallia feſtum* S. MEMMII *Apoſtolorum Diſcipuli, qui apud* Catalaunos *fidem Catholicam cùm prædicaſſet,* Hiſpanias *adiens,* Eboram *in* Luſitania *deueniens, eiuſque Epiſcopus factus, ibidem martyrium impleuit,* Idibus Maij. *Quem vtriuſque prouinciæ Eccleſiæ diuerſis nominibus compellantes, Gallicanæ* MEMMIVM, *& Hiſpanica* MANTIVM, *qualibet ſequitur veritatem.*

B AVGVSTÆ *Vindelicorum* S. AFRÆ *Martyris, quæ à S.* Narciſſo *Epiſcopo* Braccarenſi, *apud* Gerundam *paſſo, ad fidem conuerſa, & cum omni domus ſuæ familiâ baptizata, per ignem ad gloriam properauit æternam; cuius pignora* Gerundæ *Hiſpaniæ quieſcunt.*

C ALCOBATIÆ *in Portugallia* B. DOMINICI *illius Regij Cœnobij Abbatis, qui poſtquam per plura virtutum examina, ad muneris, ſeu potius oneris apicem conſcendiſſet, & fratribus, admirabili pietate, iugum regulæ*



*regulæ miniſtraſſet, clarus miraculis, inter ipſa laudum encomia, Chriſto cui ſeruiebat, cùm regnabat, ſpiritum tradidit illibatum.*

# NOTÆ.

*Memius, & Mantius Sanctus vnus, & idem.*

SANCTI MEMII *Feſtum apud Gallos.*] Iſte fuit Beatiſſimus MANTIVS, *Eborenſium* in *Luſitania* Apoſtolus, pro vt *Cathalaunorum in Gallia,* nomine MEMII, quem his duobus nominibus inſignitum fuiſſe ex Dextro in *Chron. Ann.* 430. his verbis pateſcit: *Eodem Anno repertæ ſunt Reliquiæ* S. MEMII MANTII *Eborenſis in Luſitania Pontificis, & Primi illius Vrbis Apoſtoli, qui conuerſo prius populo* Cathalaunenſi *in* Gallia, *poſtea in* Hiſpanias *traijciens,* Eboræ *prædicauit, vbi & martyrium paſſus eſt.* Hanc *Dextri* ſententiam probat erudite Biuar. in *Chron. Ann.*90.*n.*2.*fol.* 181.*verſ.* Sanè quod. prolixam in huius probationem contexuit, de qua & Nos ad amuſſim ſupra *Tom.* 3. *Die XV. Maij,* ideò ne dicta repetantur, hic ſilentium imponimus. Igitur MEMIVS *Galliam* deuenit, populos *Cathalaunos* ad fidem reduxit, eo quòd apud illos, MEMII nomine celebratur h. d. ſic *Martyrologium Romanum,* his verbis: *Cathalauni in Gallia* S. MEMII *Ciuis Romani, qui à S. Petro illius Ciuitatis Epiſcopus conſecratus, populum ſibi commiſſum, ad Euangelij veritatem perduxit.* Conueniunt *Beda, Vſuardus, Addo,* & cæteri recentiores, Equilin. in *Catalog. SS. lib.*7 *c.*25. S. Gregor. Turonenſ. *de Glor. Confeſſor. c.* 66. Andr. Sauſſay in *Martyrol. Gallic. Tom.*1.*fol.* 492. Apud quos tantum titulo *Confeſſoris* condecoratus aſſeritur, cùm re vera ad cœleſtia præmia euolauerit, martyrio coronatus æterna; vt ex Noſtris Scriptoribus ex *Dextro,* loco ſuperius relato liquet. Hinc veniunt Acta à *Gallis* compacta prorſus corrigenda. Hæc hic dicta ſufficiant, pro *Commemoratione* huius S. Præſulis apud *Gallos,* quorum nec intermittere voluimus annamneſim; vt cunctis legentibus noſtra ſollicitudo, circa quærendas Noſtrorum Sanctorum feſtiuitates penitus innoteſcat.

*Probatur pluribus remiſsiuè.*

*Colitur Memij nomine hoc die apud Gallos.*

*Et ſolo titulo Confeſſoris.*

S. AFRA *Martyr, Diſcipula S. Narciſſi.*] Celebris fuit iſtius Sanctæ Martyris ad fidem conuerſio, quam ſupra in *Tom.* 1. *Die XVIII. Martij. fol.* 295. retulimus, cum de *S.Narciſſo* Epiſcopo, & Martyre, eius in fide Magiſtro, egimus. Illius memoriam recolit *Romanum Martyrolog.* h. d. his verbis *Auguſtæ Vindelicorum natalis* S. AFRÆ *Martyris, quæ cum eſſet pagana, per doctrinam* S.Narciſſi *Epiſcopi ad Chriſtum conuerſa, & cum omni domo ſuo baptizata, pro confeſsione Chriſti tradita eſt.* Conueniunt poſt *Vſuardum, Adonem,* & *Bedam,* Martyrologia, *Caſtellanum* Vaſq. *Luſitanum* Lupi & *Italum* Conſt. Felic. Vicellius in *Hagiolog.* & Equilin. in *Catal. SS. lib.* 7.*c.*28. S. Antonin. 1.*p. tit.*8.*c* 7. § 18. Georgius Vvicell. in *Higiolog. fol.*246. Vincent, Bellouacenſ. in *Compend.Hiſtor. lib.*7. *c.*28. Baron. *Annal. Eccleſ. Tom.* 2. *Ann.* 303.*n.*135. Anton. Vincent. Domenec. *Hiſtor.SS. Cathalon. lib.*1. *fol.* 74. Ieronym. Pujad. *Hiſtoria Cathalon. lib.*4. *c.*33. ACTA eius, & Sociarum ſcripſere *Marcus Vvalſenus,* & *Gregorius Vvicellus,* & alij, ſed conſcripta ab *Vvicello,* quia ſinceriora à *Cæſare Baronio* videntur, hic ſubiicimus.

*Martyrologia.*

### *ACTA S. AFRÆ MARTYRIS Auguſtenſis & Sociarum, ex Hagiolog. Gregorij Vvicelli;*

*Origo.*

AFRA *ex* Ægypto *oriunda, cum matre* Hilaria Auguſtam Vindelicorum *peruenit, vbi obſceno Veneris proſtibulo dedita, vitam impudicam cum* Digna, Eutropia, *&* Eumenia *eius ancillis tranſegit; donec à* S. Narciſſo *Epiſcopo* Braccarenſi, *& Martyre* Gerundenſi *ad fidem conuerſa Catholicam,*

*Exercitiũ.*

*cam, Deo cæpit virtutibus inſeruire. Sed cùm apud* Auguſtam *Chriſtianorum eſſet glorioſa perſecutio, & omnes pro Chriſti nomine variis ſuppliciis afflicti, ad ſacrificia traherentur, contigit* AFRAM, *quam notam habebat facies publica, quòd eſſet lupanaria, à perſecutoribus comprehendi. Quæ cum fuiſſet Iudici* Gaio *oblata, & interrogaſſet, & cognouiſſet Iudex quæ eſſet, dixit ei :* Sacrifica Diis, quia potiùs expedit tibi viuere, quàm inter tormenta deficere. AFRA *reſpondit :* Sufficiunt peccata mea mihi, quæ ignorans in Deum geſſi. Hoc autem quod me iubes facere, nunquam factura ſum. *Gaius Iudex dixit :* Accedens ad Capitolium ſacrifica. AFRA *reſpondit :* Capitolium meum Chriſtus eſt, quem habeo ante oculos meos : ipſi quotidie crimina mea, & peccata mea confiteor, & quia non ſum digna ei ſacrificium offerre, ipſa ego pro Nomine eius cupio ſacrificari ; vt corpus in quo peccaui, dùm pœnas paſſum fuerit, abluatur. *Iudex Gaius dixit :* Sicut audio, meretrix es, ſacrifica, quia aliena es à Deo Chriſtianorum. AFRA *reſpondit :* Dominus Noſter IESV-CHRISTVS dixit, ſe pro peccatoribus deſcendiſſe de cœlo. Nam & Euangelium eius loquitur, quod meretrix rigauerit pedes eius lachrymis, & indulgentiam acceperit : & meretrices, & publicanos nunquam deſpexit, quinimò etiam ſecum eos manducare permiſit. *Iudex Gaius dixit :* Sacrifica, vt diligaris ab amatoribus tuis, & ſicut ſemper dilecta es, inferantur tibi pecuniæ multæ ab eis : AFRA *reſpondit :* Pecunias execrabiles iam nunquam accipio : Nam & quas habui, expendi, quia non fuerunt de bona conſcientia, nam nolentes accipere aliquantos fratres meos pauperes, etiam precibus exoraui, vt à me dignarentur accipere, & pro peccatis meis exorare. Sic ergo quæ habui à me proieci, quomodo poteſt fieri, vt quæram accipere, quæ iam quaſi ſordes abieci ? *Iudex dixit :* Iam te Chriſtus dignam non habet, ſine cauſa vis eum Deum tuum dicere, qui te ſuam non eſſe cognoſcit. Meretrix enim quæ eſt, dici non poteſt Chriſtiana. AFRA *reſpondit :* Equidem Chriſtiana nec dici mereor, nec vocari, ſed miſericordia, quæ non de merito, ſed ſuâ pietate iudicat, ipſa me ad hoc nomen admiſit. *Gaius dixit :* Vnde noſti quia te admiſit ad hoc nomen ? AFRA *reſpondit :* In hoc me cognoſco à facie Domini non eſſe proiectam, quia ad glorioſam confeſſionem, Nominis Sancti permittitur accedere mihi, per quam me credo omnium meorum ſcelerum indulgentiam accepturam. *Iudex Gaius dixit :* Hæ fabulæ ſunt, magnis ſacrifica Diis, per quos ſalutem conſequaris. AFRA *reſpondit ;* Salus mea Chriſtus eſt, qui pendens in Cruce Latroni confitenti bona Paradiſi repromiſit. *Iudex Gaius dixit :* Sacrifica Diis, ne te in conſpectu amatorum tuorum, qui tecum turpiter vixerunt, catomis cædi iubeam. AFRA *dixit :* Confuſio nulla eſt mihi, niſi de peccatis meis. *Iudex dixit :* Porrò iamiam ſacrifica, quoniam iniuria eſt mihi tot horis tecum loqui, certè ſi nolueris, occideris. AFRA *dixit :* Hoc eſt quod opto, ſi tamen merear per hanc confeſſionem digna effici requiem inuenire. *Iudex Gaius dixit :* Sacrifica, nam torqueri te faciam, & poſt, viuam incendi. AFRA *reſpondit :* Corpus meum, quod peccauit accipiat diuerſa tormenta : animam meam ſacrificiis Dæmoniorum non coinquinabo. *Tunc Iudex nequiſſimus dictauit ſententiam capitis aduerſus Martyrem. Quæ à miniſtris rapta, ducta eſt in Inſulam fluuij, qui dicitur* Licus, *ibique eam ſpoliantes, ad ſtipitem ligauerunt. At illa eleuans oculos in cælum, oratione facta, ſarmentis circundata, & igne ſuppoſito, iterum orauit, & ſpiritum emiſit. Tunc eius Ancillæ tulerunt Corpus* AFRÆ, *quod intactum inuenerunt, & illud poſuerunt in Memoria iuxta Ciuitatem* Auguſtam. *Quod nuntiatum* Gaio Iudici, *miſit ibi ad ipſam Memoriam ſatellites, qui ancillas, & ſocios S. Martyris igne conſumerent, niſi Diis litarent. Euntes autem milites, prius blando*

*Capitur.*

*Conſtantia.*

*Deſpicit lucra profana.*

*Eius fiducia.*

*Coronatur.*





*ſermone eas prouocabant. At vbi viderunt omnes ſimul contemnere ſacrificia, repleuerunt memoriam ſarmentis, & fœno, & ſiccis ſpicis, & clauſerunt ſuper eas, & ſuppoſito igne abierunt. Sic factum eſt, vt in eodem Die, quo ſepulta eſt* AFRA, *ſimul etiam mater eius* Hilaria, *& famulæ eius ſecundum carnem, ſed iam ſorores in Chriſto,* DIGNA, EVNOMIA, *&* EVTROPIA *ſimul martyrij coronam acciperent, & quæ ſimul conuerſæ fuerant à diabolo ; ſimul vnanimes ad Chriſtum, cui crediderunt, cum palma martyrij peruenirent.* AFRÆ *Dies agonis* Nonis Auguſti, *Anno Domini* CCC. *vel circiter. Harum aliquot ſacra pignora* Auguſtâ Gerundam *dimiſit* Rodulphus *Præpoſitus Eccleſiæ* Auguſtenſis, *quæ ad huc in S. E.* Gerundenſi *venerantur.*

*Et eius ancilla cum matre.*

*Reliquiæ aliquot Gerundæ.*

HACTENVS Sanctorum ACTA Martyrum, quæ duplici ex cauſa hic locum merentur, & quia fuere filiæ ſpirituales *S. Narciſſi* noſtri, & quia *Gerunda* aliquibus locupletatur pignoribus, quæ *Rodulphus* Præpoſitus Auguſtenſis miſit *Gerundam,* hac Epiſtola : *Reuerendo, ac multæ diſcretionis Viro Theſaurario Eccleſiæ* S Narciſſi *in* Gerunda ; Rodulphus *Præpoſitus Eccleſiæ Auguſtenſis. Cùm iam dudum ex ratione* Conradi *Subdiaconi quondam ſocij veſtri,* Auguſtenſis, *vos aliquid de Vita, & Conuerſione* S. AFRÆ, *& Sociarum eius, per* S. Narciſſum *facta, prout Chorus noſter habet, cognouerim deſiderare : cupiens filias eſſe cum Patre, & orationum, & laborum veſtrorum me fore participem : vrbis, & Collegio veſtro, per* Bertholdum, *Sacerdotem ſocium Paræchiæ Auguſtenſis, de* Reliquiis SS HILARIÆ, DIGNÆ, EVNOMIÆ, EVTROPIÆ, DIONYSII, & AFRI, *cum Hiſtoria, & Legenda* S. AFRÆ, *& aliquo clenodio, quo ſepulchrum* S. Narciſſi *in diebus feſtiuis tegatur, vobis tranſmiſi, petens humiliter, ac deuotè, vt mei memoriam in veſtris orationibus habentes, iſtas ſanctas* RELIQVIAS *cum Patre ſuo collocantes, ſicut condecet, eis honorem, & reuerentiam exhibentes ; per quam, & alia veſtra bona, vitam conſequamur ſempiternam* Huius Epiſtolæ fragmentum referunt Antonius Vincentius Domenec. *d lib.* 1 *fol.* 75. *col.* 3. *&* Pujades *d. c.* 73.

*Auctographum de exiſtentia Reliquiarũ Gerundæ.*

S. DOMINICVS *Abbas Alcobacenſis Confeſſor.* ] Sancti huius Viri anamneſim recolunt Miræus in *Catalog. SS. Ciſtercienſ. Die IV. Auguſti,* quo etiam *Kalendar. SS. Ciſterc.* & Chryſoſtom. Enrriq. in *Menolog. Ciſtercienſ. fol.* 251. hoc elogio : ALCOBATIÆ *in* Luſitania S. DOMINICVS Martinez, *eiuſdem Monaſterij Abbas ſanctiſſimus : qui cùm diuerſis, & admirandis pietatis operibus clarus, ſuis Monachis laudabiliter præfuiſſet, poſt multa ad æternam patriam ſuſpiria, inter verba exultationis, & laudis beatam Deo animam reddidit. Et cùm etiam poſt mortem mirabilibus ſignis clareret Sanctorum numero fuit adſcriptus.* De eo etiam Bernardus Brit. in *Chron. Tom.* 1. *lib.* 3. *c.* 22. Miræus in *Origin. Monaſter. lib.* 5. Angelus Marriq. *in Laur. Euangel. lib.* 3. *Diſc.* 7. §. 7. & in Sanctoral. Ciſterc. *in Epiſtol. ad Mariet.* Gaſpar Iongelinus in *Notit. Abbatiat. Ciſtercienſ. in Regn. Portugall.* §. 5. *n.* 10. *fol.* 31. Chryſoſt. Enrriq. in *Faſcicul. SS. Ordin. Ciſtercienſ. Tom.* 2. *lib.* 2. *Diſtinct.* 16. *c.* 7. *fol.* 251. in paruis, qui huius S. Abbatis ACTA his verbis recenſet :

*Martyrologia.*

*Scriptores.*

## *ACTA S. DOMINICI ABBATIS Alcobatiæ Confeſſoris, ex Chryſoſtomo Enrriquez.*

DOMINICVS *cognomento* MARTINEZ *ex vocabuli compoſitione fuit* Hiſpanus *origine, nam cognominis ſtructura* MARTINI *Hiſpaniſmum procul dubio ſapit. Is cum in iuuentute ſuâ omnem mundi huius gloriam, vanam eſſe conſideraret, quodque multum ex ipſa plurimi in peſtem, & exitium ſempiternum ruerent, cœpit, pedem retrahere, & animum ad pietatis ſtudium adiicere. Cúmque ſe diuinis mancipare obſequiis, atque deſpectis, calcatiſque terrenis illecebris, ad amabilem diuini amoris perfectionem venire ſatageret, ad Ordinem* Ciſtercienſem *aduolauit. Cuius habitum in Monaſterio* S. Mariæ *de* Alcobatia *induit, ibique diuinis ſuſpenſus deſideriis, ad omnia*

*Origo.*

*Mundi illecebras reſpuit.*

*Monachũ induit.*

*ſanctitatis exercitium ſedulò aſpirauit. Diuinæ meditationi animum dedit, omneſque ſpiritus ægritudines, ſacrarum dulcedine literarum temperabat. Tranſactis verò in ſacra conuerſatione aliquot annis, cum egregium pietatis ſpecimen Fratribus ſuis præbuiſſet, & fama virtutum eius longè, latéque increbreſceret, ad Abbatialem dignitatem in ipſo Monaſterio* Alcobatiæ *euectus fuit. Ipſe verò qui humanæ vitæ conſortium reſpuebat, & ſolitariâ vitâ mirificè delectabatur, timens ne ſub Prælationis occaſione, elationis tumore mens eius periclitarctur, Fratrum ſuorum votis minimè acquieuit. Obedientiâ tamen, & auctoritate Superiorum coactus electioni præbuit aſſenſum. In qua dignitate conſtitutus, humilitatem, pietatem, cæteraſque æmulabatur virtutes, & omnibus ſe communem, omnibus ſe blandum exhibebat. Cúmque diuerſis, & admirandis pietatis operibus clarus, Cœnobium ſuum laudabiliter rexiſſet, poſt multa ad æternam patriam ſuſpiria, ſacro ſancto Corporis, & ſanguinis Chriſti viatico munitus, beatam Deo animam reddidit. Et cùm etiam poſt mortem mirabilibus ſignis clareret, Sanctorum numero fuit relatus. Et olim Officio Eccleſiaſtico colebatur ab Anglis in Diœceſi* Eboracenſi, *dùm adhuc ibi vigeret Romana Religio.*

*Fit Abbas.*

*Virtutes in dignitate.*

*Moritur.*

*Verus Dies Mortis S. Abbatis.*

ISTHÆC quæ *Chryſoſtomus* coagulauit ACTA, ſed abſque Die, & Conſule, quo vitam Sanctiſſimus exuit Abbas. Cuius cauſam cùm exquirere deſiderarem, abs eruditiſſimo *Emanuele Faria de Souſſa* Portugallenſium Coripheo, hocce Sepulchrale Carmen accepi:

PRO S. DOMINICO ALCOBACENSI
Abbate, & Confeſſore.

*Hoc* DOMI *ſarcophago* NICVS *extat corpore Sanctus,*
*Qui* Decimus *fuit iſtius vnà celebris Abbas*
*Cœnobij inſignis, plenus pietate Miniſter,*
*Hic moritur* Nonas Sextilis; *culmina cœli*
*Conſcendens, viridi redimitus tempora Lauro.*

In cuius *Epigrammatis* contextu clarè liquet S. Abbatem in Domino quieuiſſe; Die hoc, ſcilicet *Quinto Auguſti*, qui ad *Nonas Sextileis* correſpondet. Cuius obſeruatione Scriptorum *Ciſtercienſium* error, quo Sanctiſſimum Abbatem ad *Pridie Nonas Auguſti*, hoc eſt, IV. eiuſdem Diem reponunt, ſanabitur. Quatenus ad Annum tranſitus huc vſque nullus computationem demonſtrat, nec aperit.

*In Sanctorum numerum relatus.*

CIRCA aſſertionem, quâ dicitur S. Abbatem in *numero Sanctorum* fuiſſe relatum, conueniunt omnes quos ſupra retulimus, præcipuè Bernardus Brit. *d. lib.* 3. *c.* 22. his verbis: *Vita ipſius fuit talis, totque miraculis claruit, vt* nùmero Sanctorum *adſcribi meruerit; &* Officio Eccleſiaſtico *colebatur in Eccleſia* Eboracenſi *in Regno Angliæ, eo tempore, quo* Prouincia *illa in Religione, & obſeruantia Chriſti Vicariis debitæ florebat.* Hinc iure optimo inter *Hiſpaniæ* Diuos reponere curauimus. Cætera qui plenius ſcire deſiderat, adeat ſuperius relatos, & maximè *Chryſoſtomum Enrriquium*, & *Bernardum Britum* apud quos piiſſimam ſimul cupiditatem ſedabit: dùm Nos ad vlteriora progredi curamus, ſatius exiſtimantes accreuiſſe huic Sancto, quod à propriis incognitum extitit.





# OCTAVO IDVS.
## Auguſti.
## DIES VI.

*A.* ROMÆ *natalis* S. SIXTI *Pontificis Maximi, qui cùm Legatus S. R. E. vt* Toletano *intereſſet* Concilio, *Hiſpanias deueniſſet, munere expleto*, Cæſarauguſtam, *deuotionis ad* Virginem de Columna *ardore ſuccenſus, acceſſit, vbi* Laurentium *S. Valerij Archidiaconum agnoſcens, illum Romam detulit, cuius eſt opere vſus, donec ad martyrij trophæum ſtrenuus agoniſta cucurrit. Cuius pignora poſſidet ſacra Regale* Hortenſe *Cœnobium propè* LORCAM, *vbi feliciter quieſcunt.*

*B. Ibidem ſacra lipſana* B. INNOCENTII, *Subdiaconi, & Martyris Romani, qui cum* S. Sixto *pro Chriſti fidei defenſione certauit, & ad martyrium abſque trepidatione peruenit.*

*C.* COMPLVTI *in Carpetania Hiſpaniæ* SS. IVSTI *&* PASTORIS *fratrum Martyrum, qui cùm adhuc infantili ætate vernantes, pro addiſcendis literis frequentaſſent ſcholam, audito impij Daciani Præſidis de publicandis Chriſtianis Imperatorum edicto, dimiſſis in gymnaſio alphabetis, ad Præſidem acceſſere: cuius ſæuitiam viriliter increpantes, ſtomachum Iudici commouere; ideo comprehenſi, carcerati, cæſi, extra vrbem extracti, & mutuo ad inuicem roborati, ceruices Domino obtulerunt.*

*D.* BVRGIS *in Hiſpania* SS. STEPHANI *& CC.* Monachorum *Ordinis* S. Benedicti *Martyrum; qui cùm in in cellis* Karadinenſibus *occluſi, cœlos continuis virtutum operationibus quæritaſſent*, à Zaphâ *Agarenorum duce impetiti, ſed diuinâ gratiâ confirmati, & in Monaſterij clauſtris fortes animo conſiſtentes, ſic ſummâ patientiâ, irruentes excepere carnifices, vt ab ipſis ſinguli iugulati, illuſtre de barbaris in ſeculo percepere trophæum, & immarceſſibilem in gloria recepere coronam.*

E. VRGELLÆ *in Monaſterio* Serratexenſi, *quòd nunc* Solſonæ *paret, in* Cathalonia, *Depoſitio* S. VRBICI *Epiſcopi, & Martyris; cuius ſacras exuuias honorificum tegit ſarcophagum, Monachorum cœtus pientiſſimo ſeruat affectu, & populorum frequentia donariis veneratur aſſiduis.*

F. MADRIDII *in Monaſterio fratrum SSS. Trinitatis Excalceatorum* S. FELICISSIMI *Martyris Romæ paſſi, cuius ſacræ glebæ Româ, Hiſpaniam delatæ, ibidem adſeruantur.*

G. CORDVBÆ *in Bætica in Conuentu prædictorum fratrum Excalceatorum* S. STEPHANI *Martyris, qui cùm Sixto, & Feliciſſimo, & Innocentio Romæ martyrium expleuit; cuius Reliquias ibidem Generalis eiuſdem Ordinis Miniſter honorificientiſſime repoſuit.*

# NOTÆ.

A. SANCTVS SIXTVS *Pontifex Maximus Martyr.*] Plurimum iſti S. Pontifici debet *Hiſpania*, & propter eius in *Toletano Concilio* Sedis Apoſtolicæ Legati muneris functionem, nec non propter *B. Laurentij* Romam delationem, & ad S.R.E. *Archileuitæ* aſſumptionem; ſed etiam, quod & maximum eſt, propter honorem, quo noſtram Prouinciam ſuis ſacris pignoribus illuſtrauit. Omnia probare compellimur, vt & Noſtratibus hocce myſterium reconditum demonſtremus, & inſtituto adamuſſim omnium probatione pareamus.

*Martyrologia.*

Igitur memoria S. Pontificis celebris eſt apud Martyrologos, ſcilicet *Bedam, Vſuardum, Adonem*, & alios, à quibus *Martyrolog. Romanum*, his verbis,: *Romæ viâ Appia in cœmeterio* Calliſti, *natalis* B. Sixti II. *Papæ, & Martyris, qui in perſecutione Valeriani, gladio animaduerſus, martyrij coronam accepit.* Conueniunt Martyrologia *Caſtellanum* Vaſq. *Luſitanum* Lup. *Hiſpanum* Higuer. *Italum* Conſtant. Felic. & cætera recentiora diuerſorum.

*Scriptores.*

De eo Euſebius in *Chron. Ann.* 261. & in *Hiſtor. Eccleſ. lib.* 7. *c.* 4. Optatus *lib.* 2. Nicephor. Calliſt. *lib.* 6. *c.* 34. Equilin. in *Catalog. SS. lib.* 7. *c.* 30. Philipp. Ferrar. *in Catalog. SS. Ital. fol.* 490. Damaſus, Luitprandus, Platina, Illeſcas, & cæteri qui vitas Romanorum Pontificum ſcripſere, à quibus Cardinalis Baronius *Annal. Eccleſ. Tom.* 2. *Ann.* 261. *n.* 1. 2. *& ſeqq.* Flauius Dexter (ex Noſtris) in *Chron. Ann.* 260. *n.* 3. 4. *&* 5. *vbi* Biuar. *fol.* 289. S. Vincent Ferrer. *Sermon. de S. Laurent.* Marineus Sicul. *de Reb. Hiſpan. lib.* 5. Prudent. in Periſtephan. *hymn.* 2. & quotquot de *S. Laurentio* ſcripſere, quorum nomina ad numerum reducere prolixum erit. S. Pontificis ACTA dabimus ex variis.

## *ACTA S. SIXTI II. PONTIFICIS Maximi, Martyris, ex Variis Scriptoribus Eccleſiaſt.*

*Origo.*

SIXTVS *fuit natione* Græcus, *natus* Athenis, *ex inclyto Philoſopho factus ſimilis Chriſti Diſcipulus, ſuis admirandis virtutibus, meritiſque dignus, qui ad Apoſtolicæ Sedis, è viuis ſublato Stephano Papâ & Martyre,*

*Pontificatū obtinet.*

*Cathedram adſcenderet. Ante huius igitur ſublimationis euentum, plura pro*



*pro* S. E. R. *ſeruitio, mandata peregit; inter quæ illud maximum, quòd* B. Laurentium Hiſpaniâ *Romam traduceret, vt illius Sanctæ Vrbis vitâ, & agone, inclytis, incomparabilis fuiſſet ſplendor. Nam cùm à Sede Apoſtolica ad Synodum* Toletanam *Legatus accederet, è quà reuerſus* Cæſaraguſtanam *vrbem* Hiſpaniæ *celebrem intraret, cognita* B. Laurentij *tunc illius vrbis Leuitæ ſanctimoniâ, illum Romam aſſentiente* Valerio *Epiſcopo, felici auſpicio perduxit.*

*Hiſpaniam venit.*

*Ergo Romam reuerſus* SIXTVS, *& ad apicem Summi Pontificatus euectus*, Laurentium S.R.E. *Archidiaconum ordinauit, cui theſauros etiam Eccleſiæ commendauit.*

*Capitur.*

*Poſthæc pullulante Valeriani Imperatoris perſecutione, S. Pontifex in carcerem trudi iuſſus eſt. Nam cùm Valerianus didiciſſet eum admirando vitæ exemplo, & concionibus, multas Ethnicorum animas ad Chriſtum conuertiſſe, conuerſoſque ad appetendam pro Chriſtiana fide mortem, confirmare, iuſſit eum comprehenſum ſibi ſiſti; nihilque non egit, vt & eum blandiciis, & minis à propoſito dimoueret. At cùm S. Pontifex omnes Valeriani conatus rideret, eum in carcerem (cui Mamertino nomen erat) detruſum, niſi Marti ſacrificaſſet, iuſſit obtruncari. Sic ductum* S. Laurentius *inſecutus, martyriique deſiderio accenſus, his verbis allocutus eſt*:

*S. Laurentij ad Sixtum verba.*

Quo progrederis ſine filio Pater? Quo Sacerdos ſancte ſine miniſtro properas? Tu nunquam ſacrificare, nec offerre conſueueras ſine Diacono. Quid in me ergo diſplicuit paternitati tuæ? Numquid degenerem probaſti? Experire certe, vtrum idoneum miniſtrum elegeris, cui commiſiſti Dominici ſanguinis conſecrationem, cui conſummandorum conſortium ſacramentorum credidiſti, huic ſanguinis tui conſortium negas? Vide ne periclitetur iudicium, dùm fortitudo laudatur. Abiectio Diſcipuli, detrimentum eſt Magiſtri. Quot illuſtres, præſtanteſque Viri, Diſcipulorum certaminibus, magis quàm ſuis vincuntur? Denique Abraham filium obtulit; Petrus Stephanum præmiſit; & tu Pater oſtende in filio virtutem tuam, & offer quem erudiſti, vt ſecurus iudicij tui comitatu nobili peruenias ad coronam.

*S. Sixti ad Laurentiū reſponſio.*

*Hæc vt* Laurentius *magno pietatis affectu, multiſque lachrymis irrigatus effatur, S. Pontifex eundem conſolaturus, dixit*: Non ego te deſero fili, neque derelinquo: ſed maiora tibi debentur pro fide Chriſti certamina. Nos quaſi ſenes, leuioris pugnæ curſum recipimus: te quaſi iuuenem, manet glorioſior de Tyranno triumphus. Poſt me venies: flere deſiſte, poſt triduum ſequeris Sacerdotem Leuita. *His dictis ſimul ad Templi Martis portam ventum*, SIXTVS *ſic Idolum eſt allocutus*: Deſtruat te Chriſtus, filius Dei viui; *& Chriſtianis dicentibus*, Amen, *ſubitò magna Templi pars cum Idolo corruit.*

*Idoli ſtatua corruit.*

*Quam ob rem ſatellites Imperatoris, hoc miraculo obſtinatiores facti S. Pontificem obtuneaturi extra vrbem duxere. Tum* S. Laurentius *ductum ſecutus, magno pietatis affectu dicebat*: Noli me derelinquere Pater Sancte, iam enim expendi theſauros, quos tradidiſti mihi. *Quibus prolatis, & ad locum martyrij ventum, S. Pontifex* SIXTVS *vnâ cum Sex Sociis*, Feliciſſimo, *&* Agapito *Diaconis*, Ianuario, Magno, Innocentio, *&* Stephano *Subdiaconis, decollatus eſt*, VIII. Idus Auguſti, *Anno* CC. LXI. *Imperante Valeriano. Cuius* Corpus *ſepultum eſt in Cœmeterio* Calliſti,

*Coronatur.*

*& poſt temporum excurſum aliquot ſacræ ipſius exuuiæ* Hiſpaniam *adlatæ, & in Regali* Hortenſi *Cœnobio prope* LORCAM *collocatæ, ibidem adſeruantur & coluntur.*

*Reliquiæ in Hiſpania.*

*Vna Ordinatione, Menſe Decembri, duos Epiſcopos: IV. Sacerdotes, & VII. Diaconos creauit. Duas Epiſtolas ſcripſit, vnam, ad Gratum Epiſcopum, in qua plura de æterna Filij ex Patre generatione, habet. Alteram ad Epiſcopos Hiſpaniæ, in qua illos ad vnitatem, & ad Apoſtolicarum traditionum obſeruantiam hortatur, prohibetque alterius Paræchiæ, Diœceſiſve aliquem ordinari, aut iudicari. Præſtante Domino Noſtro Ieſu Chriſto, qui cum Patre, & Spiritu-ſancto viuit, & regnat in ſæcula ſæculorum, Amen.*

*Eius ſcripta.*

HORVM itaque ſtrues ACTORVM communis eſt, demptis, Duobus, in ipſis,

*An Sixtus Hiſpanias adierit, & cuius causâ?*

deſcriptis propoſitionibus. PRIMA circa aduentum in Hiſpaniam S. SIXTI, & traductionem *S. Laurentij* ab ipſo S. Pontifice factam. Hanc probat Dexter in *Chron. Ann.* 360. *n.*4. his verbis, ab errore præli ſanitatis: TOLETI, *ſub* SIXTO *Papæ* Legato *Concilium contractum eſt.* Laborant enim barbariſmi vitio verba *Dextri*, vt in editis *Chronici* codicibus legitur, ſic: TOLETI *ſub* SIXTI *Papæ* Legato *Concilium contractum eſt.* Nàm tempore SIXTI Papæ nullum *Concilium Toleti* contractum inuenitur. Quod contractum dicitur; illud fuit, vbi S. SIXTVS tanquam Sedis Apoſtolicæ LEGATVS interfuit; de quo S. Vincentius Ferrer in *Sermon. de S. Laurent.* his verbis, cauſam aditus *S. Laurentij* Romam exprimens. *Dico primò* (inquit) *quod* S. Laurentius, *ſicut arbor bona in Horto S. Eccleſiæ plantata fuit, & fecit fructum de abſtinentia perſonali, quia ſemper abſtinuit à vitiis, & peccatis, & à vanitatibus mundi, in tribus locis*: PRIMO *in Ciuitate* OSCHA *Secundo in* Cæſaraugusta, *Tertio in* Roma. *De primo ſciendum eſt, quod ipſe fuit de* OSCHA *natus, de magno genere, licet in domibus magnorum fuiſſet nutritus.* SECVNDO *abſtinuit in* Cæſaraugusta, *quia quando habuit diſcretionem, dimiſſâ domo Patris, abijt ad* Cæſaraugustam *ad ſtudendum.* TERTIO *iuit* Romam; *& ecce* S. SIXTVS *vadens ad celebrandum* Concilium Toletanum, *fecit tranſitum per* Cæſaraugustam, *& auditâ famâ* B. Laurentij *vocauit eum, & ſcitâ ſuâ ſanctitate, duxit eum ſecum.* In aliquibus Codicibus Operum *S. Vincentij Ferrerij*, in textu huius relationis, per verba: *Et ecce* S. SIXTVS, impreſſum eſt verbum PAPA, quòd merito in alijs expungitur, quia S. SIXTVS poſt adeptum Pontificatum nunquam Romam reliquit, maximè cum in eo ſolum XI. Menſes, vt ex eius liquet hiſtoria, ſederit. Ex his agnoſces *Concilium Toletanum* contractum ante Pontificatum SIXTI, cui tanquam *Legatus* interfuit, & ideo corrigendus textus *Dextri*, & loco, *ſub* SIXTI *Papæ Legato*, reponendum, *ſub* SIXTO *Papæ Legato*; hoc eſt: *ſub* SIXTO *qui interfuit* Concilio Toletano, *tanquam Legatus Papæ.* Hunc ipſum aduentum in Hiſpanias S. SIXTI probat *Petrus Roſſetus* Poëta Gallus haut inuenuſtus in *Laurentid.* his verbis.

*Dextri locus corruptus reſtituitur.*

*S. Vicentij Ferrerij auctoritas.*

*Reſolutio ex Dextro & S. Vincentio.*

*Talia quærenti, poſita formidine lethi,*
*Ocyus hæc ſtabilis reddit* Laurentius *heros*
*Terra mihi primos* Hiſpania *præbuit ortus,*
*Sacrorum Antiſtes fidei dum fœdera noſtræ*
*Vltima in* Heſperia SIXTVS *clamore referret,*
*Quem nuper gladio inſontem preſſiſtis acerbo.*
*Inſignem Chriſtum noui, cultuſque ſalubres,*
*Atque olim ſacri laticis caput abluit vnda:*
*Ille huc me puerum poſtremis duxit ab oris*
*Heſperiæ:*

His etiam addendus Marineus Siculus *de Reb. Hiſpan. lib.* 5. agens de *S. Laurentio*, proſequitur: *Sed* B. SIXTVS *Pontifex, cùm in eadem Prouincia prædicaret, ſub quadam arbore* Lauro, *diuinitus inueniens eum*, Laurentium *vocauit, & diligenti cura nutriri, & doceri iuſſit, quem adultum ſecum* Romam *perduxit: vbi poſtea factus Pontifex, conſtituit eum* Archidiaconum. Ergo tempore traductionis *Laurentij* Hiſpaniâ Romam, non erat *Pontifex* S. SIXTVS. Sequuntur hanc opinionem P. Franciſcus Biuar. in *Not. ad Dextr. Ann.* 246. *fol.* 279. *verſ.* Qua verò. Sed in ſupradictorum comprobationem, hic ſubiiciam verba F. *Guillelmi Pepin* ex ordine Prædicatorum in *Tractat. de Imitat. SS.* agens de *S. Laurentio* proſequitur: *Poſtmodùm autem, ipſum* B. SIXTVS *Papa traxit Romam in hunc modum: Cùm enim ipſe* SIXTVS *perrexiſſet in Ciuitatem* Toletanam *in* Hiſpania *ſitam, cauſâ celebrandi* Concilium, *accidit vt tranſiret per dictam ciuitatem* Cæſaraugustanam, *in qua generale tunc florebat ſtudium; & cùm quæſtio verſaretur, qui eſſent doctiores in illa Vniuerſitate, habitus eſt ſermo de* B. Laurentio. *Hunc ergo videre voluit* B. SIXTVS, *qui tandem inuenit,*



*inuenit, quod ſibi de ipſo ab aliis dictum fuerat. Propter quod ipſum ad ſe traxit, & Romam adduxit, & factus* Papa, *Diaconum* Cardinalem *ordinauit: quem poſtmodum ita dilexit, & propter vitæ ſanctitatem, tum propter fidei ſynceritatem, quâ pollebat, quod deinceps nunquam Miſſam celebrabat, abſque ſui dilecti Diaconi* Laurentij *præſentiâ.* Quibus ſatis ſuffulta remanet hac propoſitio.

SECVNDA verſatur circa *Tranſlationem* aliquornm ſacrorum pignorum S. SIXTI Româ Hiſpaniam in *Hortenſe Cœnobium* prope vrbem LORCAM. Ad cuius probationem teſtem aduoco ocularem P. Vargas *Hiſtor. Hortan. tit. de Reliquiis.* §. 1. *fol.* 4. vbi aſſerit ipſum eas è Româ Apoſtolica auctoritate extraxiſſe, & in illud Regium Monaſterium, in Maiori Altare collocaſſe. De hoc apud ipſum fides ſtet.

*Reliquiæ S. Sixti PP. in Hiſpania.*

B.

S. INNOCENTIVS *Subdiaconus, & Martyr Romanus.*] Fuit vnus è Quatuor *Subdianis*, qui cum *B. Sixto* II. Pontifice Maximo agonem compleuit; cuius memoria etiam in *Tabulis Eccleſiaſticis* repetitur, vt notarunt Baronius in *Annal. Eccleſ. Tom.* 2. *Ann.* 261. *n.* 4. Philippus Ferrar. in *Catalog SS. Ital. fol.* 490. Ribadeneïr. in *Actis SS. Tom.* 1. *ſol.* 260. ex verſ. Caniſij, & omnes communiter. P. Alphonſus de Vargas *Hiſtor. Hortor. in Relat. Reliq. fol.* 6. aſſerit S. hunc Martyrem è *Cæmeterio Prætextati* extractum, ad Regale *Hortorum* Cœnobium prope Vrbem LORCAM in Hiſpania tranſlatum fuiſſe, vbi honorificè collocatum ibidem debito cultu venerari. Circar S. Subdiaconi ACTA hæſitat, credens, ab infantia eum in Eccleſiaſticis ſeruitiis fuiſſe nutritum, ita vt creſcente graduum virtutis ſpecimine, ad Subdiaconatus ordinem conſcendiſſe, & *S. Sixto* Pontifici adhærere, ita vt coronam martyrij cum ipſo meruerit. Hæc per Synopſim. Cætera Deus, cui nihil occultum, ſuo tempore reuelabit.

*Martyrologia.*

*Acta per ſynopſin.*

C.

SS. IVSTVS & PASTOR *Martyres Complutenſes*] Eorum illuſtre apud *Complutum* Hiſpaniæ trophæi encomium ſcripſere *Romanum Martyrologium*, his verbis: COMPLVTI *in* Hiſpania *Sanctorum Martyrum* IVSTI & PASTORIS *fratrum, qui cum adhuc pueri literis imbuerentur, proiectis in ſchola tabulis, ſpontè ad martyrium cucurrerunt: & mox à Daciano Præſide teneri iuſſi, & fuſtibus cædi; cùm ſe mutuis exhortationibus roborarent conſtantiſſimè, extra ciuitatem perducti, à carnifice iugulati ſunt.* Conueniũt poſt *Bedam, Vſuardum, Adonem, Galeſinium, Bellinũ, Peregrinis, Maurolycum*, & alios recentiores, Martyrologia *Caſtellanum* Vaſq. *Luſitanum* Lup. *Hiſpanum M S.* Higuer. *Italum* Conſtant. Felic. *Gallicanum* Andr. Sauſſ. & *Dominicanum* Ordinis. De eis Flau. Dext. in *Chron. Ann.* 296. *n.* 1. vbi Biuar. *fol.* 312. Roder. Car. *fol.* 97. *lit. S.* S. Braulius Cæſaraugustanus Epiſcopus S. Eulog. in *Memor. SS. lib.* 1. vbi Ambroſ. Moral. *in Schol.* S. Antonin. 1. *p. tit.* 8. *c.* 1. §. 25. Vincent. Bellouacenſ. in *Specul. Hiſtor. lib.* 12. *c.* 119. Vaſſeus in *Chron. Ann.* 303. Equil. *lib.* 7. *Catalog. SS. c.* 32. Ambroſ. Moral. *Hiſtor. Hiſpan. lib.* 10. *c.* 9 & in Tract. de *Tranſlat. hor. SS. lib.* 1. *cap.* 1. P. F. Ioann. Mariet. *Hiſtor. SS. Hiſpan. lib.* 2. *c.* 2. P. Truxill. in *Theſaur. Concionat. Tom.* 2. *fol.* 1470. D. Laurentius Padill. *Hiſtor. SS. Hiſp. Die* 6. *Auguſt.* D. Fran. Padill. *Hiſtor. Eccleſ. Hiſpan. Tom.* 1. *Cent* 4. *c.* 13. *fol.* 172. Marineus Sicul. *de Reb. Hiſpan. lib.* 5. Franciſc. Didacus de Aynſa *Hiſtor. Oſcenſ. lib* 2. *c.* 22. & 25. Blaſc. Lanuz. *Hiſtor. Aragon. lib.* 1. *c.* 37. Bernard. Dorhoff. in *Specul. Iuuentut. Die* 6. *Aug. fol.* 360. P. Ioann. Marian. *Hiſt. Hiſpan. lib.* 4. *c.* 12. Alphonſ. Sanch. *de Rebus Hiſpan. lib.* 2. Stephan Garibay. *in Compend. Hiſtor. lib.* 7. *c.* 44. Ioann. Franciſc. Andr. *Hiſtor. SS. Complutenſ. cap.* 7. Carrill. in *Annal Eccleſ. Hiſpan. Ann.* 303. vbi Camarg. P. Anton. Quintana-Dueñ. *Hiſtor. SS. Toletan. Secul.* 3. *fol.* 387. D. Alphonſus Nunez *Hiſtor. Gundalaxar. lib.* 1. *c.* 12. *fol.* 91. Ex Poëtis, primas ferat Noſter Catholicus, & eruditiſſimus Vir Clariſſimus Aurelius Prudentius in *Periſtephan. Hymn.* 7. his carminibus:

*Martyrologia.*

*Scriptores.*

*Poëtæ.*

*Sanguinem* IVSTI, *cui* PASTOR *hæret,*
*Ferculum duplex, geminumque donum*
*Ferre* COMPLVTVM *gremio iuuauit*
*Membra Duorum.*

S. *Aſturius*

S. *Aſturius Serranus* Epiſcopus Toletanus qui Corpora SS. Martyrum apud *Complutum* inuenit, quibus Templum conſtruxit, & Epiſcopali ſede condecorauit, in eius honorem hunc *Hymnum* compoſuit.

*O Dei perenne verbum, Patris ore proditum.*
*Organum, qui imbecille admouens infantium*
*Das eis ſpirare flatum, vocis vt promant ſonum.*
*Tu pius adeſto nobis, ſolue fibras gutturis,*
*Ora inſtrue loquelis, corda reple lachrymis,*
*Vt ſacrorum feſta dignis præcinamus canticis.*
*Ecce* IVSTVS, *ecce* PASTOR, *ambo iuncti ſanguine,*
*Quos pia fraternitas iunxerat germanitas*
*Inuexit æqualis ſacratæ paſſionis vnitas.*
*Hi tamen ſcholis retenti, dùm inſtruuntur literis;*
*Audientes, quod Tyrannus intrat vrbem perſequens,*
*Illicò ſcholam relinquunt, & tabellas abnuunt.*
*Appetunt curſu, deinde Præſidis præſentiam,*
*Et crucem Chriſti ſequendo, corpus armant debile,*
*Quòd triumphos paſsionis expedirent fortiter.*
*Hoc repentè Datiano nuntiantes, inquiunt,*
*Ecce aduenire Chriſtum profitentes paruuli,*
*Mortis vltro paſsionis, atque cædis perpeti.*
*Turbidus adeſt indè Præſes concitans ſæuitiam,*
*Ad ſuos truces miniſtros, vt teneantur clamitat,*
*Fuſtibus iubens tenella diſſecare Corpora.*
*Tunc ſacratas voces eccè adloquuntur inuicem:*
*Tempus eſt accepere temporales rite pœnas corporis,*
*Quo futurum poſsideant gaudium cum Angelis.*
*Audiens poſt Datianus Martyrum conſtantiam,*
*Excitatus in furore dictat hanc ſententiam:*
*Vt perempti ambo fratres, morte dirâ intercidant.*
*Protinus eos furentes pertrahunt ſatellites*
*Ad locum Campi patentẽ, quem ferunt Laudabilem,*
*Enſe illic verberantur, lacerantur ſanguine.*
*O locum verè beatum, quo cruor reconditur*
*Sanctus ille Paruulorum, ad ſalutem plebium!*
*Quo vè multa ſanitatum ſigna ægris confluunt.*
*Nempe hîc diuina virtus vincit iras Dæmonum;*
*Curat vlcus, membra ſanat, & dolores temperat,*
*Vota cunctorum receptat, & ruentes ſubleuat.*
*Tam tuorum paſsione freta gaudet Ciuitas*
*Iure* Complutenſis *almo quo laueris ſanguine,*

&



*Et Gemellis mos camœnis vota redde debitis.*
*Hinc Deus te poſtulamus, vt precantes audias,*
*Pelle morbos, ſolue vincla, & relaxa crimina,*
*Atque inlæſi futuram appetamus Patriam.*
*Nominis tui amorem da tuis in ſeruulis;*
*Temporale nil amemus, diligamus inuicem,*
*Te ſequamur, te canamus, te fruamur perpetim.*
*Laus tibi per omne tempus Trinitas indifferens,*
*Laus, honor, virtuſque, ſumma ſingularis gloria,*
*Quæ Deum te ſæculorum perſonat in ſæcula. Amen.*

Tarquinius Gallutius *lib.* 3. *Carmin. Epigram.* 43. *fol.* 370. Vincentius Guiniſius in *Sacr. Poëmat. fol.* 160. Henricus Coccus in *Hiſpan. Heroic. MS.* apud me *verſ.* 386. Poëta quidam Anonymus hocce SS. Martyrum Fratrum Martyrium hiſce verſibus decantauit:

*Dùm furiæ inſanas laxat Datianus habenas;*
*Et colere* Heſperios *Nomina vana iubet.*
*Scilicet id facere ſperans, ſi pectora cedant,*
*Quæ Chriſtum inſolitâ relligione colunt.*
*Hos terrore graui inſequitur, tormenta minatur,*
*Hos blanda intentat ſollicitare prece.*
*Atque omnem pulſans aditum: quantum acrius vrget,*
*Confirmat, potiùs quàm pia corda domet.*
*Non ſecus ac tentans crepitantem extinguere flammam,*
*Suppeditans oleum, repleat igne domum.*
*Sed noua crudeli ſedit ſententia menti,*
*Quâ putat inuictam ſe ſuperare Fidem.*
*Vt non ſuccidat ramos, ſed & ima reuellat,*
*Ne defixâ manens germinet arbor humo:*
*Ne pueri veterum renouent audita parentum,*
*Nec patres doceant, perdere vtroſque ſimul.*
Complutum *adueniens complet præconibus vrbem,*
*Aut mortem, aut mallent ponere thura Diis.*
*Quot tunc ad ſpiceres alacres ad ſydera vultus?*
*Orant pro Chriſti nomine poſſe mori.*
*Quot tunc felici letho furor impius hauſit,*
*Qui gladio iugulum propoſuere fero?*
*Non mortis timidi, ſed enim certamina prima*
*Egregiâ repetunt ambitione necis.*
*Coniugiumque domumque patres, natoſque relinquunt,*
*Optantes enſi ſubdere colla truci.*
*His vrbs aſsiduè Natorum ornata trophæis*
*Præſentabat ouans munera grata Deo.*

 *Ecce*

*Ecce autem Geminos videt intra tecta Tyranni*
*Germanos, propero limina adire gradu:*
*Germanos, paribus ſtudiis, quos vinxerat ætas.*
*Et pueros Chriſti non puerilis amor.*
*Flagrat in amborum iuuenili pectore feruor*
*Martyrij, ſenſu vincit vterque Senes.*
*Hos fera carnificum manus intertexta capillis*
*Compulerat teneros accelerare pedes.*
*Quales vere nouo fœcunda roſaria geſtant*
*Purpureas raptim vomere ſciſſa roſas.*
*Audierant quippè inſani crudelia Regis*
*Iuſſa: Sed his Dominum præpoſuere ſuum.*
*Et dùm fortè ſcholas adeunt, de more canentes*
*Mellifluis Chriſti dogmata ſancta ſonis.*
*Is ſonus impuras cùm primùm perculit aures,*
*Accenſa in Pueros turba furore ruit.*
*Aſt illi eiectis læti acceſſere Tabellis,*
*Nec captum è dulci decidit ore melos.*
*Spontè occurrentes rapiunt, & ad atria ducti,*
*Se ingenti acclamant pectore Chriſticolas.*
*Non videt hos Præſes, metuens non flectere poſſe:*
*Carcere concluſos, cædere terga iubet.*
*Cæſi conlaudant Dominum, ad maiora parantur:*
*His Fratrem & ſtimulat* IVSTVS *adire necem.*
*Quæ vita ô* PASTOR *manet, & nos quanto ſequetur*
*Gloria, ſi gladiis Corpora Noſtra damus?*
*Quærimus æternam; perituram abſcidite vitam*
*Clamant: pro Chriſti Nomine dulce mori.*
*Continuò referunt Datiano: accenſus in iras*
*Præcipit, abſque vllâ colla ferire morâ.*
*Nec mora, producunt ſubitò, capita aurea truncant,*
*Cœlum ornant animæ, terra cruore madet.*
*Qui vos ô Sancti Pueri docuere Magiſtri?*
*Terram ſanguineis velle linire notis.*
*Felix, ſi ipſe Scholis didiciſſem ſcribere veſtris,*
*Verba ignita loqui, verbera dira pati.*
*Et thecas, & calamos, atramentaria, chartas,*
*Vobiſcum, & vitam deſeruiſſe meam.*

Plura apud Poëtas Catholicos *Complutenſes* Carmina in laudem Noſtrorum Sanctorum Martyrum in Libello de eorum *Tranſlatione* Oſchâ Complutum ab eruditiſſimo *Ambroſio Morales* Regio Chronographo collecta, circumferuntur, è quibus *Tres Hymnos* ſelegimus, vt Noſtræ relatio ditetur Anamneſis. *fol. 99.*

IN



## IN LAVDEM SS. IVSTI, ET PASTORIS Martyrum Complutenſium Hymnus I.

IVSTE *tu noſtris numeris faueto,*
*Mortis inuictæ ſeriem retexe:*
*Huc ades* PASTOR, *lyricoſque noſtros*
*Dirige verſus.*
*Cùm vomit ſæuas furias Tyrannus,*
IVSTVS & PASTOR *pueri tenelli*
*Enſe pro Chriſto laceranda durè*
*Corpora tradunt.*
*Matris amplexus teneros relinquunt,*
*Chara non illos Patriæ moratur*
*Cura, non illos reuocant amata*
*Pignora patris.*
*Non ab incœpto puerilis ætas*
*Aduocat: virtus animis ſedebat*
*Magna: non illos acies cruenta*
*Terret inermes.*
*Nil mouent dulces ſtudij Sodales,*
*Principem fortè adeunt ſuperbum:*
*Militum grandes animos putares*
*Bella petentum.*
*Quid ergo Sancti facient? tacebunt?*
*Æſtuat pectus, rogus intus vrit,*
*Tota prorumpit fidei retentæ*
*Flamma per ora.*
*Voce conclamant: Sequimur ſuperni*
*Iuſſa Nos Chriſti, intrepidè fatemur,*
*Et fidem, & leges, iugulumque ferro*
*Tradimus vltrò.*
*Cerneres fortes pueros in ipſis*
*Enſibus Chriſtum mediis fatentes.*
*O fidem inuictam! ô veneranda toto*
*Pectora Mundo!*
*Sæuiunt hoſtis furiæ feroces:*
*Vibrat & nudos gladios Tyrannus:*
*Vicit in Sanctis proprij cruoris*
*Prodiga virtus.*
*Ecce nunc agni ſubigunt Leones,*
*Ecce crudeles domitos furores:*

*Mors ruit forti ſuperata fratrum*
*Morte Duorum.*

## HYMNVS SECVNDVS.

*Oſſa* Complutum *retines Duorum*
*Martyrum : cœlis animæ beantur :*
*Ergo age ipſorum lyrico canamus*
*Carmine laudes.*
*Nil minas hoſtis veriti ſuperbas ,*
*Fortiter ſæuam ſubiere mortem ,*
IVSTVS *&* PASTOR *lanianda ferro*
*Membra dederunt.*
*Sacra nunc cœlo celebrant trophæa*
*Mortis inuictæ ſeriem recenſent ,*
*Nunc iuuat chartas memorare fuſo*
*Sanguine tinctas.*
*Iuſſa crudelis referunt Tyranni ,*
*Nunc vident rupem madidam cruore ,*
*Carnis abſciſſæ : peragunt perennes*
*Morte triumphos.*
IVSTVS *ætatem recolit tenellam ,*
*Et ſtupet mirans teneros & annos :*
PASTOR *euoluens gladiis peremptus*
*Gaudet iniquis.*
*Nunc canunt hoſtis domitos furores :*
*Nunc cita exultant cecidiſſe morte :*
*Nunc iuuat grandes titulos honoris*
*Cernere partos.*
*Hiſce , quas quondam coluere terras ,*
*Ambo nunc lætis animis peragrant ;*
*Hunc ſuo ſancto populum ſacratum*
*Sanguine cernunt.*
*Sedibus cœli memores , ſuorum*
*Ciuium viuunt : populo precantur*
*Nunc ſuo pacem , veniamque noſtris*
*Lapſibus orant.*
*Floridis fulgens ſtudiis caterua*
*Sterne te totam pedibus ſacrorum*
*Martyrum , quorum precibus beatis*
*Tota iuuaris.*

AD



## AD COMPLVTENSES DE OBITV SS.Martyrum Hymnus III. Conſolatorius.

*Mitte* Complutum *gemitus tuorum*
*Martyrum , canta potiùs triumphos :*
*Namque ſecurâ gladiis perempti*
*Pace fruuntur.*
*Nullus hîc iuſto locus eſt dolori ,*
*Cerne quas geſtent nitidi coronas :*
*Ergo non funus celebra ; ſed ortus*
*Læta ſupernos.*
*Mœror abſceſſit penitùs : fluentes*
*Agnus abſterſit lachrymas ocellis ,*
*Quem chorus mixti Angelicis nitenti*
*Veſte ſequuntur.*
*Aſpicis quantos habeas Patronos ,*
*Quos tibi lethum rapuiſſe ploras ;*
*Pluſque quàm viuos , gremio fouere*
*Oſſa iuuabit.*
*Abſit vt* IVSTVS *negligat parentem ,*
*Deſerens legem Domini ; vel ipſos*
PASTOR *exponat rabidis luporum*
*Faucibus agnos.*
*Prouidet* PASTOR *pecudi ſalubres*
*Porrigens herbas , nocuas repellit :*
IVSTVS *infirmas recreans , amœnis*
*Potat in vndis*
*Tum gregi* PASTOR *vigilat tuendo ;*
*Iuſtos vt* IVSTVS *beet impetrando :*
*Ambo paſtores vigilant , & orant*
*Juſtus vterque.*
*Nullus in cœlis aditus dolori :*
*Nulla virtutum poterit deeſſe ,*
*Condolent læti miſeris , & ægris*
*Commoda præſtant.*

NVNC ad officia in Cathedralibus Eccleſiis Hiſpaniæ calamum conuertamus. *Breuiaria.* Celebre fuit tempore Gothorum in Eccleſia *Toletana* , à S. *Aſturio Serrano* eius Antiſtite compoſitum , & *Breuiario Muzarabi* admixtum. Poſtmodum in nouam formam redactum à *Ioanne Siliceo* S. R. E. Cardinali, Archiepiſcopo Toletano IV. Capparum , hoc Die. In Breuiariis *Zamorenſi* , *Legionenſi* , *Placentino* , *Seguntino*, *Hiſpalenſi* , & aliis celebrantur , vnà cum SS. Martyribus Sixto , Feliciſſimo , & Agapito. In *Calagurritano* , IX. Lectionum. In *Palentino* Die VII. Auguſti. In

Segobienſi h. d. IX. Lectionum. In Abulenſi colitur Die VIII. Auguſti. In Conchenſi, & Carthaginenſi, etiam h. d. officio Semi-Duplici IV. Capparum. In vetuſtiſſimo Burgenſi, & in alio recentiori agitur cum Feſto Transfigurationis, & SS. Sixti, & Sociorum. Quod etiam in Compoſtellano vetuſtiſſimo obſeruatur, licet in recentiori Anni 1569. eorum officium aſſignatur Die VII. Octobris. In Pampilonenſi cum Sixto, & Sociis. In Oſcenſi Duplex IX. Lectionum, & in aliis etiam Hiſpaniæ paſſim. Eorum ACTA reperiuntur in Legendariis Aſturicenſi, & Segobienſi MSS. apud me, necnon in alio edito licet vetuſto Hiſpalenſi, & in Floribus SS. Hiſpaniæ apud Vegam fol. 343. apud Æmilianum, Sanctorum, & Lequizamo fol. 198. apud Baſilium Sanctorium Tom. 2. fol. 76. apud Lucium fol. 209. col. 3. apud Villegas Tom. 2. fol. 248. apud Ribadeneyra cum Notis P. Caniſij Tom. 1. fol. 362. apud Surium cum Not. Moſſandri. Tom. 4. fol. 84. apud Truxillo Tom. 2. fol. 1462. Zacharias Lippeloo, & Cornel. Graſius Tom. 3. fol. 370. Illa ex Legendariis MSS. Aſturicenſi, & Segobienſi collata cum deſcriptis in Hiſpalenſi, dabimus.

*Legendaria, & Flor. SS. Hiſpã.*

## *ACTA SS. IVSTI, ET PASTORIS Martyrum Complutenſium ex MSS. Legendariis Aſturicenſi, & Segobienſi, & edito Hiſpalenſi.*

INCIPIT Legenda SS. Martyrum Complutenſium IVSTI, & Paſtoris fratrum, qui martyrio coronati ſunt ſub Imperatoribus Diocletiano, & Maximiano, Præſide Datiano Hiſpaniarum VIII. Idus Auguſti.

*Perſecutio.*

DVM crudeliſſimus Datianus inſtinctu ſerpentis antiqui, & conſilio Diaboli prouocatus, vniuerſum rabidus percurreret Orbem, ita vt quoſcunque Chriſtianos per diuerſas regiones, ſanctam audiret colere vitam, variis tormentorum generibus cruciaret, & ad ſuæ ſacrilegæ religionis ritum omnium populorum corda conuerteret, & ditionem. Dùm enim ſubitò ad Complutenſem vrbem tranſeundi itineris opportunitas perduxiſſet, hi Duo fratres, infantes ſanctiſſimi IVSTVS, & PASTOR, relictis ſcholæ tabulis, in quibus eorum teneræ literis imbuebantur ætates; iam non ad ſtudium iſtius ſeculi, vel doctores ire cæperunt, ſed quaſi probati Chriſti Diſcipuli ad ſpectaculum proprij martyrij alacri deuotione cucurrerunt. Obliti ſunt Parentes ſuos, prædia, cognationem, pecunias, & omnem ſeculi oblectationem, & expediti poſuerunt animas ſuas in manibus ſuis, vt irent ſeruire Regi cælorum in tabernaculis ſuis. Reliquerunt humana ſtudia, ſcripta tabulis ſuis, tripliciter enim habebant digito Dei ſcriptam fidem in cordibus ſuis. Cúmque ſollicite cernerent, & intento caperent corde, quid dementis Datiani furor inquireret, nuntiatum eſt Datiano, quòd hi duo Infantuli Chriſtiani eſſent, & à Chriſtianis fuiſſent Parentibus orti, vt ſi à veſtra clementia fuerit facta Chriſtianorum inquiſitio, ipſi ſe ſponte offerant puniendos.

*Complutum venit.*

*Martyrũ lætitia.*

*Accuſantur.*

MEMORABILE factum: Duo agni nouelli nouiter haurientes aquas de fonte Saluatoris, cucurrerunt ſitientes ad calicem paſſionis, & reportauerunt phialas plenas ſanguine proprio, candidati Nazaræi Domino ſuo, traditis corporeis tunicis martyrio ſacro. Cúmque hoc crudeliſſimus Datianus diligentius aduertiſſet, ſcilicet, quod Chriſti milites martyrium perquiſiſſent, ſtatim indignationis irâ commotus, inauditos eos iuſſit comprehendi, & cædi præcepit. Et hoc fecit Diabolico conſtrictus ſpiritu, timens, ne dùm eos ad interrogandum ad eius præſentiam perducerent, aliorum circunſtantium ad confeſſionem Chriſti Nominis animos præpararent: aut nè dùm in eis ſuam publicè

*Martyrio ſe offerunt.*



malitiam proſpiceret, ab Infantulis ſuperari. Crudelis beſtia beluinâ rabie cruentata ſiticbat ſanguinem innocentium, & nullum reperit mortis meritum in præcordiis inſontium. Cúmque comprehenſi fuiſſent, priuſquam ſupplicium paterentur, ſic ſe Beati Martyres, aſpirante Angelo Dei, læti inuicem confortabant. IVSTVS dixit: Noli frater PASTOR hanc temporalem pertimeſcere paſſionem. Noli cædentium ictus in tuo tenerrimo corpore deuitare. Noli incumbentem gladium exanimi ſpiritu formidare, quia ſi annuente Domino IESV-CHRISTO iſtinc Nos ad ipſius gloriam properare contigerit, digniorem in futuro ſeculo eius ſuſcipiemus fortitudinem, quæ non minuat noſtram paruitatem, ſed ad perfectiorem Martyrum, & Angelorum coronatam perducat ætatem. Hîc quidem breui tempore conſtituti paruam inter homines poſſidemus vitam: ſed illic in longitudine dierum, ſi ipſi placiti fuerimus vitæ abundantiam percipiemus æternæ.

*Confortantur ad inuicem.*

CVI Sanctiſſimus PASTOR reſpondit: Dignè quidem frater IVSTE ſic te decet hortari, vt iuſtitiam, quam in tuo nomine portas, ſimul cum tuo Fratre PASTORE ſuſcipias. Leue enim ſit nobis pro confeſſione Domini Noſtri IESV-CHRISTI noſtrum corpuſculum iugulari, & ſanguinem fundi, vt in cœleſti ſacrario Chriſti diuinum Corpus, & pretioſum Sanguinem eius, liceat adorare. Non nos parentum, vel proximorum reuocet pietas, nec noſtræ doleamus ætati, ſed celeriter prompti ad cœlorum culmina properemus, vbi noſtræ infantiæ, & cognatorum noſtrorum, veniam peccatorum mereamur obtinere. Talis inter eos fuit conformitatis inſtantia, & cordium vnitas, vt.

*Vnanimitas cordium Martyrũ.*

*IVSTVS amat, quod PASTOR amat, quod diſplicet illi,*
*Diſplicet huic, vnum cor dedit vnus amor.*
*Pro fide martyrium petit hic, petit alter, & enſi*
*Intrepidus ſæuo corpus vterque parat.*

At vbi qui directi fuerant violenti carnifices, illos vidiſſent vnanimiter talia loquentes, nuntiant Datiano Præſidi, quid de eis præciperet, quos audierant ſic ſe pro nomine Chriſti audacter conſolantes. Quo audito, Datianus ſtupefactus ait: Non ſunt iſti digni noſtris conſpectibus ſiſti, qui nec infantiæ ſuæ tenerum robur lucrari voluerunt, nec Deorum noſtrorum venerabilem maluerunt adolere culturam. Statimque iubet eos procul à Ciuitate gladio trucidari. Cúmque ducti fuiſſent, in CAMPO LAVDABILI, nullâ obſtante maceriâ, ibi vltionem dignam pro Chriſti Nomine ſuſceperunt. Quorum confeſtim Saluator animas, apertis cælis, triumphantibus Angelis, & Martyrum choris, in æterna requie cæleſtium perenniter collocauit VIII. Idus Auguſti.

*Condemnantur.*

*Coronantur.*

POST celerem vero profectionem immundiſſimi Datiani, exeuntes Chriſtiani Corpora SS. Martyrum Paruulorum, in eodem loco quô paſſi ſunt, honorificè ſepelierunt, & per ſingulorum Corpora, vnâ protegente Baſilicâ, in eorum titulis altaria veneranda ſacrarunt: quæ ita, & ſanctum locum, tantâ Dominus IESV-CHRISTVS potentiæ ſuæ maieſtate repleuit, vt quicunque purâ fide, & integrâ deuotione eorum expetierit veneranda ſuffragia, qualibet fuerit infirmitate detentus, vel inimicorum ſpirituum faſcinatione depreſſus, ſtatim ipſorum Martyrum inuicto liberatur auxilio. Vnde opportet Nos vnicâ vocis laude, in eorum feſtiuitate Pſalmorum canticum reſonare, dicentes: Gaudete iuſti in Domino, rectos decet collaudatio, vt qui pro cælorum regno, & Nobis omnibus obſeruandis pretioſum ſanguinem effuderunt; dignas & Nos in hac die pro eorum martyrio laudes Altiſſimo cum muneribus referamus. Igitur ſuper eorum tumulos hæc deuotio aliquando conſcripſit carmina, in Conciuium Martyrum obſequium, & Tutelarium venerationem.

*Sepeliuntur.*

*Miracula ad eorum ſepulchrũ.*

Hoc

*Hoc ſacrata loco ſiſtunt pia* Corpora *Fratrum*
IVSTI, *&* PASTORIS, *quos fide iunxit amor.*
*Plurima quæ ægrotis reddunt prodigia paßim:*
*Et tutela ſuis Ciuibus eximia.*

*Concurſus fidelium ad eorum tumulos.*

IBIDEM *Sanctorum* Corpora *debitâ veneratione iacuerunt, ita vt eorum veneratione, & SS. Martyrum interceßione plurima Deus ægrotis quibuſcunque ad ipſorum limina conuenientibus beneficia contulerit. Nec non multi deuotionis, & voti vinculo nexi, ipſorum viſitandi ergo ſarcophagos ex longinquis partibus conuenirent, inter quos* B. Paulinus *poſtea* Nolanus *in Italia Epiſcopus cum* Tharaſia *coniuge, ſanctißima, & Catholica fœmina, &* Celſo *filio apud* Complutum *defuncto, & iuxta SS. Martyrum thecas ſepulto, & aliis plurimis peregrinis, quorum pietas in hoc feliciter elucebat. Poſtmodum Gothorum* Hiſpanias *inuadentium æuo, cùm hæreſi macularentur Arrianâ, eorum timore perterriti fideles, ſacras SS Fratrum exuuias, ſic ſub humi abſcondiderunt aggeribus, vt penitus earum locus latibuli ignoraretur. Donec* B Aſturius Serranus *ad apicem* Toletanæ *Eccleſiæ praſulatus aſcendit, quô diuinâ dicitur reuelatione commotus,* Complutenſi *ſepultos municipio, quod ab vrbe eius fermè ſexageſimo Milliario ſitum eſt,* IVSTVM, *&* PASTOREM *Dei Martyres perſcrutatus, in lucem, & gloriam terrenæ cognitionis prouehendos inuenit. Quibus inuentis, protinus illis in loco martyrij Baſilicam fabricauit excelſam, vitam illorum & agonem ſcripſit, Officium Eccleſiaſticum, & Miſſam, Hymnos, & alia ad eorum glorificationem compoſuit, & ipſe, relicta Sede* Toletana, *illorum quandiu vixit tumulis adhærens, in eorum ſeruitio vitæ reliquum occupauit.*

*Gothorum aduentu eorum obliteratur memoria.*

*Corpora poſt B. Aſturius Serranus inuenit.*

*Sarracenorum aduentu in Galliam aducta.*

PER *Tria ferè ſecula SS. Martyrum pignora poſt iſtam* B. Serrani *inuentionem, apud* Complutum *honorificè condita, & venerabiliter culta iacuerunt, donec eueniente Sarracenorum exercitu, quo victores totum* Hiſpaniæ *circulum ferro, & ſanguine depaſcebant,* B. Vrbicius, *qui voti ſolutione, ad SS. Martyrum limina accedere properabat, inuentis Vrbe* Complutenſi, *& Baſilica Martyrum ſolo æquatis, inter huius rudera ſacra* SS IVSTI, *&* PASTORIS, *thecis incluſa pignora extraxit ſplendidis, quibus onuſtus ad eius patriam Burdigalam properauit, vbi Eremiticam aliquantulum vitam agens, illarum erat cuſtos, & indiuiduus comes. Sed demùm temporum lapſu* Hiſpanias *repedauit, & ad* Nocitam *vallem, non procul ab vrbe* Oſcha, *perueniens, ibidem eremitorium extruxit exiguum, quo SS. Martyrum thecas repoſuit, & eo è viuis ſublato, & inter vtrumque Martyrem ſepulto, eidem Eremitorio reliquit. Hîc ad Annum vſque Domini* M. CCCC. XCIX. *quieuere, quô cùm* D. Alphonſus Carrillo *de* Acuña *Archiepiſcopus* Toletanus, *primum; poſt* D. F. Franciſcus Ximenez de Ciſneros *eius in Sede ſucceſſor cuperent* Reliquias *SS. Martyrum in vrbem reducere* Complutenſem, *nec prece, nec ſimulatione eorum deſiderium à Ciuibus* Vallis Nocitæ *adimpleri valuiſſet, furtim* Corpora *ſubtrahere per ſeptem quoſdam factioſos homines id exequi diſpoſuere. Hi denique SS. Martyrum lipſana noctu furantes, in* Oſcham *vrbem præcipites deuenere, vbi miraculosè inuenta, & in Eccleſia Veteri* S. Petri *ipſius vrbis recepta, & demùm honorifice collocata, ibidem adhuc incolarum veneratione coluntur. Quouſque Anno Domini* M. D. LXVII *inſtante Eccleſiâ Collegiatâ* Complutenſi, *procurante* Philippo II. *Hiſpaniarum Rege Catholico, & ordinante SS. Pontifice* Pio V. *ex* Oſcha Complutum *aliquot SS. Martyrum Complutenſium Reliquiæ tranſlatæ ſunt, vt ex Authographis circa hoc confectis, liquido pateſcit.*

*Poſt ad Hiſpanias traducta.*

*Ad Oſchã miraculosè tranſlata.*

*Aliquot Reliquiæ transferuntur Complutum.*

Hactenus genuina ACTA, & integra Noſtrorum SS. Martyrum, quæ partim ex relatis Legendariis MSS. & editis, & partim ex relationibus Tranſlationum apud



apud *Ambroſium Morales*, & *Ioannem Franciſcum Andream*, præcipuis *Libellis*, deſcriptis deſumpſimus.

SED licet in ACTIS ſuperius recenſitis nihil de *Patria*, & *Parentibus* referatur; tamen in hiſce *Notationibus*, quidquid illa omiſere probatorum Scriptorum auctoritate ſupplebimus. Hinc itaque eorum *Parentes* deſcribemus, & ex conſequenti *Patriam*, & locum martyrij. Apud omnes igitur conuenit SS. Martyres *Patrem* habuiſſe S. VITALEM, & *Matrem* ſanctiſſimam fœminam cuius nomen ſub ſilentio latuit. Hoc adamuſſim probatum relinquimus ſupra hoc eodem *Tom.* 4. *Die II. Iulij lit. B.* cùm de hoc ſanctiſſimo Martyre VITALE, Noſtrorum SS. Martyrum *Complutenſium* Parente, egimus; & etiam plura congeſſit Illuſtriſſimus *D. Petrus de Roxas*, Comes de Mora in *Hiſtor Toletan.* 1. *p. lib.* 6. *c.* 6. *fol.* 470. vbi ſuo more, & eruditione eximiâ, quidquid deſiderium expoſcit, in illo opere coagulauit. Fuit S. VITALIS filius S. NATALIS Confeſſoris, qui apud *Hiſpanos* diuerſans VITALEM filium ſuſcepit, & vrbe Carpetaniæ THERMEDA, cuius erat ciuis, nutriuit, poſt Romam reuerſus ibidem Confeſſoris titulo ad ſuperos euolauit. Quæ omnia latiùs probauimus ſupr. *d. Die II. Iulij.* & conueniunt omnes Scriptores ibidem relati. Erat enim *Thermeda* oppidum iuxta COMPLVTVM, & ideò SS. Martyres IVSTVS, & PASTOR tempore aduentus Datiani Præſidis illic morabantur, causâ addiſcendi primarum litterarum rudimenta, vt ex ACTIS liquet.

*Parentes Martyrum qui?*

*Auii, & Patria.*

CIRCA frequentem peregrinorum aduentum ad viſitanda SS. Martyrum limina, maxime *S. Paulini*, coniugis *Tharaſiæ*, & *Celſi* filij, ibidem mortui, aliqua diximus ſupra, hoc Martyrologio *Tom.* 2. *Die VII. Martij. lit. A. fol.* 106. vbi Panegyricum eiuſdem S. Epiſcopi *Carm.* 15. *fol.* 533. citauimus, & aliquos verſus ad rem pertinentes, excripſimus: & notauit S. Aſturius Serranus *in Hymno de his SS. Martyribus*; vbi etiam inſignia miracula ibidem patrata eorum interceſſione, recenſet, quibus ægroti ad ipſorum ſarcophagum confluentes, mirificè ſanantur.

*A Peregrinis viſitantur ſepulchra SS. Martyrum.*

QVATENVS ad INVENTIONEM ſacrorum pignorum diù deliteſcentem, curâ, vigiliis, & orationibus *S. Aſturij Serrani* Epiſcopi Toletani, locus eſt expreſſus S. Ildefonſi in *Catalog. Scriptor. Eccleſ c.* 2. Flau. Dext. in *Chron. Ann.* 423. vbi Biuar. *n* 7. *fol.* 444. Iulian. in *Chron. n.* 194. & plures alij quos *d. Tom.* 2. *Die VIII. Mart. fol.* 122. *&* 123. recenſuimus.

*Illa inuenit B. Aſturius Serranus.*

DE Tranſlatione ſacrorum pignorum *Compluto* Burdigalam per *S. Vrbicum*, & è *Burdigala ad Vallem-Nocitam* in *Aragonia* prope *Oſcham*, videndi Luitprand. in *Chron. num.* 225. & 232. Iulian. in *Chron. num.* 387. & plures quos retuli *d. Tom* 2. *Die VII. Mart. fol.* 106. *verſ.* Apud Complutum. Andr. Sauſſay in *Martyrolog. Gallican. Tom.* 2. *in Supplemont. Die VI. Auguſt. fol.* 1155. his verbis; poſtquam de SS. Martyribus Complutenſibus ſcripſiſſet agonem: *Quorum deinde* CORPORA *à* S. Vrbico *Monacho feliciter à Maurorum Hiſpaniam occupantium rabie vindicata, primùm in* Galliam *aducta, deinde in* Hiſpaniam *relata, & apud* Oſcam *condita ſunt.* Quæ etiam, Deo annuente, dicemus infra *Tom.* 6. *Die XV. Decembr.* cùm de *S. Vrbicio*, anamneſim coagulabimus, vbi etiam prolixius huiuſmodi *Tranſlationem* deſcribemus.

*Ipſa S. Vrbicus in Galliam aduexit, & inde in Hiſpaniam retulit.*

VLTIMAM aliquot Reliquiarum *Oſcâ Complutum* Tranſlationem ſcriptam ſuperius *d. Tom.* 2. *Die VII. Martij. fol.* 105. & ſeqq. relinquimus, vbi Acta proceſſus ipſius ad vnguem extenſam perleges, ita vt nihil quod deſideres deficit: quod ſi patrio, hoc eſt, Hiſpano ſermone illa legere cupis, videſis Ambroſium Morales in *Libello de hac Tranſlatione*, & Ioannem Franciſcum Andream in *Hiſtor. SS. Complutenſ. c.* 5. 6. *&* 7. Didacus de Aynſa *Hiſtor. Oſcenſ. lib.* 2. *c.* 25. *&* 33. Lanuza *Hiſtor. Aragon. lib.* 1. *c.* 17. & alij plures à me relati.

*Vltima Tranſlatio.*

PRORSVS à veritate defecerunt P. Biuar. in *Not. ad M. Maxim in Addit. n.* 54. *fol.* 58. à quo P. Quintana-Dueñas *Hiſtor. SS. Toletan. Secul.* 3. *fol.* 383. & D. Alphonſ. Nunius *Hiſtor. Guadalfaxarenſ. lib* 1. *c.* 12. *fol.* 101. qui conſtanter aſſerunt, S. MARTHAM Virginem, & Martyrem *Aſturicenſem* fuiſſe ſororem S. VITALIS Patris Noſtrorum SS. Martyrum, cui cùm in Italiam repedaret VITALIS SS. Martyrum

*S. Martha minimè fuit amita SS. Martyrum.*

*Biuarij opinio reſpuitur.*

tyrum filiorum educationem commiſit. Audi Biuarium huius commenti auctorem: *Auctorem habeo, cui multum defero*, S. VITALIS *ſororem fuiſſe Sanctam* MARTHAM Aſturicenſem, *virginitatis, & martyrij laureis inſignem: quæ poſt fratris in Italiam diſceſſum, pueros* Complutenſes, *matre orbatos in fide educauerit, & ad coronam vſque perduxerit: quam ipſa quoque* Aſturicam *regreſſa percepit ab eodem* Datiano, *vbi & prædia parentum poſſidebat.* Hactenus Biuarius: & licet de hoc aliqua tumultuariè dixerim ſupra hoc eod. *Tom. 4. Die II. Iul. lit. B. verſ.* Hæc ſunt genuina, attamen hîc ex profeſſo rationes *Biuarij* & aliorum opinionem eneruantes, ſubiiciemus I. Quia nullum pro ſua relatione Auctorem *Biuarius* allegat; nec illi ſufficit, vt credatur, *ſe habere Auctorem aſſerere*, nam in hiſce Sanctorum relationibus, maximè quando à communi vetuſtiſſimorum Scriptorum opinione diſceditur, Scriptoris Neotherici aſſertioni ſtabitur de iure nunquam, vt notum eſt. II. Ratio, quia in ipſiſſima relatione *Biuarij* refertur, SS. Martyres *Complutenſes* fuiſſe tempore diſceſſus Parentis VITALIS in Italiam, *matre orbatos*, quod eſt contrarium ecphraſi antiquarum Lectionum in Legendariis ſuperiùs recenſitis contentarum, vbi dicitur, SS. Martyres *oblitos* PARENTES *ſuos, prædia, cognationem, pecunias, & omnem ſeculi oblectationem* fuiſſe, cùm ad tribunal Præſidis fuiſſent delati. Si hoc ita, quo titulo *matris orbatos* credidit *Biuarius*? Sit III. Ratio, quia *S. Martha Aſturicenſis* agonem compleuit tempore Decij Imperatoris ad Annum CC. LIII. & SS. Martyres Noſtri tempore Diocletiani, ad Annum CCC. III. ex qua computatione nequaquam poteſt ſuſtineri relatio *Biuarij* dicentis, *S. Martham* educaſſe Martyres Complutenſes, & *ad coronam vſque perduxiſſe.* Nam ſi ante Quinquaginta annos *Martha Aſturicenſis* martyrio coronata eſt, nequaquam potuit Martyres noſtros ad coronam vſque perducere; nec minus illos educare, cùm nondum nati eſſent tempore paſſionis *Marthæ*, nec in poſterum per Quadraginta Annos. Non obſtant ACTA ab ipſo Biuario confarcinata, qui ex eius capite, ſine duce, antiquiora emendare conatur, & noua à ſe conficta, pro genuinis inducere ſatagit. Hanc ipſam opinionem Noſtram tuetur Illuſtriſſimus Comes Morenſis *Hiſtor. Tolet. 1. p. lib. 6. c. 6. fol.* 473. vbi fere iiſdem rationibus improbat *Biuarij* commentum.

*Probatur. I.* — *Probatur II.* — *Probatur III.*

*Quo Anno paſſi?*

QVOAD *Annum*, quo SS. Martyres *Complutenſes* occubuere, variè apud Noſtros computatio ſumitur: Nam Ambroſius Morales *Hiſtor. Hiſpan. lib.* 10. *cap.* 9. P. F. Ioannes Marieta *Hiſtor. SS. Hiſpan. lib. 2. cap.* 15. Alphonſus Villeg. *in Flor. SS Tom. 2. fol.* 367. eorum martyrium ad Annum CCC. VII. reiiciunt. Ioannes Vaſſeus in *Chron. Hiſpan. Ann* 306. *fol.* 648. & Stephanus Garibayus in *Compend. Hiſtorial. 1. p. lib. 7. c.* 44. ad Annum CCC. VI. Cæſar Baronius in *Annal. Eccleſ. Tom. 2. Ann.* 303. *fol.* 562. F. Alphonſus Ciaconius in *Vit. Pont. Tom. 1. Ann.* 303. *fol.* 9. D. Franciſc. Padill. *Hiſtor. Eccleſ. Hiſpan. Tom. 1. Centur. 4. cap. 13. fol.* 176. D. Martin. Carillo *Annal. Eccleſ. Hiſpan. Ann.* 303. *fol.* 111. P. Ioannes Mariana *Hiſtor. Hiſpan. lib. 4. c.* 12. ad Annum CCC. III. P. F. Laurentius Surius *in Vit. SS. Tom. 4. Die VI. Auguſt. fol.* 84. ad Annum CCC. *Breuiarium* Antiquum *Palentinum* ad Annum CC. XCVIII. Flauius Dexter in *Chron. Ann.* 296. vbi P. Biuar. *num. 1. fol.* 312. ad Annum CC. XCVI. *Breuiarium Pacenſe* peruetuſtum, *Lect.* 6. ad Annum CC. LXXXVII. *Breuiarium Granatenſe Lect.* 6. ad Annum Domini CC. LXXXVIII. Sed quis in re tàm dubia pedem figet? Sed Ego pro ſententia Eminentiſſimi Cardinalis Cæſaris Baronij, & aliorum ſequacium ſto, qui veriſimilius computationem appingunt.

D.

*Martyrologia.*

SS. STEPHANVS *Abbas Karadignenſis cum Sociis.*] Eorum illuſtris reperitur anamneſis apud *Martyrologos* recentiores, ſcilicet Philippum Ferrar. in *Catalog. General. SS. h. d. fol.* 317. hoc elogio: *Karadignæ in Hiſpania SS. Martyrum* STEPHANI *Abbatis, & Ducentorum Monachorum ſub Mauris.* Arnaldus Vvion in *Martyrolog. Monaſtic. h. d. fol.* 263. ſequenti ſerie: *In Hiſpania* SS. SANCTII *Abbatis, &* Ducentorum Monachorum, *ab Agarenis pro fide occiſorum.* Eadem Hugo Menardus in *Martyrolog. Benedictin. h. d fol.* 67. Niſi quòd eorum elogium duplicat, credens SANCTIVM Abbatem, & STEPHANVM fuiſſe diuerſos, cùm re verâ vnus & idem ſit Abbas, anteſignanus aliorum *Ducentorum* Martyrum, fortè

Scriptorum



*Scriptores.*

Scriptorum varietate deuictus, apud quos, *Abbas* Cœnobij *Karadignenſis*, qui Sanctos Monachos ad agonem inſtruxit, aliquando STEPHAVVS, aliquando SANCTIVS nuncupatur, vt & ipſe *Menardus* poſtmodum *lib. 2. Obſeruat. fol.* 659. animaduertit, dicens: *Videntur eſſe iidem cum iis, quos* Vvion *hac die ſcribit paſſos eſſe Anno Domini* DCCC. LXXXIV. *& quorum Abbatem appellat* SANCTIVM. Molanus in *Addit. ad Vſuard. h. d. fol.* 182. Philippus Ferrar. *in Topograph. SS. verb.* Caradignæ. *fol.* 138. De eis Ambroſius Moral. *Hiſtor Hiſpan lib. 10. c. 9. & lib. 13. cap.* 40. Stephanus Garibay in *Compend. Hiſtorial. lib. 9. cap.* 19. Vaſſeus in *Chron. Ann.* 884. D. Martin. Carrill. *Annal. Eccleſ. Hiſpan. Ann.* 834. F. Ioann. Mariet. in *Topograph. SS. Hiſpan. verb.* Burgos *fol. 11. lib.* 22. F. Antonius Yepius *in Chron. Benedict. Tom. 4. Ann.* 834. *c. 2. fol.* 40. D. Prudent. Sandoual Epiſcopus Pampilonenſis *in Fundat. S. Petri Karadignenſ.* §. 1. *& ſeqq. fol.* 36. *&* 37. M. Ægidius Gonzal. in *Theatr. Eccleſ. Caſtell. Tom. 3. fol.* 24. Eorum ACTA ſcripſere *F. Alphonſus Ciaconius* Noſter, *F. Franciſcus Ybañez* in *Compend. Viror. Illuſtr. Ordin. Benedictin.* & F. Franciſcus Biuar. *in Not. ad S. M. Maxim. in Chron. Ann.* 540. *num.* 1. § 3. *fol.* 412. Surius in *Vit. SS. Tom. 4. h. d. fol.* 84. Illorum agonem depinxit *Neothericus Poëta*, cuius copiam damus.

## ACTA SS. STEPHANI ABBATIS, ET aliorum Ducentorum Monachorum Karadignenſium in Hiſpania Martyrum, ex Poëta Neotherico.

SALVE *ô celſi decus admirabile Regni,*
*Lucidaque* Hiſpanæ *terrarum ſydera Gentis:*
*Diuinique ſimul Benedicti maxima proles,*
*Inclyta martyrij quos ornat purpura ſæui:*
*Vos agni, rabies intempeſtiua Leonum*
*Quos tulit in melius veſtram qui tradere vitam,*
*Carnifici potius, Fidei quàm linquere ſacræ*
*Doctrinam, & duros voluiſtis adire labores.*
*Athletæ Chriſti fortes, qui ſigna ſequuti*
*Ductoris* STEPHANI, *magnos ex hoſte triumphos,*
*Et morte æternæ meruiſtis præmia vitæ.*
*Non vos in vaſto tantùm Deus ornat Olympo,*
*Sed tamen vt tanti regnaret fama triumphi,*
*Plurima martyrio cumulata miracula veſtro.*
*Membrum* Zepha *trucis poſtquam tuculentus auer*[illegible]
Kardignæ *ſacras* Petri *peruenit ad Ædes,*
*Chriſtiadum cupiens ſacratum perdere Nomen;*
*Agnorum inuehitur ſacrum furibundus Ouile.*
*Plurima martyrij vobis tormenta minatur,*
*Ni fidei ſtatim documenta relinquere rectæ,*
*Atque ſequi ipſius deliria hic iam praua velitis.*
*Vos alacres palmamque ſimul, bellique trophæum*
*Semper anhelantes: mortem, tormenta, tyrannos*
*Spernitis, atque illos ad prælia tanta mouetis.*



*Illi*

*Illi indignantes, validas adſydera voces*
*Tollunt, carnificiſque exercent munera ſæui.*
*Sed* STEPHANVS, *qui non* Stephano *minor extitit ipſo*
*Ad pugnam validos hortatur, & ampla ſequaces*
*Præmia: ſacrato completur ſanguine tellus;*
*Cum Duce* Bis-Centum *cœli aſcendiſtis in Arces,*
*Signum victorum palmas, & ſerta ferentes,*
*Sed ne mortales victoria tanta lateret,*
*Hæc miranda quidem longos viguere per annos:*
*Veſtri nam proprio ſacrati fonte triumphi*
*Perfuſum ſacro ſplendebat ſanguine Clauſtrum:*
*Quæ cùm Romulidum, Pater ô ſanctiſsime Clemens,*
*Æthereas cuius moderatur dextera Claues*
*Aſpiceres, horum Nomen tendatur in Orbe,*
*Præcipis, atque illis celebrentur feſta Quotannis.*
*Sed Vos ſæua quibus mors non dominabitur vltra,*
*Interceſſorum petimus nunc ſumite curam,*
*Auxilium & terris ſummo demittite cœlo.*

In eo quod hic dicitur Sanctiſſimum *Clementem* VIII. Pontificem Maximum hoſce SS. Martyres *Karadignenſes* in Albo Sanctorum repoſuiſſe, eorumque paſſionem Quotannis celebrare iuſſiſſe; verum eſt, vt patet ex Lectionibus à Yep. *d. c.* 2. *fol.* 41. *col.* 3. & à Biuar. *d. Comment. ad Maxim. Ann.* 540. *n.*1. §.4.*fol.*412. recenſitis, quarum hic eſt tenor:

## *ACTA SS. STEPHANI ABBATIS, & aliorum Ducentorum Monachorum Karadignenſium in Hiſpania Martyrum, ex Decreto Clementis VIII.*

*Lectio V.*

*Zepha Rex Arabum affligit Chriſtianos.*

*Monaſterium Karadignenſe.*

TEMPORE *quo Arabum ſæua tyrannis in* Hiſpania *Chriſtianos affligeret, atque* Zepha *eorum Rex impius,* Caſtellæ *Prouinciam deuaſtaret, potiſsimùm verò Dei Seruos, Fidei Chriſtianæ propugnatores, viros Religioſos, quos ſciret eſſe ipſorum execrabilis ſectæ acerrimos impugnatores, vehementer exagitaret. Inter alios Venerabiles Monachos, qui diuerſis in locis* Hiſpaniarum, *propenſiori cultu Deo ſeruientes, eorundem perſecutionibus premerentur, feliciores illi fuere, qui apud* Burgos *in Monaſterio* S. Petri de Cardena, *Ordinis* S. Benedicti, *egregiâ vitæ ſanctitate florentes, digni inuenti ſunt, qui omnes ſimul ducenti numero, ad martyrij coronam promouerentur à Domino* IESV-CHRISTO.

*Lectio VI.*

*Stephanus Abbas Monachos exhortatur ad agonẽ. Monachorum conſtantia.*

*HI enim ſub* STEHHANO *Abbate ipſorum, Viro ſanctiſsimo, ad ſpiritualem palæſtram iugiter exercitati, & carnem vincere, mundum contemnere, & debellare aëreas poteſtates edocti; audientes eoſdem adeſſe Arabes, miniſtros Sathanæ, ipſorum ſanguine ſitientes, nullam ſuſcipere voluere redemptionem, vt meliorem inuenirent reſurrectionem. Sed vnanimes Dei armaturâ potentes, ſpiritu feruentes, ad quæque mala ſubeunda perſtitere conſtantes. Probèque intelligentes, quod non ſunt condignæ paſsiones huius temporis, ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis, mutuis ſe exhortationibus*



*tationibus ad ſubeundum martyrium, roborarunt, atque aſsiduis precibus munierunt.*

*Lectio VII*

*Coronãtur à Sarracenis. Miraculũ de ſanguine Martyrum Clauſtrum purpuraſcente. Eorum memoria à Sedè Apoſtolica culta.*

SIC *igitur diuinâ gratiâ confirmati, Monaſterij Clauſtro fortes animo conſiſtentes, ſummâ patientiâ, irruentes excepere carnifices, à quibus ſinguli crudeliter iugulati, optatam martyrij coronam perceperunt* VIII. Idus Augusti *Feriâ* IV. *Anno ſalutis* DCCC. XXXIV. *Sepulti ſunt ibidem Sancti Martyres à fidelibus, qui illuc conuenere, poſtquam funeſta Arabum cohors inde receſsit. Deus autem, qui ſuos milites non ſolùm coronat in cœlis, ſed in terris efficit glorioſos, ad ipſorum Martyrum gloriam, locum illum celebri miraculo illuſtrauit, dùm pluribus ſubſequentibus annis, Die anniuerſariâ ipſorum cædis, tanquam recenti cruore aſperſum, eundem rubentem oſtendit. Sed iam penè extinctam, iniuriâ temporum ipſorum memoriam, reddit ſuâ auctoritate Sedes Apoſtolica rediuiuam, atque eam celebrandam omnibus fidelibus repræſentat.*

*Error Ciaconij & Surij.*

En ACTA genuina tanquam à Sede Apoſtolica ordinata; nam ea quæ F. *Alphonſus Ciaconius* Noſter euulgauit, & quæ *F. Laurentius Surius* excripſit, proculdubio in Annorum computatione peccare manifeſtum eſt, eo quod *Eram Cæſaris* in *Inſcriptione* inciſam pro *Anno Domini* ſuſcepere, nam cùm dicat Inſcriptio ERA DCC. LXXII. ipſi dixere: ANNO Domini DCCC. LXXII. à cuius Eræ computatione, ſi XXXVIII. annos dempſeris, Annus Domini DCCC. XXXIV. remanebit. qui fuit verus paſſionis horum SS. Martyrum *Karadinenſium*, vt ex Lectionibus à S. Sede Apoſtolica extructis pateſcit. Quod vt & melius innoteſcat: en tibi totam Inſcriptionem ſubiicio.

*Annus paſsionis quis?*

ERA. DCCC. LXXII. IV. FER. VIII. ID. AVGVST.
ADLISA. EST.
KARADIGNA. ET. INTERFECTI. SVNT. IBI.
PER. REGEM. ZAPHAM
CC. MONACHI. DE. GREGE. DOMINI. IN.
DIE. SANCTORVM.
MARTYRVM. IVSTI. ET. PASTORIS.

*Annus pro Era & è contra ſæpè accipitur.*

Iam ex ipſa *Inſcriptione* colligitur, qualiter fuerit *Annus* agonis DCCC. XXXIV. nam ſoluto *Eræ* inuolucro, iſte remanet purus, & veriſſimus. Hinc erraſſe *Circonium*, & *Surium* patet, ſcribentes *Annum* pro *Era*, quod ſæpe ſæpius euenit, vt aliquando tempora temporibus concordentur.

*Abbas Bi-nominis fuit.*

SED ad ACTORVM probationem venientes, ne in poſterum alius contrahatur error, ac ille à *Hugone Menardo* contractus, ſciendum eſt Sanctum Abbatem *Bi-Nominis* fuiſſe, & appellatus fuit STEPHANVS-SANCTIVS, vt ex Actis *Alphonſi Ciaconij* Noſtri colligitur; & ita nullum errorem contraxere illi Scriptores, qui omiſſo Nomine proprio cognomine vſi ſunt in ſcriptis.

*Hymni Benedicti Arias Montani.*

DEMVM pro coronide hic tres Hymnos à *Benedicto Arias Montano* Noſtro compoſitas apponere curaui, quos in Laudem horum SS. Martyrum, petente Abbate *Karadignenſi* Anno M. D. LXXXI, quo de eorum Officio apud Sedem Apoſtolicam obtinendo tractabatur, ſcripſit. Quos ab Illuſtri Domino, & amico eruditiſſimo *D. Gaſpari Ibañez de Segobia* Calatrauenſis Ordinis Equite, & de huiuſmodi Antiquitatibus benemerito accepi, cùm *Madridij* inſignia eruditiſſimi *Benedicti Arias Montani* monimenta MSS. comparauit. En Hymni

### HYMNVS ad Veſperas.

*LInguis Chriſtiloquis, mentibus enthæis*
*Laudes fert animus texere Militum,*
*Quos mites & oues carniuorus lupus*
*Pro Chriſti laniat fide.*

*Tuo ſæui Nomades tempore Iberiæ ,*
*Et cunctos penetrans Heſperiæ ſinus ;*
*Nota eſt terrigenis impia Reguli*
Azephæ *truculentia.*
*Sed multo pietas famigeratior*
Cephæ *conſpicua eſt in veteri domo ,*
*Qua Cardo fidei vertitur intimæ*
*Præſens Cardiacis ſalus.*
*Aduerſis placitis Vraniæ editus ,*
Acephas *ſolium ,* Cephæ *aliis ſacrum ,*
Bis-Centum *reperit , quos eadem toga*
*Veros Chriſtolatras probat.*
*Geſtabat baculum Cœnobiarchium*
*Celſo Heros animo , nomine* Stephanus ,
*Optat qui roſeum cum ſociis ſuis*
*Primus fundere ſanguinem.*
*Hos omnes pariter bellua peſſima*
*Inuadit , perimit , dilacerat : rigat*
*Fanum purpureo ſanguine ; Abelius*
*Clamat qui velut ad Deum.*
*Sed nobis Monachis* Carolinæ *notæ*
*Qui tantis tribuis Præſtitibus frui ,*
*Quanta euthanaſia , nos quoque nobiles ,*
*Ac vitæ euthimia cupit.*
*Almæ ergo Triadi ſit benedictio :*
*Pater cum Sobole , & Pneumati viuido ,*
*Cui laus vt ſileat fas erit in Sion ,*
*Et thus in Solyma ardeat.*

Poſt ſupra ſcriptum *Hymnum* idem Doctiſſimus *Benedictus Arias Montano* breues *Notatiunculas* ad eius intelligentiam ſubiecit , quas hic etiam tranſcribere propoſui , ne tanti Viri monimenta depereant , & quòd omnibus de *Hymnorum* ſenſu innoteſcat contextus.

*Natatio ad Hymnum I.* Sic Lingua Latina Græcanico idiomati adhæret , vt ab eo paſſim , maxime in Poëſi , & vbi myſterium includendum erit , voces plurimas aucupetur. Hinc Ego aliquando in hoc *Hymno* aliquibus Græcanicis vtor, quas etiam Scriptores Latini eruditiſſimi inter eorum opera ſæpe ſæpius inſerunt. Sed ne fortè aliquibus minus in hiſce idiomatibus peritis , inſerta in Hymnis vocabula nauſeam pariant, illa breui explicare conſtitui , vt ſenſus omnibus pateſcat.

*Mens Enthea quæ ?* In *Primo Hymni Teoſareſtico,* vbi Cantores eius materiam proponere incipiunt, diximus eos ſolemnizare SS. feſtum Martyrum Mentibus Entheis , id eſt, Dei nomine inferuefactis. Hoc verbum in hac ſignificatione paſſim à *Guillelmo Budeo , Hermolao Barbaro , Angelo Politiano , Marſilio Ficino* Florentino , & aliis philologis accipitur , qui ex *Græcanis* originalibus illud diſcerpere videntur, & ex SS. *Gregorij* Nazianzeni, & *Baſilij* ſcriptis. Ita & Statius Papinius *Sylu.* 2.

Hic



.........*Hic thyrſos , &* Enthea *lauro*
*Tempora, Minoa crinem premit ille corona.*

Hinc Entheatus dicitur, qui diuino Numine afflatus eſt, vt *Entheata* Vatum pectora apud Martialem *lib.6.* & Ἔνθεος, Numine diuino plenus.

In *Secundo* , vbi Sarracenorum ſæuitiam deſcripſimus, illos *Nomades* vocitauimus, S. Ieronymi ſequuti exemplum dicentis : *Nomades , & Troglodytæ , & Humnorum noua feritas ſemicrudis veſcuntur carnibus.* Hinc Plinius omnes Arabes, & incolas Mauritaniæ ſæuos, & truces appellitat. Illos deſcribit *Dionyſ. Alexandr.* *Nomades quæ ?*

Ἀλλ' ἤτοι πυμάτην μὲν ἐπὶ γλωχῖνα νέμονται
Ἀγχοῦ στηλάων , Μαυρουσίδος ἔνθεα γαίης.
Τοῖς δ' ἐπιδὴ Νομάδων παραπέπλαται ἄσπετα φῦλα.
Ἔνθα Μασαισύλιοί τε καὶ ἀγρόνομοι Μασυλῆες
Βόσκονται σὺν παισὶν ἀν' ἤπειρόν τε καὶ ὕλην ,
Μαιόμενοι βιότοιο κακὴν καὶ ἀεικέα θήρην.

Quæ carmina *Andreas Papius* Gandenſis , mihi amicitiâ coniunctus , & propter eruditionem charus ſic in edito *Dionyſij Alexandrini* de Situ Orbis *verſ.* 185. *fol.* 22. Codice, vertit.

*At verò procul Herculeis vicina columnis*
*Progenies extrema colit Mauriſidos oræ.*
*Queis* Nomadum *innumero ſuccedunt ordine Gentes :*
*Atque Maſæſylij paſſim , miſerique Maſylæ*
*Cum natis, ſteriles ſyleras , ſaltuſque peragrant ,*
*Victum infelicem durâ conquirere prædâ.*

Videndi ſunt , ſi placuerit , *Euſtatius* , & *Priſcianus* circa hanc verſionem , & circa vocem *Nomadum* Africanis , & Arabibus conuenientem , Ruffus Feſtus Auienus *verſ.* 277.

*Cephas dictus Petrus.* In *Tertio* contraponentes perfidiam Regis Mauri *Acephæ* cum fide viuâ , & manſuetudine SS. Monachorum Martyrum, in alluſione ad deuotionem *S. Petri,* quâ tenebantur Martyres propter Monaſterij delicationem huic Apoſtolorum Principi à *Sanctia* Regina *Theodori* Regis Gothorum in Italia coniuge factam , & Apoſtolus à Chriſto *Cephas* dictus eſt , & ideò aſſeruimus maiorem extitiſſe SS. Martyrum feruorem ad *Cepham* , quam *Acephæ* crudelitatem.

*Cardiacus, quid ?* In eam *Tertio Teoſareſtico* alludentes ad Nomen *Cardeña* , diximus ipſam eandem fidem , & SS. Martyrum ſpiritum conuenire proprietati Cardiaci , cuius languor cor dolore afflictat. Sic Cicero *lib.* 1. *de Diuinat.* Iuuenal. *Satyr.* 5. *verſ.* 32. in hunc ſenſum :

Cardiaco *nunquam cyathum miſſurus amico.*

Et cùm SS. Martyres dum in ipſo Cœnobio vitam egiſſent , cor contritum, & humiliatum coram Deo haberent , ideo vocabuli ſignificatione ludentes, diximus Cœnobium illis *Cardiacis* Monachis ſalutem aduexiſſe.

*Euthanaſia quid ?* In *Septimo* poſtquam martyrij SS. Monachorum apicem deſcribimus , neceſſitatem , quâ tenentur cæteri eiuſdem inſtituti ad illorum inſequenda veſtigia prænotamus hac voce *Euthanaſia* , quæ ſignificat in Chriſto mortificationem perfectam , à verbo Εὐθανατῶ , quòd idem eſt , ac *honeſta morte defungor* , ſiue *honeſtè , & glorioſe morior.* Qua vox in hac ſignificatione communis eſt apud relatos.

Vox

*Enthymia quid?*

Vox etiam *Euthymia* in eodem *Teoſareſtico*, etiam ex Græcorum dialecto procedit, & apud Latinos vſurpatur pro integra cordis & immaculata munditia, & animi tranquillitate Chriſto cohęrentis, nam Græcis Ευθυμία, alacritas, & recta animi conſtitutio interpretatur.

## HYMNVS ad Matutinum.

** Amicorū amicus.*
** Id eſt preces.*

M*Artyrum* Philotære* *Chriſte*
*Quâ* litas* *pangit tibi nunc caterua*
*Archimandritæ* Benedicti *alumna*
*Effice grates.*
*O tui quanta eſt bonitas amoris*
*In tuos, nobis ſacra qui theatra*
*Architectaris, pietate tanta,*
*Ædituentum.*
*O tuæ valet mens* Heſperiæ *theſauros*
*Conſequi ſeruat: tibi quos* Iesv,
*Ara* Cardinæ *redimita lauris*
*Æditimorum.*
*Mira quàm res eſt nitidum Saphiris*
*Vix æri intextis ouium macellum,*
*Quæ tibi fauſta Monachiſmus vnâ*
*Victimat horâ.*
*Fontis illius prope quem tot almæ,*
*Te* Panophæum *reſonat camenæ:*
*Quam iura puris ſitibunda labra*
*Tingere lymphris.*
*Sic tuos ergo, Bone Paſtor, agnos*
*Rura* Cardenæ *per aprica paſce,*
*Vt duces tantos gregis æmulentur*
*Indole tantâ.*
*Da boni fontem, Bone, ſic bibere,*
*Præſtet vt pro te gladio perire;*
*Aſtra quam tecum peragrare celſa*
*Perpete greſſu.*
*Vna ſit Patri ingenito latria,*
*Et tibi Patris Soboli perenni,*
*Pneumati ſancto, ſine fine pſallat*
*Spiritus omnis.*

** Ab omnibus laudatus.*





## HYMNVS ad Laudes.

V*Eni ſereni Lucifer*
*Veſtire perge iam tuæ*
*Adoreos Heſperiæ*
*Campos, decoro lumine,*
*Sed ſolito iucundius*
Cardinæ *amœnæ radia*
*Pyramidas cœlipetas*
*Tantis ſacratas Herois.*
*Inuiſe quàm rariſſimò*
*Splendore Chriſti Solampidas,*
*Clauſtri ſolet quod hodie,*
*Res mira, purpuraſcere.*
*Chriſtalla fontis permea,*
*Quem tot tenent fonticulæ,*
*Pæana Ecaradinades*
*Chriſto canentes dulcia.*
*O Cardueles candidi,*
*Achanthides multiſonæ:*
*O pulchra membra ſpinei*
*Quod nimiat vos capitis.*
*En quæſumus prognariter*
*Nobis adeſte, vt libeat*
*Chriſto duci iam mori,*
*Chriſto duci iam viuere,*
*Æterna Pater gloria,*
*Quæ Filio dulciſſimo,*
*Et Paracleto Pneumati*
*Quo ſpirat omnis ſpiritus,*

*Adorei Campi qui?*

Hactenus Hymni Noſtri eruditiſſimi homopoli *Benedicti Arias Montano*, qui in *Notationibus* ad hunc Hymnum proſequitur: In *Primo Teoraſeriſco*, Hiſpaniæ Campos, Adoreos vocitamus, quia hi non ſolùm ſeminibus Adoreis abundant, ſed etiam quia inſignium fuere victoriarum palæſtræ. Quibus ſignificationibus paſſim hæc vox recipitur. Hinc ſemen Adorevm. Plinio *lib.* 18. *cap.* 8. Columell. *lib.* 2. *c.* 6. Varr. de *Re Ruſt. lib* 1. Et hinc etiam gloria militaris Adorea dicta apud Feſt. *lib.* 5. *de Ling. Lat.* Apulei. *Apol.* 1. Plaut. in *Amph.*

*Chriſolampides lapides qui?*

In *Tertio*, lapides Clauſtri illius Religioſi Cœnobij Chrisolampidas vocitamus, nam hi ſunt quidam lapides pretioſi, qui noctu ſplendent, & diù obſcurantur; ἀπὸ τοῦ χρυσοῦ, ἐ λάμπω. Id eſt, ab auro, & ſplendeo. Hinc vetus Græcum adagium ἐν νυκτι λαμπρὸς, ἐν φάει καὶ ἀνωφελής. Id eſt: In Nocte lucens, luce vero inutilis. Huic igitur lapidi hos SS. Martyres comparauimus, quia in huius vitæ nocte mirabiliter ſplendentes, Chriſti per confeſſionem inuicti mucroni iugula præbuerunt.

MONASTERIVM KARADIGNENSE. De eo diximus ſupra *Tom. 2. Die XV. Mart. fol.* 244. vbi aliqua de eius antiquitate recenſuimus, nunc P. F. Ioannis de Areualo *Epigramma* damus:

*Huius Cœnobij encomia.*

*Hæc ſacrata* Petri Karadignæ *limina Sancti*
Sanctia *conſtruxit, deſtruxit* Zepha, *refecit*
Alphonſus, *fauit* Garſias, Cidus *honorat:*
*Auxerunt* Comites *Magni, Regeſque potentes*;
Pontifices *vultu* Sancti *adſpexere paterno:*
*Hinc* Reges *iſthinc* Comites, *ſunt* Martyres *ilbic*,
*Ecce* Duces *fortes*, Benedictus *omnia complet.*

*Benedictus Arias Montano* in relatione Hymnorum, quos ſuperius dedimus, etiam aſſerit quòd B. *Benedictus* miſit *Sanctiæ* Reginæ ex Italia Monachos ad populationem huius Cœnobij, de cuius nomine aliam refert ethymologiam, quam alibi ſubiiciemus.

E. S. VRBICIVS *Epiſcopus & Martyr.* ] Diuerſus ab illo cuius memoriam recolunt Eccleſiæ *Hiſpanicæ*, & *Gallicanæ* ad Diem XV. *Decembris*, & cuius etiam Nos anamneſim coagulabimus infra *Tom. 6.* ſi Deus vitam commodauerit pius. Vtriuſque ACTA apud Scriptores confuſa nimis conſpicimus, illa prout fas erit genuina deſcribemus, ita vt vnicuique res geſtæ à quolibet referantur. De hoc Philippus Ferrar. in *Catalog. General. SS. Non. Auguſt. fol.* 316. hac ſerie. *Serrateſij in Hiſpania* S. VRBICII *Epiſcopi, & Martyris.* Sed perperam *Nonas Auguſti* conſignat Diem cultus, cùm contrarium noſcatur apud Scriptores *Gotholanos*, apud quos VIII. *Idus Auguſti* conſignatur Dies agonis. Eius ACTA deſcripſit Anton. Vincent. Domenec *Hiſtor. SS. Cathal. 2. p. fol.* 1. ex his quæ deſumpſit ex Antiquo *Breuiario Serratexenſi*, quorum copiam damus.

*Martyrologia, & Scriptores.*

## *ACTA S. VRBICII EPISCOPI, & Martyris, cuius Corpus in Monaſterio Serratexenſi in Cathalonia Hiſpaniæ ſeruatur, ex Lectionibus Antiqui Breuiarij, & Domenec.*

*Origo.*

VRBICIVS *natione* Gallus, *Parentibus nobilibus ortus, in pueritia Patre orbatus, cum matre ſua* Aſteria *nomine, quæ Chriſtianiſſima erat, & litteris Græcis, atque Latinis erudita, in* Gallæciam *captiuus eſt delatus, vt tanquam lapis pretioſus in ſuperna Ieruſalem collocandus tunſionibus, & preſſuris à teneris Annis expoliretur. Poſt aliquod tempus, beneficio Dei, Matre in Galliam remeante, puer* VRBICIVS *in captiuitate relictus eſt. Qui tamen Dominis ſuis, non propter timorem, ſed propter conſcientiam, ſic ſubditus erat, & in omnibus fidem bonam oſtendens, ſic hilariter ſeruiebat, vt non tàm captiuus, quàm ingenuus videretur. Mater verò eius ieiuniis, & orationibus vacans, filio impetrauit liberationem. Qui in patriam reuerſus, non ſolatio matris ab eadem eſt retentus, ſed habitu Monachali à* S. Martino *Monacho, ſuſcepto, ſeruitio Chriſti, qui illum liberauerat, & cui ſe deuouerat, protinus mancipatus. Sed vt & cognatorum, & amicorum impedimenta vitaret, patriam deſerens in Aragoniam venit, vbi in quadam vaſtiſſima eremo locum ſuæ habitationi eligens, primus illic ſolus, mirabiliſque Eremita in ieiuniis, vigiliiſque, & orationibus, ac horis Canonicis, quas quotidie, & ſi ſolus, ſolemniter celebrabat, & aliis exercitiis ſpiritualibus conuerſatus, vltra quinquaginta annos tranſegiſſe perhibetur.*

*In captiuitatem incidit.*

*A captiuitate ſoluitur.*

*Fit Monachus.*

*Hiſpaniam venit Eremita.*

CÆTERVM



CÆTERVM *quantâ auſteritate rebellantem carnem caſtigauerit: Quot latronum iniuriis offenſus, aut quot inſidiis Dæmonum oppugnatus fuerit, haut facile poſſet explicari ſermone. Denique ob ſingularem eius ſanctitatem dedit illi Dominus virtutem calcandi non ſolum ſuper ſerpentes, & feras beſtias, quæ cellulæ eius propiùs habitabant, ſed & ſuper Dæmones, qui ſanctitati illius inuidentes, ipſum variis imaginibus infeſtabant: Dei tamen adiutus gratiâ, illos perſequens, ab obſeſſis corporibus fugabat. Denique cum eius virtus vbique clareret, dùm tantùm ſuis ſpiritualibus exercitiis, centenario maior, diſtentus ſenium perageret, totius populi plauſu, & cleri ſuffragio, fuit, nec abſque Numinis diſpoſitione, factus Epiſcopus. Cuius muneris onus, ſic S. Præſul exegit, prædicatione, & infidelium conuerſione, quòd ab iſtis plerumque impetitus, vix multoties periculum euaderet. Sed tantus erat quotidie ſectariorum concurſus, qui ad pedes S. Pontificis accedebat, vt aquâ ſalutari tingeretur, quòd cæterorum minas deſpectans, vbique in gremium Eccleſiæ quotquot deueniebant ad eam, per baptiſmum ſuſciperet. Hoc ſic cæteros infideles fatigauit, quòd S. Pontificis vitæ deliberatâ deſperatione inſidiari proponerent; & occaſione inuentâ, S. Virum lupi rapaces crudeliter verberantes, illius iugulum deſecarunt. Poſt aliquot Annos S. Martyris* CORPVS *ad* Serratexenſe *Cœnobium Ordinis* Benedictini *delatum, & ibidem conditum, mirifico omnium circumiacentium accolarum, quorum ægritudines ſanat, & neceſſitatibus occurrit, cultu veneratur.*

*In Eremo exercitia.*

*Ad Epiſcopatus apicem aſcendit.*

*Coronatur.*

HÆC ex antiquo *Breuiario Vrgellenſi*, & relatione *Antonij Vincentij Domenec* excripſimus. Sed re verâ multa hic referuntur, quæ prorſus S. VRBICIO Confeſſori ad *Vallem Nocitam* in *Aragonia*, iuxta *Oſcam*, conueniunt. Quæ, cùm, Deo annuente, ad eius diem perueniamus, diluemus.

AMBROSIVS Morales *Hiſtor. SS. Complutenſ. c.* 1. *fol.* 42. aſſerit, quòd Sanctus VRBICIVS habitum induit Monachalem è manu *S. Martini*, ſed cuius *Martini* ſilet. Anton. Vincent. Domenec *d. lib.* 2. *c.* 1. *fol.* 1. *col* 3. contendit, quòd B. VRBICIVS illum accepit à *S. Martino Canonico* Regulari apud *Legionem* in *Hiſpania*. Sed proculdubio fallitur, nam ſi S. VRBICIVS, vt ſuſpicatur *Domenec*, agonem compleuit ad Annum Domini DCC.LV. & *S. Martinus Legionenſis* viuere deſiit Anno Domini MCC.XXI. vt probatum in eius ACTIS reliquimus ſupr. *Tom.* 1. *Die XI. Februar. fol.* 101 ita vt inter vtrumque D. XVII. annorum incideret intercapedo, quo pacto VRBICIVS potuit à *Martino Legionenſi* habitum ſuſcipere? Hinc à *Domenec* in Annorum computatione recedimus; maximè in huius S. Viri ACTIS, quibus tumultuarie, & ſine ratione procedit.

*A quo habitum ſuſcipit?*

*Error Domenec.*

NEcnon hîc eſt reiicienda Philippi Ferrarij *in d. Catalog. SS. h. d. fol.* 317 Notula, quâ inconſultè aſſeruit B. VRBICIVM nequaquam *Epiſcopum*, & *Martyrem* fuiſſe, ſed *Eremitam*. Aſt cùm contrarium ex ACTIS conſtet, potius illi, quàm aſſertioni *Ferrarij* ſtandum erit. Maximè cum ex Noſtris Hiſtoriis appareat duos fuiſſe huius Nominis Diuos; alium *Vrgellitanum*, de quo hoc die, qui Epiſcopus, Monachus, & Martyr; alium *Oſcenſem*, de quo die XV. *Decembris*, qui tantum Eremita, & Confeſſor fuit, vt ex ipſomet Ferrario *fol.* 316. & *fol.* 476. liquet. Hinc crederem hallucinatum *Ferrarium*, Acta vtriuſque confundentem.

*Ferrarij lapſus.*

S. FELICISSIMVS *Martyr Romanus.* ] Is fuit *Diaconus S. Sixti* Pontificis, huius nominis II. & Martyris, qui vnà cum eo martyrium compleuit, vt ex *Beda*, *Vſuardo*, *Adone*, & aliis recentioribus, nec non ex *Romano Martyrolog.* h. d. his verbis: *Item Romæ SS. Martyrum* FELICISSIMI, *& Agapiti, eiuſdem B. Sixti Diaconorum, qui cum eo pariter decollati ſunt, atque in cœmeterio Prætextati ſepulti*; liquet. Conueniunt Martyrologia *Caſtellanum* P. Vaſq. *Luſitanum* P. Lup. & *Italum* Conſtant. Felic. Eius martyrium inter ACTA S. Sixti recenſetur. Quatenus ad ſacrorum pignorum Tranſlationem Româ *Madridium*, ex Auctographo ſequenti paragrapho referendo, conſtabit. F.

*Martyrologia.*

S. STEPHANVS *Martyr Romanus.* ] Vnus hic Martyr fuit ex *Subdiaconibus*, quos B. Sixtus II. Pontifex Maximus ſecum duxit ad martyrium, quo cum agonem compleuit; vt ex ipſis Marryrologiis *Bedæ*, *Vſuardi*, *Adonis*, & aliorum recen- G.

*Martyrologia.*

tiorum, cum *Romano*, patet. Quibus conueniunt Martyrologia *Caſtellanum* P. Vaſq. *Luſitanum* P. Lup. & *Italum* Conſtantij Felic. Eius denique ſacra lipſana, necnon *S. Feliciſsimi* ſuperius *lit. F.* recenſiti, Româ *Madridium* aduecta ſunt, concedente *Vrbano* VIII. Pontifice Maximo Ordini Fratrum Excalceatorum SSS. Trinitatis *Hiſpaniæ*: cuius Generalis Miniſter XXXVI. & amplius Corpora Sanctorum Martyrum diſtribuens inter Conuentus ordinis Hiſpaniæ, S. FELICISSIMI in *Madridenſi* reliquit; & S. STEPHANI ad Conuentum *Cordubenſem* dimiſit, vbi honorifice collocata, cultu debito requieſcunt, vt pluries in hiſce *Tomis* dictum eſt, de quo non eſt amplius ambigendum.

*Tranſlatio in Hiſpaniam.*

# SEPTIMO IDVS.

## Auguſti.

## DIES VII.

*A.* AVRIÆ *in* Gallæcia *Hiſpaniæ Tranſlatio ſacrorum pignorum Sanctæ* EVPHEMIÆ *Virginis, & Martyris, è primo, quo iacuerat loco agreſti ad honorationem* S. Marinæ *Eccleſiæ* Interamnenſis *tumulum.*

*B.* ROMÆ *natalis* S. IVLIANI *Martyris Romani, qui cum aliis pro fidei confeſsione, triumphalem lauream accepit. Cuius Corpus in Cœnobio Sanctimonialium SS. Sacramenti*, Matridenſi, *Ordinis* Ciſtercienſis *reconditur, & mirâ fidelium pietate veneratur.*

*C.* SALMANTICÆ *in* Vettonibus *Hiſpaniæ* Eleuatio, *&* Tranſlatio *ſacrorum pignorum* B. IOANNIS Sahuntinenſis, *Ordinis Eremitarum S. Auguſtini, ex humili & primæuo ſepulturæ loco ad ſublimiorem, inſtantibus eius miraculis, & inſigni vrbis, & populorum deuotione.*

# NOTÆ.

A. TRANSLATIO *ſacrarum exuuiarum* S. EVPHEMIÆ, *Virginis, & Martyris Hiſpanæ.* ] De hac *Eleuatione* ſeu *Tranſlatione* Duplex memoria ineſt apud Scriptores Noſtros. Alia quæ facta refertur, ex loco, quo S. EVPHEMIA martyrium compleuit, cùm *Puella* illa quæ patris pecudes depaſcebat, annulum Martyris ex eius digito ſuper terram viſo ſuſtulit. Alia, quam inſtante *Petro Seguino* Aurienſis Eccleſiæ Epiſcopo, magno populorum concùrſu, accolarum perfecit deuotio;



deuotio; ex Eccleſia *S. Marinæ* ad Cathedralem Aurienſem. PRIMÆ feſtum hoc die recolitur, vt patet ex Philipp. Ferrar. in *Catalog. General. SS. fol.* 218. his verbis: AVRIÆ *in Gallæcia Tranſlatio* S. EVPHEMIÆ *Virginis.* Martyrolog. Luſitan. *P. Lup.* hac ſerie: *Em à Sè de* Orenſe *em* Galiza *la* Traſladacão *do Corpo de* S. EVPHEMIA, *Virgen, & Martyr dò* Riocaldo *à Igreſa de* S. Marina *ſua irmã.* Quæ latine ſonat: *In Sede* Aurienſi Gallæciæ, *Tranſlatio Corporis* S. EVPHEMIÆ, *Virginis, & Martyris, ex* Riocaldo, *ad Eccleſiam* S. Marinæ *eius ſororis.* Conueniunt P. Truxill. in *Theſaur. Concionat. Tom.* 2. *fol.* 1737. P. Mariet. *Hiſtor. SS. Hiſpan. lib.* 4. *c.* 18. Bernard. Brit. *Monarch. Luſitan. Tom.* 2 *lib.* 5. *c.* 25. F. Ludouic. ab Angel. in *Viridar. Portugall. fol.* 41. P. Biuar. in *Comment. ad Dextr. in Chron. Ann.* 134. *fol.* 239. D. Roder. de Acuña *Hiſtor. Braccar.* 1. *p. c.* 29. *n.* 2. *fol.* 138. SECVNDÆ celebratur apud Aurienſes Die XVII. huius Menſis vt infra ſuo loco probabimus. ACTA huius Primæ *Eleuationis*, ſeu *Tranſlationis* ſcripſit primò, idiomate *Gallæco*, idem D. *Petrus Seguinus* qui fecit ſecundam, à quo cæteri Scribentes, & D. *Alphonſus* Aurienſis Epiſcopus, *Petri* ſucceſſor in *Lectionibus Breuiarij Aurienſis* vetuſtiſſimi. Illa, prout ſcripta reliquit *Seguinus*, vt eorum antiquitatem, & idioma demireris, hic tranſcribere propoſui:

*Martyrologia.*

*Scriptores.*

## *ESTE HE O RECONTO DE Comoſoe hachado ò Corpo de* S. EVFEMIA *Virgen, & Martyr de Orenes, que eſcriben Don Pedro Seguino.*

*Ha* Eſtoria *que dexou eſcrita* Don Seruando, *&* Idacio, *dicen*: *Que depois do martyrio de* Criſpulo *e* Reſtituto, *padeceram martyrio* Noue *Sanctas filhas de* L. C. Atilio Seuero, *Conſul Galego Gentil nacido en os Pazos de* Amphilochia, *que outras Eſturias chaman* Antiochia, *que foe Pretor de Bracara Auguſta, tendo aquela Prouincia po los Romanos, e iuntamente Galicia, po iſtas racoës.* Quiteria & Octo Sorores Martyres per Hiſpaniam, quæ fuerunt (*filiæ*) L. C. Attilij Seueri, Præſidis, & Conſularis Gallæciæ, & Luſitaniæ, Ciuis Antiochiæ nati, & terræ Braccarenſis Reguli. *Echaman à eſtas Sanctas* Geneueyra, Eumelia, Victoria, Germana, Gema, *ou* Marinha, Marciana, Quiteria, Baſiliſa, Vuilgeforte, *ou* Librada. *Iſtas Sanctas naceron en* Lambrica, *que outros chaman* Belcagia, *que chaman* Bayona, *cabo de* Tuid *la velha.* Iſtæ ſorores natæ ſunt vno partu in ciuitate Gallæciæ, *Lambrica*, ſeu *Balcagia*, quæ nunc dicitur *Bayona*, prope ciuitatem vetuſtam *Tudenſem*; & mater vocabatur Calſia. *Eumelia e ò propio que* EVFEMIA. *Iſta padeceu neſte Obiſpado de* Orenes, *na cibdade de* Calcedonia, *arriba de* Letes, *nas ſerras de* Xerrez, *poonde à via Militar de* Antonino, *da* Braga *pera* Aſtorga. *Ous naturaës da quela terra oje chaman aquelas brenhas, as* Calles da Santa Eufemia, *que ali foy martyrizada, Dez legoas de* Orenes; *junto da raya de* Portogal. *Oje ſe chama aquel logar, ou Valle*, Cabo do Rio-Caldo, *onde a muytas Burgas quentes Ay là vna penha grande, è alta, encima dela chaman* Campiño, *onde eſtuuo ô* Corpo *de iſta* Sancta, *e ali padeceu martyrio, como ſe achou eſcrito en vna* Lapida *de promo.*

*Verba Seruandi & Idacij.*

EVMELIA. F. L. C. ATIL.
SEVER. ET. CALS. REGVL.
PASA. EST. IN. HOC. LOCO.
CALCEDONENS. IN. PERSE-
CVTIONE. ADRIANI.
VII. KAL. AVG. ERA. C. LXXVIII.

*Coando ſe achou foë què vnha* Paſtorinha, *que gardaba aliquando, e ou moimento eſtaua metido entre as penhas, veou ſair vnha mao com vnh Anelo* de

*de ouro, è ela ou tomou, e logo enſordeceu, e ſe foy a caſa de ſeu Pày, que lle tomou o Anelo, e po ſenhas, ondeachara à ſortella, acho ou brazo fora, e pos à ſortella na mao, è à filha falou logo: e ante ca ſaliſe da ali, ouyeron vnha voz que le dixeira:* Aqui eſta o Corpo da S. EVFEMIA, daiuos prieſa à paſalo con veeracaon a Eygreia da S. Marina ſeu Irmaà. *Iſta Eygreia eſta ali logo; e muytos foram pera ſacar eſte Santo Corpo, e lo leuauron à la Eygreja de ſua Irmaà* S. Marinha, *aonde eſteue faſta que eu Don* Pedro Seguiño *lo traſlade à Noſa Seè de* Orenes, *que foy en eſta maneyra.*

Cætera pertinent ad *Secundam Tranſlationem*, de qua agemus infra *Tomo hoc IV. Die* XVII. *huius menſis.* Hæc igitur ſuperius ſcripta ACTA, Latina fecit *D. Alphonſus* Epiſcopus *Aurienſis*, quæ in *Lectionibus Breuiarij* vetuſti illius Eccleſiæ repoſuit, quorum ecphraſin hic pro ACTIS inſerere compellimur.

## *ACTA TRANSLATIONIS CORPORIS* S. EVPHEMIÆ *Virginis & Martyris, ex D. Petro Seguino, & Breu. Aurenſi.*

*Nouem ſororum Parentes.*

TEMPORIBVS *illis, quibus* Adrianus *Imperator Vrbis, vt Orbis moderabatur principatum, fuere Nouem ſorores, filiæ* C. Attilij *Reguli* Gallæciæ, *& Luſitaniæ, &* Calſiæ *eius coniugis, vno partu editæ; quæ poſtquam Chriſto nomina dedere, Angelico monitu diſperſæ, ad varias Hiſpaniæ deuenerunt Prouincias, vbi per fidei conſtantiam variis conciatibus expoſitæ, tandem ad martyrij coronam ſtrenuæ pugiles deuenientes, virginitatis, & agonis lauream ſuſceperunt. Igitur vna ex his ſororibus* EVPHEMIA *nomine ad partes* Aurienſis *vrbis accedens, apud* Chalcedoniam Gallæciæ *vetuſtiſſimum Municipium ſiſtens, ibidem martyrio coronata fuit. Eius Corpus Chriſtiani latenter ſuffurantes, in ipſo Montis cacumine ſepelierunt, vbi in occulto per multa ſecula iacuit, donec, Deo annuente, per inſigne miraculum patefactum, in alium ſublimem locum tranſlatum eſt.*

*Martyriũ.*

*Euphemiæ paſſio & ſepulchrũ.*

*Puella manum Virginis cum anulo vidit.*

NAM *cùm quædam* Puella *in prædictis locis, & regionibus paſtoritio muneri incumberet, cum patris ſui grege, dum aliquando ſupra petram ſiſteret, inter quædam cacuminis ſaxa, eductam manum inuiſit, aureo anulo ornatam; cuius fulgore ineſcata protinus ſurgens, & ad manum imperterrita accedens, anulum apprehendit; ſed continuò elinguis euaſit. Huius portenti euentum demirans puella, extemplò in domum paternam accurrit, & patri anulum, & cauſam deperditæ nutibus, & ſignis oſtendens loquelæ, remedium ab eo lachrymis depoſcebat. Pater filiæ periculum conſiderans, & altius rem, & attentius explorans, ad Montis apicem cum filia, & anulo contendens, locum ſepulchri, & manum intuitus, reuerenter accedens, illi anulum reſtituit, & protinùs filiæ reſtituta eſt locutio. His ſic peractis, & quid ibidem ineſſet myſterij ruſticus euoluens, vox de cælo perſonuit, dicens:* Hic iacet Corpus S. EVPHEMIÆ Virginis, & Martyris, cura igitur ſtatim vt hinc educatur, & honorificè ſepeliatur in Eccleſia B. Marinæ ſororis ſuæ. *His etenim vocibus attonitus remanſit opilio, ſed in ſe reuerſus ad vicum feſtinus deſcendens, Parocho, & accolis omnia quæ euenerant patefecit. Tunc omnes ad locum prodigij accurrentes, ſacra B. Virginis, & Martyris pignora, maximum odorem eructantia, è ſaxorum ruderibus extraxerunt, & in theca lignea incluſa ad Eccleſiam* S. Marinæ, *prout vox cæleſtis edixerat, tranſtulere. Vbi per multos annos ibidem culta iacuere, quouſque ad Sedem* Aurienſem *relata ſunt, vbi & adhuc hodie honorifice cuſtodiuntur.*

*Muta fit.*

*Reſtituitur puellæ loquela.*

*Vox è cælo audita.*

*Transferuntur lipſana.*

*D. Gregorius Lobariñas ſcripſit de SS. Gallaciæ.*

Hactenus ACTA *Tranſlationis* ex *Lectionibus* Antiqui *Breuiarij S Aurienſis* Eccleſiæ: Quæ omnia etiam in vetuſto carmine referuntur, pro vt illud accepi à *D Gregorio Lobariñas Feyxoò* Portionario Eccleſiæ S. Creſcentis in Gallæcia, diœceſis Tudenſis, qui de Sanctis Gallæciæ codicem M S. exaratum reliquit, è cuius ſtudiis plura delibaſſe profiteor. Carmen auſculta:



*Clauditur hac thecâ Martyr Sanctiſſima, cuius*
EVPHEMIA *eſt Nomen, Numen at ipſa ſuis.*
*Corporis exuuias inuenit ruſticus olim*
*Paſtor in excelſo culmine Montis Aui.*
*Virginis ergo manum videns, cùm paſceret agnos,*
*Paſtoris proles fœmina, virgo pia;*
*Anulus ex digito fulſit, quem ſuſtulit inde:*
*Extemplò vocis perdidit illa ſonos.*
*Tum deſerens gregem Patris ad limina currit,*
*Cui ſignis cauſam protulit, hincque ſilet.*
*Ruſticus ad Montis prorſuſque cacumina pergens,*
*Sepulchri locum vidit, & ipſe manum.*
*Reſtituit digito pignus: Tum filia vocem*
*Denuò percepit: Pignora ſacra patent.*
*Illaque ad exiguum Templum transferre* Marinæ
*Conſtituit Paſtor: quo quoque theca micat.*

Sequentes Verſus, qui hic deſiderantur, quia ad *Secundam Tranſlationem*, infra apponendam ſpectant, ſuſpendimus, vt vnicuique detur ſuus ecphraſi locus.

IN Sacrario prædictæ S. E. *Aurienſis* adhuc S. Virginis, & Martyris Anulus adſeruatur, qui paſſim ad ægrotantes quoſlibet defertur, cuius attactu ab infirmitatibus febrium quarumcunque liberantur; de quo ſunt teſtes ſupra relati. *Anulus febricitantes ſanat.*

S. IVLIANVS *Martyr Romanus.*] Is martyrium compleuit cum SS. Martyribus *Petro*, & *Sophronio*, necnon & aliis XVIII. Sociis, temporibus Valeriani, & Galieni Imperatorum, vt indicat Petrus Galleſinus *h d.* his verbis: ROMÆ *Sanctorum Martyrum* Petri, IVLIANI, *Sophronij, & Sociorum Decem & Octo: qui Valeriano, & Galieno Imperatoribus, non fracti cruciatu, ſed fortiter pugnam ſuſtinendo, coronantur.* Romanum Martyrologium, Bedæ, Vſuardi, Adonis, & aliorum recentiorum tantum nomina exprimunt, & cæteras ſilent qualitatum circunſtantias. Conueniunt cum Romano *Caſtellanum* P. Vaſq. *Luſitanum* P. Lup. & *Italum* Conſt. Felic. Philippus Ferrar. in *Catal. SS. Ital. fol.* 491. ſequentia pro ACTIS verba recenſuit: *Petrus*, & IVLIANVS *cum aliis Decem & Octo, in Valeriani, & Galieni Imperatorum perſecutione comprehenſi, cùm Idolis ſacrificare nollent, varie cruciati ſunt. Cúmque infracto animo acceptæ fidei confeſſionem retinerent, ad palmam martyrij peruenere,* VII. Idus Auguſti, *Anno Domini* CC. LX. *vel circiter.* IVLIANI vero *corpus* è cœmeterio *Callixti* extractum, & theca eleganti conditum, *Madridium* delatum, & in Monaſterio *Ciſtercienſi* Monalium *SS. Sacramento* dicato, reconditum, ibidem ſummâ veneratione cuſtoditur.

*B.*

*Martyrologia.*

*Acta.*

ERRANT proculdubio Moniales iſtius Cœnobij Officium peragentes Die II. *Septembris* quo de alio IVLIANO in *Menologio*, & Martyrologiis palæſtra refertur. Nam eo quòd *Corpus* illius Sancti Martyris, quod Moniales retinent Româ *Madridium* noſcitur tranſlatum, à fortiori ſacra pignora *Romani Martyris* fuere. Iſtius martyrium *Romæ* euenit, illius, alibi; ergo perperam Moniales Officium ad Diem II. *Septembris* reiiciunt; cùm hoc Die recitare, & Officium deberent texere. *Monialiũ error in dando Officio.*

CIRCA huius S. Martyris *Tranſlationem* videſis Teſtimonium authenticum à Nobis ſupra relatum *Tom* 2. *Die XXIV. Mart. fol.* 375. vbi agentes de *S. Timotheo* Martyre Romano diploma quod Moniales habent recenſuimus, & illud etiam pro *Corpore* Sancti IVLIANI referendum erit, quia inter ſacra pignora ibidem contenta, iſtius etiam Nomen exprimitur, eo quòd fuere ex *Cœmeterio Callixti* extracta, *Tranſlatio in Hiſpaniam.*

extracta, & Marchioni de *Villena* conceſſa, qui Duci *de Vzeda* illius Cœnobij conditori remiſit.

TRANSLATIO *Corporis* B. IOANNIS *Sahaguntini.* ] Huius *Tranſlationis* anamneſim recolunt quotquot eius Sanctitatis memoriam literis commendarunt, & Nos eorum nomina retulimus ſupra *Tom.* 3. *Die XI. Iun. lit. A* Prolixius de ea ſcripſere *D. F. Auguſtinus Antolinez* Archiepiſcopus Compoſtellanus *Hiſtor. S. Ioan. Sahagunt. c.* 38 *fol.* 371. F. Ioannes Marieta *Hiſtor. SS. Hiſpan. lib.* 18. *c.* 17. *fol.* 63. Cornel. Curtius *de Vir. Illuſtrib. Auguſtinian. Elog.* 3. *fol* 47. F. Thomas Herrer. *Hiſtor. Conuent. Salmant. c.* 39. *fol.* 267. ACTA Tranſlationis abs Illuſtriſſimo Compoſtellano mutuabimus:

*Scriptores.*

## *ACTA TRANSLATIONIS EXVVIARVM B. Ioannis Sahaguntinenſis Eremitæ Auguſtin. èx Archiepiſcopo Compoſtellano, & aliis.*

C.

*Deus locum ſepulchri honorat.*

DEVS *Optimus Maximus qui ſuorum non obliuiſcitur ſeruorum, nequaquam* Ioannis Sahaguntini *memoriam obliterauit, quinimo ad ſepulchrum eius diuina virtus acceßit, & ipſius ſepulturam immenſa potentia circumdauit, ita vt frigidis artubus, & arenti humo talem impartita eſt poteſtatem, quòd impoſterùm quiſquis ægrotans ad eius ſepulturæ locum deueniret, liber, & ſanus euaderet. Hinc locus ille cœpit venereri, & maximis miraculis ditari: qua ſic diuulgata in omnium ore patebant, vt non ſolùm apud Salmanticenſes S. Viri nomen in pretio eſſet, ſed & eius fama facinorum ad remotas extenderetur Regiones, vt teſtificati ſunt innumeri ægroti ad eius ſepulchrum confluentes, variis languoribus laborantes, qui vix terræ puluerem, vbi ſacra pignora humata iacebant, propriis manibus contrectabant, quando à languoribus liberi per Templi angulos tripudiarent. Horum inſignium operum per diuinam Maieſtatem perpetratorum S. Viri interceßione, frequentiam Venerabilis Vir* F. Ioannes à Seuilla *Conuentus* Salmanticenſis *intuitus, Corpus* B. IOANNIS *in lapideo lucillo abſcondere curauit, pro vt & effecit, ita vt illam lapideam vrnam ſubtus ſepulturam occultius immitteret, nè facile à quærentibus ægrotis ſacra pignora inuenirentur. Tunc* Capella, *vbi ſeruus Dei deliteſcebat, exigua erat, & ornamentis vacua; donec illam de nouo erigere, & inſtar tabernaculi fabricare Conuentus* Salmanticenſis *prædictus diſpoſuit, vt melius S. Viri memoria veneraretur, & eius lipſana ibidem tranſlata, aduentantibus paßim febricitantibus conſpectarentur. Vix ergo diſpoſitum, cùm aliqui Religioſi Conuentus illius, coram* D. Petro *Gonſalio de Mendoza* Salmanticenſi *Epiſcopo comparentes, ad huiuſmodi* Tranſlationem *perficiendam, licentiam, & facultatem impetrarunt; & compoſitis componendis,* TRANSLATIO *ſacrarum exuuiarum* B. IOANNIS *effecta eſt,* VII. Idus Auguſti, *Anno Domini* M. D. LXIX. *præſentibus* DD. Ludouico de Alcozer, *Salmanticenſi Officiali, & Vicario Generali, nec non in Cathedrali Eccleſia Priore,* Ioanne de Mendoza, *Ducis Infantatus fratre, qui fuit poſtmodum* S. R. E. *Cardinalis, & S. Viri deuotißimus; & Rectore, Collegij S. Bartholomæi cum quinque collegis, & Priore Conuentus S. Auguſtini* Salmanticenſis *cùm aliis Fratribus, qui extemplo in loco, vbi memoria ſucceßiua vetuſtorum conuentualium præſignabat, effodientes, tandem vrnam lapideam, quâ pignora ſacra includebantur, feliciter inuenere. Tum Officialis Salmanticenſis reuerenter vix vrnulæ operculum eleuauit, cum ſuauißimus odor totum Templi ambitum ſuffuſus impleuit, cuius cœleſtem omnesqui illic erant, fruentes ſuauitatem, Deo grates agebant. Poſthæc extrahentes Fratres, qui ad hoc deputati aßiſtebant, ex vrnula Reliquias illas in theca lignea depoſuerunt, quâ clauſâ, ipſam proceßionaliter, accenſis luminibus, & magno populi concurſu adſtante, deportarunt canentes omnes hymnum* Te Deum laudamus,

*Fama inſignis miraculorum.*

*Pignora occultantur.*

*Transferuntur.*

*Quibus præſentibus*

*Inuenitur Corpus S. Viri.*

*Collocantur Reliquiæ.*



laudamus, *in gratiarum actione, & in Capella* Crucifixi, *quæ ſupra Aram B. Virginis erat, collocarunt. Ibidem culta ſacra pignora iacuerunt, quouſque Capella S. Viri nomini extructa, & dicata finem accepit, vbi hocce Epitaphium deſcripſit Fratrum continuata deuotio.*

AVGVSTIANI. SALMANTIC.
EX. STIPE. QVAM. POPVL. CONTVL.
IOANNI. SAHAG.
FRATRI. SVO. VIRO. DVM. VIXIT.
SANCTO. A. MORTE. MIRACVLIS.
CELEBRI. P.

*Miracula patrantur.*

*Quo loco plurima Deus, Serui Dei interceßione, mirabilia frequentat, & hominibus variis languoribus laborantibus innumera confert beneficia; quorum aliqua referemus, nam omnia deſcribere haut quæuis poterit prolixa ſedulitas. Cùm igitur huius* TRANSLATIONIS *actio in publicum prodiret, & B. Viri ſanctitudo per totius regionis circulum continuis diuulgaretur miraculis, ægrotantium aßidua ad ſepulchrum cœpit conuenire caterua, quorum plurimi ſanitatis apicem impetrantes, reliquis fiduciam reliquere Salutis. Hinc frequentia ad Monaſterij limina infirmantium. Hinc & votorum ad ſarcophagi parietes pendentium multitudo. Hinc denique continua ex diuerſis partibus regionis illius, de terra, quâ Vir Dei humatus iacuiſſet, vt remotis maleſanis prodeſſet, petitionis inſtantia. Sed cùm fratribus eſſet mirabilia hæc propalare interdictum; nec aliqua fuit in colligendis, ſcribendis, & probandis hiſce prodigiis cura, ideo plurima ſub ſilentij iacuere inuolucro.*

*Deuotionis affectus ægrotantium.*

*Miraculũ.*

*Homo quidam ex Oppido Madrigal qui à Natiuitate mutus, & ſurdus noſcebatur, intra ſepulchri cauum ingreſſus, & ibidem aliquantulum moras agens, Deo, & Sancto ſuo orationem emittens, & aliquantulum pulueris ſepulchri in auribus, & ore immittens; ſubito fragorem in auribus audiuit, & loqui barbarè cœpit, cum rerum nomina ignoraſſet, licet ſalutationem Angelicam, altero dicente, repeteret formaliter.*

*Miraculũ.*

*Puer, Oppidi* Palencia de Negrilla *prope* Salmanticam, *carpenti rotâ conciſſus, & abſque vitali ſpiritu relictus, à parentibus S. Viro commendatus, vitam ſubito recepit: ſed hæc ſic doloribus, & virium impotentiâ defectuoſa, vt magis mortem, in eo quàm vitam ineſſe diceretur. Hinc parentes filium ad ſepulchrum fide plenâ trahentes S. Viri, ſtatim ac in eius foramine ingreſſus puër humo proſtratus, erectus eſt, integram ſanitatem recepit.*

*Miraculũ.*

*Homo quidam cæcus magnâ fidei conſtantiâ intra ſepulchri rudera pedem figens, viſum à Deo S. Viri interceßione precatus, illum obtinuit extemplò. Qui gratias Domino, & S. Ioanni humiliter agens, dixit profundâ cordis oratione ſequentia verba, adſtante fratrum cœtu, & populi multitudine:* Domine, ſi viſus, quem meritis Sancti tui, haut me merente, recepi, in æternam mihi damnationem futurus eſt, illum perdere cupio. Melius ergo mihi erit gloriam paradiſi abſque oculis conſpicere, & eius æternitate frui, quàm oculatus in hoc ſeculo, poſt mortem corporis in æternam gehennam incidere. *Mirabile dictu! Vix hæc protulit, cùm ſubitò confractis oculorum luminibus, iterum homo ille æternæ ſalutis cupidus, viſum amiſit, & lætus in domum reuerſus eſt.*

Plurima alia miracula, qui ex integro ſcire deſiderat, congeſta reperiet apud Illuſtriſſimum D. D. F. Auguſtinum Antolinez Archiepiſcopum Compoſtellanum in *vit. S. Ioann. à c.* 40. & pluribus ſequent. *fol.* 393. *& aliis.*

# SEXTO IDVS.

## Auguſti.

## DIES VIII.

*A.* GALLESII *in Italia* S. FAMIANI *Confeſſoris, qui ex Colonia Agrippina oriundus, facultatibus venditis, & in pauperum ſubuentionem erogatis,* Romam *adiuit, inde ad loca deuotionis per* Italiam *acceſſit, poſtmodum* Compoſtellam *in Hiſpaniam contendit, poſt Syriam pro viſitandis S. Sepulchri, aliiſque Palæſtinæ locis proficiſcitur; quibus expletis itineribus* Gallæciam *repedauit, vbi ſuſcepto Ciſtercienſis Ordinis habitu, per triennium, & amplius, in aßidua carnis maceratione permanſit, tandem Romam reuerſus, & ad* Gallæſium *ſiſtens, virtutibus plenus, miraculis clarus, & veræ fidei, & pietatis ſarcinâ onuſtus, obdormiuit in Domino.*

# NOTÆ.

A.
*Quare inter Diuos Hiſpaniæ ponitur.*

SANCTVS FAMIANVS *Monachus Ciſtercienſis, & Confeſſor.* [Illum inter *Hiſpaniæ* Diuos compulſamus, qui licet origine *Colonienſis*, & morte *Italus* agnoſcatur, quia habitum Religionis apud *Gallæciam Hiſpaniæ* feliciter aſſumens, illius Regionis circulos perluſtrauit, accolas beneficiis impleuit, & *Hiſpaniam* totam, cuius filius inſtituti acceptione fuit, nomine, & ſanctitate repleuit.

*Martyrologia.*

Eius memoriam recolunt Philippus Ferrar. in *Catalog. Gener. SS. h. d. fol.* 319. his verbis: *Faliſci in Hetruria* S. FAMIANI *Confeßoris, & Patroni.* Et in *Catalog. SS. Ital. fol* 494. P. Chryſoſtomus Henrriq. in *Menolog Ciſtercienſ. fol.* 257. hac ſerie: *Galeſij in Italia* S. FAMIANVS *Confeſſor: qui adoleſcens officia pietatis colere cœpit, ſuiſque facultatibus in pauperum vſus erogatis, relictâ patriâ,* Romam *venit, vt loca ſancta viſitaret. Per* Italiam *ſexennio peregrinatus, lociſque præcipuis deuotionis inuiſis, in Hiſpaniam,* Compoſtellam, *ad* S. IACOBI *Corpus venerandum, contendit. Inde Syriam profectus, ſepulchrum Domini, aliaque Palæſtinæ loca ſummo deuotionis affectu perluſtrauit. Factus enim* Ciſtercienſis *Eremita in* Gallæcia, *triennium in aßiduâ carnis maceratione permanſit; & in Monaſterio* SS. Coſmæ, *&* Damiani, *Annis Viginti Quinque vitam herbis, pane, & aquâ tranſegit, donec factus Monachus eiuſdem* Ordinis *profeſſus, Sacerdos ordinatus eſt Nec multo poſt, de Superiorum licentiâ* Romam *iterum veniens,* Eugenio III. *Galleſij ſubſtitit, fontemque æſtate primo aduentu ſuo ex ſilice virgâ percuſſo, mirabiliter eduxit. Nec multo poſt in morbum incidit: ex quo cùm ſibi decedendum*



*cedendum intelligeret, loco vbi humari vellet indicato, obdormiuit in Domino. Quem miraculis clarum Adrianus IV. in Sanctorum numerum retulit.* Eadem Aubertus Myræus *in Faſt. Belgic. fol.* 469. & *Origin. Monaſt. lib.* 5. *c.* 15. D. F. Angelus Manrriq. Epiſcopus Pacenſis *Annal. Ciſtercienſ. Tom.* 1. *Ann.* 1142. *c.* 9. *num.* 1. *& ſeqq. & Ann.* 1144. *c.* 7. *num.* 9. *& Tom.* 2. *Ann.* 1150. *cap.* 9. *à num.* 1. 2. *& ſeqq. fol.* 169. Eius ACTA breui relatione deſcripſit Ferrar. *fol.* 494. prolixiori edidit Anno 1626. Anonymus; illa ex Variis dabimus.

*Scriptores.*

## *ACTA S. FAMIANI MONACHI Confeſſoris, ex Ordine Ciſtercienſium, Ex Variis Scriptoribus.*

*Nomen.* *Origo.*

FAMIANVS, *ſic ex eius famâ virtutum, & inſignium facinorum appelatus, ab origine* QVARDVS *dictus, patriâ* Germanus, *genere nobilis,* Goteſchalio *patre, &* Guimara *matre natus ſtudiis primò mediocriter imbutus, inde paternis opibus, quin & parentibus, patriâque ſpretis,* XVIII. *ætatis ſuæ anno, qui fuit Chriſti* M.C.VIII. *Romam profectus, Apoſtolorum limina deuotus, & ſancta loca Italiæ viſitauit. Tum ſexennio completo per hæc opera, circa Annum Chriſti* M. C. XIV. *Bernardo tyrocinium adhuc agente,* S. IACOBI *peregrinationem aggreſſus,* Gallæciam *perueniens, eam Prouinciam per triennium inhabitauit, ſub moderamine cuiuſdam ſancti ſenis, per quem altius in omni virtute radicaretur. Hoc igitur triennio veluti purgatus, formatuſque, quo religioſius iuclytum* Hiſpaniarum *Patronum veneraretur, tum primùm* Compoſtellam, *tandem ingreſſus, viſitauit Apoſtolum, ad ſanctum* Corpus *excubias peracturus. Inde ad deuia, ſyluaſque reuerſus, pane non niſi raro, cætera herbis, & aquâ reficiebatur. Addictus tamen cuidam Monaſterio SS. Martyrum Coſmæ, & Damiani (ignota hodie domus) fuit, in quo doctrinam, & diuina myſteria participaret.*

*Viſitat loca ſancta Italiæ.* *Gallæciam venit.* *Apoſtoli Corpus viſitat.*

QVINQVE *ſupra Viginti Annos compleuit hoc vitæ genere, & iam agebat ætatis Quinquageſimum ſecundum, ad Annum ſcilicet Domini* M.C.XLII. *cùm recens in eo Regno fundatæ Domus, recentius reformatæ, fama celebris; Virum* Vrſariam *traxit, retinenda ſi permitteretur, vita eremitica, ſecus, vt iuberetur, commutanda, ſed in quacumque habitum Monachalem, ac regularem profeßionem exoraturus. Lætatus* Garſias *in aduentu tanti hoſpitis; lætati Fratres, quippè* QVARDVS, *longâ ſanctimonia, & vitæ ſolitariæ probatione, fecerat ſibi Nomen venerandum, & quod ſibi quicunque perfecti appeterent. Itaque hoc Anno ſuſceptus in Nouitium, Ædiculæ* S. Laurentij *addictus eſt, ad ripas Minij tyrocinia peracturus. Ergo* QVARDVS *in Eremitam ſuſceptus eſt, priſtinam vocationem, quantum ſub iugo religionis liceret, conſeruaturus.*

*Vrſariæ Monaſterium celebre.* *Fit Monachus in Vrſaria.*

EXPLETO *itaque* QVARDVS *tyrocinio, atque altero Anno peracto à profeßione, cùm Duos in* S. Laurentij *Eccleſia compleuiſſet, in vita regulari, atque maximâ obſeruantiæ illius perfectione, de Abbatis ſui licentia, Ieroſolymam iterum profectus eſt, Sepulchrum Domini glorioſum humiliter, & deuotè viſitaturus. Et Annis Tribus in ſanctorum locorum peregrinatione conſumptis, ab omnibus quidem ſemper charitatiuè, & benignè ſuſceptus eſt. Tum Triennio in eiſdem locis peracto, reuerſum ad propria; aut manſurum ibidem, ſi permittatur, aut quo iubeatur; rurſum perrecturum. Ea Viro Dei reſignatæ mentis conſtantia, ea libertas ſpiritus, vt nulli loco addictus, nullis operibus, diuinam ſolam ſitiret voluntatem, obedientiâ magiſtrâ, per quam ſe tandem ad ipſum peruenturum non dubitaret.*

*Ieroſolymam contendit.* *Gallæciam reuertitur.*

INSTABAT *tempus mortis S. Viri; & æterno conſilio decretum erat, vt ſicut ſuis natalibus Germaniam; Monachatu Hiſpaniam; peregrinatione Orientem; ita & Italiam illuſtraret pretioſâ morte, & Corporis exuuiis; ad finem mundi ibidem permanſuris. Igitur rurſus de licentia ſui Abbatis pro-*

*Romam proficiſcitur.*

*fectus Romam, limina glorioſorum Principum terræ viſitabat deuotus; cum ecce, Eugenio Pontifice Maximo præſidente Eccleſiæ, iidem Apoſtoli Petrus, & Paulus apparentes in ſomniis admonent Virum Beatum, vt in* Gallæſinam *peteret ciuitatem, quam Deus Omnipotens per ipſum viſitare dignabatur; ibique oneroſam carnis ſarcinam deponendam, & Deo ſpiritum reddendum prædixerunt. Nec abnuit Sanctus Chriſti Sacerdos, ſed ſtatim dicto obedieus, arreptoque itinere, breui agrum attigit* Gallæſianum, *& in loco quodam, ex itinere fatigatus, ſedendo (cùm ſiti laboraret) ſaxo, vehitorio ſuo baculo, percuſſo, aqua optimi ſaporis illicò emanaſſe viſa eſt, perennem efficiens fontem, febricitantibus profuturum, de quo ſic Poëta cecinit:*

*Gallæſiam præcepto Apoſtolorũ pergit.*

*Fontem è ſaxo elicit.*

*Quos ſitiens muſcoſo, hauris, ſub fornice, duxit*
*Marmoris è venis has* FAMIANVS *aquas.*
*Sic olim Hebræus populus miracula Moſis*
*Obſtupuit, fontem quem dedit icta ſilex.*
*Ergo nouo meritò iactant ſe Moſe Faliſci;*
*Quos alit Hortanus, quoſque Amerynus ager:*

*Vrbem ingreditur.*

SEDATA *ſiti, & pro tanto beneficio gratiis Deo peractis, ex imo corde,* QVARDVS *ad Eccleſiam vrbis primùm, cui ſe datum cuſtodem, patronumque, ex tunc iam pro eadem interceſſurus, feruentiſſimo charitatis ardore gratulabatur: deinde ad Nobilis cuiuſdam,* Aſcharo Viro *nomen, hoſpitandus aduenit. Dies erat Vigeſima Octaua Menſis Iulij, quâ ſe Canicula venenoſius Soli permiſcet, ſalubres eius radios infectura, cùm Gallæſinam vrbem ingreſſus eſt. Quinto-decimo à ſui aduentus die infirmari cæpit; & cùm ſui corporis diſſolutio iamiam inſtaret,* Blaſium *Gallæſinæ Eccleſiæ Archipresbyterum accerſiri fecit; cui poſt multa, mortem ſuam octauo abhinc Die futuram eſſe prædixit: & à Deo confortatus, è lectulo exiliens, manuque Blaſij apprehenſâ, locum ſibi iuxta aquam, in quo eius corpus ſepeliri deſiderabat (erat enim domus* Aſchari *hoſpitis in mœnibus ciuitatis ſita) & ſpeluncam digito demonſtrauit. Quem locum parum conuenientem Archipresbyter memoratus, pro tanti Viri ſepultura cùm videret, homini ſancto reſpondit: Rectius videlicet eſſe, vt in Dei Genitricis* MARIÆ *templo intra ciuitatem poſito, quàm hortulo in illo, vbi nec Eccleſia, nec Eccleſiæ locus eſſet, honorificè conderetur. Sed in propoſito perſiſtens, cognito ab Archipresbytero, hortulum, & locum illum dicti* Aſchari *hoſpitis eſſe, ſtatim ab illo, & coniuge eius honoranda, præfatum locum, ad ipſum ſepeliendum, pro vt petiit, impetrauit.*

*Infirmatur.*

*Mortem ſuam prædixit.*

*Locum ſepulturæ eligit.*

DIE *Octauo Archieprebytero, & Sacerdotibus omnibus dictæ Ciuitatis ad eum accedentibus, iniunxit humiliter; vt Corpus eius poſt obitum cuſtodire dignarentur, nam Dei magnalia viſuri eſſent. Nec multo poſt* Aſcharus *ſupradictus, qui tunc, & diù iam renum doloribus laborauerat, ſe ad lectulum S. Viri per famulos adſportari fecit, & illius deuotè manus deoſculatus, ab illo, quo detinebatur, morbo continuò liberatus, ſummas Deo Optimo, &* B. FAMIANO *gratias egit. Quo facto S. Vir in cælum ſuſpiciens, Clero adſtante, & orante, Chriſto tradidit ſpiritum,* VI. Idus Auguſti, *Anno à Natali Domini* M. C. L. *ſuæ autem ætatis* LX. *Ad cuius* CORPVS *viſendum, pariter & venerandum factus eſt* Gallęſini *populi concurſus non modicus; ſicque Clero, & populo pſalmis, & hymnis Eccleſiaſtico ritu, ſummâ deuotione decantantibus, illud ad locum propè, & extra ciuitatem, iuxta aquas honorifice deportauerunt, & à mane vſque ad veſperas beatum Corpus cuſtodientes, mirum, quod Dominus merito B. Viri operatus eſt, accidit. Nam ſurdi duo de ciuitate prædicta ad beatum Corpus accedentes, auditum illico receperunt. Multique alÿ malè habentes, ſanitati ſunt reſtituti. Beatum*

*Hoſpitem à nephitride ſanat.*

*Moritur.*

*Sepelitur.*

*Miracula in obitu.*



*tum deinde* CORPVS *Clerus, & populus omnis piè ac deuotè ſepelierunt.*

NEC *multi interfuere dies, quò cùm quidam de Ciuitate prædicta, qui malè à Dæmone vexabatur, ad S. Viri ſepulchrum fuiſſet adductus, liberari meruit. Miliercula itidem de Verchiano Caſtello ancilla, quæ diù cæca fuerat, ad eundem locum adueniens, oculorum lumina recuperauit. Multique alij de eadem ciuitate* Gallęſij *variis detenti languoribus, per preces, & merita S. Viri ad ſepulchrum accedentes, & iuxta tumulum eiuſdem orantes, curati ſunt. Cuius B. Viri ſanctitas, & miraculorum fama, Oppida, & proximiores Prouincias breui peruagauit, & creuit, ita vt virorum, mulierum, puerorumque penè infinita multitudo, dicti S. Monachi deuotione affecti,* Gallæſium *accedere properarent. Hinc in Virum ſanctum deuotio indies creſcens, occaſio fuit, vt* quarto *ab obitu* Anno, *quòd planè hucuſque rarum, pauciſque tunc conceſſum, etiam ſanctiſſimis,* FAMIANVS *Sanctorum numero per Adrianum IV. Pont. Max. adſcriberetur.*

*Poſt obitũ.*

*Fama creuit miraculorum.*

*Adſcribitur numero Sanctorũ.*

INDE *Eccleſiam conſtructam ad eius tumulum, eamque longè inſignem, & elegantem, populi* Gallęſini *munificentiâ fuiſſe refertur, vt non tàm locum ſuo Corpori non ſacrum elegiſſe videatur. quàm eiuſdem exuuiis conſecrandum, diuinâ prouidentiâ ita ordinante, vt nihil fermè in S. Viro inueniretur ad aliorum exemplar, ſed omnia, aut plura, rara & ſine exemplo, hominem nobis ſupra alios commendarent. Denique S. Viri Baſilicam Nicolaus IV. & Iulius* II. *Pontifices Summi multis gratiis affatim illuſtrarunt. Nam eandem* VIII. Menſis Auguſti *(quo die feſtum in illius memoriam magno hominum concurſu celebratur) viſitantibus, delictorum omnium veniam, nec non Archipresbytero, & Canonicis ampliſſimam quæcunque delicta condonandi facultatem conceſſit, pro vt in literis Apoſtolicis pateſcit, & ipſi Eccleſiæ eandem indulgentiam conceſſam, quæ S. Mariæ Angelorum apud* Aſſiſium *à Summis Pontificibus indulta conſpicitur. Præſtante Domino Noſtro Ieſu-Chriſto, qui cum Patre, & Spiritu ſancto viuit, & regnat in ſæcula ſæculorum. Amen.*

*Indulgentia à SS. PP. conceſſa.*

Hactenus ACTA ex *Anonymo*, & aliis *Ciſtercienſis* inſtituti Scriptoribus, cæteriſque Chronographis, qui de tanto Viro memoriam egerunt. In Antiquo *Hymno* ſic legitur:

*ROmam videns exultauit*
*Illam ita ſalutauit:*
*Salue Roma, Orbis terrarum*
*Caput celſum, & præclarum.*
*Quinque luſtra ſegregatus*
*Vixit, locis conuerſatus*
*In deſertis, vbi angebat*
*Valde Corpus & premebat*
*Loca ſancta peragrauit,*
Compoſtellam *viſitauit,*
*Ieroſolymam petiuit,*
*Ibi Chriſtum exquiſiuit.*
*Inde rediens, terrena*
*Cuncta ſpernens & amœna,*
*Ciſtercienſem ingreſſus*
*Eſt, & Ordinem profeſſus.*

*Romæ manens, Beatorum*
*Iuſſu tunc Apoſtolorum,*
*Vrbem ad Galleſinam*
*Ad docendum Dei doctrinam.*
*Ibi primò ad ſe vocato*
*Ciuitatis iam Curato*
*Monet mortem ſuam futuram,*
*Signat atque ſepulturam.*
*Mira ſigna demonſtrantur,*
*Languidique reuelantur:*
*Crure Ciuis impeditus*
*Sanus ſit & expeditus.*
*Planè ſenſibus orbati*
*Extiterunt integrati:*
*Surdi auditum receperunt,*
*Verba muti protulerunt.*
*E longinquo deportati*
*Claudi ſic debilitati,*
*Firmi ad ſuos reuertebant,*
*Grates dignas Deo reddebant.*
*Ad ſepulchrum accedentes*
*Sancti, & illud attingentes;*
*A Dæmonibus vexati*
*Sunt extemplò liberati.*
*Clarum lumen oculorum*
*Cæca mulier ſuorum*
*Fertur ſuum recepiſſe,*
*Ducem viæ reliquiſſe.*
*Poſtea à Papa numeratus*
*Inter Sanctos, nominatus*
*Eſt à Fama, Famianus,*
*Et Patronus Galleſanus.*

*Vrſaria Topographia.* Quod B. FAMIANVS apud *Vrſariam Gallæciæ* ſuſcepiſſet habitum *Ciſtercienſem*, auctorem damus D. F. Angelum Marriq. *d. Tom. 1. Ann.* 1142. *c. 9. n. 1. & 3.* Fuit hoc Cœnobium ſplendidum, & magnificentiſſimum, ab *Alphonſo* VIII. *Caſtellæ Rege* conditum ad Annum M. C. X L. Hodie apud incolas OSSERA dicirur, ſitum in diœceſi *Aurienſi*, licet primùm in *Compoſtellana* Diœceſi conditum. Hæc Domus, filia *Claræ-Vallis* fuit, illamque ob ſuperbum ædificium, vulgo vocitant accolæ *El Eſcurial de los Bernardos*: ſic Gaſpar Iongelinus in *Notit. Abbat. Ciſterc. Gallæc. fol.* 21. *n.* 3.

QVINTO



# QVINTO IDVS.

## Auguſti.

## DIES IX.

A. ROMA *natalis* S. ROMANI *Militis, Martyris, qui cùm Beatiſſimum* Laurentium *Noſtrum in paſſione conſtantem conſpexiſſet, Angelumque Domini ſanguinem ex vulneribus Martyris fluentem linteo abſtergentem inſpectaſſet, ad fidem conuerſus* B. Leuitam Hiſpanum *ſpiritualem habuit parentem, nam ab eo ſalutaribus expiatus vndis, capitis obtruncatione Martyr occubuit. Cuius merito filiationis inter Noſtros Martyres repoſitus, totius* Hiſpaniæ *in ſe cultus interiora conuertit.*

B. *In Cœno* RIVI-POLLENSI *in Catalonia Hiſpaniæ feſtum alterius* Tranſlationis *ſacrati Corporis* S. EVDALDI *Presbyteri, & Martyris, è primo loco ad Capellam, quam ipſe S. Vir ſibi fieri iuſſerat, vbi honeſtiori ſarcophago lipſana repoſita ſacra, innumera Deus ipſius interuentione miracula patrat.*

C. *In Vniuerſali Eccleſia* Vigilia S. LAVRENTII *Martyris Romæ paſſi, origine* Hiſpani, *quæ nulli conceditur Diuo, præter Apoſtolos, generaliter, ob inſignem agoniſtæ triumphum, & celebre Archileuitæ trophæum.*

---

# NOTÆ.

SANCTVS ROMANVS *Martyr.* ] Filius ſpiritualis per conuerſionem S. LAVRENTII Archileuitæ Martyris *Hiſpani*, vt conſtat ex ipſius Actis, & Martyrologiis *Bedæ*, *Vſuardi*, *Adonis*, & recentiorum, necnon & *Romano Baronij* h. d. his verbis: *Romæ* S. ROMANI *Militis, qui in confeſſione* S. LAVRENTII, *compunctus, petiit ab eo baptizari, & mox exhibitus, ac fuſtibus cæſus, ad vltimum decollatus eſt.* Conueniunt Martyrologia *Caſtellanum* P. Vaſq. *Luſitanum* P. Lup. *Italum* Conſtant. Felic. *vetuſtiſſimum Romanum* Roſuueyd. & *Hiſpanum* P. Higuer. vbi hæc verba: *Celebre es en* Eſpaña *la fieſta de* S. ROMAN *Soldado, que viendo la conſtancia de la confeſion de* S. LORENZO *Martyr* Eſpañol, *ſe conuirtio a la Fe de Chriſto, y merecio el Bautiſmo de Mano del glorioſo Leuita y deſpues el martyrio, que recibio con conſtancia: aquien en* Toledo, y *en* A. *Martyrologia.*

*otras*

*otras muchas Ciudades de Eſpaña ay dedicados Templos, y ſe guardan inſignes Reliquias.* Quæ Latinè ſonant: *Celebris eſt in* Hiſpania *feſtiuitas* S. ROMANI, *Militis, qui* S. LAVRENTII *confeſſionis conſtantiam intuitus, ad fidem Chriſti conuerſus, de manu glorioſi Leuitæ Martyris* Hiſpani *baptiſmum promeruit, & inde martyrium, quod conſummauit conſtanter: Cuique* Toleti, *& in aliis pluribus* Hiſpaniæ *Ciuitatibus Templa dicata viſuntur, & ibidem* Reliquiæ *cuſtodiuntur inſignes.* De eo agunt quotquot de *S. Laurentio* Noſtro ſcripſere; Eius ACTA ex illius Beatiſſimi Leuitæ, decerpta tranſcribemus rebus geſtis.

## *ACTA S. ROMANI MILITIS, & Martyris, ex Actis S. Laurentij à R.P. Petro Ribadeneyra.*

*Miles fuit.*

*Viſo Angelo, conuertitur.*

ROMANVS *cum eſſet Miles Imperatoris Valeriani, & martyrio* S. Laurentij *præſens adeſſet, eumque in cataſta torqueri, ſcorpionibus diſcerpi, aliiſque cruciatibus lancinari, atque hæc omnia tormenta læto Martyrem ore tolerare ſpectaſſet, quin & pro cruciatibus hiſce ſingulares Deo grates agere audiiſſet, vidiſſet etenim fortiſſimum ephebum, qui in linteo* S. Laurentij *ſudores exciperet, vultumque eius frigida, diroſque inter cruciatus refrigeraret,* ROMANVS *hic ſpectaculo hoc motus, intellexit ephebum, qui viſibili ſpecie adſtabat, eſſe Angelum Dei cœlo demiſſum, quo* Laurentium *ſuis in doloribus & corroboraret, & recrearet. Itaque collegit hinc non poſſe non eſſe veram religionem illam, quæ tantùm virtutis, tantumque gaudij, tantis, tamque expaueſcendis in cruciatibus Martyri impertiret. Quam ob rem, quàm viciniſſimè licuit* S.Laurentium *acceſſit, & quanto Chriſtianæ Religionis amplectendæ deſiderio teneretur, indicauit, ſuppliciter obteſtatus ne ſe deſereret. Exhilarauit ea res B. Leuitam, comique vultu, quando verbis vti non licuit,* ROMANO *reſpondit.*

*Baptiſmum recipere cupit.*

*Baptizatur.*

*Capitur.*

*Corouatur.*

HAVT *multo pòſt* Laurentius *prædictis cruciatibus exemptus,* Hippolyto *qui clàm Chriſtum colebat, commendatus eſt. Hinc oblata* ROMANO *commoditas accedendi* S. Laurentium, *ad quem cùm vas aquâ plenum detuliſſet, plantis eius aduolutus, ſacrum baptiſma ſupplex enixè rogauit.* Laurentius *acceptam aquam benedixit, eâque* ROMANVM *Chriſto regenerauit. Non latuit ea res Valerianum, qui* ROMANVM *protinùs accitum fuſtuario excepit. Sed & antequam Iudex iniquus verbum emitteret, altâ voce ſucclamauit:* Sum Chriſtianus. *Quapropter Imperator indignatus, iuſſit eum decollari. Ductus igitur extra portam Salariam* V. Idus Auguſti, *Anno Domini* CC. LXI. *martyrium conſummauit.* Corpus *eius Presbyter Iuſtinus, in Hyppogeo Campi Veraci ſepeliuit. Eius memoria & feſtiuitas apud* Hiſpanos *celebris omnibus ſeculis fuit, ita vt officiis ſacris, & Baſilicis eius Nomini dicatis tota fere ditaretur* Iberia, *quæ S. Martyrem, tanquam filium* Laurentij *per baptiſmum ſuſceptum, cultu debito veneratur.*

Hæc ſunt ACTA quæ potuere hic in compendium redigi, prout illa diſcerpſit R. P. Petrus de Ribadeneyra in *Flor.SS.Tom.1.h.d.fol.* 365. Quatenus ad antiquam deuotionem *Hiſpanorum* in celebratione feſtiuitatis S. ROMANI, Templorumque extructione, Reliquiarumque obſeruatione & cultu, patet ex ſequenti *Epigrammate* vetuſto in meo MS. Carminum *Hali*:

*Martyris & celebrat* ROMANI Hiſpania *feſtum,*
*Illius & glebas, & quia Templa tenet.*
*Denique nam merito* Laurentis *filius vnà*
*Dicitur in Chriſto, quòd fide tinxit aquâ.*

Quæ omnia etiam probantur ex ſuperius dictis, & ACTIS huius S. Martyris circa filiationem per baptiſmum cum *S. Laurentio* contractam. Circa Templa apud



*Templa in Hiſpania.*

apud Hiſpanos commune eſt, maximè in *Tolotana* Vrbe, vbi illud magnificum adhuc permanet, de quo Franciſcus Piſa *Hiſtor. Tolet. lib.1.c.28. & lib.4. c.* 10. vbi agit de Rege *Alphonſo* VIII. qui in Eccleſia *S. Romani* deliteſcens, ope *Stephani Illuni*, ſeu *Æmyliani*, regnum *Caſtellæ* recuperauit. Necnon in Vrbe *Segobienſi* aliud *S. Romano* Templum dicatum conſpicimus, vt ſcribit M. Ægidius Gonzal. in *Theatr. Eccleſ. Tom.1. fol* 511. Et in Vrbe *Salmanticenſi* aliud, vt ipſe notauit in *Hiſtor. Salmantic. in Relat. Paræchiar.* In Regno Gallæciæ, Diœceſique *Tudenſi*; Eccleſia, & viculus, quem S. ROMAN *de Ayamonde* in Archipresbyteratu de *Redondela* dicunt, adeſt, vt ex D. Prudent. Sandoual *Hiſtor. Tudenſ. in relat. Archipresbyt.* pateſcit. CIRCA Reliquias, etiam plurimæ inueniuntur, quarum ecphraſin contexere prolixum.

*B.*

*Scriptores.*

TRANSLATIO *Secunda* S. EVDALDI *Martyris.*] Primam deſcripſimus ex F. Antonio Vincent. Domenec *Hiſtor. SS. Cathalon. lib. 1. fol.* 46. in hoc Martyrologio Hiſpano *ſupr. Tom.* 3. *Die XIV. Maij,* iſtam *Secundam*, hic referre præciſum, quia vt ex antiquis Monumentis liquet, hoc die perfectam fuiſſe nemo eſt qui inficiabitur; licet in edito Codice *Domenec* adſignetur huius *Tranſlationis* Dies ad XI. *Auguſti*, cum error inſit in prælo, & loco IX. *Auguſti*, repoſitum ſit tranſuerſis literis XI. Quo errore *ſedato*, ad iſtius feſtiuitatis ACTA veniamus, quæ ſic prædictus Scriptor SS. Gotholanorum recenſet:

## *ACTA TRANSLATIONIS Exuuiarum Sancti* EVDALDI *Martyris in Valle-Ripollenſi Cathaloniæ, ex relatione F. Antonij Vincentij Domenec.*

*Tempus primæ Tranſlationis.*

*S. Martyr apparet Abbati.*

*De Tranſlatione tractatur.*

*Miracula ſpectant, & fruuntur.*

POSTQVAM *Anno Domini* DCCCC. LXXVIII. *regnante in Cathalonia* Borrello *Barcinonenſium Comite, fuit venerabile* CORPVS *Beati* EVDALDI *Martyris tranſlatum ad Cœnobium Benedictinorum* Vallis Ripollenſis, *quo inſignia Deus S. Martyris interceſſione miracula patrarat, euenit, quod S. Martyr in ſomniis apparuit Abbati, & aliis Monachis præfati Cœnobij, exhortans eos, quatenus illi Capellam, ſeu Baſilicam peculiarem erigerent, & ad illam, ex eo loco, vbi eius pignora requieſcebant, tranſferrent. Tum inter Monachos habito conſilio, & deliberatione præcedente, actum fuit, & vnanimiter decretum, quòd* CORPVS *S. Martyris deduceretur ad locum, vbi Baſilica erigenda eſſet, & eſto quòd ibidem collocatum, recentiora patraretur miracula, tunc eius voluntatem firmam de nouo erigendo Templo, cognoſcerent, & crederent. Igitur ſacra pignora ad locum delata magnifico proceſſionis apparatu, vix ſitum tetigere, cùm, Deo diſponente, frequens miraculorum viſebatur inſtantia. Nam quædam fœmina, quæ vix propter febrium continuarum grauedinem ſacras exuuias inſequi valebat, confeſtim in ipſo itinere S. Martyris precibus, ſanata eſt. Eadem ægritudine aliæ duæ fœminæ laborantes, concurſum ſequebantur in proceſſione deuotæ, quarum Deus pietatem intuitus, S. Martyris precibus, liberæ in domum reuerſæ ſunt. Quidam adoleſcens pedibus, & tibiis emortuis, ad ferculum Reliquiarum adductus, cum tangeret illud, extemplò ſanus deambulauit, & credidit. Quinimò & alius paralyticus manu deoſculans thecam in qua S. Martyris exuuiæ recondebantur, protinùs ſanitatem recepit.*

*Exequitur Tranſlatio.*

*S. Martyr à plaga liberat deuotos.*

*Quibus miraculis ad oculum conſpectis, omnis Populus continuò neceſſaria ad ædificium colligere cœpit, cuius fabrica ſic creuit, vt* Die IX. Auguſti, *Anno Domini* M.IV. *regnante in Principatu Cathaloniæ* Raymundo Borrello, *Barcinonenſium Camite, ſacra lipſana ad nouam Baſilicam tranſlata, ibidem honorificè collocarentur. Quæ ſic venerantur Oppidani, vt quotannis in eius anniuerſario natalis Die, vndecúmque integri populi circumiacentes ad celebrationem feſtiuitatis huiuſmodi confluant deuotionis, & voti causâ. Sed per hoc tempus euenit, quòd accolæ territorij Val-Fogonæ inſuperabilem, & inexorabilem*

*rabilem plagam paterentur; nam medio diei termino Angelus in forma Equitis ſtricto enſe apparebat, quo incolas obuios crudeliter percutiebat, ita vt nullus ex cæſis cum vita remaneret. Cui malo cæteri vt occurrerent, ad Eccleſiam* S. EVDALDI *continuò humili contritione deuoti procaſſionaliter deuenere. Tunc ſacrificium Miſſæ cœpit celebrari, in cuius exordio vnus ex incolis prædictæ Vallis ſaucius in medio Eccleſiæ cecidit, ſed Abbas Cœnobij dixit ſuperſtitibus, quòd in oratione permanerent, & S. Martyrem in ſui auxilium innocarent. Ita factum, & homo percuſſus abſque læſione conſurgens, gratias Deo, & Martyri offerens, conciuibus deuotionem commendauit, & qualiter eos à periculo præterito liberos extitiſſe nuntiauit, ita vt in poſterum nihil tale videretur in Valle. Cuius præcipui homopoli ob fauorem acceptum in gratiarum actionem S. Martyri obtulerunt cedere, & trahere omnem lignorum ſtruem, ad calcem coquendam, ad ædificium neceſſariam. Hinc illud ſplendide perfectum eſt.*

*Perficitur Baſilica Martyris.*

HVIVS Secundæ TRANSLATIONIS ecphraſin refert, vt diximus, *Domenec,* qui illam & primam reiicit ad Diem IV. *Menſis Nouembris,* qua vtriuſque feſtiuitas annuatur. Nos ſuis Diebus propriis ſubiungere curauimus, ne temporum labilitate, & obliuionis intercapedine huius feſtiuitatis commemoratio circumducatur.

C.

*Vigiliæ quid?*

VIGILIA *triumphi* S. LAVRENTII *Martyris Hiſpani.* Vſus *Vigiliarum*, quæ erant Nocturnæ Excubiæ, non ſolùm apud Chriſtianos inoleuit, ſed etiam apud Ethnicos, & Gentiles, qui ſuis falſis Diis, in eorum ſacris Ædibus, & Templis iunctim permixti choreas, & hymnos canebant. Harum *Vigiliarum* celebriores fuere, quas *Cereri* fœminæ noctu peragebant, de quibus mentio eſt apud Plaut. in *Aulul. Prolog. verſ.* 36. vbi Camerar. in *Not. fol.* 122. aſſerit, quòd *Vigiliæ* hæ à mulieribus ieiunantibus fiebant. Sed has ſuperſtitioſas nullus ambigit, & ideo erroribus reſperſas. Chriſtianorum vero inculpatæ fuere in exordio inſtitutionis illarum, vt & ipſi Scriptores Ethnici fatentur, apud quos earum mentio ineſt; teſtis ſit Plinius Secundus *lib.* 10. *Epiſtol.* 97. vbi de Chriſtianis ſcribens ad Trajanum, aſſerit: *Affirmabant autem hanc fuiſſe ſummam vel culpæ ſuæ, vel erroris, quòd eſſent ſoliti ſtato die, ante lucem conuenire, carmenque Chriſto, quaſi Deo dicere ſecum inuicem.* Sed & Lucian. *in Philopat.* refert ex perſona *Chriſtianorum*: *Ad hymnos totâ nocte decantandos vigilantes, talia ſomniamus.* His accedat Ammianus Marcellin. *Hiſtor. Rom lib.* 28. in fin. dicens: *In ſtatione primis tenebris obſeruata cuſtodum abſentia, qui die feſto* Chriſtiani *ritus in Eccleſia pernoctabant.* Huiuſmodi *Vigiliarum* morem ab Apoſtolis deductum fuiſſe refert Iacobus Pamelius in *Not. ad Tertullian, lib.* 2. *ad vxor. c.* 4. *n.* 27. *fol.* 201. Ioannes Bapriſt. Caſal. *de Ritib. Sacr. c.* 63. *in princip. fol.* 323.

*Gentilium Cereri quæ?*

*Chriſtianorum Chriſto, & Martyribus, quæ?*

*Ab Apoſtolorum temporibus ortæ.*

HAS etiam VIGILIAS ſeorſim Fideles *Lucernarias preces* nuncupabant, vt ex Clemente *lib.* 8. *Conſt. c.* 36. Caſſiano *lib.* 3 *c.* 3. colligunt Baron. *Annal. Eccleſ. Tom.* 1. *Ann.* 51. *n.* 70. Spondan. *n.* 20. Caſal. *d. c.* 63. *fol.* 324. Ideo ſic vocatæ quia *ardentibus lucernis* fiebant, vt ſcriptum reliquit Gregor. Nazianzenus *Sermon. de Paſch.* vbi ſcribit, de nocte diem Paſchę præcedente, luminibus & flammis coruſcantibus conueniſſe ſolitos fideles ad preces aſſuetas. Eadem Gregor. Nyſſen. *de Paſch.* & Auſon.

*Lucernariæ preces quæ?*

*At temet properant* vigilatum *conuenientes,*
*Nox lucem refert funalibus anteferendam.*

IN hiſce VIGILIIS iuncti fideles in Eccleſia, Die antecedenti, proximo ad *Natalem* Martyris, ſeu ad feſtum Paſchæ, luminibus accenſis, noctem pertranſibant vigilantes, in orationibus, hymnis, ſpirituali lectione, & aliis piis officiis noctis tempus tranſigentes, vt ex S. Paulino *Carm.* 22. *de Septim. Die Natal. fol.* 578. his carminibus:

*Vigiliarum forma & vſus.*

*Noſtis eum morem, vt ieiunare ſolemus*
*Ante diem, & ſerò libatis veſpere ſacris,*

*Quiſque*



*Quiſque ſuas remeare domos. Tùm ergo ſolutis*
*Cœtibus à Templo Domini, poſtquam data feſſis*
*Corporibus requies ſumptâ dape, cœpimus hymnis*
*Exultare Deo, & Pſalmis producere noctem.*

IGITVR huiuſmodi VIGILIARVM vſus ad vſque Annum DC. XVIII. perdurauit, quo in Concilio Antiſiodorenſi *Can.* 3. ademptus fuit, ne deuotionis prætextu, aliqua inhoneſtiora commiſcerentur; aſſerit F. Didacus Ximen. Arias in *Vocabul. Eccleſ. verb. Vigilia. fol.* 362. Sed fallitur, nam in illo Concilio tantùm VIGILIAS, quæ fiebant in propriis domibus, admixtaſque habuere ſuperſtitiones, prohibitas contendit Cæſar Baron. *Annal. Eccleſ. Tom.* 8. *Ann.* 590. *n. penult.*

*An prohibitæ, & quales?*

EARVM forma cœpit obſeruari à martyrio S. LAVRENTII, vt eius Acta indicant, his verbis: *Cùm tradidiſſent ſepulturæ* S. LAVRENTIVM *ieiunantes (fideles) celebrarunt* VIGILIAS *noctis.* Hinc apud Græcos, & Latinos in Menologiis, & Martyrologiis, hæc *Vigiliæ* nota præſcribitur; vt ex Beda, Vſuardo, Adone, & aliis recentioribus liquet; necnon ex *Sacramentario* S. Gregor. vbi Hugo Menard. *fol.* 36. in quo adeſt *Miſſa* nocte Vigiliæ celebranda, & in Breuiar. & *Miſſal. Muzar. Toletano.* Cæſar Baronius in *Not. ad Martyrolog. Roman. h. d. lit. A.* quærit: Cur autem præ cæteris Martyribus S. LAVRENTII agantur Vigiliæ. Cui quæſito reſpondit Guillelmus Durandus in *Rational. Diuinor. Officior. lib.* 7. *c.* 23. Duas potiſſimùm adeſſe potuiſſe cauſas. PRIMA quia B. LAVRENTIVS poſt S. Stephauum inter alios Martyres primatum obtinet. SECVNDA propter officium prædicationis, & rectam adminiſtrationem theſaurorum Eccleſiæ, ita vt illos inter pauperes diſtribueret. TERTIA ab ipſo Baronio refertur, dicens: *Quai ex priſtina illa Fidelium obſeruatione, qui propenſiori ſtudio ad Corpus tanti Martyris vigilare cœperunt, vt eius Acta ſuperius relata teſtantur, anniuerſaria hæc vigilia ab Eccleſia obſeruata eſt, vſque in hodiernum diem.* Quam *Baronij* rationem probabiliorem fatetur Bartholomæus Gauantus in *Comment. ad Rubric. Breuiar. Roman. ſect.* 7. *c.* 10. *num.* 9. *fol.* 159. QVARTA eſt ratio, quia vt inquit Prudent. in *Periſtephan. Hymn.* 3. S. LAVRENTIVS morte ſuâ, mortem intulit Idololatriæ, & Romanum Imperium ad fidem adtraxit; cuius beneficio S. R. E. grata, *Vigiliam*, & *Octauam* in æternum S Martyri conſtituit. Ita R. P. Petrus de Ribadeneyra in *Flor. SS Tom.* 1. *h. d. fol.* 369. in Latino Codice operâ P. Iacobi Caniſij. Cuius ſententiæ adhæreo, maximè ſtante *S. Leonis* Papæ in *Serm. S. Laur.* encomio, dicentis: *Quàm clarificata eſt Ieroſolyma* Stephano, *tàm illuſtris facta eſt Roma* LAVRENTIO.

*Martyrologia.*

*Quare præ cæteris SS. Martyribus, agantur Vigilia S. Laurentij.*

*I. Ratio.*

*II. Ratio.*

*III. Ratio.*

*IV. Ratio.*

# QVARTO IDVS

## Auguſti.

## DIES X.

*A.* ROMÆ *viâ Tiburtina* S. LAVRENTII *Archidiaconi, qui* Oſcæ *in Hiſpania Citeriori natus, & à* S. Valerio *Cæſarauguſtano Epicopo nutritus, & inter Eccleſiæ eiuſdem miniſtros Leuitæ ordine promotus, à* S. Sixto

 *Romano*

*Romano Pontifice Romam perductus,* S. R. E. *Archidiaconi titulo decoratus, miris virtutibus imbutus, à* Valeriano *Imperatore propter fidei confeſsionem, & Eccleſiaſtici exactionem ærarij comprehenſus, tot perpeſſus eſt vlcera, tot paſſus ſupplicia, vt vix iam fera cupiditas tormenta quæ exerceret, inueniret, & penè feritas implacabilis cruciatus quos exolueret, cogitaret: aſt vtraque ſæuitiæ, & auiditatis inſtantia Tyranni, ad craticulam confuſa, in conſtantia diffiſa, & in patientia Martyris defeſſa, tunc ab intentionis ambitu deuicta diſceſsit, cùm ad cœli thronum victor ſpiritus repedauit.*

B. CARTHAGINE *Spartariâ in Hiſpania* SS. BASSÆ, PAVLÆ, & AGATHONICÆ *Virginum, & Martyrum, quæ cùm Romam adirent, & ad* B. Agrippinæ *nobilem aſtarent agonem, accepto eius ſacro Corpore, & in* Siciliam *delato, poſtmodum in patriam feliciter remearunt, vbi in Dioletiani perſecutione comprehenſæ martyrij coronam intrepidè receperunt.*

# NOTÆ.

A. *Elogium.*

SANCTVS LAVRENTIVS *Archiaconus* S. R. E. *Martyr Hiſpanus.*] Vniuerſalis Eccleſia pro Beatiſſimi Martyris LAVLENTII hoc celeberrimo die, laudum hoſtias immolat. Cuius glorioſum paſſionis triumphum anni circulo reuolutum lætabunda concelebrat, qui licet fuerit Apoſtolis in doctrina ſubpar, attamen in Dominicæ confeſſionis defenſione haut impar extitit vel minor. Qui niueam illam ſtolam Leuiticam, martyrij cruore purpureo decorauit; cuius cor igne tuo, Chriſte, quem veneras mittere ſuper terram, ita flammaſti, vt ignem iſtum viſibilem non ſentiret: & appoſitas corpori flammas mentis intentione ſuperaret, ardentemque globum fide validus non timeret. Qui & craticulæ ſuperpoſitus, nouum ſacrificium Chriſto ſemetipſum caſtus miniſter exhibuit, & veluti ſuper aram, holocauſti more, decoctus, ſaporem Domino ſuauitatis ingeſſit. In hac incomparabilis Martyr, præcordiis pariter ac viſceribus, medullis liqueſcentibus, deſudauit, ac defluentia membra torreri, inuictâ virtute patientiæ, tolerauit. In hac extenſus, ac deſuper fixus, ſubditis iacuit, ac pependit incendiis, & holocauſtum pietatis cruda coxit impietas, quæ ſudorem liqueſcentium viſcerum bibulis vaporibus ſuſcepit. Supra hanc, velut ſuper altare Corpus ſuum noui generis ſacrificium celebrandus Miniſter impoſuit; & Leuita prædicandus, ipſe ſibi Pontifex, & hoſtia fuit. Hinc qui fuerat Miniſter Dominici Corporis, in offerendo ſemet ipſum, officio functus eſt Sacerdotis. In eo igitur Martyre Dominica potentia, & virtutis apex prædicatur: Nam quis credere Corpus fragili compage conglutinatum, tantis ſine illis ſufficere conflictibus potuiſſe? Quis incendiorum æſtibus humana æſtimaret membra non



non cedere, niſi fragantis diuini luminis interiorem hominem lampas animaſſet? Cuius potentiâ factum eſt, vt læta rore ſuo anima, coctione proprij Corporis exultaret, dùm verſari ſe Martyr præcipit, & vorari: ne & paratam coronam vno moriendi genere ſequeretur; & ſi lenitate cruciatuum vitalis tardaret interitus, non exiſteret glorioſus coronatus. Hic igitur nec minis ceſſit, nec flammis, imò nec illis cedere poterat, quia qui ſic in creditis ſibi facultatibus auaritiam vicit, nullo modo potuit inter minas, nec flammas poſitus ſuperari. Hic eſt ille Martyr inſignis, qui plus meritis, quàm flammis effulſit, & merito, nam amor ardorem ſuperans, vehementius fidei ſcintillâ flammabatur interius, quàm ignis exterius luminoſus excreſceret. Hic denique verbis, & opere exemplum fidelibus contemnendæ mortis inſinuans, victricem animam Patri, & ſpiritum commendauit: & poſt ſudorem prælij, Chriſti refrigeratus amplexu, ſub Ara cœleſti vmbraculo requieſcit in cœlis, & inter Sanctorum agmina eius inclytum Nomen in *Tabulis Eccleſiaſticis* annuatur; & repetitur in terris; vt videre eſt apud Græcos in *Menologiis*, *Hagiologiis*, *Mæneis*, & apud Latinos in Martyrologiis *Beda, Vſuardus, Ado, Bellinus, Florus, Peregrinis, Maurolycus, Galleſinus,* & cæteri recentiores, cum *Romano* Roſuueyd. & *Nouiſsimo* Baronij, his verbis: ROMÆ *viâ Tyburtinâ Natalis* B. LAVRENTII *Archidiaconi, qui in perſecutione Valeriani, poſt plura tormenta carceris, verberum, diuerſorum, ſcorpionum, fuſtium, & plumbatarum, & laminarum ardentium, ad vltimum in craticula ferreâ aſſatus martyrium compleuit: Cuius Corpus à* B. Hippolyto, *&* Iuſtino *Presbytero ſepultum fuit in cœmeterio Cyriacæ, in agro Verano.* Conueniunt Martyrologia *Caſtellanum* P. Dionyſ. Vaſq. *Luſitanum* P. Ioann. Lup. *Hiſpanum* MS. P. Ieronym. de la Higuer. & *Italum* Conſtant. Felic. De eo in *Martyrolog. Gallican.* Andreas Sauſſay. *Tom.* 1. *b. d. fol.* 503. Petrus de Natal. in *Catalog. SSS. lib.* 7. *c.* 44. Claudius de Rot. in *Legendar. SS. fol.* 73. Philippus Ferrar. in *Catalog. SS. Ital. fol.* 498. & in *Topograph. SS. verb.* Roma. *fol.* 108. *col.* 2. S. Antonin. 1. *p. tit.* 7. *c.* 8. §. 8. Ioannes Beleth. in *Rational. Diuinor. Officior. c.* 145. Martin. Polonus in *Chron. lib.* 4. *fol.* 175. Harman. Schedel in *Chron. Ætat.* 6. *Ann.* 260. *fol.* 121. Gaufridus Bouſard. *de Sacrific. Miſſ. fol.* 18. Buchinger. in *Hiſtor. Eccleſ. fol.* 129. Ioannes Faius in *Manipul. Exemplor. tom.* 2. *verb.* Laurentius *fol.* 46. Guillelmus Durandus *lib.* 7. *Rational. Diuinor. Officior. c.* 23. Bartholom. Gauant. in *Comment. ad Rubr. Brev. Roman. Sect.* 7. *c.* 10. *n.* 10. *fol.* 159. Bernard. Dorhoff. in *Specul. Iuuentut. fol.* 365. Georgius Vviceluſ. in *Hiſtor. de SS. Eccleſ. Dei fol.* 261. Elias Reuſner. in *Diar. Hiſtor. fol.* 120. Gilbert. Genebrard. *in Chronograph. Ann.* 264. *fol.* 396. *& fol.* 397. Iacobus Gordon. in *Chron. Ann.* 261. *fol.* 89. Ioannes Naucler. in *Chron. tom.* 2. *Generat.* 1. *Ann.* 273. *fol.* 490. Petrus Opmerus in *Chronograph. Ann.* 269. *fol.* 257. *col.* 2. Iacobus Gualter. in *Chron. Secul.* 3. *fol.* 220. *col.* 6. Ado Viennenſ. in *Chron. Ætat.* 6. *Ann.* 254. *fol.* 135. S. Gregor. Turonenſ. in *Chron. Francor. lib.* 1. *c.* 30. *fol.* 24. & de *Glor. Martyr. lib.* 1. *c.* 83. Onuphrius Panuinus in *Chron. Ann.* 259. *fol.* 28. *col.* 2. Thom. Bozius de *Sign. Eccleſ. Tom.* 2. *Sign.* 62. *c.* 6. *fol.* 114. Iacobus Gretſerus de *Feſt. Chriſtianor. lib.* 2. *c.* 9. *fol.* 348. & *c.* 11. *n.* 18. *fol.* 70. Iodoc. Clyctouæus in *Expoſit. Hymnor. lib.* 1. *fol.* 66. Ioannes Garetius de *Inuocation. SS. fol.* 27. *&* 32. Iulius Roſcius in *Triumph. Martyr. Tabul.* 18. Ioannes Andr. Gilius de *Perſecut. Eccleſ. Idolatr.* 8. *lib.* 2. *fol.* 107. Anton. Gallon. de *Cruciatib. Martyr. c.* 4. *fol.* 110. *& c.* 6. 140. *& c.* 7. *fol.* 159. Baron. *Annal. Eccl. Tom.* 2. *Ann.* 261. *n.* 6. & alij plurimi, quos referre prolixum. Ex Noſtris Flau. Dext. in *Chron. Ann.* 260. *vbi* P. Biuar. *n.* 4. *fol.* 289. & Roder. Caro *lit. R. fol.* 90. S. M. Maxim. *in Hymn. S. Vincent. fol.* 229. apud R. Car. & apud Biuar. in *Addit. n.* 50. *fol.* 56. Luitprand. in *Aduerſar. n.* 213. apud Tamayo; *&* 239. apud Ramir. Marin. Sicul. *de Reb. Hiſpan. lib.* 5. *c.* 2. Ioann. Gabr. Briſciol. *in Epitom. Annal. Baron. Tom.* 1. *Anno* 261. Gaſpar. Scolan. *Hiſtor. Valent.* 1. *p. lib.* 2. *c.* 6. F. Ieronymus Roman. *in Rep. Chriſtian. lib.* 1. *c.* 7. F. Ioann. Pined. *Monarch Eccleſ. Tom.* 2. *lib.* 11. *c.* 48. §. 2. *fol.* 179. Huclamus in *Comment. ad Antiphon.* Salue Regina, *Diſcurſ.* 7. §. 2. *fol.* 177. Iacobus de Pradas de *Adorat. Imagin. lib.* 2. *cap.* 6. Petrus Anton. Beuter. *Hiſtor. Hiſpan. lib.* 1. *c.* 24. F. Ioannes Marieta *Hiſtor. SS. Hiſpan. lib.* 2. *c.* 2. Gundiſaluus Illeſcas *Hiſtor. Pontifical.* 1. *p. lib.* 1. *c.* 26. Ambroſ. Moral. *Hiſtor. Hiſpan.* 1. *p. lib.* 9. *c.* 46. P. Ioannes

*Martyrologia.*

*Scriptores Eccleſiaſtici exteri.*

*Chronographi exteri.*

*Scriptores, & Chronographi Hiſpani.*

Mariana *Hiſt Hiſpan.lib.4.c.*10.R. Alfonſus Ciacon.*in vit.Pont.tom.*1.*fol.*63.F.Franciſcus Scemenius in *Chriſtian. Perfect. c.*85. Alphonſus Vener. *in Inchiridon. Tempor. fol.* 149. Stephanus Garibay. in *Compend. Hiſtorial. lib.*7. *c.*34. F. Didacus Murillo *Hiſtor. Cæſarauguſt.* 1. *p. c.*22.*fol.*189. Didacus Roder. de Almella in *Valer. Hiſtor. Scholaſt. lib.*3. *tit.* 3. *c* 4. F. Gualbert Fabricius in *Hiſtor. Reg. Cathol. prolegom.* 3. Ieronymus Paul. in *Deſcript. Barcinon. fol.* 11. D. Laurentius Padilla in *Catalog. SS. Hiſpan. fol.* 20. Ioannes Vaſſ. in *Chron. Hiſpan.*265. D. Ioannes de Vergar. in *Hiſtor. Toletan. lib.*1 *c.*21. Auctor Valentinus Anonymus, relatus à Iacob. Prad.*de Adoration Imagin. lib.*2.§.7.*fol.*83. F. Ferdinandus del Caſtill. 1.*p.Hiſtor General. Prædicat. lib.*1.*c.*1. F. Ioann. Aluarus Epiſcopus Solſonenſ. in *Vit. S.Bernard.fol.*357 P. Martinus Del-Rio in *Prolog. ad Commonit. S. Orentij fol.* 4. Didacus Valdeſ. de *Dignitat. Reg. Hiſpan.c.*7.*n.*55. *&* 60. F. Ioannes Perpinnian. *in Declamat. SS.Orat.*3. F. Ioſeph. Siguenz. *Hiſtor. Ieronymian.*3.*p. Diſcurſ.*5.*fol.*558. Didacus Morlanes in *Allegat. pro S. E. Cæſaraug. de Columm.*2.*p. n.*443.*fol.* 46. & Ioann. Perez de Bordalua in *Simil. Alleg. fol.*11. Don Franciſc. Padill. in *Hiſtor. Eccleſ. Hiſpan.Tom.*1. *Cent.*3.*c.*12. *fol.*116. P. Andreas Scoth. in *Bibliothec. Hiſpan. tom.* 1. *cap.* 5.*fol.* 106. Emanuel. Correa *Hiſtor. Imperat. & Reg. Hiſpan. Ann.* 252. *fol.* 130. Michael Martin. del Villar. de *Innat. Fidelitat. Regn. Aragon. fol.*24. D. Maur. Caſtell. *Hiſtor. Compoſtell. lib.* 2.*c.*23.*fol.* 203. Camillus Borrell. *de Reg. Cathol. Præſtant.c.*70. *n.*26.*fol.*450. D.Martin.Carrill.*Hiſtor. S.Valer. c.*2.*fol.*12.*& c.*9.*fol.*100.& in *Annal. Eccleſ. Hiſpan. lib.*2. *Ann.* 261.*fol.*98. Petrus Calliſt. Ramir. *de Leg. Reg. in Præfat. n.* 50. *&* 53. Doct. Petrus Salazar. de Mendoz. *in Origin. Dignit. Caſtellæ & Legion. lib.*4. *c.*4. §.2.*fol.*164.Doct.Petrus Salazar.in *Hiſtor. Aragon.tom.*1.*lib.*1. *cap.* 36.*lib.* 2.*c.*34.*lib.*3.*c.*20.*&* 22.*l* 4.*c.*16.*& l.*5.*c.*14.*& Tom.*2.*lib.*5.*c.*16.Franc.Didac.Ayenſa in *Hiſtor. Oſcenſ. lib.*2. *c.*4. & in *Tranſlat. S.Orent.fol.*1. 17. & paſſim alibi. D. Ioannes Briz. Martin. *Hiſtor. Pinnatenſ. lib.*1. *c.*47.48. 49. *&* 50. M. Ægidius Gonzal. in *Theatr. Madridenſ. lib.*4.*fol.*422. *&* 432.D.Gonzal.Ceſped.& Meneſ.*Hiſtor. Peregrin.*1.*p.c.*3. F. Martin. à Cruce in *Hiſtor. Iaccenſ. c.*33.§.6. D.Vincent.Sellan. de *Excellent. Diuin. Offic. lib.* 3. *c.* 48. *à fol.*437. *vſque ad* 448. P. Martin. de Roa in *Principipat. Cordubenſ.c.*8.*fol.*43. Ioannes Franciſc. Andr. *in Defenſion. Patr. S. Laurent.t.*5. *&* 6.,& in *Defenſion. Fraternit. S. Orent. c.*1.*fol.*4. *c.*2.*fol.*17.*c.*3. *fol.* 27.*c.* 6. *fol.*43. F.Franciſc. Diag.*Hiſtor. Valentin.*1.*p.lib.*4.*c.*19. 164. *& c.* 20. *fol.*166. Ludouicus Lop. *Hiſtor. Cæſaraug.* 1.*p. c.*15.*fol.*196. *&* 1.*p.c.*18.*fol.*280. *&* 2.*p.c.* 8. *fol.* 426. *&* 432. D. Michael Erze de *Aduent. S.Iacob.*2.*p. Tractat.*2. *c.*4.*n.*10.*& ſeqq.fol.* 211. P. Anton. Quintana-Dueñ. *Hiſtor. SS. Toletan. in Fundat. S. E. Tolet. cap.* 12. *Concil.*3.*fol.*51. Ex Floribus Sanctorum tàm Exteris, quàm Hiſpanicis Scriptores tumultariè referemus, nam omnes ſeparatim enumerare prolixum erit. Adſit Lyppomanus *ex Metaphraſte fol.*69.*vſque ad* 86. Laurent.Sur. *Tom.* 4. *fol.* 94. Lipoloos, & Craſſ. *Tom.* 3. *fol.* 390. Gundiſaluus Æmylian. *fol.* 201. Ieronymus Vega. *FloresSan-orum.* *fol.* 346. Ioann. Baſil. Sanctor. *Tom.*2.*fol.* 68. Alphonſus Vigilleg. 1. *p. fol.* 226. F.Thom.Truxill. *Tom.* 2. *fol.* 1474. D. Bartholom. Cayraſco 3. *p. Templ. Aril. Die X. Auguſt.* F. Ortiz Lucius *fol.*268. R. P.Petrus Ribadeneyr. *Tom.*1.*fol.*365. Anonymus peruetuſtus, *fol.*126. Ex Poëtis Chriſtianis primum locum obtinet Noſter *Poëta.* Clariſſimus Aurelius *Prudentius*, Hiſpaniæ decor in *Periſtephan. Carmin.*3.vbi paſſionem mirifice his verſibus ſcribit.

## PASSIO S. LAVRENTII BEATISSIMI MARTYRIS.

*ANtiqua fanorum parens,*
*Iam Roma Chriſto dedita,*
LAVRENTIO *victrix Duce*
*Ritum triumphans barbarum:*

*Reges*



*Reges ſuperbos viceras,*
*Populoſque frenis preſſeras,*
*Nunc monſtruoſis Idolis,*
*Imponis Imperij iugum.*
*Hæc ſola derat gloria*
*Vrbis togatæ inſignibus,*
*Feritate capta Gentium*
*Domaret vt ſpurcum Iouem.*
*Non turbulentis viribus,*
*Coſſi, Camilli, aut Cæſaris,*
*Sed Martyris* LAVRENTI,
*Non-incruento prælio.*
*Armata pugnauit fides,*
*Proprij cruoris prodiga:*
*Nam morte mortem diruit,*
*Ac ſemet impendit ſibi.*
*Fore hoc Sacerdos dixerat*
*Iam* Sixtus *adfixus cruci,*
LAVRENTIVM *flentem videns*
*Crucis ſub ipſo ſtipite:*
*Deſiſte diſceſſu meo*
*Fletus dolenter fundere:*
*Præcedo frater, Tu quoque*
*Poſt hoc ſequeris Triduum.*
*Extrema vox Epiſcopi*
*Prænuntiatrix gloriæ*
*Nihil fefellit: Nam Dies*
*Prædicta palmam præſtitit.*
*Quâ voce, quantis laudibus*
*Celebrabo mortis ordinem?*
*Quo paſſionem carmine*
*Dignè retexens concinam:*
*Hic Primus è Septem-Viris?*
*Qui ſtant ad Aram proximi,*
*Leuita ſublimis gradu,*
*Et cæteris præſtantior:*
*Clauſtris ſacrorum præerat,*
*Cæleſtis arcanum Domus*
*Fidis gubernans clauibus,*
*Votaſque diſpentans opes.*
*Verſat famem pecuniæ*

*Præfectus*

*Præfectus Vrbis Regiæ,*
*Miniſter inſani Ducis*
*Exactor auri, & ſanguinis.*
*Quâ vi latentes eruat*
*Nummos, operta exiſtimans*
*Talenta ſub ſacrariis,*
*Cumuloſque contextos tegi.*
LAVRENTIVM *ſiſti iubet;*
*Exquirit arcam ditibus*
*Maſſis refertam, & fulgidæ*
*Montes monetæ conditos:*
*Soletis (inquit) conqueri,*
*Sæuire nos iuſtò amplius,*
*Cùm Chriſtiana corpora*
*Pluſquàm cruentè ſcidimus.*
*Abeſt atrocioribus*
*Cenſura feruens motibus,*
*Blandè, & quietè efflagito,*
*Quod ſponte obire debeas.*
*Hunc eſſe veſtris Orgiis*
*Moremque, & artem, proditum eſt;*
*Hanc diſciplinam fœderis,*
*Libent vt auro Antiſtites.*
*Argenteis ſcyphis ferunt*
*Fumare ſacrum ſanguinem,*
*Auroque nocturnis ſacris*
*Adſtare fixos cæreos.*
*Tum ſumma eſt cura fratribus,*
*Vt ſermo teſtetur loquax,*
*Offerre fundis venditis*
*Seſterciorum Millia.*
*Addicta auorum prædia*
*Fœdis ſub actionibus*
*Succeſſor exhæres gemit,*
*Sanctis egens parentibus.*
*Hæc occuluntur abditis*
*Eccleſiarum in angulis;*
*Et ſumma pietas creditur,*
*Nudare dulces liberos.*
*Deprome theſauros, malis*
*Suadendo quos prædiſtiis*





*Exaggeratos obtines,*
*Nigrante quos claudis ſpecu.*
*Hoc poſcit vſus publicus,*
*Hoc fiſcus, hoc ærarium;*
*Vt dedita ſtipendiis*
*Ducem iuuet pecunia.*
*Sic dogma veſtrum eſt, audio:*
*Suum quibuſque reddito.*
*En Cæſar agnoſcit ſuum*
*Numiſma nummus inditum.*
*Quod Cæſaris ſcis, Cæſari*
*Da; nempe iuſtum poſtulo?*
*Ni fallor, haut vllam tuus*
*Signat Deus pecuniam.*
*Nec, cùm veniret, aureos*
*Secum Philippos detulit,*
*Præcepta ſed verbis dedit*
*Inani à marſupio.*
*Implete dictorum fidem,*
*Quam vos per Orbem venditis:*
*Nummos libenter reddite,*
*Eſtote verbis diuites.*
*Nil aſperum* LAVRENTIVS
*Refert ad iſta, aut turbidum;*
*Sed, vt paratus obſequi;*
*Obtemperanter annuit.*
*Eſt diues (inquit) non nego,*
*Habetque Noſtra Eccleſia*
*Opumque, & auri plurimum,*
*Nec quiſquam in Orbe eſt ditior.*
*Is ipſe tantum non habet*
*Argenteorum ænigmatum*
*Auguſtus, arcem poſſidens,*
*Cui nummus omnis ſcribitur.*
*Sed nec recuſo prodere*
*Locupletis arcam Numinis;*
*Vulgabo, cuncta, & proferam*
*Pretioſa quæ Chriſtus tenet.*
*Vnum ſed orans flagito,*
*Induciarum paululum,*
*Quo fungar efficacius*

*Promiſsionis munere.*
*Dùm tota digeſtim mihi*
*Chriſti ſupellex ſcribitur;*
*Nam calculanda primitùs;*
*Tum ſubnotanda eſt ſummula.*
*Lætus tumeſcit gaudio*
*Præfectus, ac ſpe deuorat*
*Aurum, velut iam conditum,*
*Domi maneret, geſtiens*
*Pepigere tempus Tridui:*
*Laudatus inde abſoluitur*
LAVRENTIVS, *ſponſor ſui,*
*Et ſponſor ingentis lucri.*
*Tribus per Vrbem curſitat.*
*Diebus, infirma agmina,*
*Omnéſque qui poſcunt ſtipem,*
*Cogens in vnum, & congregans.*
*Illic vtriſque obtutibus*
*Orbes cauatos præferens,*
*Baculô regebat præuiô*
*Errore nutantem gradum.*
*Et claudus infracto genu,*
*Vel crure trunco ſemipes,*
*Breuior ve plantâ ex alterâ,*
*Greſſum trahebat imparem.*
*Eſt, vlceroſis artubus*
*Qui tabe corruptâ fluat;*
*Eſt, cuius arens dextera*
*Neruos in vlnam contrahat.*
*Tales plateis omnibus*
*Exquirit, aſſuetos ali*
*Eccleſiæ Matris penu,*
*Quos ipſe primus nouerat.*
*Recenſet ex his ſingulos,*
*Scribens viritim nomina,*
*Longo & locatos ordine*
*Adſtare pro templo iubet.*
*Præſcriptus & iam fluxerat*
*Dies, furebat feruido*
*Iudex auarus ſpiritu,*
*Promiſſa ſolui efflagitans.*





*Tum Martyr: Adſiſtas velim*
*Coramque diſpoſitas opes*
*Mirere, quas Noſter Deus*
*Prædiues in Sanctis habet.*
*Videbis ingens atrium*
*Fulgere vaſis aureis,*
*Et per patentes porticûs*
*Structos talentis ordines.*
*It ille, nec pudet ſequi.*
*Ventum ad ſacratam ianuam:*
*Stabant cateruæ pauperum,*
*Inculta viſu examina.*
*Fragor rogantum tollitur,*
*Præfectus horreſcit ſtupens,*
*Conuerſus in* LAVRENTIVM,
*Oculiſque turbatis minax.*
*Contra ille; Quid frendens, ait,*
*Minitaris? aut quid diſplices?*
*Num ſordida hæc, aut vilia?*
*Num deſpicienda exiſtimas?*
*Aurum quod ardenter ſitis,*
*Effoſſa gignunt rudera;*
*Et de metallis ſqualidis,*
*Pœnalis excudit labor,*
*Terrens vel amnis turbidis*
*Voluens arenis implicat:*
*Quod terrulentum, aut ſordidum,*
*Flammis neceſſe eſt decoqui.*
*Pudor per aurum ſoluitur,*
*Violatur auro integritas;*
*Pax occidit; Fides perit;*
*Leges, & ipſæ intercidunt.*
*Quid tu venenum gloriæ*
*Extollis, & magni putas?*
*Si quæris aurum verius,*
*Lux eſt, & humanum genus.*
*Hi ſunt alumni luminis,*
*Quos corpus arctat debile,*
*Ne per ſalutem viſcerum*
*Mens inſoleſcat turgida.*
*Cùm membra morbus diſiicit,*

*Animus viget robuſtior:*
*Membris viciſsim fortibus,*
*Vis ſauciatur ſenſuum.*
*Nam ſanguis in culpam calens*
*Minus miniſtrat virium,*
*Si feruor effetus malis*
*Elumbe virtus contrahat.*
*Si fortè detur optio,*
*Malim dolore aſperrimo*
*Fragmenta membrorum pati,*
*Et pulcher intus viuere.*
*Committe formas peſtium,*
*Et confer alternas lues;*
*Carnis ne morbus fœdior*
*An mentis, & morum vlcera?*
*Noſtri per artûs debiles,*
*Intus decoris integri,*
*Senſum venuſti innoxium*
*Languoris experti gerunt.*
*Veſtros valentes corpore*
*Internæ corrumpit lepra,*
*Errorque manuum claudicat,*
*Et cæca fraus nihil videt.*
*Quemuis tuorum diuitum,*
*Qui veſte, & ore præminent,*
*Magis probabo debilem,*
*Quam quis meorum eſt pauperum.*
*Hunc qui ſuperbis ſericô,*
*Quem currus inflatum vehit,*
*Hydrops aquoſus lucidô*
*Tendit venenô intrinſecus.*
*Aſt hic auarus contrahit*
*Manus recuruas, & volam*
*Plicans aduncis vnguibus*
*Laxare neruos non valet.*
*Iſtum libido fœtida*
*Per ſcorta tractum publica*
*Lutô, & cloacis inquinat,*
*Dùm ſpurca mendicat ſtupra.*
*Quid ille feruens ambitu,*
*Sitique honoris æſtuans?*

*Merſis*



*Merſis ne anhelat febribus,*
*Atque igne venarum furit?*
*Quiſquis tacendi intemperans*
*Silenda prurit prodere,*
*Vexatur, & ſculpit iecur,*
*Scabiemque cordis ſuſtinet.*
*Quid inuidorum pectorum*
*Strumas retexam turgidas?*
*Quid purulenta, & liuida*
*Malignitatum vulnera?*
*Tu, & ipſe qui Romam regis*
*Contemptor æterni Dei,*
*Dum Dæmonum ſordes colis*
*Morbô laboras Regio.*
*Hi, quos ſuperbus deſpicis,*
*Quos execrandos iudicas,*
*Breui vlceroſos exuent*
*Artûs, & incolumes erunt.*
*Quin carne corruptiſsimâ*
*Tandem ſoluti, ac liberi,*
*Pulcherrimô vitæ ſtatu*
*In Arce lucebunt Patris:*
*Non ſordidati, aut debiles,*
*Sicut videntur interim;*
*Sed purpurantibus ſtolis*
*Clari, & coronis aureis.*
*Tunc, ſi facultas ſuppetat,*
*Coram tuis obtutibus*
*Iſtos potentes ſeculi*
*Velim recenſendos dari.*
*Pannis videres obſitos,*
*Et muculentis naribus,*
*Mentum ſaliuis vuidum,*
*Lipposque palpebra putri.*
*Peccante nil eſt tetrius,*
*Nil tàm leproſum, aut putridum!*
*Cruda eſt cicatrix criminum,*
*Oletque vt antrum Tartari.*
*Animabus inuersâ vice*
*Corrupta forma infligitur,*
*Quas pulcher aſpectus priùs*

 *In*

*In corpore oblectauerat.*
*En ergo nummos aureos ,*
*Quos proximè ſpoponderam ,*
*Quos nec fauillis obruat*
*Ruina , nec fur ſubtrahat.*
*Nunc addo gemmas nobiles ,*
*Ne pauperem Chriſtum putes,*
*Gemmas coruſci luminis*
*Ornatur hoc Templum quibus.*
*Cernis ſacratas Virgines ,*
*Miraris intactas anus ,*
*Primique poſt damnum thori*
*Ignis ſecundi neſcias.*
*Hoc eſt monile Eccleſiæ.*
*His illa gemmis comitur.*
*Dotata ſic Chriſto placet ,*
*Sic ornat altum verticem.*
*Eccum talenta ſuſcipe ,*
*Ornabis vrbem Romulam ,*
*Di·abis & rem Principis ,*
*Fies & ipſe ditior.*
*Ridemur , exclamat furens*
*Præfectus , ac miris modis*
*Per tot figuras ludimur ,*
*Et viuit inſanum caput ?*
*Impunè tantas furcifer*
*Strofas cauillo mimico*
*Te nexuiſſe exiſtimas ,*
*Dum ſcurra ſaltas fabulam ?*
*Concinna viſa vrbanitas*
*Tractare nos met ludicris ?*
*Egonè cachinnis venditus*
*Acroma feſtiuum fui ?*
*Adeonè nulla auſteritas ,*
*Cenſura nulla eſt faſcibus ?*
*Adeonè ſecurem publicam*
*Mollis retundit lenitas ?*
*Dicis , libenter oppetam ,*
*Votiua mors eſt Martyri.*
*Eſt iſta vobis , nouimus ,*
*Perſuaſionis vanitas.*

Sed



*Sed non veluti impertiam ,*
*Præſtetur vt mortis citæ*
*Compendioſus exitus ;*
*Perire raptim non dabo.*
*Vitam tenebo , & differam*
*Pœnis morarum iugibus ,*
*Et mors inextricabilis*
*Longos dolores protrahet.*
*Prunas tepentes ſternite ,*
*Ne feruor ignitus nimis*
*Os contumacis occupet ,*
*Et cordis intret abdita.*
*Vapor ſeneſcens langueat ,*
*Qui fuſus afflatu leui ,*
*Tormenta ſenſim temperet*
*Semiſtulati corporis.*
*Bene eſt , quod ipſe ex omnibus*
*Myſteriaches incidit :*
*Hic ſolus exemplum dabit*
*Quod mox timere debeant.*
*Conſcende conſtructum rogum ;*
*Decumbe digno lectulo ,*
*Tunc , ſi libebit , diſputa ,*
*Nil eſſe Vulcanum meum.*
*Hæc ſante Præfecto , truces*
*Hinc inde tortores parant*
*Nudare amictu Martyrem ,*
*Vincire membra , & tendere.*
*Illi os decore ſplenduit ,*
*Fulgorque circunfuſus eſt :*
*Talem reuertens legifer*
*De Monte vultum detulit :*
*Iudæa quem plebs , aureo*
*Boue inquinata , & decolor ,*
*Expauit , & faciem retrò*
*Detorſit , impatiens Dei.*
*Talemque , & ille prætulit*
*Oris coruſci gloriam ,*
Stephanus *per imbrem ſaxeum*
*Cælos apertos intuens.*
*Inluminatum hoc eminùs ,*

Recens

*Recens piatis fratribus;*
*Baptiſma quos nuper datum*
*Chriſti capaces fecerat.*
*Aſt impiorum cæcitas,*
*Os oblitum noctis ſitu*
*Nigrante ſub velamine*
*Obducta clarum non videt;*
*Ægyptiæ plagæ in modum,*
*Quæ cum tenebris barbaros*
*Damnaret, Hebræis diem*
*Sudô exhibebat lumine.*
*Quin ipſa odoris qualitas*
*Adusta quam reddit cutis,*
*Diuerſa vtroſque permouet,*
*His nidor, illis nectar eſt.*
*Idemque ſenſus diſpari*
*Variatus aurâ, aut adficit*
*Horrore nares vindice,*
*Aut mulcet oblectamine.*
*Sic ignis æternus Deus:*
*Nam Chriſtus ignis verus eſt,*
*Is ipſe complet lumine*
*Iuſtos, & vrit noxios.*
*Poſtquam vapor diurnus*
*Decoxit exuſtum latus,*
*Vltrò è cataſta Iudicem*
*Compellat affatu breui:*
*Conuerte partem corporis*
*Satis crematam iugiter,*
*Et fac periclum, quid tuus*
*Vulcanus ardens egerit.*
*Præfectus inuerti iubet*
*Tunc ille: Coctum eſt, deuora,*
*Et experimentum cape,*
*Sit crudum, an aſſum ſuauius.*
*Hæc ludibundus dixerat;*
*Cœlum deinde ſuſpicit,*
*Et congemiſcens obſecrat*
*Miſeratus vrbem Romulam.*
*O Chriſte, Numen vnicum!*
*O ſplendor, ô virtus Patris!*





*O factor Orbis, & Poli!*
*Atque auctor horum mœnium!*
*Qui ſceptra Romæ in vertice*
*Rerum locaſti, ſanciens*
*Mundum Quirinali togæ*
*Seruire, & armis cedere:*
*Vt diſcrepantum gentium*
*Mores, & obſeruantiam,*
*Linguáſque, & ingenia, & ſacra*
*Vnis domares legibus.*
*En, omne ſub regnum Remi*
*Mortale conceſſit genus,*
*Idem loquuntur diſſoni*
*Ritus, id ipſum ſentiunt.*
*Hoc deſtinatum, quò magis*
*Ius Chriſtiani Nominis,*
*Quodcumque terrarum iacet,*
*Vno illigaret vinculo.*
*Da Chriſte Romanis tuis*
*Sit Chriſtiana vt ciuitas;*
*Per quam dediſti, vt cæteris*
*Mens vna ſacrorum foret.*
*Confœderentur omnia*
*Hinc inde membra in ſymbolum;*
*Manſueſcat Orbis ſubditus,*
*Manſueſcat, & ſummum caput.*
*Aduertat, abiunctas plagas*
*Coire in vnam gratiam;*
*Fiat fidelis Romulus,*
*Et ipſe iam credat Numa.*
*Confundit error Troicus*
*Adhuc Catonum Curiam,*
*Veneratus occultis focis*
*Frigum penates exules.*
*Ianum bifrontem, & Sterculum*
*Colit Senatus: horreo*
*Tot monſtra Patrum dicere,*
*Et feſta Saturni ſenis.*
*Abſterge Chriſte hic dedecus,*
*Emitte Gabrielem tuum;*
*Agnoſcat vt verum Deum*

*Errans Iulia cæcitas.*
*Et iam tenemus obſides*
*Fidiſſimos huius ſpei:*
*Hic nempe iam regnant Duo*
*Apoſtolorum Principes.*
*Alter vocator Gentium;*
*Alter Cathedram poſſidens:*
*Primus recludit creditas*
*Æternitatis ianuas.*
*Diſcede adulter Iupiter*
*Stupro ſororis oblite;*
*Relinque Romam liberam*
*Plebemque iam Chriſti fuge.*
*Te Paulus hinc exterminat,*
*Te ſanguis exturbat Petri;*
*Tibi id quod ipſe armaueras,*
*Factum Neronis officit.*
*Video futurum Principem*
*Quandoque, qui ſeruus Dei*
*Tetris ſacrorum ſordibus*
*Seruire Romam non ſinat.*
*Qui templa claudat vectibus,*
*Valuas eburneas obſtruat,*
*Nefanda damnet limina,*
*Obdens aënos peſſulos.*
*Tunc pura ab omni ſanguine*
*Tandem nitebunt marmora:*
*Stabunt & æra innoxia,*
*Quæ nunc habentur Idola.*
*Hic finis orandi fuit,*
*Et finis idem vinculi*
*Carnalis; erupit volens*
*Vocem ſecutus ſpiritus.*
*Vexere Corpus ſubditis*
*Ceruicibus quidam Patres,*
*Quos mira libertas Viri*
*Ambire Chriſtum ſuaſerat.*
*Repens medullas indoles*
*Afflarat, & coëgerat,*
*Amore ſublimis Dei,*
*Odiſſe nugas priſtinas.*

*Refrixit*



*Refrixit ex illo die*
*Cultus Deorum turpium:*
*Plebs in ſacellis rarior;*
*Chriſti ad tribunal curritur.*
*Sic dimicans* LAVRENTIVS
*Non enſe præcinxit latus*
*Hoſtile, ſed ferrum retro*
*Torquens in auctorem tulit.*
*Dum Dæmon inuictum Dei*
*Teſtem laceſſit prælio,*
*Perfoſſus ipſe concidit,*
*Et ſtratus æternùm iacet.*
*Mors illa ſancti Martyris,*
*Mors vera Templorum fuit:*
*Tunc Veſta Palladios lares*
*Impunè ſenſit deſeri.*
*Quidquid Quiritum ſueuerat*
*Orare ſimpulum Numæ,*
*Chriſti frequentans atria*
*Hymnis reſultat Martyrem.*
*Ipſa & Senatus lumina*
*Quondam, Luperci, & Flamines,*
*Apoſtolorum, & Martyrum*
*Exoſculantur limina.*
*Videmus inluſtres domûs,*
*Sexu ex vtroque nobiles;*
*Offerre votis pignora*
*Clariſſimorum liberûm.*
*Vittatus olim Pontifex*
*Aſcitur in ſignum Crucis,*
*Ædemque Laurenti tuam*
*Veſtalis intrat Claudia.*
*O ter, quaterque, & ſepties*
*Beatus Vrbis incola,*
*Qui te, ac tuorum cominùs*
*Sedem celebrat oſſuum.*
*Cui propter aduolui licet,*
*Qui fletibus ſpargit locum,*
*Qui pectus in terram premit,*
*Qui vota fundit murmure.*
*Nos Vaſco Iberus diuidit*



*Binis*

Binis remotus Alpibus
Trans Cottianorum iuga
Trans & Pirenas ninguidos.
Vix fama nota eſt, abditis
Quàm plena Sanctis Roma ſit,
Quàm diues vrbanum ſolum
Sacris Sepulchris floreat.
Sed qui caremus his bonis,
Nec ſanguinis veſtigia,
Videre coram poſſumus,
Cœlum intuemur eminus.
Sic, Sancte LAVRENTI, tuam
Nos paſſionem quærimus:
Eſt aula nam duplex tibi;
Hic Corporis, Mentis Polô.
Jllic inenarrabili
Allectus Vrbi Municeps,
Æternæ in Arce Curiæ
Geſtis coronam Ciuicam.
Videor videre illuſtribus
Gemmis coruſcantem Virum,
Quem Roma cæleſtis ſibi
Legit perennem Conſulem.
Quæ ſit poteſtas credita,
Et muneris quantum datum,
Probant Quiritum gaudia,
Quibus rogatus annuis.
Quid quiſque ſupplex poſtulat
Fert impetratum proſperè
Poſcunt, licenter indicant,
Et triſtis haut vllus redit.
Ceù præſto ſemper adſies
Tuóſque alumnos vrbicos
Lactante complexus ſinu,
Paterno amore nutrias.
Hos inter, ô Chriſti decus,
Audi Poëtam ruſticum,
Cordis fatentem crimina,
Et facta prodentem ſua.
Indignus agnoſco, & ſcio
Quem Chriſtus ipſe exaudiat;





Sed per patronos Martyras,
Poteſt medelam conſequi.
Audi benignus ſupplicem
Chriſti reum Prudentium,
Et ſeruientem corpori,
Abſolue vinclis ſeculi.

In cuius Hymni explicatione videndi *Antonius Nebriſenſis*, *Aldus Manutius*, *Ioannes Sichardus*, *Victor Giſelinus*, *Ioannes Vveitzius*, & alij. Sanctiſſimi etiam *Archileuitæ* triumphum carmine ſcripſere ex Antiquis S. M. Max. in *Hymno ad S. Vincent.* apud Roder. Car. *fol.* 229. In Antiquo *Breuiario Toletano* etiam adeſt *Hymnus* diuiſus ad *Veſperas*, *Matutinum*, & *Laudes*, hac ſerie.

Chorus Noſter ſolemniter
Exultet, & concorditer
In hoc feſto LAVRENTII,
Tormentis flecti neſcij.
Reddi ſibi quam citius
Theſauros petit Decius,
Quos diſperſit LAVRENTIVS,
Erogando felicius.
Furens irâ præ nimiâ
Recurrit ad ſupplicia;
Sperans tormentis flectere
Sanctum Dei, ſed temerè.
Ligatis fune manibus,
Rotatur ſuper ignibus,
Candeſcente craticulâ
Stridet quaque in particula.
Caro ſtridet, & crepitat,
Martyr inſultans clamitat,
Regyra tortor corpora
Aſſata ſunt iam latera.
O mira patientia!
Membra torrentur omnia,
Ipſe tamen tortoribus
Inſultat ſpretis ignibus.
Sæuit ignis exteriùs
Intus ſæuire neſcius,
Nam reſiſtit potentior
Ignis alter interior.
Natus Hiſpano climate;
Romæ ſub Sixti dogmate,

*Renaſcitur ſub Decio,*
LAVRENTIVS *martyrio.*
*O felix permutatio,*
*Felix Martyr in cambio;*
*Qui pro breui ſupplicio,*
*Æterno gaudet præmio.*
*Martyr Dei laudabilis,*
*Nobis adſis placabilis,*
*Vt apud Regem gloriæ,*
*Per te ſit locus veniæ.*
*Sit Chriſto Regi gloria,*
*Qui iuſtè penſans omnia,*
*Pro ſe paßis ſupplicia*
*Digna rependit præmia, Amen.*

Idem *Hymnus* recitabatur in Breuiariis peruetuſtis *Abulenſi*, *Compoſtellano*, *Salmanticenſi*, *Hiſpalenſi*, *Zamorenſi*, *Dertoſano*, *Segobienſi*, & aliis Hiſpaniæ. In alio MS. *S. Cucuphatis* Monaſterij *Vallenſis* in Gotholania continentur alij diuerſi *Hymni* etiam in *Veſperis*, *Matutinis*, & *Laudibus* diuiſi, quos coniungere in vnum, vt elegantius appareant, deſtinauimus.

*Martyris Chriſti colimus triumphum,*
*Annum tempus venerando, cuius*
*Cernuâ voce, prece iam rotundus*
*Orbis adorat.*
*Pontifex* Sixtus *monuit Miniſtrum*
*Fixus in ligno Crucis: Exequeris*
*Me, citò pœnam patiendo magnam,*
*Ibis ad Aſtra.*
*Tortor iratus petit vt talenti*
*Pondus ignoti manifeſtet omne,*
*Mente veſanâ cupiens vorare*
*Aurea lucra.*
*Spreuit hic mundi peritura dona,*
*Fert opem nudis, alimenta clauſis,*
*Diuidit nummos miſeris cateruis,*
*Corde flagranti.*
*Igne torquetur ſtabili tenore*
*Cordis accenſus, ſuperat minaces*
*Ignium flammas, in amore vitæ*
*Semper opimæ.*
*Vritur poſtquam latus omne teſtis:*
*Verte, Præfecto loquitur iocando,*

*Corporis*



*Corporis partem, laniando coctam*
*Dentibus atris.*
*Spiritum ſumpſit chorus Angelorum,*
*Intulit cœlo piè laureandum:*
*Vt ſcelus laxet hominum precando*
*Omnipotentem.*
*Supplici voto rogitamus omnes,*
*Sancte* Laurenti *veniam preceris,*
*Qui tuum feſtum celebrant vbique*
*Voce, vel actu.*
*Gloria Patri reſonemus omnes,*
*Eius, & Nato iubilemus aptè,*
*Cum quibus regnat ſimul, & Creator*
*Spiritus almus. Amen.*

...s etiam *Hymni* ſerie vtebantur olim aliquot Eccleſiæ, & diœceſes Princi- ... *Gotholaniæ* in ſuis Antiquis *Breuiariis*, vt ex *Barcinonenſi*, *Gerundenſi*, *Tarra*- ...ſi, & aliis apparet. In *Breuiariis* verò Regni *Aragonum* etiam vetuſtiorum, ...t ſequens.

*Hic dies venerabilis*
*Illuxit mundo celebris,*
*In quo victor* LAVRENTIVS
*Conſcendit ſplendidius.*
*Cardos plumbatos, verbera,*
*Tortoris dira brachia,*
*Leuita vincit nobilis*
*Ope diuini luminis.*
*Aſſatus in craticula*
*Ridet ignis incendia;*
*Menſque coniuncta Domino*
*Nulla ſentit pericula.*
*Sed, ô decus præmaximum*
LAVRENTI, *ſydus aureum,*
*Cœli, terræque Dominum*
*Tu nobis redde placidum.*
*Laudetur clemens vnitas,*
*Et vera Dei Trinitas,*
*Quæ dat hæc mundo gaudia,*
*Per Martyris ſolemnia.*
*Exultet nunc* Hiſpania,
*Iubilet Roma modulis,*
*Pro Leuitæ victoria,*
*Qui regnat cum cœlicolis.*

*Diſpenſator*

*Diſpenſator Eccleſiæ*
*Theſauros dat pauperibus;*
*Baptizans fonte gratiæ,*
*Cœlum reſerans Gentibus.*
*Martyr Dei* LAVRENTIVS,
*Mirâ Chriſti potentiâ,*
*Feruore Sancti Spiritus*
*Ignis vincit incendia.*
*Glorioſus in prælio*
*Tortores ſpernit fortiter;*
*Exultans in martyrio*
*Pœnas currit alacriter.*
*Sit Trinitati gloria,*
*Patri ſimul cum Filio;*
*Sancto quoque Spiritui*
*Honor, virtus cum gaudio. Amen.*

Igitur hoc *Hymni* contextu vtebantur, vt diximus, Eccleſiæ *Aragonenſes*, præcipuè *Oſcenſis, Cæſarauguſtana*, & aliæ in ſuis vetuſtis Breuiariis, in Regno *Valentiæ*, aliùs exprimitur hac ſerie:

*Conſcendat vſque ſydera*
*Cœlique pulſet intima*
*Vox atque cantus omnium:*
*Te Deum conlaudantium.*
*Adeſt namque feſtiuitas,*
*Et dies venerabilis;*
*In qua cœlum pro meritis*
LAVRENTIVS *ingreſſus eſt.*
*Qui ſuperatis ignibus,*
*Et impiis tortoribus:*
*Sæuis deuictis hoſtibus,*
*Nunc gaudet in cœleſtibus.*
*Ipſe dignetur Dominum*
*Rogare clementiſſimum:*
*Vt ab æternis ignibus*
*Nos ſeruet, & Dæmonibus.*
*Deo Patri ſit gloria,*
*Eiuſque ſoli Filio*
*Cum Spiritu Paraclito,*
*In Sæculorum ſæcula, Amen.*

Alibi etiam plures *Hymnos* inuenies, maximè in *Breuiariis* Eccleſiarum *Italiæ*, & *Galliæ*, quorum nomina recenſet D. Michael Erze de *Aduent. S. Iacob.d.2.p.Tract.2.c.4.n.*12. Eius S. Leuitæ ACTA ſcripſit vno Volumine *Petrus Roſetus Gall.* edito



edito Pariſijs Anno M.D.XVII. Et in *Panegyrico ad D. Triſtanum Salazarium* Archiepiſcopum Senonenſem in Gallia, cuius Opera ſcholiis illuſtrauit *Nicolaus Bon-Spei*, vt notauit P. Anton. Poſſeuin. *Bibliothec. Sacr. Tom* 3. *lit.P.* Ieronymus Vida Poëta Cremonenſis Italus *Hymnum* cecinit *S. Laurentio.* Henricus Chiſellius Flander etiam *duobus Libris* ſcripſit excellentias *S. Leuitæ* carmine heroïco, editis Romæ Anno M.DC.VII. Baptiſta Mantuanus in *Faſt. Heroïc. SS. Diè X. Auguſt. fol.* 58. vbi hæc Actorum ſeries reperitur.

*Chriſti magnus adeſt (ornate Altaria) teſtis:*
*Ac* Decimam *celebrate* Diem. LAVRENTIVS *oris*
*Miſſus ab* Hiſpanis *Romana incendia vicit.*
*Ipſe miniſtrabat Sacris, veſtigia Sixti*
*Pontificis ſummi, ſupremaque fata ſecutus.*
*Hunc Decius ſanctis florentem moribus inter*
*Chriſtigenas, iuſſit vinclis, & carcere claudi:*
*Quo raperet Chriſto dederat quæ vaſa Philippus*
*Aurea, regales pateras, baccataque gemmis*
*Cymbia, & argentum reddens Duo Millia pondo.*
*Nam de ſe Decij furias non poſſe Philippus*
*Euitare videt; donauerat omnia Chriſto.*
*Martyr, vt improbitas eſſet fruſtrata Tyranni,*
*Acceptis bidui induciis, collegit in vnum*
*Noctu inopum turbam ingentem, ſparſitque per illos*
*Diuitias omnes: vltroque ad vincula rurſum*
*Venit. Et hîc hominem, qui flendo euaſerat orbus,*
*Nomine Lucillum, tenebris curauit abactis.*
*Aſt vbi deluſam Regis ſe vidit auari*
*Ingluuies, homini, ne ſe pateretur inultum,*
*Obiecit titulum fidei, Magicoſque ſuſurros,*
*Contemptumque Iouem: mox ſe formidine mentem*
*Poſſe putans mutare piam; produxit in aulam,*
*Subiecitque oculis genera omnia tormentorum,*
*Ac iuſſit dare thura Ioui. Sed grandibus auſis*
*Fretus & auxilio Diuum conuiuia Cæſar*
*Talia Martyr ait: teneris Ego ſemper ab annis*
*Eſurij. Quid membra putas mortalia pendant*
*Chriſtigenæ? Solis animis impendere curam*
*Nouimus, ipſi autem curatis corpora tantum,*
*Nec vitam niſi mortalem cognoſcitis. At nos*
*Tendimus vlteriùs, votiſque aſcendimus ipſa*
*Sydera, in hunc portum ſatis hanc educere mercem.*
*Multiplici poſtquam ſtetit in certamine victor,*
*Miratus tàm grandem animum, tam fortia corda*

*Hippolytus baptiſma tulit; Dominumque ſecuta eſt*
*Tota domus. Volucrum curſu laceratus equorum*
*Hippolytus, trunca domus ſic iuit ad Aſtra.*
*Vir pius auſterô ſortitus nomina fatô*
*Conſona Romanus, cœlo aſpirante, ſeueras*
*Nil veritus pœnas ſacris caput obtulit vndis:*
*Ac tulit effuſo victricem ſanguine palmam*
*Martyr, ad extremum lecto proſtratus aheno*
*Vritur, & rapidæ paſcuntur viſcera flammæ.*
*Cùm latebras, & Chriſtigenum ſpelæa doceri*
*Se peteret Cæſar; Non es veneranda tueri*
*Ora virum, non es Sanctis aſſiſtere dignus;*
*(Martyr ait) Rurſumque tuens fera Cæſaris ora:*
*Verſa (inquit) latus inferius; ſatis ignibus aſſum eſt.*
*Paſcere iam, denteſque auidos in viſcera merge,*
*Impie; & æternum Romanæ dedecus Aulæ.*
*Aſpice quas vires Deus in mortalia corda*
*Influat; Vt Decium Regem telluris, & vndæ*
*Audeat vnus inops, prunis torrentibus ardens*
*Obiurgare palam, & tàm duro inceſſere probro.*
*Sic ait, & cœlum adſpiciens in limine Olympi*
*Stare Deum Patrem, magnoque in lumine Chriſtum*
*Vidit, & ſpirans illas accendit ad Arces.*
*Vt procul adſpexit ſperati gaudia mundi*
*Non potuit retineri animus, ſed inertia membra*
*Vicit, & audaci diſrupit vincula nexu.*

Poſt *Mantuanum* Carmelitani inſtituti delicium, & in Sacris Poëmatibus decus, ſe ſe nobis offert Iulius Cæſar Scaliger in *Elog. Diuor. fol.* 35. vbi de Noſtro Martyre, iſtud coagulat:

*Largus opes Domini, qui diſpertitus egenis*
*Ignigeno feruens arſit amore Dei:*
*Laſſauit ſtupidos hominum* LAVRENTIVS *ignes:*
*Et flammæ in medio turbine ſenſit aquas.*
*Ergo Dei cumulos ſibi qui populatus, auari*
*Ardet inexpleto Ditis amore ſui:*
*Toſtus alat rapidos hominum crudeliter ignes:*
*Et flammam in mediis ſentiat vſtus aquis.*

Hunc ſequatur Ioannes Carolus Morellus Campanus, ſui ſeculi Poëta celebris, qui carmine plura cecinit in *Sacr. Tumul. Epitaph.* 56. *fol.* 28. vbi hocce pangit:

*Romanæ Leuita vigil* LAVRENTIVS *Aræ,*
*Et cui theſaurus creditus Eccleſiæ;*
*Cui prunæ dignam pepererunt nomine laurum,*

Redditus



*Redditus eſtque auro purior, hic tegitur.*
*Vrit flamma foris, verùm non fumeus ignis*
*Negligit ardores, qui calet intus amor.*
*Felix cui tantum diuini traditur ignis;*
*Terrenos ignes vt ſuperare queas.*

Poſt hocce, aliud etiam *Epitaphium* ſcripſit, quod hic non apponimus, ne in floribus dilabatur oratio, & ad alios etiam Poëtas deueniamus. Ergo ſuccedat Iulius Roſcius Hortinus Italus ſuperioris ſeculi Poëta venerabilis in *Triumph. Sacr. Martyr. Tabul.* 18. *fol.* 36. hoc Exaſticho:

*Intrepidus medio* LAVRENTIVS *ardet in igne;*
*At Decius mentis fluctuat igne magis.*
*Ille vrit tantumque artus, paſcitque medullas:*
*Hic animi irrepens interiora vorat.*
*Dicite quæ maior flagret ſub pectore flamma;*
*Hanc diræ Eumenides, hanc pius afflat amor.*

Horum Poëtarum numerum augeat excellentiſſimus Verſificator Tarquinius Gallutius Subinus è Societate Ieſu *lib.* 2. *Carmin. Eleg.* 9. *fol.* 243. quam omittimus licet eruditam, quia prolixam; & alias ſcripſere Nicolaus Oüdaërt Batauus in *Ephemerid. Eccleſ.* 2. *p. Menſ. Auguſt. Epigramm.* 10. Mutius Sfortia Monopolitanus in *Kal. Roman. Heroic. lib.* 2. *Hymnor. fol.* 185. Robertus Obrizius Atrebatenſis *lib.* 4. *Hymnor. Sacror. Hymn.* 15. *fol.* 152. Ioannes Baptiſta Maſculus Neapolitanus in *Lyric. lib.* 10. *Od.* 12. *fol.* 371. Vrbanus VIII. Pont. Max. in *Poëmat. fol.* 24. qui etiam Hymnos Tres *B. Laurentio* edixit. Henricus Cocquius Gorcomius MS. *Hiſpan. Heroic. verſ.* 386. Ioannes Bachot Senonicus in *Faſt. Chriſtian. fol.* 570. & alij innumeri. De eo etiam ſoluta Oratione quam plures conciones, panegyres, & ſermones habuere, & ſcripſere *S. Auguſtinus*, *S. Ambroſius*, *S. Petrus Chryſologus*, & cæteri recentiorum Patrum Concionatorum. Ex *Breuiariis Hiſpaniæ* omnia nullo dempto; pro vt ex Eccleſiæ Vniuerſalis Romanis: imò & in aliis diuerſarum Eccleſiarum, præcipuè *Biſuntinenſi* in Burgundia, *edito Ann.* 1589. & in alio *Britanno MS.* & *Cauenſi* Ordinis S. Benedicti in Regno Neapolitano, & *Colonienſi*, edito *Anno* 1492. & *Vuarmienſi* in Ruſſia, *Ann.* 1381. & *Cracouienſi*, Anno 1524. & 1538. & in *Gallicano* Ann. 1527. & in *Aptenſi* Ann. 1532. vbi in *Hymn. Veſpertin.* ſic:

*SS. Patres, & concionatores.*

*Breuiaria edita exterarum Eccleſiarum.*

*Lætetur hodie tellus* Hiſpaniæ
*De cuius finibus, atque progenie*
*Natus* LAVRENTIVS, *miles Eccleſiæ,*
*Et teſtis fideliſſimus*

Ex MSS. Breuiariis Hiſpaniæ plura congerit Ioannes Franciſcus Andr. in *Defenſion. Patr. S. Laurent. c.* 5. *fol.* 63. ſcilicet *Oſcenſi*, *Legerenſi*, *Pinnatenſi*, *S. Æmiliani*, *S. Franciſci*, *Turiaſonenſi*, *Bilbilitano*, Cæſarauguſtano, & aliis, quibus addo *Aſturicenſe*, *Segobienſe*, & *Hiſpalenſe*, nec non *Burgenſe* apud me. ACTA verò ſanctiſſimi Leuitæ dabimus ex *Antonio Nebriſenſi*, & aliis Scriptoribus Hiſpanis, & Exteris.

*MSS. Hiſpaniæ.*

## ACTA S. LAVRENTII, S. R. E. Archileuitæ Martyris Hiſpani ex Antonio Nebriſſenſi, & aliis Scriptoribus Hiſpan. & Exteris

*Origo.*

LAVRENTIVS ex Patre Orentio, & Matre Patientiâ apud Oſcam Celtiberiæ in Hiſpania antiquiſſimam Ciuitatem exortus, cùm primùm ad iuuentutis peruenit ætatem, Cæſarauguſtam acceſſit, vt literis ſacris ſub Valerio illius Ciuitatis imbueretur Antiſtite, vbi ſtudia philoſophiæ primùm ediſcens, ad maiora, & ſacratiora, Deo concedente perrexit: quibus ſic eruditus euaſit, vt ad Archidiaconatus Eccleſiæ Cæſarauguſtanæ mereretur apicem ſublimari. In huius exercitij munere plurimos de ſe virtutum, & doctrinæ ſparſit odores, ita vt inter omnes contubernales ſanctior reputaretur, & doctior. Per hæc tempora Concilium apud Toletum Hiſpaniæ præſtantiſſimam vrbem, indictum fuerat, ad cuius cœtum, vt S. R. E. Legatus Sixtus accedere properabat, & eo finito, cùm Romam reuerteretur, Cæſarauguſtam ingrediens, in qua Generale tunc florebat ſtudium, vbi cùm quæſtio verſaretur, qui eſſent in illa Vniuerſitate doctiores, LAVRENTIVM inter cæteros prætulerunt. Quem cùm videre Sixtus præcuperet, ad eum accedere iuſſit, & S. Iuuenis doctrinam, & ſanctitudinem demirans, ſecum Romam aduexit. Poſt hæc Sixtus ad Pontificatus Summi faſtigium euocatus, LAVRENTIVM diſcipulum S. R. E. conſtituit Archidiaconum, quem ita dilexit, & propter vitæ ſanctitudinem, & propter fidei candorem, quòd deinceps nunquam Miſſam celebrauit Antiſtes, abſque ſui dilecti præſentiâ Diaconi.

*Archidiaconus Cæſarauguſtanus.*

*A Sixto Romam adducitur.*

*Et S.R.E. Diaconus ordinatur.*

CREBRESCEBAT tunc Romæ Imperatorum Romanorum Galieni, & Valeriani ſæuitia aduerſus Chriſtianos, tantâ ipſorum ſtrage, vt nullus à periculo liber intra domus ſuæ cancellos exiſteret. Hinc Pontificis, & Leuitæ, die, noctuque vigilantia, vt gregem ſibi commiſſum pabulo diuini verbi paſcerent, & ad agonis conſtantiam animarent, tantâ aſſiduitate creſcebat, vt vicatim luculentis ſermonibus omnes ad certamen, viriliter, & conſtanter obeundum hortarentur: donec B. Sixtus comprehenſus, ad Martis fanum, vt Idolis ſacrificaret, euocatus eſt. Tunc LAVRENTIVS, vt primùm certior factus eſt, Pontificem ad cuſtodiam cum aliis Diaconis reduci, illicò cæteris neglectis accurrens, his ſanctum Antiſtitem verbis compellauit: Quò progrederis ſine filio Pater? Quò Sacerdos ſancte ſine miniſtro properas? Tu nunquam ſacrificare, ne offerre conſueueras ſine Diacono. Quid in me ergo diſplicuit paternitati tuæ? Nunquid degenerem probaſti? Experire certè vtrum idoneum miniſtrum elegeris, cui commiſiſti Dominici ſanguinis diſpenſationem; cui conſummandorum conſortium Sacramentorum credidiſti; huic ſanguinis tui conſortium negas? Vide ne periclitetur iudicium, dùm fortitudo laudatur. Abiectio Diſcipuli, detrimentum eſt Magiſtri. Quot illuſtres, præſtanteſque viri Diſcipulorum certaminibus magis, quàm ſuis vincuntur? Denique Abraham filium obtulit, Petrus Stephanum præmiſit; & tu Pater oſtende in filio virtutem tuam, & offer quem erudiſti, vt ſecurus iudicij tui, comitatu nobili peruenias ad coronam. Hæc vt LAVRENTIVS magno pietatis affectu, magniſque lachrymis irrigatus effatur, S. Pontifex, eundem conſolaturus, dixit: Non ego te deſero fili, neque derelinquo: ſed maiora tibi debentur pro fide Chriſti certamina. Nos quaſi ſenes, leuioris pugnæ curſum recipimus: te quaſi iuuenem, manet glorioſior de Tyranno triumphus. Poſt me venies: flere deſiſte, poſt triduum ſequeris Sacerdotem Leuita. Non erat tuum ſub Magiſtro vincere, quaſi adiutorem quæreres. Quid conſortium paſſionis meæ expetis? Totam tibi hæreditatem eius dimitto. Quid præſentiam meam requiris? Infirmi Magiſtrum

*Eius fortitudo & conſtantia.*

*S. Sixtus ad B. Leuitam.*



Magiſtrum Diſcipuli præcedunt, fortes ſequuntur, vt vincant ſine Magiſtro, qui non indigēt magiſterio. Sic & Elias Eliſæum reliquit, ſed virtutē non abſtulit. Tibi igitur cōmendo noſtræ virtutis ſucceſſorē. Accipe facultates Eccleſiæ, vel theſauros, & diuide quibus tibi videbitur.

*4. Reg. 2.*

HAC poteſtate acceptâ, venit in excelſum montem S. Leuita, vbi erat quædam vidua in viduitate triginta annos habens, in cuius domo multi Chriſtiani & Presbyteri abconſi manebant, & tulit veſtes, & theſauros, & cœpit erogare, & pedes omnium Chriſtianorum lauare: Ad cuius veſtigia Cyriaca vidua cadens: Per Chriſtum te (inquit) coniuro, vt manus tuas ponas ſuper caput meum, quia multas infirmitates patior capitis. B. Leuita, facto ſigno Crucis poſuit manum ſuper caput viduæ, & linteum, quo tergebat pedes Sanctorum; & ſanata eſt. Tranſiens autem in vicum, qui dicitur Canarius, inuenit multos Chriſtianos in domo Narſi congregatos, & lauit pedes omnium, & dedit eis de theſauris. Erat enim ibi in eadem domo, homo cæcus nomine Creſcentius, qui cœpit rogare B. Diaconum, vt poneret manum ſuam ſuper oculos ſuos. Tum B. LAVRENTIVS lachrymans, dixit: Dominus Noſter IESV CHRISTVS qui aperuit oculos cæci nati, ipſe te illuminet, & facto ſigno Crucis, aperti ſunt oculi eius. Poſt hæc S. Diaconus tentus eſt à militibus, & traditus eſt Paterno Tribuno, qui nuntiauit Valeriano, quòd LAVRENTIVS, qui habebat theſauros reconditos, Archidiaconus Sixti in cuſtodia teneretur. Qui gauiſus, fecit eum ſibi præſentari, & auditum tradidit eum Decio Præfecto, qui & ipſe dedit eum in cuſtodiam cuidam Hippolyto, qui recluſit eum cum aliis multis. Et erat ibi homo, Lucillus nomine, cæcus, ad quem dixit S. Diaconus: Crede in Filium Dei, Dominum Noſtrum IESVM-CHRISTVM, & baptizare, & illuminabit te. Reſpondit: Ego ſemper deſideraui baptizari in Nomine Domini Noſtri Ieſu-Chriſti. Tunc B. Leuita catechizauit eum, & acceptâ aquâ baptizauit, & illuminati ſunt oculi eius. Hoc factum audientes multi cæci veniebant ad B. Laurentium, qui ponebat manus ſuper oculos eorum, & illuminabantur. Videns hoc Hippolytus credididit, & baptizatus eſt.

*Inter pauperes diſtribuere theſauros cœpit.*

*Miracula.*

*Aliud miraculum.*

DEINDE ex mandato adductus eſt B. LAVRENTIVS ante conſpectum Præfecti, qui dixit ei: Iam depone pertinaciam, & da theſauros, quos apud te cognouimus eſſe reconditos. Cui S. Iuuenis dixit: Da mihi inducias biduò, aut triduò, & proferam tibi theſauros. Ita conuentum, & induciis conceſſis, S. Diaconus, ab eodem die collegit cæcos, & claudos, & debiles, & pauperes, & abſconditos in domo Hippolyti, inter quos, mirâ lætitia, & charitatis inſtantiâ, omnes theſauros diſtribuit, & oratione cum ipſis, quod ſupererat temporis perſeuerauit. Completis igitur tribus diebus, præſentauit ſeipſum in Palatio Saluſtiano, & dixit ei Præfectus: Vbi ſunt theſauri quos pollicitus es præſentare? B. LAVRENTIVS, collectâ pauperum multitudine introduxit in Palatium, & voce magnâ dixit: Ecce iſti ſunt theſauri æterni, qui nunquam minuuntur, & nunquam decreſcunt, qui in ſingulis diſperguntur, & in omnibus inueniuntur. Præfectus dixit: Quid varias per multa; ſacrifica Diis, & obliuiſcere artes magicas, in quibus confidis. Tum B. Leuita: Quare vos coarctat diabolus, vt Chriſtianis iubeatis ſacrificare Dæmoniis? Præfectus iratus iuſſit eum ſpoliari, & cædi cum ſcorpionibus. Qui cùm cæderetur dicebat: Ego quidem gratias ago Deo meo, qui me dignatus eſt coniungere inter ſeruos ſuos. Tu miſer torqueris inſaniâ tuâ, & furore tuo. Tunc Præfectus: Leuate eum, & date ante conſpectum eius omne genus tormentorum. Allatæ ergo ſunt laminæ ferreæ, & lecti plumbati, & cardi. Poſt, vinctus catenis, ductus eſt S. Diaconus in Palatium Tyberij, vt ibi de geſtis audiretur: & ſedens Præfectus pro tribunali in Baſilica Iouis, & præſentato LAVRENTIO, cùm dixiſſet ei: Sacrifica Diis, & noli confidere in theſauris, quos habes abſconditos. B. Martyr libere reſpondit: Verè confido, & ſecurus ſum de theſauris meis.

*Diſtribuit inter pauperes theſauros Eccleſiæ.*

*Cruciatur.*

*Flagellatur.*

IRACVNDIA *plenus Præfectus iuſsit eum nudum fuſtibus cædi, qui cùm cæderetur clamabat ad Iudicem:* Ecce miſer velis modo cognoſcere quia triumpho de theſauris Chriſti, & non ſentio tormenta tua. *Adhæc Præfectus fuſtes augere, & dare ad latera eius laminas ferreas ardentes iuſsit.* B. LAVRENTIVS *dixit:* Domine Ieſu-Chriſte, Deus de Deo miſerere mihi ſeruo tuo, quia accuſatus non negaui Nomen ſanctum tuum; interrogatus te Dominum Ieſum-Chriſtum confeſſus ſum.

*Plumbatis cæditur.*

*Et cùm diutiſsimè plumbatis cæderetur, dixit:* Domine IESV-CHRISTE, qui pro noſtra ſalute dignatus es formam ſerui accipere, vt Nos à ſeruitio Dæmonum liberares, accipe ſpiritum meum. *Et audita eſt vox deſuper, quam ipſe etiam crudelis Tyrannus audiuit:* Adhuc tibi multa deſunt certamina. *Extenſus in cataſta, & ſcorpionibus grauiſsime cæſus. ſubridens, & gratias agens, dicebat:* Benedictus es Domine Deus, Pater Domini Noſtri Ieſu-Chriſti, qui nobis donaſti miſericordiam, quam meriti non ſumus: ſed tu Domine propter tuam pietatem, da nobis gratiam, vt cognoſcant omnes circunſtantes, quia tu conſolaris ſeruos tuos. *Tunc vnus ex militibus, nomine* Romanus, *credidit Domino Ieſu-Chriſto, & dixit B.Laurentio:* Video ante te hominem pulcherrimum, ſtantem cum linteo, & extergentem membra tua: Adiuro te per Chriſtum, qui tibi miſit Angelum ſuum, ne me derelinquas.

*S. Romanus miles conuertitur.*

*Leuatus igitur S. Martyr de cataſta, & ſolutus redditus eſt* Hippolyto *tantùm, vt eum cuſtodiret in Palatio. Veniens autem* Romanus *afferens aquã, miſit ad pedes B.Leuitæ, vt baptizaretur: qui benedictâ aquâ baptizauit eum. Quod factum audiens protinùs Præfectus, iuſsit eum ſibi exhiberi. Qui etiam non interrogatus, cœpit clamare:* Chriſtianus ſum. *Et iubente Prefecto eductus forâs, extra muros portæ Salariæ decollatus eſt.*

*Decollatur.*

*Cuius Corpus nocte collegit* Iuſtinus *Presbyter, & ſepeliuit in crypta in agro Verano. Præfectus autem pergit noctu ad Thermas, iuxta Palatium, Salluſtij, & exhibitus eſt iterùm* B. LAVRENTIVS, *& allata ſunt omnia genera tormentorum, plumbatæ, ſcilicet, fuſtes, laminæ, vngues, lecti, baculi, & alia huiuſmodi, & dixit B. Martyri:* Iam depone perfidiam artis magicæ, & dic nobis generoſitatem tuam. *Cui S. Diaconus:* Quantum ad genus pertinet, *Hiſpanus* ſum, eruditus, & nutritus Romanus, & à cunabulis Chriſtianus, edoctus omnem legem ſanctam, & diuinam.

*S. Laurentius genus ſuum fatetur.*

*Cui Præfectus:* Sacrifica Diis; nam nox iſta in te expendetur cum ſuppliciis. *Tum* B. LAVRENTIVS: Mea nox obſcurum non habet, ſed omnia in luce clareſcunt. *Tunc in ore lapidibus cædebatur aſsidue, ſed ille ridebat, & confortabatur, dicens:* Gratias ago tibi Domine, quia tu es Deus omnium rerum terreſtrium, & cœleſtium.

*Craticulæ ſuperponitur.*

HINC *Præfectus furore repletus iuſsit afferri caminum ferreum, cum tribus coſtis, etiam ferreis deſuper, quem, cratem vocabant, & expoliatus B. Leuita veſtimentis ſuis, extenſus eſt in cratem ferream, & cum furcis ferreis coarctatus eſt deſuper, & dixit Iudici:* Ego me obtuli ſacrificium Deo, in odorem ſuauitatis, quia ſacrificium Deo eſt ſpiritus contribulatus. *Carnifices autem vrgentes miniſtrabant carbones ſubter cratem ferream, & deſuper comprimentes cum furcis ferreis.* S.LAVRENTIVS *dixit:* Diſce miſer quanta eſt virtus Dei mei: nam carbones iſti mihi refrigerium præſtant, tibi autem æternum ſupplicium: quia ipſe Dominus nouit, quia accuſatus non negaui nomen ſanctum eius: interrogatus Chriſtum confeſſus ſum, & aſſatus gratias ago. *Poſt aliquantulùm iterum gratias Deo agens pulcherrimo vultu eleuans oculos ſuos, dixit ad Præfectum:* Ecce miſer aſſaſti vnam partem, regyra aliam, & manduca.

*Conſtantia & fortitudo S. Martyris.*

*Gratias igitur agens, & glorificans Deum, dixit:* Gratias tibi ago Domine Ieſu-Chriſte, quia ianuas tuas ingredi merui, & hæc dicens:

*Ecce*



*Ecce ſuper flammas, ferrataque ſaxa locatus*
*Geſtit, & Auſonium poſcit in arma Iouem.*
*Et crepat, ardenti* LAVRVS *velut vſta camino,*
*Et velut antiquis herba Sabina focis.*
*Stabat in extructis prunis interritus ille,*
*Et dabat immiti membra cremanda rogo.*
*Æthera lambebat ſerpentibus vndique flammis*
*Fumus, & intortis ibat in Aſtra globis.*
*Circum acies glomerat ferri mucrone coruſca,*
*Et pyra ſtat denſis ſepta ſatellitibus.*
*Voluitur ille thoro, manibus poſt terga reuinctis,*
*Nec rapidâ ſentit vulnera inuſta, manu.*
*In mediis recubare roſis, in murice viſus,*
*Et premere Aſſyrio vellera tincta lacu.*

*Satellitum defectio.*

*Igitur cum carnifices omnia quæ ad cruciatuum embolia, neceſſaria, & efficacia excogitare potuerunt, exercuiſſent, viribus defeſsi, & ignis calore conſumpti, ſuperſedentes receſſere. Tunc* B.Leuita *conſtanti animo Iudicem, & Carnifices exprobrauit:*

*Mille etenim periiſſe modis, per vulnera dulce eſt,*
*Dulce per & flammas ſic potuiſſe mori.*
*Non adiges Marti, mutovè litare Metallo,*
*Non lapidi ſurdas me geminare preces;*
*Tota Ego ſi videam dilabi mœnia Mundi,*
*Si videam toto tela volare Polo.*

*Coronatur.*

*Tum cœlum aſpiciens, inuictum ſpiritum per manus Angelorum in cæleſtes manſiones coronandum emiſit. Sanctiſsimum illius* CORPVS *in craticulâ relictum* Hippolytus *ſummo mane rapuit, conditúmque aromatibus, in Crypta viæ Tyburtinæ in agro Verano ſepeliuit: Iuſtino Presbytero multâ Chriſtianorum frequentiâ exequias, & triduo ſacras* Vigilias *celebrante. Quin etiam tremendum Altaris obtulit ſacrificium, populumque vniuerſum, qui frequens ad* Vigilias *confluxerat, eorundem myſteriorum participem fecit, ad cuius Tumulum hoc appendit Epitaphium deuotio.*

*Sepelitur.*

*Ille Sacerdotis Primi Leuita Miniſter,*
*Et ſacræ primus pauperi in Vrbe rei;*
*Ille triumphato peperit cui* Laurus *honores*
*Æternos igni, condidit hic cineres.*
*Si quæras Nomen,* LAVRENTIVS, *ante verendum*
*Deſignat Nomen* Laurea *clara ſuum.*
*Carboni flammæ cœleſtis cuncta ſuperſunt*
*Semina, non mirum, ſi ſacra buſta calent.*

*Paſſus eſt igitur* S. LARENTIVS *Romæ* IV. Idus Auguſti, *Anno Domini* CC. LXI *Valeriano, & Galieno eius filio Imperatoribus, ſede adhuc S. Petri vacante, per S.Sixti coronam.*

POSTMO

*Conſtantinus Templum exſtruit.*

Postmodvm, *datâ Eccleſiis pace*, Conſtantinus *Imperator Romæ in Campo Verano S. Martyri, & Leuitæ magnificum & regio ſplendidum luxu* Templum *conſtruxit. Alterum inclytum* S. Damaſus *Pontifex Maximus erexit, quod collegiatum eſt. Alias tres Baſilicas in locis vbi eius carcer fuit, vbi vſtus dignoſcitur, & vbi eius ſacræ ſeruantur Reliquiæ, conditas fuiſſe, memoriæ proditum eſt.* S. Pulcheria, *etiam origine* Hiſpana, *Imperatrix magnificum itidem Templum* S. Lavrentii *Martyris nomini dedicauit, in eoque ſacras eius Reliquias collocauit. Quin & in Galliis, & Hiſpaniis, ſed & in omnibus Orbis Prouinciis, quibus Chriſtiana colitur religio, ſingulari pietatis affectu glorioſiſsimus hic Martyr* Hiſpaniæ *lumen, & Romæ gloria cultus conſpicitur. Denique* Philippus, *huius nominis* II. Hiſpaniarum, *& Noui Orbis Rex Catholicus, Templum in* Scvriali, *dignum ſuâ magnificentiâ, & pietate conſtruxit, in quo tot, & tanta videre licet, vt dubium ſit, quid potius admireris, an præſtantiam religionis, quâ Fratres* Ieronymiani *viuunt: An ſacroſanctum numerum Reliquiarum, eo loci ſeruatarum; An inæſtimabilium diuitiarum, & gemmarum, quibus illud decoratur; An exquiſitiſsimam, & inſtructiſsimam S. Cænobij Bibliothecam; An denique præter alia prorſus admiranda, & ſtupenda, Collegium, & Iuuenum ſeminarium, ibidem fundatum, vbi adoleſcentiæ reprimitur affectus, & virtutis excitatur acumen. De Miraculis à S. Martyre factis, tàm ipſius impetratione patratis, quàm ſuarum, & craticulæ contactu Reliquiarum, multa apud* D. Gregorium *Papam, & Turonenſem Epiſcopum, Fortunatum, & alios comperiet curioſitas, nam omnia nequaquam referri poterunt.*

*Alia vbique Templa.*

*Templum Scurialenſe Europæ miraculum*

Hactenvs quæ potuimus ſummatim Acta recenſere S. Lavrentii, quæ communia ſunt, exceptis aliquibus in principio Actorum recenſitis, & in fine relatis. Quorum probationem deſcribere compellimur vt nihil intactum, vt moris noſtri eſt, relinquamus.

*Origo S. Laurentij qualis?*

Qvatenvs ad Originem, nihil antiquius, quàm illam fuiſſe Hispanam, vt ex ipſis Actis vetuſtiſſimis, & recentioribus liquet: Etſi ex Romanis familiis Lavrentinorvm diſcerptam deducat Ludouicus Lupus in *Hiſtor. Cæſarauguſtan.* 1. *p. c.* 15. *fol.* 196. Quòd fuerit origine Hispanvs, poſt Acta, probant mirificè ferè omnes ſuperius citati Scriptores exteri, qui circa hanc qualitatem ipſi tantum vocandi, & citandi ſunt. Adſit ex Poëtis Petrus Roſetus Gallus in *Laurentid.*

*Talia quærenti poſitâ formidine lethi*
*Ocyùs hæc ſtabilis reddit* Lavrentivs *heros:*
*Terra mihi primos* Hispania *præbuit ortus.*

Baptiſta Mantuanus in ſuperius relato Hymno in *Faſt. Sacr. Die X. Auguſt. fol.* 58. etiam hanc *Hiſpanam* originem recenſet, his verſibus:

............ Lavrentivs *oris*
*Miſſus ab* Hispanis, *Romana incendia vicit.*

Sanctiſſimus etiam Vrbanus VIII. Pontifex Maximus hanc ipſam fatetur originem in *Poëmat. fol.* 90. 92. *&* 96. vbi in tribus Hymnis S. Leuitæ paſſionem deſcripſit, Sic in *Hymn.* 3.

*Acres quid iras aggeras Rex barbare?*
*Impauidus contemnere nouit*
Hispanvs *Iuuenis Regum fera iuſſa.*

Conueniunt etiam quotquot Breuiaria tam Noſtra, quam Extera ſuperius cumulauimus, & Baronius *Annal. Eccleſ. Tom.* 2. *Ann.* 261. *n.* 8. Gretſerus de *Feſt.*



*Feſt. Chriſtian. lib.* 2. *c.* 9. *fol.* 348. vbi aduerſus Manlium Caluiniſtam, qui S. Lavrentivm, natum, & ciuem Romanum fecerat, inſurgit, probans ex aliis eius farinæ hæreticis, illum Hispanvm fuiſſe.

*Ex Oſcâ vrbe oriundus in Hiſpania.*

Sed eſto quod ſit Hispanvs, de quo nullus ambigit; cuius ne vrbis oriundus fuerit, ſciſcitaberis? Illum eſſe oriundum ex Osca *Aragoniæ* vrbe, hucuſque probatum agnoſcimus, vt ex omnibus Hiſpaniæ Scriptoribus ſuperius adductis, liquidò conſtat, vnùm ſi demas P. Martinum de Roa è Societ. Ieſ. in *Principat. Cordub. c.* 8. aduerſus quem ſcripſit *Ioannes Franciſcus Andreas* Regni Aragonum Chronographus, vbi probat euidentiſſimè fuiſſe oriundum S. Martyrem ex Vrbe Osca, cui addo Henricum Chifellium de *Excellent. S. Laur.* in princip.

*Eſt locus antiquo multum celebratus* Ibero,
*Limpidus irriguis, quem præterlabitur vndis*
*Iſſula, Pieriis domus hæc gratiſsima Muſis,*
*Caſtalios fontes, & amæni culmina Pindi,*
*Parnaſsique iuga, & placidos Heliconis amores,*
*Deſeruiſſe putes;* Oscam *dixere Coloni.*
*Hac fuerat tellure ſatus, cui nobile magni*
*Martyrij diadema nitet, cui tempora Laurus*
*Ardua non vllum cingit peritura per æuum,*
Lavrenti, *capiat tandem ſua gaudia felix*
Osca, *ſuperque alias longè caput efferat vrbes:*
*Te talem genuiſſe ſat eſt, hic vnicus almæ*
*Nobilitatis honos, veterum referentia ceras*
*Atria, & altorum cedunt cui ſtemmata Regum.*

Hanc ipſam ſententiam tuentur cæteri Poëtarum, & Scriptorum, tàm in Legendariis, Breuiariis, & Floribus Sanctorum. Nec obeſt coniectatio *P. Martini de Roa*, de qua diximus ſupra *Tom.* 2. *Die XXX. April. fol.* 857. *verſ.* Abhinc quia error fuit *Cordubenſium* cordibus innixus, quo credidere S. Lavrentivm, apud *Nouariam* paſſum, origine *Cordubenſem*, fuiſſe *Leuitam Romanum*. Sed habito vtriuſque diſcrimine (meo iudicio) nihil eſt, quod *Cordubenſibus*, & *Oſcenſibus* obſit.

*An Archiaconus Cæſarauguſtanus?*

Qvoad relationem in Actis præſcriptam, quâ docemur, S. Lavrentivm fuiſſe *Archidiaconum Cæſarauguſtanum*, antequam Romam pergeret; pluribus probarunt inſtrumentis, & Synodali Conſtitutione Ioann. Franciſc. Andr. in *Defenſion. Patr. S. Laur. cap.* 4. *fol.* 50. Didac. de Aynſa *Hiſtor. Oſcenſ. lib.* 2. *c.* 4. Ludouic. Lup. *Hiſtor. Cæſaraug.* 2. *p. c.* 8. *fol.* 427. *&* 431.

*Cum S. Sixto Romam perrexit.*

Circa diſceſſum S. Archidiaconi *Cæſarauguſtâ* Romam, impulſore *S. Sixto*, poſtmodum Pontifice Summo: Plura diximus ſupra *Die VI. huius Menſ. lit. A in Not. ad Act. S. Sixt.* Quibus addere compellimur Luitprandum in *Aduerſar. n.* 213. ſic de S. Sixto loquentem: S Sixtvs (*qui poſtmodum fuit Pontifex*) *habito* Toleti *Concilio interfuit vt Legatus Papæ. Poſtea venit* Oſcàm, *vndè tulit ſecum* Lavrentivm, *filium* Orentij, *&* Patientiæ. Claud. de Rota in Legendar. *fol.* 73. Ioann. Beleth. in *Rational. Diuinor. Officior. c.* 143.

*Archidiaconus S. R. E. fuit.*

Qvod fuerit *Archidiaconus* S. R. E. patet ex omnibus Scriptoribus: qui de S. Lavrentio verba fecere, præcipuè Prudent. *d. Hymn.* 3. vbi hæc carmina:

*Hic primus è* Septem Viris,
*Qui ſtant ad Aram proximi:*

Leuita *ſublimis gradu*,
*Et cæteris præſtantior.*

*Et Cardinalis, Camerarius S. R. E.*

Hinc Guillelmus Pepin de *Imitat. Sanctor. Serm.* 10. F. Alponſus Ciacon. *de Martyr. SS. CC. Monachor. Karadinenſ. fol.* 13. S. LAVRENTIVM vocitauit S.R.E. *Cardinalem*, & *Camerarium.* Vtriuſque verba dabimus. *Guillelmi* hæc ſunt: *Propter quod ipſum ad ſe traxit, & Diaconum* CARDINALEM *eum ordinauit.* Ciaconij Noſtri hæc: *Tertiam perſecutionem mouit Valerianus Imperator, in qua* S. LAVRENTIVS, *Oſcenſis Hiſpanus, Sixti II. Papæ Diaconus* CARDINALIS, *&* S. R E. *Camerarius, conſtantiſſimus Martyr, igne exuſtus agonem conſummauit.* Eadem Ioannes Franc. Andr. *d. c.* 5. *fol.* 79. Ludou. Lup. *d.* 1. *p. c.* 18. *fol.* 297. Qui ex Abraham. Bzouio in *Pont.Roman.c.* 33. *fol.*437. & Franciſ. Coriolan. in *Breuiar. Chronolog. Pontif. & Concil. in vit. Greg. Magn. fol.* 164. probat eſſentiam *Cardinalatus* in Noſtro S. Martyre, propter Dignitatem *Archidiaconatus*, in eo preſcriptam.

*Ex nobili familia Salazariorũ exortus, & procedens.*

CIRCA illuſtrem S. Diaconi, quo ad ſæculum nobilitatem, nullus ex Scriptoribus dubitauit, nec vnquam dubitabit, vt ex eorum patet ſcriptis. *Petrus Roſetus* Poëta Gallus, eum ex familia illuſtri SALAZARIORVM apud *Numantiam* famatiſſimam *Hiſpaniæ* vrbem, à multis retro ſæculis conſpicuâ, oriundum fuiſſe refert in *Prolog. Laurentid. ad Triſtanum Salazarium* Archiepiſcopum Senonenſem in Gallia, qui Anno M.D.XVIII. vt refert Claud. Robert. in *Gall. Chriſtian. fol.* 150. viuere deſiit. Vt ipſe teſtatur hiſce carminibus loquens de hac familia.

*Præterea ipſe* SALAZARIA *de gente requiras*, &c.
*Poſt ingens creuit genus; hinc* LARENTIVS *ortus*
*Qui prunas in crate tulit.*

Sequuntur hanc ſententiam, ex Noſtris P. Biuar. ad *Dextr. in Chron. Ann.* 246. *n.* 1. *fol.* 280. Ioannes Franc. Andr. in *Defenſ. Fraternit. S. Orent. c.* 1. *fol.* 2. D. Michael. Erze de *Aduent. S. Iacob.* 2. *p. Tractat.* 2. 4. *n.* 15. *fol.* 214. *Conſtat. enim* (inquit Biuarius) SALAZARIOS *præcipuum ſemper Tutelarem præ cæteris habuiſſe* S. LAVRENTIVM, *nonnulloſque vetuſtiorum de eius conſanguinitate gloriari. Sed vnde hæc acceperit* Roſetus *non prodit.* Nos qui tanquam cognomine SALAZARIVS rem hanc inquirere debuimus, *Biuario*, & aliis originem huius opinionis demonſtrare curamus. Illam forte *Petrus Roſetus* accepit à *Didaco Valaſquio* Poëta Caſtellano, qui vitam S. ORENTII Patris *S. Laurentij* Noſtri, carmine antiquo *Caſtellano* recenſuit: cuius copiam dedimus ſupr. *Tom.* 3. *Kal. Maij. lit. A.* Is igitur ſcripſit ad Annum M.D. & in calce illius operis adeſt *Hymnus* eodem Rithmo ad *S. Leuitam*, in cuius ecphraſis verſibus, hocce legitur *Octaſtichon*, noſtram ſententiam indicans:

*De Noble proſapia dizque fue el comenzo*
*De aqueſte Leuita de mucha conſtancia:*
*Ca fue de vn Solar antiguo en* Numancia
SALAZIO *llamado, ſi crès al Vaſquenzo.*
*De aqueſt Iinaxe pues fue* S. LAVRENZO,
*Aquel aquien Roma con laudes ſin pares*
*Celebra, por rama de los* SALAZARES,
*Y Eſpanna le ofreze aromas, y incienzo.*

*Martyrologia.*

DE Baſilicis, Templis, & Eccleſiis, in eius honorem dicatis multa apud Baron. in *Not. ad Martyrolog. Roman lit. A.* & R. P. Ribadeneyra] vbi ſupra *d. fol.* 369. Onuphr. Panuin. de *Septem Eccleſ. Vrb. fol.* 186. & 226. Fabricium, & alios, qui de Romanis Eccleſiis ſcripſere. D. Michaël Erze *d.* 2. *p. Tract.* 2. *c.* 4. *n.* 9. *& ſeqq.*





B.

SS. BASSA, PAVLA, & AGATHONICA *Virgines, & Martyres Carthaginenſes in Hiſpania.* ] Earum memoriam recolunt Græci in Menologio *Die XXIII. Iunij*, inter Acta S. Agrippinæ Virginis, & Martyris, cuius Corpus cùm S. BASSA, & Sociæ rapuiſſent, illud in Siciliam tranſtulere, & ibidem reliquerunt. De eis hodie agit *Martyrolog. Roman.* hoc elogio: CARTHAGINE *Sanctarum Virginum, & Martyrum* BASSÆ, PAVLÆ, & AGATHONICÆ. Quo loco Cæſ. Baronius in *Not. lit. F.* de eis locuta eſſe antiqua Martyrologia MSS. fatetur. Sed quando SS. Virgines paterentur, non aperit. Conueniunt Martyrologia *Caſtellanum* P. Vaſquij; *Luſitanum* P. Lupi, & *Italum*, Conſtantij Felicis. Sed quod ignorauit *Baronius* cum ſuis M.SS. Martyrologiis aperuit Flauius Dexter in *Chron. Ann.* 308. *n.* 5. his verbis: CARTHAGINE Spartariâ *ſub Daciano Præſide* Hiſpaniæ, *& Galliarum, Sanctæ Chriſti Virgines, Sponſæ, & Martyres* BASSA, PAVLA, & AGATHONICA, *quæ victrices duplicem lauream adeptæ ſunt.* De eis P. Biuar. in *Not. Com.* 1. *num.* 5. *fol.* 360. Roder. Caro *ibidem lit. D. fol.* 113. D. Franc. Caſcales *Hiſtor. Carthag. Spart. Diſcurſ. fin. c.* 5 *fol.* 446. P. Alphonſus de Varg. *Hiſtor. B. V. Hortan.* §. 3. *fol.* 8. Earum ACTA nullus ſcripſit, illa breuiter aſſuemus.

*Scriptores.*

## *ACTA SANCTARVM BASSÆ, PAVLÆ, & Agathonicæ, Virginum, & Martyrum Carthaginenſium in Hiſpania, ex Variis Scriptoribus, & Dextro.*

*Origo.*

BASSA, PAVLA, & AGATHONICA *ex vrbe* Carthaginis Nouæ, *quam* Spartariam *vocitant, oriundæ, Chriſti fidem adeptæ ſunt, & ſub Agapio ipſius Ciuitatis Epiſcopo in lege Domini nutritæ, ad virtutis, & ſanctitatis ſpecimen deuenere. Aſt cùm per illud tempus Imperatorum Valeriani, & Gallieni, vbique Gentium ſæuiſſimaa exoriretur perſecutionis procella; hæc Hiſpanias ingreſſa, &* Carthaginem Spartariam *depaſcens, plurimos fideles vnà cum eorum Epiſcopo* Agapio *deprehendit, & SS. Virgines comprehendit. Quorum aliqui per martyrium ad coronam properantes feliciter conſummauerunt agonem. Aliqui inter quos Agapius Antiſtes, & SS. Virgines exilio mulctati, diuerſas adiere Regiones. Igitur* S. BASSA, *& Sociæ Romam contendentes, ibidem plurimorum Martyrum cruciamina conſpexere, quos fera Principum ſæuitia damnauerat. Hinc ad futura tormenta edoctæ, carnificum minas, & Iudicum munera deſpicere decreuere, vt ad gloriam certaminis peruenirent. Eo tempore* Agrippina *illuſtriſſima Virgo Romana, ob fidei Catholicæ confeſſionem in carcerem coniecta poſt innumera verberum cruciamenta, capitalem ſententiam accepit: quâ executioni mandatâ, eius ſacra pignora Sanctiſſimæ Virgines noctu ſuſcipientes, illa in domum occuluere, & aromatibus condita, poſt aliquod tempus Siciliam aduexere, vbi Menina ciuitate collocata, ibidem per aliquot annos quieuerunt. Sed Gentilium aduerſus Chriſti aſſeclas rabie ſedata in patriam repedantes, &* Carthaginem *propriam vrbem ingredientes Felici eius Pontifici adhæſere, à quo ſalutaria diſcentes conſilia, in ſumma quiete illuſtriſſimæ fœminæ perſtitere: donec iterum Imperatorum Diocletiani, & Maximiani, per Dacianum* Hiſpaniæ *Præſidem exorta ſæuiſſima perſecutio, in ea comprehenſæ SS. Virgines cum* Felice *Præſule, poſt varia tormenta, tandem ad glorioſam Virginitatis, & agonis coronam properantes, Sponſo ſpiritus reddidere* IV. Idus Auguſti *Anno Domini* CC. XCVIII.

*Perſecutio.*

*Comprehenduntur, & exulantur.*

*Romam adeunt.*

*S. Agrippinæ Corpus Siciliã deferunt.*

*Carthaginẽ reuertũtur.*

*Comprehenduntur, & coronãtur.*

*Quo anno paſſæ.*

Nil intereſt, quod in *Dextro* aſſignetur harum SS. Virginum memoria ad Annũ Domini CCC. VIII. quia ibi non refertur *Annus palæſtræ*, ſed *commemorationis*, & eſtò quòd paterentur cum *Felice* Præſule *Carthaginenſi*, ille agonem compleuit Anno CC. XCVIII. vt inquit Iulian. in *Aduerſ. n.* 470. *fol.* 109. & Nos diximus ſuper *Tom.* 1. *Die XXIV. Ianuar. fol.* 278. *num.* 6. *& Tom.* 2. *Die XXVII. April. lit. B. fol.* 797.

*De Tranſlatione Corporis S. Agrippinæ.*

QVATENVS ad *Tranſlationem Corporis S. Agrippinæ* Virginis, & Martyris Româ Siciliam ad vrbem *Meninam*; poſt Græcorum Menologium, Philippum Ferrarium in *Catalog. SS. Ital. Die 23. Iunij fol.* 383. auſculta, agens de S. Agrippina: *Cuius Corpus à* BASSA, PAVLA, *&* AGATHONICA *piis fœminis in* Siciliam *delatum in* Menina *ciuitate conditum eſt.*

*De aſſiſtētia doctrinis S. Agapij, & exilio.*

QVOD tempore Præſulatus *S. Agapij*, Epiſcopi *Carthaginis Spartariæ* apud eam vrbem commoraſſent liquet; Nam S. Præſul infulas induit illius Sedis ad *Annum* CC. LVII. & expulſus fuit vnà cum SS. Virginibus *Anno* CC. LX. & martyrio coronatus eſt *Anno* CC. LXII. vide Iulian. *in Aduerſ. n.* 533. *fol.* 124.

# TERTIO IDVS

## Auguſti.

## DIES XI.

A. ROMÆ *natalis* S. SVSANNÆ *Virginis, & Martyris quæ cum nuptias Maximiani, Diocletiani Imperatoris adoptiui filij, ob caſtitatis ſeruandæ candorem, & propter fidem Chriſto ſponſo datam, reſpueret, à ſatellitibus comprehenſa, variiſque exagitata cruciatibus, martyrij palmam, ipſis conculcatis, inuenit.*

B. CAMERACI *in Gallia Depoſitio ſacrorum pignorum Sancti* GAVGERICI *Epiſcopi* Cameracenſis, *quæ* Quintanus Hellenenſis *Præſul, cùm ad Concilium* Toletanum *X. acceſsit, tranſtulit Cameraco* Hellenam Hiſpaniæ, *vbi religioſa commemoratione coluntur, & ſummâ populorum pietate ſeruantur.*

C. ARELATE *Comitatus* Valeſpirenſis *in diœceſi* Hellenenſi *in Hiſpania*, Depoſitio *Reliquiarum* S. TYBVRTII *Martyris inter duas lauros Romæ paſsi; cuius ſacra lipſana ibidem magnifica veneratione coluntur, &* Catalanorum *applauſu venerantur feſtiuo.*

---

# NOTÆ.

A. SANCTA SVSANNA *Virgo, & Martyr Romana.* ] Celebre fuit eius martyrium in Eccleſia Dei, ideò in eius Tabulis famigeratam inuenimus eius memoriam, quam repetit honorificè *Martyrolog. Roman.* h. d ſequenti elogio: *Item Romæ* S. SVSANNÆ *Virginis, quæ cùm eſſet nobili proſapiâ orta, &* B. Caij *Pontificis neptis, martyrij palmam, tempore Diocletiani, capitis obtruncatione promeruit.*

*Martyrologia.*



*promeruit.* Conueniunt antiqua, & recentiora Martyrologia, præcipuè *Caſtellanũ* P. Dion. Vaſq. *Luſitanum* P. Lup. *Hiſpanum*, M. S. P. Ieronym. Higuer. & *Italum Conſtant.* Felic. De ea Antonius Gallonius *Hiſtor. SS. Virgin. Romanar. fol.* 145. De Syluanus Razzi *in Vit. Virgin. ſanctit. illuſtr. Tom.* 4. *fol.* 124. *col.* 2. Philippus Ferrar. in *Catalog. SS. Ital. h. d. fol.* 500. & in *Topograph. SS. verb.* Roma. *fol.* 108. *col.* 2. Cæſar Baron. *Annal. Eccleſ. Tom.* 2. *Ann.* 294. *n.* 1. *& Ann.* 295. *n.* 6. Elias Rauſnerus *in Diar. Eccleſ. fol.* 120. Luitprand. in *Aduerſar. n.* 175. & Nos ſuprà *Tom.* 1. *Die XIX. Februar. lit. A. fol.* 179. & *Tom.* 2. *Die XXII. April lit. A. fol.* 717. Eius ACTA ſcripſere Mombrit. *Tom.* 2. Laurent. Sur. *Tom.* 4. *fol.* 99 ex edit. *Moſſandri.* Zacharias Lippel. & Cornel. Graff. *Tom.* 3. *fol.* 399. R. P. Petrus de Ribadeneyra *Tom.* 1. *fol.* 370. Cæſar Becillus in *Act. SS. Caij Pap. fol.* 10. Ex quibus ſequentia, additâ origine *Hiſpanâ*, dabimus.

*Scriptores.*

## *ACTA S. SVSANNÆ VIRGINIS, Martyris Romanæ, & origine Hiſpanæ, ex Variis Scriptoribus.*

*Origo, & proſapia.*

SVSSANNA *Virgo Romana nobiliſsima* S. Gabinij *Presbyteri filia, &* Caij Maximini *Senatoris, & Conſulis ſuffecti*, & Serenæ *vxoris, neptis*, S. Caij *Pontificis Maximi conſobrina fuit. Quæ* Serena *vxor* Caij Maximini *filia fuit* Serenæ *Philippi Imperatoris coniugis, & iſta proceſſerat ex genere* Serenorum *qui ex* Gallæcia Hiſpaniæ *oriundi, Romam illuſtribus detarunt ciuibus. Hæc cùm eſſet, & corporis, & animi pulchritudine eximia, & artium haut vulgarium cognitione à Patre* Gabinio *excellenter inſtructa, à Diocletiano Imperatore patruo fuit quæſita, vt* Galerio *filio ſuo adoptiuo, propter raram, quæ in Virgine mirifice relucebat prudentiam, nuberet, miſſoque* Claudio Gabinij *conſobrino, ſæpius vrgebat, vt quam primùm* Maximianus SVSANNÆ *ſacro matrimonij fœdere aſſociaretur. Hæc* Claudius *dixit* Gabinio, *& eius fratri* Caio, *exhortans, vt magnificas illas nuptias, protinus admitterent.* Gabinius *animi dubius Trium Dierum inducias poſtulauit, vt interim & filiæ ſuæ mentem, &* Caij *fratris ſui exploraret conſilium. Adiens itaque* SVSANNAM *parens, aduocato coram Patruo, expoſuit ei poſtulatum Imperatoris, vt ſi S. Spiritui gratum putaret,* Maximianum *coniugem admitteret. At verò* SVSANNA *ſubitò quaſi ſtupore oppreſſa, pedem referre, atque vehementer mirari, vbi nam, & Patris, & Patrui ſapientia eſſet, qui Virginem parentibus Chriſtianis ortam, & legibus diuinis, à teneris annis imbutam, impuro Dæmoniorum cultori vellent matrimonij vinculo copulare.* Et ego (*inquit*) noui me ab ore veſtro, qui propter fidem IESV-CHRISTI cognatum noſtrum negare non timuiſtis: ita inſtitutam, vt ſeruandæ caſtitati, & pudicitiæ ſtuderem; quo modo igitur virili me complexu coinquinabo? Equidem corpuſculum hoc meum, quod S. Spiritus eſt templum, Chriſto conſeruari, neque patiar illud vnquam humano pollui amore. *Hoc S. Virginis admirabile reſponſum, non potuit non & Patri & Patruo lachrymas excutere, & incredibili ſimul perfundere gaudio; cùm cernerent teneram Virginem Chriſti amore adeò inflammatam, & gratiâ S. Spiritus ita repletam, vt nihil dubitarent facilè minas eam Imperatoris ſuperaturam.*

*Pulchritudo, & diſcretio.*

*A Diocletiano Imp. poſtulatur nurus.*

*Virgo nuptias reſpuit.*

*Conſtanti ſpiritu.*

INTEREA *verò* Claudius, *multis pro officio ſtipatus militibus, ſuperuenit*, Gabinijque *ædes ſolus ingreſſus, præ gaudio ſingulorum in amplexus, & oſcula ruit. Erant enim non modo ſanguine, ſed & arctiſsimâ inter ſe familiaritate coniuncti, vt nulla res tanti illis eſſet, quàm mutuo amori anteponere vellent. Igitur* Claudius *poſt datam, & acceptam ſalutationem, iterum eis Imperatoris mentem expoſuit, rogauitque peramanter, vt tantâ inſuper affinitate, conſanguinitate, coniunctâ, genus, & dignitatem amplificare ſatagerent. Tum* Gabinius *Virginis animum eſſe ante omnia explorandum*

*Iterum de nuptiis Virginis tractatur.*

*Suſanna oſculum conſanguinei Idololatræ recuſat.*

randum aſſeruit. Itaque illam accitam coram omnibus, ipſam lacrymans Claudius voluit amplecti, & peramanter, vt moris erat deoſculari: ſed illa auerſo protinus vultu: Noli (inquit) contaminare os meum, quod hactenus a viro manet intactum. Cui Claudius: Equidem charitatis affectu, & ſanguinis vinculo, non libidinis amore, te ſum dominam neptem meam oſculari conatus. Tum SVSANNA; Non ob aliud ego tuum oſculum recuſo, quàm quòd Idolorum eſt ſacrificiis tuum os pollutum. Tum ille: Ecquid faciam, vt hac immunditia expietur. Cui Virgo: Crede in Deum viuum, & ablutâ nefanda Idolorum ſuperſtitione, Chriſtianæ religionis ſacris initiare. Claudius inquit Nihil recuſo, tantum ne Diocletiani Auguſti petitio retardetur. Tunc Caius Pontifex, præſagâ mente, ſermonem Claudij excipiens, dixit: Obſecro te mi frater, vtere conſilio meo, neque differas fuſum à te Sanctorum ſanguinem, dignâ pœnitudine redimere, ſcelerumque tuorum ſordes ſalutari lauacro expiare. Si feceris, quæcunque poſtulas omnia tibi præſtabuntur.

*Pro eius ſalute ſupplicat.*

Eadem horâ SVSANNA ſalutis eius vehementer cupida, ad Caij ſe pedes abiecit, obteſtans, ne Claudium expiare negligeret; ſed confeſtim optatam illi ſalutem offerret. Hæc eâ orante, Claudius, cùm verâ in Chriſtum fide omnia facinora ſua plene diluenda à Caio Pontifice eſſet certificatus, demum credidit, ac humi proſtratus, & caput puluere aſperſus, pariter lacrymari, & ſcelerum ſuorum veniam à Deo rogare.

*Conuertitur Claudius cum tota domo.*

Tunc Pontifex gaudio magno perfuſus catechumenum fecit, ac ſalutari doctrinâ inſtructum dimiſit. Qui domum regreſſus vxorem Præpedignam, Alexandrum, & Cuthiam filios ad nomina Chriſto danda, ſic viriliter acuit, vt breui omnes fidei lauacrum ſuſciperent.

*Et Maximus eius frater.*

Quod etiam fecit Maximus Claudij frater, qui Diocletiani iuſſu quid eſſet, circa nuptias SVSANNÆ neptis eorum, actum, deuenerat ad domum Claudij, quem videns cilicio amictum, ſacris precibus intentum, macie, ac ſqualore confectum & profuſis lacrymis Chriſtum implorantem, ab eo cauſam ſciſcitatus protinus credidit, & baptizatus à Caio Pontifice omnia ſua pauperibus diſtribuit, & domùm vnà cum Claudio, Præpedigna, Alexandro, & Cuthia, Diocletiani iuſſu, qui omnia dedicerat, ad Oſtia Tyberina, flammis concrematus agonem compleuit.

*Coronãtur.*

*Carceratur Suſãna, & traditur Serenæ.*

IRA Dioletianus exuſtus, SVSANNAM carceri cum Patre mancipari præcepit, & poſt dies quinque & quinquaginta, SVSANNA fuit Serenæ Auguſtæ, Imperatoris Diocletiani coniugi tradita, vt eam à ſuſcepta religione citiùs abduceret; perſuaderetque, vt Maximiano ſe matrimonij vinculo coniungeret. At Serena, quæ occultè rei Chriſtianæ operam dabat, venientem ad ſe nepotem Virginem peramanter excepit, eamque in confeſſione Chriſti vehementer corroborauit. Cùm igitur diebus pluribus Virginem apud ſe detineret, vnà ſimul cum eâ, ex Chriſtianorum inſtituto, diù, noctuque, officia, quæ Chriſtianæ religionis erant, frequentabant.

*Ad Patris domum reducitur.*

Cùm verò innotuiſſet Imperatori SVSANNAM perſtare in ſententia de Chriſtiana fide ſectanda, ac coniuge refutando, eandem in Gabinij Patris domum reduci mandauit. Ad quam Maximianus Cæſar, cui eam Diocletianus ſpoponderat, noctu veniens, vim Virgini illaturus, reſiliit correptus Numine. Nàm cùm ingrederetur, in cubiculum Virginis, vbi ad Dominum orabat, vidit Angelum Domini iuxta ipſam, & tantæ claritatis multitudine obcæcatus, timidus curſim ad palatium aufugiens, omnia quæ viderat Diocletiano narrauit.

*Ab Angelo cuſtoditur.*

Qui illud ad Magicas artes tribuens. Curtium emiſit, qui eam rigoroſo examini ſubijceret, & contra illam proceſſum formaret. Qui veniens cœpit magis ac magis pauere, & reuerſus Diocletiano Virginis conſtantiam patefecit. Iratus Diocletianus Auguſtus vocauit ad ſe Macedonium, cui præcepit, vt eam compelleret ad ſacrificia Diis offerenda intra eius domum, ne eius manſuetudo populi offenderetur inuidiâ. Veniens autem Marcedonius cœpit coarctare Virginem ad ſacrificium, deferens ſimulachrum aureum Iouis, & menſam, & tripodem. Aſt cùm hoc vidiſſet SVSSANNA inſufflauit,

&



& flectens genua ad Dominum dixit: Domine ne videant oculi mei Dæmonum technas, ſed conſolare ancillam tuam. Tunc dixit Macedonius ad eam: Erige te à terra, & adora Deum Cæſaris.

*Iouis ſimulacrum diſperditur.*

Erigente autem SVSANNA caput ſuum ad cœlum, ſimulacrum nuſquam comparuit. Tunc Macedonius dixit: Cupiditas auri ſeduxit te, & in impetu clarefecit te, tamen gratias ago tibi, quia niſi amore Deorum, non furata eſſes eum. Illa autem conſignans pectus ſuum, dixit: Dominus miſit Angelum ſuum, & tulit eum ante faciem meam, ne pollucrentur oculi mei.

*Verberatur.*

EADEM horâ introiuit vnus de ſeruis Macedonij, & nuntiauit, Iouem aureum in platea ante Palatium Salluſtij iacere. Accedens Macedonius, ipſe manibus ſuis expolians eam, cœpit Virginem fuſtibus cadere. SVSANNA autem gaudens dicebat: Gloria tibi Domine. Dixit ad eam Macedonius: Conſule tibi, & ſacrifica. Illa autem conſignans pectus ſuum dicebat: Ego Domino meo me ipſam deſidero ſacrificium offerre. Eodem tempore Macedonius nuntiauit Diocletiano rem geſtam, & quomodo ſimulacrum expulſum fuerit, & confractum in platea, & in nihilum redactum. Tunc iuſſit Diocletianus Auguſtus, vt ibi intra domum ſuam gladio puniretur.

*Coronatur.*

Quæ tunc percuſſa intra domum ſuam Deo Sponſo reddidit ſpiritum, III. Idus Auguſti, Anno Domini CC. XCV. Hoc cùm audiret Serena Auguſta cum gaudio nocte veniens collegit Corpus S. SVSANNÆ Martyris, & ſanguinem, quem effuderat in eodem loco, cum ſuo velamine deterſit, & poſuit in capſam argenteam in Palatio ſuo, vbi diu, noctuque furtiuis vicibus orare non ceſſabat.

*Sepelitur.*

Corpus autem S. SVSANNÆ ipſa manibus ſuis ornauit cum linteaminibus, & aromatibus, & poſuit iuxta Corpora Sanctorum in Cœmeterio Alexandri, in arenario, in Crypta iuxta vrbem. Regnante cum Patre, & S. Spiritu, D. N. Ieſu Chriſto in ſæcula, Amen.

*De origine Hiſpana remiſſinè.*

Hactenus Acta, in quorum relatione, nihil eſt quod dubites, maximè circa orginem Hiſpanam, ſi forte Genealogicam arborem Serenorum Gallæcorum conſpexiſti ſupra Tom. I. Die XIX. Februar. lit. A. fol. 182. & 183. in Notis ad Acta S. Gabinij Parris huius Sanctiſſimæ Virginis, & Martyris SVSANNÆ, & Tom. 2. Die XXII. April. lit. A. fol. 717. quam hic iterum referre prolixum reputamus.

*Varij ſalutationis ritus.*

VNVM hic adnotare libet, circa conſuetudinem oſculandi in ore veterum Romanorum, in ſignum amoris, & beneuolentiæ, maximè inter conſanguineos, qualiter hic mos acceptus, quem in Claudio auunculo reſpuit SVSANNA, nec non devario veterum ſalutationis ritu. Apud Perſas commune fuit oſculum in eos, quos honore proſequebantur, ſic Herodotus lib. I. his verbis: Apud Perſas ſi pares in via obuij fiant, ſalutationis loco, mutuò ſe ſe oſculantur. Eadem Xenoph. de Laud. Ageſil. refert Anton. Garibert. in Polyhiſtor. c. 3. fol. 17. Sed & apud Romanos hæc conſuetudo inoleuit, dedudu cta ex Troianis, vt notauit Plutarch. in Vit. Romul. dicens: Quòd cùm mulieres Troianæ, captâ & euersâ vrbe, poſt longam nauigationem prolixi erroris pertæſæ, naues ad litus Italiæ incendiſſent, ob idque iracundiam virorum formidaſſent, obuiam eis præceſſerunt, & de oſculando tàm viros, quàm parentes inſueto humanitatis genere, illorum furorem placarunt.

*Oſculatio, qua ex cauſa, introducta.*

Vnde factum eſt, vt propinqui & mulieres, & neceſſarios ſuos amplexi, frontem oſcularentur, ita etiam Plutarch. Quæſt. Roman. 6. fol. 617. & apud Boxhorn. fol. 7. Aliam cauſam adducit idem Guibert. cap. 4. fol. 22. ſcilicet, quòd cùm eſſet Mulieribus interdictus vini vſus, vt notarunt Plin. lib. 14. c. 13. Arnobius lib. 2. Aduerſ. Gent. Aul. Gell. Noct. Atticar. lib. 10. c. 23. Tertulian. in Apologet. c. 6. Id circo & oſcula propinquis offerre neceſſe erat, vt ſpiritu iudicarentur.

*Mulieres à vini vſu, interdicta, & quare?*

De hoc oſculorum genere videndus Dion lib 59. Sueton. in Vit. Caligul. c. 7. ex prolixiori Diſſertatione idem Antonius Guibertus in Polyhiſtor. d. c. 3. & 4. vbi ad longum. Qui hanc conſuetudinem etiam apud Hebræos promiſcuam fuiſſe ex ſacra Scriptura Gen. 29. Exod. 18. probat, eamque inter Chriſtianos identidem in vſu fuiſſe ex Apoſtolor. Act. c. 20. & ex Paul. ad Corinth. Epiſtol. final. docet.

S. GAV

B.

*Martyrologia.*

S. GAVGERICVS *Epiſcopus Cameracenſis in Gallia.* ] Tabulæ Eccleſiæ *Cameracenſis* in Galliâ ſuum agnoſcunt Antiſtitem B. GAVGERICVM, cuius ſanctitatis elogium, luculento ſermone propoſuerunt antiqua Martyrologia, *Bedæ*, *Vſuardi*, & *Adonis*, cum cæteris recentiorum, à quibus *Martyrologium Romanum* hac ſerie: CAMERACI *in Gallia* S. GAVGERICI *Epiſcopi, & Confeſſoris.* Conueniunt Martyrologia *Caſtellanum* P. Dion. Vaſq. *Luſitanum* P. Lup. *Italum* Conſtant. Felic. & *Gallicanum* Andr. Sauſſ. *Tom.* 1. *h. d. fol.* 506. De eo S. M. Maximi continuatur Helleca in *Addit. n.* 41. apud Biuar. *fol.* 9. & apud Roder. *Car. fol.* 235. Idem Biuar. in *Not. ad S. M. Maxim. in Chron. Ann.* 528. *n.* 21. *fol.* 364. & in *Addit. Hellec. fol.* 50. *n.* 31. Molanus in *Indicul. SS. Belg. lit. G. fol.* 10. Robert. in *Gall. Chriſtian. verb.* Cameracum *fol.* 326. Cæſar Baron. *Annal. Eccleſ. Tom.* 8. *Ann.* 615. *n.* 12. Eius ACTA ſcripſere Sigebert. in *Chron.* 594. Sur. *Tom.* 4. *fol.* 103. Zacharias Lippelloo, & Cornel Graſſ. in *Epitom. de SS. Tom.* 3. *fol.* 403. A quibus ſequentia damus.

## *ACTA SANCTI GAVGERICI, Confeſſoris, Epiſcopi Cameracenſis in Gallia, cuius Reliquias cuſtodit Eccleſia Hellenenſis in Hiſpania, ex Surio, & Helleca, & aliis Scriptoribus.*

*Patria, & Parentes.*

GAVGERICVS *Iuodio Galliarum oppido, Diœceſis Treuirenſis, Patre* Gaudentio, *Matre* Auſtridiolâ, *etſi pro elati ſanguinis faſtu, nec ſummis, nec infimis, Chriſtianis tamen & ingenuis, atque Catholicis eſt ortus parentibus. Qui cùm procedente ætate ſacrarum literarum ſtudiis traditus eſſet, eâ vitæ continentiâ, & morum integritate inter omnes effulſit, vt* Magnericus *Treuirenſis Epiſcopus, cùm parœciam ſuam peragraret, & ad* Caſtri *illius Eccleſiam perueniſſet,* GAVGERICI *moribus vehementer delectatus, eum in Clerum adoptaret, & Diaconum ordinaret. Ille Leuitico ſublimatus miniſterio, in ſingulos dies magna virtutum incrementa, caſtiſſimis moribus adiecit, ac ſummâ contentione laborauit, vt alios quam plurimos cœno peccatorum immerſos extraheret, erranteſque mortales ad rectum ſalutis reduceret iter.*

*Diaconus ordinatur.*

*Leproſum ſanat.*

QVANTI *autem iam eſſet meriti apud Deum, facto illo inſigni omnibus innotuit: quòd etiam num Diaconus leproſo Gentili Chriſtum annuntians, eidem cum agnitione veritatis, luceque ſalutis, ſanitatem ſimul corporis impenderit. Increſcente igitur virtutis eius famâ, & odore ſanctæ exiſtimationis longè, latequè ſe diffundente: contigit vt* Vedulphus *Cameracenſis Pontifex, ſtadio mortalitatis exceſſerit. Quare grex ille Paſtore deſtitutus, diuino inſtinctu à* Childeberto *Francorum Rege, Magni* Clodouæi *filio ſuppliciter poſtulauit,* GAVGERICVM *ſibi præfici Epiſcopum. Qui confeſtim miſſis literis ad* Ægidium *Remenſem Metropolitam, iuſſit Cleri, Populique votis ( quæ poſtulati ſanctimonia mirum in modum commendabat) ſatisfieri. Sic conſecratus* GAVGERICVS *Sedis illius Antiſtes, ſacris habendis concionibus aſſiduam operam adhibuit: nec modò verbis pluere, ſed & ſignis coruſcare cœpit. Diebus ſiquidem Rogationum quos veneratione pleniſſimâ tranſigebat, dùm ſupplicationem ſolemniter cum Clero, & Plebe ageret, tranſeundoque clamores vinctorum audiret, Iudicem vt in pietatis intuitum, miſeros illos à ſe ad meliorem frugem reuocandos, ſibi traderet deprecatus, flectere nequiuiſſet: fuſis ante carceris fores ad Deum precibus: eoſdem diuinâ exoratâ ope, nexibus omnes expediuit, atque ſuperno nutu ſolutos, monitis ſalutaribus erudiens, ad vitæ lapſus reparandos ſeriâ emendatione perduxit. Cuius ſanctitate permotus* Clotarius *Rex, orationum eius ſubſidia ſæpè expetiit, atque largas opes, eius ſacrâ manu in eleemoſynas eidem diſpergendas commiſit. Porrò* GAVGERICVS *cùm ad* S. Martini *ſepulchrum,*

*Epiſcopus eligitur.*

*Vinctos ſoluit.*

tùm



*tùm voti cauſa, tùm erogandæ regalis munificentiæ ſtudio proficiſceretur, cæcum ſibi obuium, impreſſo Crucis ſignaculo, prope* Turones *illuminauit. Solutis ad glorioſi Confeſſoris tumulum pietatis officiis, dum reddit ad ouile, pueros captiuos, quos negotiator venales exponebat, paternis admonitionibus, quos redimere non potuerat; directâ ad Dominum ſupplicatione, à iugo ſeruitutis magna diuinæ clarificatione virtutis eripuit. Ipſumque nundinatorem, quem vrebat auaritia, ac charitatis cultum ſanis adhortationibus excitauit. Redux deinde Vir Beatus ad ſedem, Montem enim Dæmonum cultui dedicatum, in quo adhuc ſuperſtitioſa plebs impios ritus exercebat, his ſpurcitiis expurgauit, ſuccidit lucum, & locum tot immunditiis addictum, in orationis Ædem, & ſacrificij ſalutaris Aram commutauit quam ſub* S. Medardi *commutauit auſpiciis. Denique cùm ferè Triginta Nouem annos cathedram obtinuiſſet, virtutibus inſignis, miraculis celebris, fide integer, operibus bonis perpetuo intentus, iam ætate prouectus* III. Idus Auguſti *Anno Domini* D. XCIV. *obdormiuit in Domino. Cuius ſacras exuuias tumulauit deuotio in Eccleſia* S. Medardi *à ſe in* Monte *constructa. Quarum partem maximam* Vviterius *Epiſcopus* Hellenenſis *in* Hiſpania, *ad ſuam Eccleſiam tranſtulit, vbi mirificè collocatam, fidelium frequentia coluit.*

*Cæcum illuminat.*

*Pueros captiuos à ſeruitute liberat.*

*Obitus, ſepultura & Tranſlatio.*

Hæc ſunt per ſynopſim ACTA, in quorum ecphraſi, quia cætera communia, illud elucidandum eſt, quod ad *Tranſlationem* ſpectat, *Cameraco Hellenam.* Illud probat Helleca Epiſcopus Cæſarauguſtanus in *Addit. ad Max. n.* 41. per P. F. Franciſcum Biuarium vindicatus *fol.* 9. his verbis Vvitericus *Epiſcopus* Hellenenſis *interfuit Concilio* X. *Toletano, & tranſtulit* Reliquias S. GAVGERICI *Epiſcopi* Cameracenſis, *ex gente ſua conſanguinei*, Hellenam: *vbi* S. GAVGERICVS *dicitur eſſe: & pietate religioſâ circumiacentium Oppidorum colitur.* Quod in impreſſis codicibus *Maximi* apud *Carum*, & *Calder.* dicitur, de Epiſcopatu *Zamorenſi* S. GAVGERICI, prorſus errorem continet, nam loco *Cameracenſis*, repoſuere *Zamorenſis*, ita Biuar. *ſupr. d. c.* 21. *fol.* 364. Item in eodem textu *Cari*, & *Calderon*, alius error agnoſcitur, dùm *Epiſcopum Hellenenſem*, qui interfuit *Concilio X. Toletano*, vocitant vno ore, QVINTANVM, cum reuerâ in Actis ipſius Concilij VVITERICVS nominetur. Quibus animaduerſionibus, reliqua in codice præſcripta probabilius ſuſtinentur.

*Vvltericus tranſtulit Reliquias Hellenam.*

*Errores in Codice Hellecæ diluuntur.*

C.

*Martyrologia.*

S. TYBVRTIVS *Romanus Martyr.* ] Eius illuſtrem agonem referunt breui clauſularum ambage *Beda, Vſuardus, Ado*, & cæteri recentiores, à quibus *Romanum Martyrolog.* h. d. ſequenti ſerie: *Romæ inter duas lauros Natalis* S. TYBVRTII *Martyris, qui ſub Iudice Fabiano in perſecutione Diocletiani, cùm nudis plantis ſuper carbones ardentes ingreſſus, Chriſtum maiori confiteretur conſtantiâ, duci Tertium ab Vrbe Milliarium, atque ibidem gladio animaduerti iubetur.* Conueniunt Martyrologia *Caſtellanum* P. Dionyſ. Vaſq. *Luſitanum* P. Lupi *Italum* Conſtant. Felic. & aliorum. De eo Philipp. Ferrar. in *Catalog. SS. Ital. fol.* 500. Baron. *Annal. Eccleſ. Tom.* 2. *Ann.* 286. *numer.* 5. & *ſequent.* Eius ACTA apud Sur. *Tom.* 1. Ea dabimus ex *Ferrario.*

*Scriptores.*

## *ACTA S. TYBVRTII MARTYRIS Romani, cuius Reliquiæ in Hiſpania apud Arelatem Cataloniæ conditæ requieſcunt, ex Ferrario, & Vinc. Domenec.*

*Origo.*

TYBVRTIVS *Chromatij vrbis Præfecti filius, eo miraculo, quod Iuuenem cœleſti lumine fulgentem, à Patre ſuo omnem ægritudinem, ſolo tactu depellere vidit, ad Chriſtum conuerſus, ac baptizatus, miraculis clarere cœpit. Nam in hominem, ex alto lapſum iamque morientem, incidens, cùm ſuper eum, Dominicam orationem recitaſſet, integræ illum illicò ſanitati reſtituit, ad fidemque cum Parentibus perduxit, aliiſque miris rebus perpetratis, apud* Fabrianum *Iudicem à* Torquato *viro peſſimo, qui à Chriſtiana*

*Accuſatur.*

*religione defecerat, accuſatur. Qui* Tybvrtivm *ad ſe vocatum, ac fruſtra admonitum, vt Deos coleret, tandem ita illum alloquitur: Vnum tibi è duobus elige ô* Tybvrti, aut thura his carbonibus in honorem Deorum impone: aut nudis pedibus ſuperincede. *Cui S. Martyr:* Vt Chriſtum verum Deum eſſe cognoſcas, cui omnis creatura famulatur, ecce faciam, quod iubes. *Moxque facto Crucis ſigillo, illæſis plantis, ſuper eos inceſſit, & ad Iudicem conuerſus ait:* Diſce ex hoc, ſolum eſſe Deum, quem Chriſtiani colunt: prunæ enim hæ flores mihi videntur. *Quod cùm Iudices. Magicis artibus tribuerent,* Tybvrivm, *extra Vrbem ductum, viâ Lauicanâ, III. ab Vrbe M. ſecuri percuti iuſſit,* III. Idus Auguſti, *Anno Domini* C C. LXXXVI. *Cuius* Corpus *ſepultum ibidem, partim Romæ, partim poſtmodum* Parmæ, *& partim denique apud Eccleſiam* Arelatenſem *in* Valleſpirenſi *in* Catalonia Hiſpaniæ *exuuiæ tranſlatæ requieſcunt.*

*Toquetur.*

*Coronatur.*

*Reliquiarũ pars apud Parmam.*

Prolixiora deſcribuntur Acta apud Sur. *Tom.* 1. *Die XX. Ianuar. fol.* 103. inter res geſtas *S. Sebaſtiani*, quæ Nos per compendium recenſuimus, quia hæc ad cognitionem S. Martyris ſufficiunt. In illis duo probanda veniunt, Primvm de *Tranſlatione* aliquarum reliquiarũ apud vrbem Parmam in Italia Epiſcopalẽ, in via Æmilia, de qua Philippus Ferrar. in *Topograph. SS. verb.* Parma. *fol.* 96. *col.* 2. Huius Tranſlationis ecphraſim referunt *Tabulæ Eccl. Parmenſis* apud eundem Philipp. Ferrar. *in d. Catalog. SS. Ital. fol.* 500. in Notul. & Leander Albertus in *Deſcript. Ital. fol.* 386. Secvndvm de *Tranſlatione* aliarum Reliquiarum huius S. Martyris ad Eccleſiam *Arelatenſem* Comitatus *Valleſpirenſis* in *Cathalonia Hiſpaniæ*, Diœceſis *Hellenenſis*, Cuius *Tranſlationis* relationem ſcripſit P. F. Antonius Vincentius Domenec ex ordine Prædicatorum *Hiſtor. SS. Cathalon. lib.* 1. *fol.* 75. *col.* 2. Vbi hæc verba: *Reliquiæ Sanctorum, quæ ibidem in dicta Eccleſia Arelatenſi conduntur, ſunt* S. Tybvrtii *Martyris*, S. Hilarij *Epiſcopi, quas egomet vidi, & inſcriptiones earum perlegi. Nec eſt dubitandum, has Reliquias alterius* Tybvrtii *eſſe, nam in quodam Martyrologio in dicta Eccleſia ab antiquis temporibus ſeruato, dicitur, quòd* Reliquiæ, *quas illinc poſſident, eſſe illius Martyris*, Chromatij *Senatoris, ſeu Præfecti Romani, filij. Hinc ſemper eius feſtiuitas celebratur Die* XI. Auguſti, *tanquam illius Martyris, qui illo die Romæ agonem conſummauit, vt in Romano, & aliis Martyrologiis refertur.* Hactenus *Domenec.*

*Pars in Eccleſia Arelatenſi in Cathalonia.*

*Topographia.*

Ecclesia Arelatensis in *Cathalonia* de ea diximus ſupra *Tom.* 1. *Die XIII. Ianuar. lit. B. fol.* 145. Eiuſque Oppidum hodie dici Arles probauimus ex Ieronymo Pujades *Hiſt. Cathalon. lib.* 2. *c.* 1. *fol.* 35. *& lib.* 4. *cap.* 34. *fol.* 179. Ibidem etiam antiquitatem Cœnobij *Arelatenſis* ab Abbate *Caſtellano* constructi recenſuimus, & Cartam protectionis *Ludouici Pij Imperatoris* pro tuitione illius Monaſterij deſcripſimus, quæ omnia ibidem intuebitur eruditus.





# PRIDIE IDVS

## Auguſti.

## DIES XII.

*A.* *Apud* Salariam *vrbem Hiſpaniæ in* Luſitania *natalis SS.* Graciliani, *&* Felicissimæ, *qui cùm pro fidei confeſſione contuſiones in ora lapidum perferrent, abſciſſis ceruicibus, ad præmium Martyres euolarunt æternum. Quorum* Corpora, *forte excidio Sarracenico, in* Italiam *delata, in Eccleſia* Caſtellana Tuſciæ *honorifice requieſcunt.*

*B.* Romæ *paſſio* S. Arthemiæ *Virginis & Martyris, Sororis* S. Suſannæ, *quæ à dæmone liberata, & à* S. Cyriaco *baptizata, à Maximiano decollari iuſſa, triumphans in cœlum ingreditur.*

*C.* *In Monaſterio* Lirinenſi S. Pontii Porcharij *Abbatis* Hiſpani, *qui cum aliis à* Sarracenis *ob fidei Catholicæ confeſſionem trucidatus agonizaſſet, ad æternam gloriæ lauream inclytus Martyr acceſſit.*

# NOTÆ.

**A.**

*Variæ lectiones circa locum agonis Martyrum.*

Sanctvs Gratianvs, & Felicissima *Martyres Hiſpani.*] Varias Lectiones circa locum palæſtræ horum SS Martyrum agnoſco in *Martyrologiis*; nam vt inquit Galeſinus in *Not. ad ſuum h. d. fol.* 147. *col.* 2. Manuſcripti Codices antiqui nullam mentionem faciunt loci, vbi hi SS. Martyres agonem obierint. Ergo primus *Vſuardus* in ſuo, addidit Phalari, quem ſecutus Equilinus in *Catalog. SS. lib.* 11. *c.* 130. *n.* 213. ſub hac ſituationis ſententiâ locus martyrij habitus fuit; donec increbreſcente Scriptorum iudicio, relictâ *Vſuardi* & *Equilini* lectione, nonnulli Falarim in *Piceno* repoſuere, vt Baronius in *Not. ad Rom. Mart. h. d. lit. G.* ſcriptum reliquit. Aſt nec hac contentus aſſignatione Petrus Galeſinius *in ſuo Martyrolog. fol.* 112. reiectis ſupradictorum lectionibus Faleriæ ſubiecit paſſionem Martyrum, hancque lectionem amplexatus *Cæſar Baronius*, exploſis cæteris, ipſam in *Martyrologio* inſeruit *Romano.* Pro hac ſubſcribunt Philippus Ferrar. in *Catalog. SS. Ital. fol.* 504 cùm in *Topograph. SS. verb.* Falaris *fol.* 51. *col.* 2. aliter dixerit, & ad Falarim in *Piceno* martyrio coronatos Martyres affirmauerit. Sed procul dubio omnes hucuſque hallucinati ſunt,

*Vera lectio ſitus palæſtræ.*

cùm agnoſcerent CORPORA Sanctorum Martyrum condita eſſe apud vbem *Caſtellanum*, credentes ibidem paſſos SS. Martyres, ſolo tumulationis veſtigio innixi. Sed vt horum amplius euacuetur Scriptorum opinio, ſitum palæſtræ verum deſcripſit Flauius Dext. in *Chron. Ann.* 230. hac periodo: *In* Luſitania *vrbe* SALARIA, *quæ vrbs Imperatoria dicitur celebrantur egregiis laudibus* GRACILIANVS, *&* FELICISSMA *Martyres.* Quo loci P. Biuar. in *Comment. n.* 2. *fol.* 276. plura cumulat, vt *Italorum* ſententiam eneruet, concludens: *Quinimò eo ipſo quòd SS. Martyrum* Corpora *minimè* FALERIÆ *ſeruantur, ſed in eiuſdem Prouinciæ Ciuitate* Caſtellanâ, *ſatis conuincitur, non occubuiſſe* FALERIÆ, *ſed in alia longè poſita regione.* Hanc & Nos inſequi meritò compellimur, quia *Hiſpaniæ* noſtræ fauorabilis extitit, & Noſtrorum eſt ſuffulta rationibus. Eorum ACTA periere, illa ex monumentis Eccleſiæ *Caſtellanenſis* ſuſcitauit *Ferrarius*, Nos additis *origine*, & *Tranſlatione* eadem proſequemur, vt plenam in poſterum de tantis Martyribus cognitionem relinquamus.

## *ACTA SS. GRACILIANI, ET Feliciſſimæ, Martyrum Salarienſium in Luſitania Hiſpaniæ, Quorum corpora apud Ciuitatem Caſtellanam in Tuſcia ſeruantur, ex Dextr. & Ferrar.*

*Origo.*

GRACILIANVS, *&* FELICISSIMA *origine* Hiſpani, *& in* Salarienſi *antiquâ* Luſitaniæ *vrbe, nobilibus ex proſapiis orti, Chriſto nomina dederunt. Nam cùm ille Euangeliorum librum legiſſet, deſiderio Chriſtianæ Religionis accenſus, à quodam Presbytero baptizatur.* *(Gracilianus baptizatur.)* *Quod cùm Parentes reſciuiſſent, ab eo propoſito auertere conabantur, propter ſeuera Alexandri Imperatoris edicta. Comprehenſus autem iuſſu Præfecti, in carcerem truditur,* *(Comprehēditur.)* *donec Imperator factus certior, reſcripſit, illum ad venerandum Deos ſuppliciis cogi debere, ſin minus occidendum eſſe. Cuius igitur reſcripti Imperialis vi Præfectus accenſus, illum alapis cædi, & diù in carcere macerari præcepit. Hic ſic aliquantulum detentus, cæcis viſum, paralyticis, & aliis infirmis ſanitatem reſtituit, nec non & mortuos etiam ad vitam reuocauit. Inter hos, miraculorum famâ, ad carcerem deuenit Virgo quædam nomine* FELICISSIMA, *quæ oculis capta, & à fide aliena, in corpore, & anima cæcitatem contraxerat, & ad pedes Martyris deuoluta eius oratione viſum recepit, & ad Chriſtum cum eius Matre conuerſa, vtraque ab eodem Presbytero regenerationis lauacrum ſuſcepit.* *(Feliciſſima conuertitur.)* *Quod vt cognouiſſet Præfectus* FELICISSIMAM *comprehendi, & in cuſtodiam tradi præcepit, & ibidem cuſtodiri, donec Diis thura litaret.* *(Et capitur.)* *Cùm autē* GRACILIANVS, *&* FELICISSIMA *fortes in confeſſione Chriſti perſeuerarent, educti è carcere, primùm lapidibus fuere ora contuſi, deinde extra portam Ciuitatis decollati, Domino ſpiritus tradidere* Pridie Idus Auguſti, *Anno Domini* CC. XXX. *(Coronantur.)* *Cum autem Parentes vnici filij mortem lugerent.* GRACILIANVS *cum ſocia* FELICISSIMA *illis apparuere, eoſque ſolati, ad Chriſtianam religionem ſuſcipiendam hortati, fore prædicentes, vt Præfectus poſt triduum vitâ excederet: quo facto, illi ad Chriſtum conuerſi, vitam in piis operibus conſummarunt. Sanctorum* CORPORA *ibidem tumulata, inſigni laudum præconio per totam Hiſpaniam venerata ſunt. Sed eueniente Sarracenorum conturbio, ea à fidelibus vt creditur, recondita, ne in perfidorum manus inciderent, in* Tuſciam *delata, & ad Ciuitatem* Caſtellanum *aduecta, ibidem honorificè cuſtodiuntur, & maximo cultu conciuium venerantur.* *(Transferuntur.)*

*Tranſlationis tempus & cauſa.*

Hanc *tranſlationem* ſacrorum pignorum SALARIA *Hiſpaniæ* ad Ciuitatem *Caſtellanam Tuſciæ*, repetit Biuar. *d. n.* 2. *fol.* 277. hac ſerie: *Corpora enim Sanctorum non transferuntur facile de loco in locum: niſi vt ſeruentur tutiori, tempore generalis Prouinciæ deuaſtationis, aut perſecutionis; quemadmodum de Sanctis* Hiſpaniæ *in* Sarracenorum

cenorum



cenorum *clade factum fuit, & tunc etiam credimus tranſlatos fuiſſe* SS. GRACILIANVM, *&* FELICISSIMAM *ab vrbe* Luſitaniæ SALARIA *in* Caſtellanam *Tuſciæ.* Hanc etiam ſententiam recenſuit primus P. Ieronymus Romanus de la Higuera in *MS. Martyrolog. Hiſpan.* h.d.

*Et erroris in conſignatione vrbis.*

HINC elicies cauſam, quâ in *Vſuardo*, *Ferrario*, & *Galeſino* inueniuntur tàm variæ lectiones in conſignatione loci palęſtræ, nam cùm diu SALARIA euerſa, remaneret eius obliterata memoria, & vrbem hoc nomine vocitatam, intra Prouinciæ, quâ erant *Corpora* tranſlata, terminos, non inuenirent, eorum paſſionem ad cognitas ciuitates applicuerunt, & hæc vnuſquiſque Scriptor ſecundum ſui diſcurſus argutiam: ideo tot varias digreſſiones de loci ſitu inconſtanter excitarunt, ſit & Biuar. *d. fol.* 277.

*Topographia.*

SALARIA. Vrbs antiqua in *Luſitania*, in litore Occeani infra *Barbarium Promontorium*, non longè ab oſtio *Callepodij* fluminis, quo loci, nunc SETVBAL conſpicitur, vt ex Ptolemæo recenſet Biuar. ad *Dextr. d. Ann.* 230. *n.* 2. *fol.* 276. De ea & Nos diximus ſupr. *Tom.* I. *Die VII. Ianuar. lit. B. fol.* 99. *verſ.* Tertio.

B. *Parentes.*

S. ARTHEMIA *Virgo, & Martyr Romana.*] Hanc fuiſſe filiam Diocletiani Imperatoris indicant Acta *S. Cyriaci* Martyris Die VIII. *Auguſti*, apud Philippum Ferrar. in *Catalog. SS. Ital. fol.* 494. & Petrum de Natalib. *in Catalog. SS. lib.* 7. *c.* 35. *& c.* 70. necnon & filiam *S. Serenæ* Diocletiani coniugis, quæ ex genere SERENORVM *Gallæciæ* in *Hiſpania* progenita fuerat, vt probatum ſæpius relinquimus maximè ſupr. *Tom.* I. *Die XIX. Februar. lit. A. fol.* 182. *&* 183. vbi recenſentes *Auli Hali* Serenorum horum proſapiam, Epigramma dedimus, in cuius antepenultimo diſtyco, de Matre, & hac S. Virgine legitur.

*Atque Diocletiano coniuge, & alma* SERENA
*Obtulit egregiam palmis &* ARTHEMIAM.

*Martyrologia.*

Igitur huius Virginis memoria colitur in Eccleſia *S. Sylueſtri* Vrbis, vt ex eius Tabulis liquet, à quibus Philippus Ferrar. in *Catalog. General. SS. h. d. fol.* 322. hac clauſulâ: *Romæ* S. ARTHEMIÆ *Virginis, & Martyris.* De ea Equilin. in *Catal. SS. lib.* 7. *c.* 70. & Ferrar. in *Catalog. SS. Ital. d. fol.* 494. Luitprand. in *Aduerſ. num.* 175. E quibus etiam & Nos ACTA compaginabimus, diſpoſitis originis, paſſionis, & tumulationis locis, vt nihil amplius deſideretur in poſterum.

## *ACTA S. ARTHEMIÆ VIRGINIS, & Martyris Romanæ ex Actis S. Cyriaci, & aliorum Scriptorum.*

*Origo, & Parentes.*

ARTHEMIA *Auguſta nobiliſſima Virgo, patre* Diocletiano *Romanorum Imperatore, matre* Serena Auguſta *coniugibus, orta, à primâ infantiæ periodo, paternâ ſollicitudine, Deorum cultui intenta, Gentilium ritus ebibit. Ad adoleſcentiæ poſtmodùm aſcendens ſtatum, vt Chriſti opera manifeſtarentur in illa, à Dæmone diutius vexata, omnes illius vicem condoluerunt; imò & Diocletianus Pater grandi afflictione contriſtatus eſt, ita vt cibum comedere non valeret.* *(A Dæmone vexatur.)* *Hoc tempore Cyriacus Diaconus tenebatur in carcere fidei causâ, vbi plura miracula ab eo peragebantur. Interea cœpit à Dæmone prolixius vrgeri virgo, quod Diocletiano nuntiatum intrauit ad eam in cubiculum, & ecce ipſe Dæmon clamare cœpit per* ARTHEMIAM, *præſente Patre:* Niſi venerit *Cyriacus* Diaconus non exeo. *Confeſtim autem miſit Diocletianus ad eum in cuſtodiam, vbi erat incluſus, & conſtrictus cum aliis, & eiecit eum de cuſtodia: & cùm præſentatus ei fuiſſet, rogabat eum vt intraret ad filiam ſuam.* *(Cyriaci Diaconi cuſtodia.)* *Cumque intraſſet ad eam* Cyriacus *dixit*: In Nomine Domini Noſtri Ieſu Chriſti præcipio tibi vt exeas ab ea. *Dæmon autem reſpondit*: Si vis vt exeam da mihi vas vbi ingrediar. *Dicit ei Cyriacus*; Si potes, ecce corpus meum, ingredere. *Reſpondit Diabolus*: In vas *(Cum Dæmone Arthemiæ diſceptatio.)*

tuum non poſſum ingredi, quia vndique clauſum, & ſignatum eſt. *Dicit ei Cyriacus:* In Nomine Domini Noſtri Ieſu-Chriſti Crucifixi exi, vt fiat vas mundum Virgo iſta ſuperueniente Spiritu-ſancto: *& dixit ad* Arthemiam: Filia crede in Deum Patrem Omnipotentem, & in Ieſum-Chriſtum Filium eius vnicum, Dominum Noſtrum. *At ille exclamauit dicens:* O Cyriace ſi hinc me eiicis in Perſidem te faciam venire. *Dicit ei Cyriacus:* In Nomine Domini Noſtri Iesv-Christi Crucifixi exi. *Tunc clamauit* Arthemia, *dicens:* Per ipſum nomen te coniuro, vt me baptizes, quia video de longe Dominum, quem tu prædicas. *Et tenentes manum eius* Largus, *&* Smaragdus *leuauerunt eam. Altera autem die ſecundum conſuetudinem catechizauit eam, & allatam aquam Cyriacus benedixit, & baptizauit eam præſente matre ſua* Serenâ Auguſta. *Ab eodem die ſemper dicebat* Serena *filiæ ſuæ, quòd fideliter amaret Religionem Chriſtianam, quam illa fideliter cuſtodiuit. Poſt duos igitur annos à conuerſione* Arthemiæ *Virginis Auguſtæ, euenit quòd Diocletianus Auguſtus eius pater à vinculo humanitatis ſolutus eſt, cuius Imperium arripiens* Galerius Maximianus *eius filius, Cæſar iam diù deſignatus, fraterque* Arthemiæ *Virginis Auguſtæ, protinùs perſpicua odij, & impietatis erga Deum animo ſuo tanquam naturaliter inſitæ, & innatæ indicia omnibus commonſtrans, perſecutionem magis generalem, quàm ſuperiores Imperatores, contra Chriſti famulos inſtituit; nam aduerſus ſuos ſanguine, & naturæ vinculis coniunctos incipiens, quos ſuperior crudelitas præſeruauerat, innumeros ad martyrij coronam attraxit. Hos inter ſciens ſororem ſuam* Arthemiam *iam diù faſces Religioni Chriſtianæ ſubmiſiſſe, illam comprehendere iubens, tandiu in carceris ergaſtulo continuit, donec à propoſito mentis iudicio Chriſtum auelleret. Sed ſanctiſſima Virago, nec preces audiuit, nec minas timuit, ſed ad Chriſtum reuerſa, eius auxilium continuis orationibus implorabat. Tunc Maximianus auditâ Sororis conſtantiâ, intra cubiculi ſui, quo erat cuſtodita, cancellos, ipſam gladio necare fecit* Pridie Idus Auguſti *Anno Domini* CCC. VI. Corpvs *à fidelibus extractum, & aromatibus conditum, iuxta* Serenæ *Matris, &* Suſannæ *conſobrinæ pignora ſepultum, ibidem quieuit.*

*Arthemia baptizatur, & liberatur.*

*Perſecutio Galerij Maximiani Imp.*

*Arthemia comprehenditur.*

*Coronatur.*

*Baronij ſcrupulus euacuatur.*

I. Cæſar Baronius in *Annal. Eccleſ. Tom. 2. Ann.* 303. vt refert Iacobus Moſand. in *Not. Marginal. ad Laurent. Sur. Tom.* 1. *Die XVI. Ianuar. fol.* 250. quidquid de Arthemia Noſtrâ Diocletiani filiâ in Actis *S Marcelli* refertur, additamentum exiſtimat, aſſerens in multis fide vacillare. Rationem huius cenſuræ eam eſſe ſuſpicatur, quia, nulla eſt de hac Virgine, & Martyre mentio in *Tabulis Eccleſiaſticis.* Sed hæc ratio mihi non arridet, ſi aliorum Sanctorum Acta perpendimus, quorum memoria in *Tabulis* deficit *Eccleſiaſticis*, vt videre eſt apud *Philippum Ferrarium*, qui integrum codicem ſcripſit, vbi innumeros Diuos recenſet, qui hucuſque in *Tabulis Eccleſiaſticis* non ſunt deſcripti, & tamen eorum Acta non ſunt apocrypha, nec à doctiſſimis viris reſpuuntur.
II. Item quia fallitur proculdubio doctiſſimus *Purpuratus* negans noſtræ S. Virginis cultum, cùm vt conſtat, ex eodem Philippo Ferrar. in *Not. ad hunc Diem. fol.* 323. huic Sanctiſſimæ Virgini, & Martyri cultus datur *Romæ in Eccleſia S. Syluestri*, vt ex eius *Tabulis* liquet: ergo perperam, omnia hæc negauit *Baronius.* Tertio nam apud Noſtros
III. olim eius memoria recenſebatur, vt conſtat ex hoc *Epigrammate* vetuſtiſſimo inter alia diuerſorum apud me, cuius lemma.

## DE SANCTA ARTHEMIA VIRGINE, & Martyre Romanâ, filia Diocletiani, & Serenæ AA. Epitaphium.

*Clauditur* Arthemia *iſto ſub ceſpite Martyr,*
*Cui meritis duplex mixta corona datur.*

Hæc



*Hæc fuit* Auguſtæ *de corpore nata* Serenæ;
*Quæque* Dioclis *erat, vxor & ipſa viri.*
*Impius, ob Chriſti nomen, ſub verbere frater*
*Corripuit Diuam, aſtra ſed illa petit.*

*Annus agonis.*

Quatenus ad *Annum* agonis, qui nullibi expreſſus inuenitur, eum repoſuimus, poſt Duos à morte Diocletiani, quæ euenit ad CCC. IV. & huius S. Virginis ad CCC. VI. qui, fuit tranſactis duobus ab eius obitu. Ita Baron. *Tom.* 3. *Ann.* 304. & cæteri ſcribentes. Quod huius S. Virginis paſſio euenerit poſt duos Annos à morte Diocletiani patet ex Equilin. in *Catal. SS. lib.* 7. *c.* 35. agens de *S. Cyriaco* Diacono, in illis verbis: *Cyriacus à Diocletiano gratanter exceptus eſt, quo poſt defuncto Maximianus eius filius ſucceſſit.* Eadem in *d. lib.* 7. *c.* 70. dicens. *Poſt mortem autem Diocletiani Maximianus filius eius in imperium ſublimatus eſt, qui* Cyriacum *cum eius Sociis, diuerſis ſuppliciis martyrizauit.* Arthemiam *verò ſororem ſuam gladio necare fecit.*

C.

*Duo Porcarij Lirinenſes, origine Hiſpani.*

*I. Inſtitutor S. Cæſarij Arelatenſis Epiſcopi.*

*II. Martyr, de quo h. d. in Martyrolog.*

*Martyrologia.*

S. Porcarivs *Abbas Lirinenſis Martyr.*] Duo fuere in Monaſterio *Lirinenſi* Abbates Porcarii nomine, & vterque origine *Hiſpanus*, ex Porcellorvm genere apud Bigaſtrũ vrbem Hiſpaniæ Citerioris. Primvs vixit tempore *S. Cæſarij Arelatenſis* Epiſcopi, cuius inſtitutor fuerat, ad Annum Domini D. VI. & amplius, vt referunt Cyprianus S. Cæſarij Diſcipulus, in eius Act. apud Sur. *Tom.* 4 *Die XXVII. Aug. fol.* 284. & S. Marcus Maximus in *Chron. Ann.* 585. his verbis: Porcellorvm *familia in* Hiſpaniæ *Tarraconenſis vrbe* Bigastro, *quæ nunc* Mvrcia *dicitur, à Romanorum gente trahens originem, clara & inſignis habetur.* Et poſtmodum: *S. Licinianus Carthaginis Spartariæ Epiſcopus, &* S. Pontivs Porcarivs *Abbas* Lirinenſis, *ex hac gente fuerunt, maximi in* Hiſpania, Galliaque *fidei Defenſores.* Sequuntur Vincentius Barral. in *Chron. Lirinenſ. fol.* 225. Baron. in *Not. ad Martyrol. Rom. Die XXVII. Auguſt. lit.* H. Hugo Menard. *lib.* 2. *Obſeruat. ad Martyrolog. Monaſt. fol.* 663. Secvndvs, qui fuit Martyr cum aliis Quingentis Sociis, vixit tempore Caroli Martelli Francorum Regis poſt Annum DCC. XXX. vt inquiunt idem *Barralis d. Chron. fol.* 225. & Hug. Menard. *d. fol.* 663. & conueniunt omnes abſque controuerſia. De hoc, *Martyrologium* agit *Romanum* h. d. ſequenti periodo: *Eodem die SS. Martyrum* Porcarii *Abbatis Monaſterij* Lerinenſis, *&* Quingentorum *Monachorum, qui pro fide Catholica à Barbaris cæſi, martyrio coronati ſunt.* Conueniunt cætera recentiora, videlicet *Caſtellanum* Vaſq. *Luſitanum* Lup. *Hiſpanum MS.* P. Higuer. *Italum* Conſtant. Felic. *Monaſticum* Hugon. Menard. & *Gallicanum* Andr. Sauſſay. *Tom* 1. *fol.* 508. Eius Acta excripſit *Iacobus Moſander*, & addidit Surio *Tom.* 4. *h. d. fol.* 114. ſic:

## ACTA S. PORCARII ABBATIS Lerinenſis, Martyris origine Hiſpani, ex S. M. Maximo & aliis.

*Origo.*

*Fit Monachus Lerinenſis.*

*Et Abbas*

Porcarivs *origine* Hiſpanus, *ex nobiliſſima* Porcellorvm *apud* Murciam *antiquiſſimam vrbem familiâ oriundus,* Pontij Porcarij *cognati ſui, qui ferè ante duo ſecula* Galliam *ingreſſus, ad Inſulam* Lerinenſem *progreſſus, ibidem Abbatis munere functus, ſanctitatis honorem promeruit, inſequens veſtigia, iuuenis ad ipſam ſacram Inſulam concedens, inter ipſorum conſortium Monachorum ſuſceptus, breui ad perfectionem monaſticæ diſciplinæ tempore ſublimatus, omnes in illo antiqui Abbatis conſanguinei intuebantur ectypum. Poſt aliquot igitur temporis intercapedinem, eius ſuffragantibus meritis Abbas Cœnobij, eo humiliter renuente à Fratribus eligitur; in cuius munere ſanctam congregationem illam in diuino opere verbis inſtruebat, & formabat exemplis, ita vt cœtus ille in tantùm ſub B. Viri diſciplinâ, proficeret ſanctitate; quòd omnes Galliarum Prouinciæ Clerici Epiſcopum, Monachi ſibi in Inſula Lerinenſi Abbatem expoſcerent.*

Hoc

*Sarraceni Gallias deuaſtant.*

HOC *tempore* Carolus Martellus *Galliarum regna poſſidebat Rex inclytus, & gens Sarracenorum crudeliſſima ſubactis Hiſpaniarum circulis, omni humanitate poſtpoſitâ Narbonenſem Prouinciam aggredi conſtituens, Pyrenæorum cacumina peragrauit; vbi omnia ſuo imperio ſubiugare, Chriſti nomine abolito, horrenda vaſtatione præmiſit. Nam Chriſtiani derelictis ciuitatibus, & oppidis exterriti, ad montana confugiebant, vt Arabum manus poſſent effugere. Sarraceni ita totam regionem in ſolitudinem redegere, vt in heremi vaſtitatem loca prius deſiderabilia viderentur conuerſa. Omnia itaque ſic ſolo æquata, cùm nullus iam ex proceribus ad oppoſitionem victorum ſupereſſet, ſanctam Lerinenſem Inſulam inuadere feſtinant, in qua erat à longis retrò temporibus Domus Religionis, quæ retinens maximum examen Monachorum, præter cæteras longè, lateque diffuſas, omni ſanctitate famâque celeberrimâ circũquaque rutilabat. Igitur cùm Agareni furentes omnem depopulaſſent prouinciã plurimis pro Chriſto trucidatis, Angelus Domini per dies decem apparuit in ſomnis S. Viro dicens: Surge velociter, & occulta venerandas Reliquias, quæ in hac Inſula cuſtodiuntur. Futurum eſt enim, vt hic lacus à feris Barbaris violetur, & conſecretur ſanguine Monachorum. Conforta igitur, & confirma fratres tuos, ne exterriti deficiant, à fide, & amittant vitam æternam, quæ præparata eſt vſque ad mortem legitimè certantibus pro ſui Nominis confeſſione.*

*Et Cœnobium Lerinenſe.*

*Angelus apparet S. Viro.*

EVIGILANS *verò B. Abbas vidit præclaram, perlucidamque flammam ignis ad cælum vſque conſcendere, ex quo perpendens veram eſſe, quam viderat, viſionem, gaudio repletus, proſternems ſe ante Altare B. Petri Apoſtoli, Lerinenſium incolarum protectoris, precibus, & lachrymis eius patrocinium implorabat, quatenus ſuo collegio ſucurrere dignaretur, & ne ſuo fiduciali patrocinio, & promiſſo fraudaretur; & hoc dicto in terram corruit. Quem vt viderunt Monachi in tanta amaritudine proſtratum erigentes, cauſam tanti doloris ſciſcitarunt. Sed ille Miſſam de Spiritu ſancto celebrauit, quâ completâ, conuocatis in Capitulo Fratribus, ait: Annuntio vobis, amantiſſimi, gaudium magnum: hanc Inſulam elegit Deus in peculium ſpeciale, quam ſanctificauit, & electâ propagine propagauit, coluit, & protexit, & ex vera vite ibi radicata, per orbem, vberes palmites ampliauit, multiplicatiſque eius tentoriis fecit ſuos funiculos præ cæteris monaſticis longiores. Nunc verò tanquam pius Pater familias ſuam vineam viſitans, quam mirifice plantauit, Colonos aduocat, vt ſtolas ſuas abluant in ſanguine ſuo, præcinctus ad miniſtrandum, vt faciat illos diſcumbere ad nuptias agni ſponſi. His ab eo prolatis, mox nubes lucida apparuit ſuper omnes, qui aderant, & audierunt de nube ſinguli vocem claram, dicentem: Venite benedicti, percipite regnum vobis ab initio præparatum. Adſtantibus itaque Fratribus dixit eis S. Abbas:* Viri Fratres, & Patres benedicti, manſuetus Dominus Noſter Ieſus-Chriſtus, qui propter ſuam miſericordiam dignatus eſt pro nobis pati, gratis ſuſcipiens ſeruitutem, munditiam, & confeſſionem, quam ſibi diuturnis temporibus obtuliſtis, vt vos triplici munere benedicat, immaculatique liberè ſequamini agnum ſine macula pro noſtris criminibus immolatum, ad ſuam immarceſſibilem gloriam per martyrij palmam vos inuitat. Ne paueatis igitur, quin potius confortentur corda veſtra in Domino ad ſuſcipiendum martyrium, vt ad æternam beatitudinem peruenire poſſitis ſine fine manſuri. Poſt dies enim decem circumdabunt Nos inimici fidei Chriſtianæ; qui, vt audiſtis quam plurimos hinc inde innocentes trucidarunt. Ideo excutite à cordibus veſtris ſordes carnis, vt immaculatos vos offeratis Domino Noſtro Ieſu-Chriſto. *Tunc verò ſinguli cœperunt præ gaudio lachrymari feruentiſſimè ad martyrium adſpirantes, & occultatis venerabilibus Reliquiis, & miſſis Sexdecim iuuenibus, & triginta ſex adoleſcentibus, qui erant in Cœnobio, ne imbecillitate ætatis ſeducerentur à Barbaris, in Italiam, in continua oratione, & ieiuniis lætanter diem agonis feliciter ſpectabant.*

*Orat pro ſuis fratribus.*

*Annuntiat martyrium fratribus.*

*Vox de cœlo auditur.*

*Occultantur Reliquiæ, & imbecilles in Italiam mittuntur.*

DIE



DIE *igitur à S. Abbate denuntiato, carpens gens profana litora Inſulæ* Lerinenſis *frendet, & murmurat rugiens contra ſanctos. Interim deſtructis Eccleſiis, crucibus confractis, altaribus, & ſacris omnibus profanatis, innocentes Monachos impetiuit, & ſeparatis, à ſenioribus, iuuenibus, his per tormenta fidem ex cordibus, & locum diuitiarum eruere ſatagit; ſed in Chriſti confeſſione, & in ſecreto cordium immobiles inuenientes, illos nemine dempto necauit. Conuerſa demùm ad* S. PORCARIVM, *cæteroſque Seniores, illos plagis afficientes lanceis pungentes, gladiis laniantes, poſtremò geminatis vulneribus confoderunt Sarraceni, qui de improbo facinore per totam Inſulam inſultabant. Tunc Columbus quidam Monachus, qui Agarenorum metum cum Eleutherio expauerat, & ſe in ſpelunca timidus abſconderat, videns animas Fratrum in cælum euolare de ſpelunca deſiliens, ſe ſe Arabum manibus obtulit, & cælum cum cæteris, coronatus ingreditur. Eleutherius autem poſt Sarracenorum diſceſſum ab ſpeleo exiens, Monaſterium poſtmodum reſtaurauit. Paßi ſunt autem* S. PORCARIVS, *& Socij* Pridie Idus Auguſti, *circa Annum* Domini DCC.XXX.

*Sarraceni Inſolam deuaſtant.*

*Monachos cædunt.*

IAM diximus ſupra, & probauimus, qualiter *S. Pontius Porcarius* huius nominis I. Abbas *Lerinenſis*, eſſet origine *Hiſpanus* ex PORCELLORVM familiâ, apud *Bigaſtrum*, ſeu *Murciam Hiſpaniæ*, ex opinione S. Marc. Maxim. *d. Ann.* 585. vbi P. Biuar. *num.* 2. *fol* 632. § 29. Nunc de hoc Noſtro S. PORCARIO huius nominis II. & Abbate *Lerinenſi* cognationem cum primo probare compellimur. Adſit vetuſtum Epigramma *Auli Hali* mei, vbi vtriuſque meminit Abbatis, hoc lemmate:

*Probatur origo Hiſpana.*

DE SS. PORCARIIS ABBATIBVS
Lerinenſis Cœnobij in Gallia, origine Hiſpanis,
Epigramma Hali.

*Sanctorum dedit eu* PORCELLA *familia bina*
*Pro meritis prorſus,* MVRCIA, *ſerta tibi.*
*Ergò* Lerinenſis *Abbas, eſt vterque Beatus,*
*Noſcitur, ille obitu, iſteque martyrio.*
*Ille* Lerinenſem *rexit pro tempore cœtum*
*Fratrûm, & Cæſarium mox Arelate tuum*
*Iſti & Quingentis Sanctis tunc Fratribus vnà*
*Intulit, heus! mortem pro fide ſæuus Arabs.*
*Felix ô mihi Gallia! ſed felicior, inquam,*
*Gens & Ibera diu, quæ replet ora Viris.*

Cætera communia ſunt, quæ ſi deuotus prolixiori calamo illa perlegere deſiderat, adeat Surium in *Noua editione Iacobi Moſſandri* Carthuſiani *Tom.* 4. *h. d. fol.* 214. vbi etiam aſſeritur, S. Abbatem, & Socios ocubuiſſe ſub Arabibus Anno DCC. XXX. Sed perperam ibi ſcribitur, diem agonis fuiſſe *Pridie Nonas Auguſti*, cum contrarium ex *Martyrologiis* eliciatur.

*Error in Codice Moſſandri.*

# IDIBVS AVGVSTI.

## DIES XIII.

*A* SEORI *in* Cantabria *Hiſpaniæ* SS. CENTOLLÆ *Virginis Toletanæ , & HELLENÆ Viduæ , quæ cùm ab Ægliſio Iudice in ſæuâ Diocletiani Imperatoris perſecutionis procellâ comprehenderentur , & nec idolis litare , nec à Chriſti laudibus ſeparari prorſus voluiſſent , per cruciatuum examina ad coronam pugiles intrepidæ conſcendere.*

*B.* VALLE-PINNATENSI *olim , vt creditur ,* MIROBRICA *in Oretanis , Hiſpaniæ , Depoſitio ſacrorum pignorum* S. CONCORDIÆ *Martyris , nutricis S. Hyppoliti , quæ pro fidei conſtantiâ ſub Valeriano viriliter dimicauit. Cuius exuuiæ in Monaſterio fratrum SSS. Trinitatis Excalceatorum honorificè reconduntur.*

# NOTÆ.

A. *Martyrologia.*

SANCTA CENTOLLA *Virgo , &* HELLENA *Vidua Martyres Hiſpanæ.* ] Harum ſanctiſſimarum pugilûm meminit *Romanum Martyrologium* h. d. ſequenti elogio : BVRGIS *in Hiſpania* SS. CENTOLLÆ, *&* HELENÆ *Martyrum.* Coueniunt etiam *Caſtellanum* Vaſq. *Luſitanum* Lup. *Hiſpanum* M. S. Higuer. & *Italum* Conſtant. Felic. De eis ſcripſere Flau. Dext. *in Chronic. Anno* 300. vbi Per. Biuar. *Comment.* 2. *n.* 13. *fol.* 331. Roder. Caro *fol.* 103. Iulianus Archipresbyter Toletan. *in Chron. n.* 183. *fol.* 46. P. Truxill. in *Theſaur Concionat. Tom.* 2. Ambroſius Moral. *Hiſtor. Hiſpan. lib.* 10. *cap.* 17. Ferdinandus Perez de Guzman *in Valer. Hiſtor. lib.* 3. *tit.* 3. *cap.* 5. Ioannes Marieta *Hiſtor. SS. Hiſpan. lib.* 4. *c.* 10. D. Laurentius Padilla *Hiſtor. Eccleſ. Hiſpan. Cent.* 4. *cap.* 24. Marineus Siculus *de Rebus Hiſpan. lib.* 5. vbi hæc leguntur : B. CENTOLLA *virgo , & Martyr* Hiſpana *virtutibus inſignis , cùm Religionem Chriſti maximè coleret , ad* Hiſpaniæ *Regem perfidum deducta eſt , qui eam conſtantiſſimam, prædicantemque audacter cùm cerneret , torqueri grauiſſimè iuſſit ;* Sedicioque *Gubernatori ſuo tradidit grauius torquendam , ſi non mutare conſilium vellet. Et ſic omnium tormentorum genera eſt experta. Introductæ ſunt ad eam aliquæ mulieres , quæ cum illius miſererentur , rogabant conſilium vt mutaret. Quibus illa vultu hilari ad maiora ſuſtinenda. paratam ſe eſſe reſpondit ; & ſic ad mortem vſque perpeſſa eſt. Veniens itaque ad eam nobilis quædam matrona* HELENA *nomine , ne in tormentis deficeret gaudens ab ea audiuit :* Vide *inquit* , tu ſoror mea ne in tormentis deficias , nam vnâ mecum paſſura es , vnáque morieris. *Et poſt puſillum temporis ambæ ſunt decolatæ, & ſua Corpora* Burgos *delata in Eccleſiam Cathedralem.* Fallitur omnino *Marineus Siculus* in titulo Præſidis , & nomine *Præfecti* , illum vocando Regem ; & iſtum vocitando *Sedicium* ; cùm re verâ per illa tempora nullus in Hiſpania Rex extitit ; nec nomen Præfecti , cui commiſſum martyrium Virginis fuit *Sedacius* , ſed *Egliſius* erat , vt infra patebit. Igitur hac animaduerſione notatâ , ad Scriptores de Noſtris Martyribus loquentes, reuertor. De ipſis etiam Ioannes Vaſſ. in *Chronic. Ann.* 303 Henric. Coccus *in Chron. M S.* apud me *Ann.* 300. Ioannes Maldonad. *in Vitis SS. fol.* 167. Franciſcus Haræus *de SS Eccleſ. fol.* 784. M. Ægydius Gonzal. *Chronographus Regius* in *Theatr. Eccleſ. Hiſpan. Tom.* 3. *fol.* 24 Stephanus Garibay. in *Compend. Hiſtor. lib.* 7. *cap.* 45. Alphonſus Venero in *Enchirid. Tempor. fol.* 123. D. Thom. Tamay. in *Vindic. Dextr. fol.* 100. P. Ioann. Marian. in *Hiſtor. Hiſpan. lib.* 4. *c* 14. D. Petrus Salazar de Mendoza *in Prolog. ad Chron. fol.* 9. Primus Cabilonenſ. in *Topograph. SS. verb.* Burgis *fol.* 7. Philippus Ferrar. in *Topograph. Nou SS verb.* Burgis *fol.* 27. P. Antonius Quintana-Dueñas *Hiſtor. SS. Toletan. Secul.* 3. § 1. *fol.* 207. Illuſtris D. Petrus de Roxas Comes Merenſis *Hiſtor. Toletan. Tom.* 1. *p.* 1. *l.* 6. *c.* 10. *fol.* 445. Ex Floribus Sanctorum Hiſpaniæ D. Franc. Arco in *Act. SS. Die* 13. *Auguſt.* Baſilius Santor. *Tom.* 2. *fol.* 118. Alphonſus Villegas *fol.* 348. & alij. Earum etiam officium inuenitur in antiquis *Hiſpaniæ Breuiariis* Burgenſi Die IV. Auguſti ; *Carthaginenſi* abſque Lectione Die XXVIII Februarij ; In vetuſto SSS. Trinitatis , in *Muzarabi Iſidoriano* , & aliis. Henrricus Coccus poſt *Hiſpaniam Heroicam* carmine ſcriptam apud me , de his SS. Martyribus hocce Epigramma luſit.

*Scriptores.*

*Seculi error detegitur.*

*Flores SS. Hiſpan.*

*Breuiaria.*

CENTOLLA *hîc iacet Vrbis præclariſſima* Tagi
*Incola , Rangoni filia , Virgo potens*
*Hæc dederat Chriſto nomen , ſed Patris abhorrens*
*Conſulis edicta , Cantabra iuga petit.*
*Illic pro Chriſto tunc Virgo Seôre tenetur :*
*Supplicia haut metuit , nec timet illa minas.*
*Hæc* HELENAM *Chriſto deuinxit fulmine verbi ,*
*Quo veritas ſplendet , Vidua & alma cadit*
*Denique coniunctim , iam colla dat vltrò mucroni*
*Qualibet , & Chriſti it redimita manu.*

Igitur Sanctarum Martyrum ACTA ex Scriptoribus , Breuiariis , & Legendariis Hiſpaniæ colligemus, & præcipue ex MS. *Aſturicenſi*, in quo latiora , licet in multis diminuta , leguntur , quorum hæc eſt ſeries.

## *ACTA SS. CENTOLLÆ VIRGINIS, & HELENÆ Viduæ Martyrum Hiſpanarum, ex Dextro , Iuliano , & aliis Legendariis.*

CENTOLLA *nobiliſſima Virgo* Toletana , *patrem habuit ,* L. Rangonium Quinctianum *Virum Conſularem , ex eadem illuſtriſſima ciuitate oriundum , qui Gentilium ritubus nutritus , omne quod eorum religioni perſcrutabatur aduerſum , furenti ſæuitiâ . verbis , ſi verberibus non poterat , vindicabat. In eius igitur domo ſanctiſſima Virgo , quæ inter ſpinas roſa vernabat , omnibus virtutibus edocta ſed abſque fidei cognitione control creſcens , patris delicium , vrbis miraculum , & omnium caſtitatis ſpeculum noſcebatur. Hæc Chriſti documenta , quæ audiuerat , ruminans , illa ſic ſunt viſceribus inhæſa , vt ab eis amplius haut auellere humana potentia valuit. Chriſto itaque nomine dato , intra cubiculi ſui cancellos , patris ſæuitiam pertimeſcens , omnia quæ Chriſto debebantur officia perſoluebat. Pater,*

*Origo.*

*Conuertitur ad fidē.*

*Patriam reliquit.*

Centollæ *ſeceſſum demirans, illiuſque ſpiritum ad profanos religionis ſuæ mores diuerſum perſcrutatus, cordis amaritudine conflictus, B. virginem à propoſito dimouere conſtituit: & licet ſæpius filiam, vt Chriſtianam adorationem deſereret, variis rationibus admonuiſſet, nequaquam potuit. Igitur profani parentis, intantum, perſecutio creuit, quòd ſanctiſſima Virgo, Dei fortè nutu, patriam, parentes, & opes derelinquere, vt Sponſo libera cohæreret, admiſit. Sic ſub noctis ſilentio, de domo proſiliens paternâ, nubium vmbraculo velata, licet cœleſti luce ductata, Toletum deſeruit, & ſuis itineribus Cantabriam deueniens, in Oppido Seóre deliteſcens, domum cuiuſdam viduæ, cui nomen* Helena, *profeſſione Gentilis, ingreſſa eſt. Quæ cùm Virginem ætatis flore vernantem, & diſcretionis gratiâ eloquentem vidiſſet, miſericordiâ mota, illam intra domum ſuæ diuerſorium recipiens, illâ, quâ, potuit humanitate tractauit.* Centolla *hoſpitis amicæ erroris ſuperſtitionem agnoſcens, & in ea caſtitatis, & aliarum virtutum aggerem conſpectans, illã Chriſti protinùs fidem edocuit, eiuſque religionis ad vitã æternam conſequendam prædicauit eſſentiam: donec per varios contradictionis euẽtus, demùm* Helena *Chriſtianæ fidei aſſentiens, per regenerationis lauacrum, inter fidelium turmas honeſtiſſima, fuit & numerata Matrona.*

*Cantabria in domo Helenæ recipitur.*

*Quam ad fidem conuertit.*

*Comprehenditur.*

Tvnc *inſtantibus Diocletiani, & Maximiani Imperatorum, inſatiabilium fidei Catholicæ hoſtium, per Dacianum Præſidem Hiſpaniæ, & Egliſium eius in Cantabria Præfectum, edictis, aduerſus Chriſti nomen & eius aſſeclas, quibus quotidie perſecutio vigebat immanis, & eius intuitu Præfectus omnes illius Prouinciæ vrbes, & Oppida percurrens, alicuius vix ſexus, & ætatis parcebat Chriſticolis. Seorim igitur accedens, fuit* Centolla *à ſatellitibus comprehenſa, quæ ad tribunal Iudicis, conſuetis clamoribus, perducitur innocens; ſed fidei zelo ſuccenſa, in Chriſti confeſſione conſueta, dùm carnifices acrius voces extollebant, illa violentius Sponſi diuinitatem prædicabat. Sic ad Egliſij Iudicis turba carnificum, & tuba veritatis Virago peruenit obtutum, quorum clamores ille ſedare præcipiens, ad Virginem conuerſus:* Quæ eſt, ô mulier ( *dixit* ) ſeditio hæc, quâ vniuerſum populum turbas? Si Chriſtiana es, cito ab errore diſcedes, aut tormentorum rigoribus, aut veræ cognitionis inſtantiis. *Riſit* Centolla *Præfecti fiduciam, & cruciatuum minas ſpreuit, nam in proprio alacritatis ſubiecto perſiſtens, ita vt nihil de antiqua vultus ſpecioſitate deficeret, quidquid contra eius meditaretur corpuſculum, conſtanti animi ſtrenuitate ſpectauit. Ergo Præfectus Virginis fortitudinem agnoſcens, illam in equuleo extenſam verberibus affligi, & teneras eius carnes ferreis vnguibus dilacerari præcepit. Sed nihil ex facto proceſſit, nam virgo poſt trium cruciatuum examina, ſic in ſuæ lætitiæ veritate permanſit, vt nullus illam tale quid paſſam meritò iudicaret. Irâ magis, ac magis accendebatur Præfectus, hinc Virgini vbera proſcindere iubens, hoc ſupplicio victoriam contra Martyris conſtantiam ſe relaturum credebat. Sed in ſuo errore remanſit, nam licet vberibus abſciſſis, ſupra nudam humum exanguis Virgo Beata proiecta maneret, & ſanguinis effluxione proſtrata iaceret, attamen illius, cui ſeruire, regnare eſt, intus illuſtrata, & foris medicata, profundiùs intra ergaſtuli latebroſam manſionem Chriſtianam fidem ſummis laudibus efferebat.*

*Conſtantia in præſentia Iudicis.*

*Cruciatur.*

*Matronæ ad eam ingrediuntur*

*Virgo ad illas.*

Virginis *ergò ſanctiſſimæ patientiam in ferendis cruciatibus, & conſtantiam in contemnendis Iudicis decretis, cùm nonnullæ Oppidi Matronæ perdiſcerent, aut miſericordiâ motæ, aut falſæ religionis, quâ tenebantur, honore ſuffultæ, in ergaſtulum ingreſſæ, de tantis paſſionibus ſe dolere indicant, eamque lachrymis obortis, vt eſt conſuetudo mulierum, ſolantur; & vt animum mutet, quò medicis adhibitis, vulnera obligentur, & ſanentur vlcera, rogant. Illa vultu ſereno, ipſis, multò ſe maiora pati promptam, reſpondit, & addens, dixit:* Si ſciretis, ô fœminæ nobiles, quæ Martyribus Chriſti præmia manent, potius quàm dolere, inuidere curaretis. Cruciatus iſti, quos profana lachrymatur compaſſio, dulciſſimi ſunt, ſua-

ues



ues ſunt, his, qui veram fidei lucem in corde reportant. O vtinam illorum delectamenta funditus experiretis! ô qualem in agone voluptatem! quale in paſſione delicium inueniſſetis! Hinc ab hac fidei meæ veritate, nec hominum promiſſa, nec carnificum anguſtiæ, me dimouere valebunt, quia certe credo, neminem æternitatis gloriâ fruiturum, niſi illi, qui per Chriſti Sponſi præcepta, aquis ſalutaribus ablutus, huius ſeculi deſpiciens errores, ad Eccleſiæ fores humili charitate pulſauerit. Nam quos vos veneratis Deos, quid niſi ſimulachra, manu hominum fabricata dignoſcitis? *S. Martyris prudentiam Matronæ perpendentes è carcere egreſſæ, quid in* Centolla *roboris Præfecto inuenère, dixerunt. Tunc Egliſius acrius ſcandeſcens, linguam Virgini amputare præcepit. Sed fruſtra hominum audacia progreditur, cùm Dei miſericordia ſuperuenit. Ergo vix carnificis crudelis gladius Iudicis præceptum exequitur, cùm illuſtriſſima Martyr duplicatis vocibus Catholicam fidem extollens, mirabilia de Chriſti Dei veritate profatur.*

*Lingua præciditur.*

*Helena martyrem viſitat.*

*Coronantur.*

Omnia *que* Centollæ *hoſpiti euenerant, in domo* Helena *vidua didicerat, ſed furoris timore oppreſſa, haut vllum fuit auſa greſſum emittere, donec charitatis feruore ſuccenſa, & cœleſtis impulſus animaduerſione coacta, ad carcerem acceſſit, & in Virgine tantam gratulationis, & alacritatis inſtantiam demirans, eius virtutem cœpit extollere, & ne deficeret adhortari. Cui* Centolla: Ego libens quidem patior; tu vide ne deficias, quæ ſimul mecum trucidanda es. *Præſes vbi vidit Virginem non poſſe ſuperari, & ad martyrium* Helenam *pellexiſſe, ante quam numerus credentium creſceret, vtramque iuſſit protinus decollari,* Idibus Auguſti *Anno Domini* CCC. *Corpora earum in ipſo oppido ſepulta, per multa ſecula delituerunt, donec* Alphonſo X. *Caſtellæ Rege Catholico regnante,* Gonſaluus *Burgenſis Epiſcopus, illa in ſuam Cathedralem Eccleſiam tranſtulit, & inſigni pompâ inſtituit, quotannis earum ſolemnia celebrari. Præſtante Domino Noſtro Ieſu-Chriſto, qui cum Patre, & S. Spiritu viuit in ſeculorum ſecula, Amen.*

*An Ciuis Toletana B. Centolla?*

In his Actis omnia probata cognoſcimus tàm ex veterum monumentis Scriptorum, quàm ex recentiorum hiſtoriis, maximè circa originem *Toletanam* Centollæ, de qua Flauius Dext. *d. Ann.* 300. his verbis: *Seori in Cantabria* S. Centolla *Ciuis* Toletana, L. Rangoni *Quinctiani filia Conſulis, paſſa cum* Helena *viduâ, in perſecutione Diocletiani.* Iulianus Archipresbyter Toletanus in *Chron. Ann.* 375. *n.* 183. *fol.* 46. eadem, & ſi latius, ſic: *In Cantabris, vrbe Sero* (lege Seori *in tractu Sedum, quæ nunc Sedanum, vulgo vocatur, celebris eſt memoria* S. Helenæ *viduæ, &* S. Centollæ Toletanæ *Virginis, & Martyris, filiæ* L. Rangoni Quinctiani, *Viri Conſularis, quæ anno circiter* CCC. *fugiens Patris ſæuiſſimi rabiem,* Toleto *ad* Cantabros *ſe contulit, & cum* Helena *vidua, eadem Diocletiani perſecutione paſſa eſt.* Conueniunt cæteri Neotherici, vt videre eſt apud ſupra in *Prolegomeno* relatos.

*L. Rango memoria.*

De Patre *L. Rangonio Quinctiano Conſule*, ſiue Viro Conſulari, memoria eſt in lapide apud Gruter. *fol.* 463. & de eius filio, eodem nomine vocitato; quam & refert Roder. Car. *ad Dextr fol.* 104. his literis.

L. RANGONIO. PAPIA. VRINATIO. TVSCENIO.
QVINCTIANO. L. RANGONI. VRINATI.
LARGI. QVINCTIANI. CONSVLI. FILIO.
ARTEMIDORVS. LIBERTVS.

*Tranſlatio quo anno facta?*

Circa annum *Tranſlationis* ſacrorum pignorum *Saori Burgos* crederem eueniſſe ad Annum Domini M. CC. LXXXII vel circiter, nam tunc temporis ſedem *Burgenſem* habebat *D. Gundiſaluus Garſias de Gubiel* huius nominis I. regnante *Alphonſo* X. Caſtellæ Rege, vt inquit M. Ægidius Gonzal. *Tom* 3. *Theatri Eccleſ. Caſtell. fol.* 70.

*Topograp*

Seoris. Oppidum vetuſtum apud *Cantabros Hiſpaniæ*, quod in Ptolomæi ta-



bulis

bulis SARIA vocatur, in Chronico Dextri SEORIS. hodie dicitur SIERRO, vt probant P. Biuar. ad *Dextr. d. num.* 13. *fol.* 331. & P. Quintana-Dueñ. *d. fol.* 210. vbi ad longum.

B. *Martyrologia.* S. CONCORDIA *Martyr Romana.*] Eam fuiſſe nutricem *S. Hippolyti*, Martyris contendunt *Beda*, *Vſuardus*, *Addo*, & *Baronius* in Martyrologis, qui vltimus in *Romano* poſt illius Martyris paſſionem, proſequitur: *Paſſi ſunt etiam eodem die* B. CONCORDIA *eius nutrix, quæ ante ipſum plumbatis cæſa, migrauit ad Dominum.* Conueniunt etiam P. Dionyſ. Vaſq. in *Martyrolog. Caſtellano*; P. Ioannes Lupus in *Luſitano*; & Conſtantius Felicius in *Italo.* De ea Philippus Ferrar. in *Catalog. SS. Ital. h. d. fol.* 507. D. Syluanus Razzius de *SS. Fœmin. Tom.* 4. *fol.* 153. D. Philippus Mexia *Hiſtor. Mirobricenſ. M S. c.* 19. *n. final.* Eius ſacra pignora *Româ Hiſpaniam* delata, & ad Fratres Excalciatos S S S. Trinitatis Hiſpaniæ per R. P. F. *Ioannem ab Annuntiatione* dimiſſa, Conuentui *Vallepinatenſi* donata ibidem requieſcunt, vt patet ex Diplomate ſuperius recenſito *Tom.* 2. *Die II. Martij fol.* 45.

# DECIMO NONO.

## Kal. Septembris.

## DIES XIV.

A. BARCINONE *in Hiſpania Citeriori* S. AETII *ipſius Vrbis Epiſcopi, qui ab infidelibus propter Chriſti nomen comprehenſus, Martyr glorioſus deuictis cruciatibus cœlorum ſedes adauxit.*

B. ROMÆ *depoſitio* S. OROSII *Presbyteri* Tarraconenſis, *qui cùm Vrbem in contubernio* SS. Gregorij, & Euſebij *diuerſaretur, inſigni vitæ ſanctimonia, & doctrinæ profunditate, ſenio confectus obdormiuit in Domino.*

C. APAMEÆ *Natalis* S. MARCELLI *ipſius vrbis Epiſcopi, qui factione Gentilium quorundam tempore* Theodoſij *occiſus, eo quod Iouis delubrum* Pameæ *fuerat diuinâ reuelatione, demolitus, æternam Martyris laudem, & lauream promeruit.*

D. *In Monaſterio Minorum* Cælij Montis *in Carpetania honorificè requieſcunt ſacra lapſana, Româ adlata* S. CRESCENTII *pueruli, filij* B. Euthymij, *qui in perſecutione Diocletiani, ſub Turpilio Iudice, viâ ſalariâ, abſciſſo capite, Martyr inclytus cœlum palmâ redimitus intrauit.*

NOTÆ



# NOTÆ.

SANCTVS AËTIVS *Epiſcopus Barcinonenſis Martyr.* ] Eius nomen licèt huc vſque in *Tabulis* deſideretur *Eccleſiaſticis*, non ex hoc eius martyrium auara obliterauit antiquitas. Hinc apud *Barcinonenſes* tanti Præſulis perdurauit memoria, quam temporum ſtrages non deleuit, nec humana potuit deglubire malitia. Sic in *Epiſcopologiis* S. E. *Barcinonenſis* Michaelis Pujades, & Petri *Scriptores.* Carbonel. Sic etiam P. F. Antonius Vincentius Domenec *Hiſtor. SS. Cathalon. lib.* 2. *fol.* 85. *col.* 2. Ieronymus Pujades *Hiſtor. Cathalon. lib.* 4. *cap.* 11. *fol.* 155. P. F. Franciſcus Diago *Hiſtor. Comit. Barcinonenſ. lib.* 1. *c.* 6. *fol.* 16. *col.* 3. Qui omnes S. Epiſcopi meminere, licet confusâ relatione, & temporum conturbio, quia adhuc veram ecphraſim Præſulum illius Sedis non ſunt adepti. Eius ACTA penitus periere; illa pro vt ex relatis Scriptoribus eruuntur, licet breuiora dabimus.

## ACTA S. AETII EPISCOPI *Barcinonenſis, Martyris, ex Epiſcopologiis Diuerſorum.*

AETIVS *fuit, vt creditur, origine* Hiſpanus, & Barcinonenſis *Ciuis*, *Origo.* *nam è viuis ſublato* Victore *eiuſdem vrbis Antiſtite, ad Sedem illius inclytæ Ciuitatis aſcendit. In eius itaque prælationis munere, ſic onus admiſſum impleuit, vt inter omnes ſui ſeculi Pontifices celebris annumeraretur Sacerdos.* *Epiſcopus fit.* *Occupauerat tunc totius Orbis ambitum Claudij Neronis crudeliſſimi Principis ſæuiſſima perſecutio, &* Hiſpanias *ingreſſa, per totius illius Regionis circulos omnia depaſcens, vix locum vacuum à rigore ſatellitum, & à Gentilium furoribus relinquebat. Ad* Barcinonenſis Hiſpaniæ *vrbis celebris ſitum adueniens perſecutionis huiuſmodi procella, B. Epiſcopum comprehendit,* *Capitur.* *quem cùm non poſſet à confeſſione fidei Catholicæ dimouere, poſt varias cruciatuum anguſtias, & verberum flagra, ſanctiſſimum martyrio coronauit Antiſtitem* *Coronatur.* XIX. Kalend. Septembris, *Anno Domini* LXIV.

ACTA hæc probant *Domenec, Pujades*, & *Diago* in locis ſupra relatis: apud *Error Domenec & aliorum.* quos error contractus agnoſcitur, circa Imperatoris tunc regnantis cognitionem; Nam ipſi credidere paſſum S. AETIVM ſub *Claudio* Imperatore *Druſi* filio, qui imperare cœpit Anno Domini, XLIII. vt Baronius *Annal. Eccleſ. Tom.* 1. *Duo Imperatores cognomine Claudij.* *Ann.* 43. *num.* 2. *fol.* 305. notat: quod non potuit accidere quia *S. Etherius* I. Epiſcopus *Barcinonenſis* apud *Cheroneſum Hiſpaniæ* martyrium ſubiuit, Anno Domini LX. & poſt eum Sedem *Barcinonenſem* tenuere *Theodoſius*, & *Victor* licet breui tempore. Hinc credendum eſt, *Claudium*, ſub cuius perſecutione agonizauit AETIVS, fuiſſe *Neronem*, qui etiam hoc cognomine appellabatur, vt ex *Suetonio*, & *Panuino* probat Baronius *d. Tom.* 1. *Ann.* 57. *fol.* 445. Quâ emendatione facilis eſt probatio noſtræ ſententiæ. De *Etherio* I. Epiſcopo *Barcinonenſi* paſſo ad Annum Chriſti LX. diximus ſupra *Tom.* 2. *Die IV. Mart. fol.* 72.

S. OROSIVS *Presbyter Hiſpanus* ] Quamuis dies tranſitus huius ſanctiſſimi B. Presbyteri penitus ignoretur, & ex profeſſo nondum eius Nomen in *Martyrologiis* repoſitum inueniamus, placuit hoc die, eius elogium adnectere, quia hodie *Beda*, *Vſuardus*, *Ado*, & *Baronius* in ſuis, & *Romano Martyrologio* agunt de *S. Euſebio* Presbytero, cuius corpus cum *Gregorio*, etiam Presbytero Noſter ſepeliuit OROSIVS. *Qui de S. Oroſio ſcripſerint.* Verba Romani hæc ſunt: ROMÆ *natalis* S. EVSEBII, *Presbyteri, qui à Conſtantio Imperatore Ariano, ob Catholicæ fidei defenſionem in quodam cubiculo domus ſuæ incluſus, ibique Menſes ſeptem in Oratione conſtanter perſeuerans, dormitionem*

accepit:

accepit: Cuius Corpus Gregorius, & Orosivs Presbyteri colligentes, in cœmeterio Calliſti, viâ Appiâ ſepelierunt. Et pro Noſtri Presbyteri ſanctitudine idem Baronius in Not. lit. B. hocce monumentum ſcriptum reliquit: Aſſeruantur illic (Romæ) veneranda Corpora SS. Euſebij, Orosii, atque Paulini, multæque aliorum Martyrum Reliquiæ, vt eiuſdem Eccleſiæ vetera monimenta declarant. Agunt quoque de eo Flau. Dext. in Chron. Ann. 352. vbi Biuar. n. 2. fol. 382. & Roder. Caro ibidem lit. R. fol. 124. & Ann. 366. vbi Biuar. n. 2. fol. 391. Eius Acta nullus concinnauit, quia cùm ita obſcura remanſerint, quid verum, ab apocrypho, ſeparandum ſit, haut in Scriptoribus inuenitur. Ea Nos ſic coagulare decreuimus.

## ACTA S. PAVLI OROSII Presbyteri Confeſſoris Hiſpani, ex Dextro, Baronio, & aliis Scriptoribus.

*Origo.*

Pavlvs Orosivs natione Hiſpanus, ex vrbe Tarracone, vt creditur, oriundus, ab incunabulis in Chriſti fide Catholica nutritus, primos in addiſcendis literarum ſacrarum rudimentis ætatis florentis annos conſumpſit. Poſt hæc virilitatem ingreſſus, nobilem & catholicam fœminam, duxit vxorem, è qua filium Paulum etiam Oroſium vocitatum ſuſcepit, qui ſequētibus temporibus cùm apud Carthaginem occubuiſſet, Romam delatus eſt. In matrimonio igitur cùm aliquot annorum in pace vixiſſet, vxor pientiſſima diem vitæ clauſit extremum: cuius rei fortunam deplorans, & ne in poſterum ſimile quid accidere contingeret, vlterius matrimonium contrahere recuſauit. Quod vt opportunius exequeretur, relictis patria, & cognatis Romam proficiſcitur, vbi cognitâ tanti Viri prudentiâ, & doctrinâ, per omnes Eccleſiaſticæ hierarchiæ gradus aſcendens, ad ſacrum Presbyteratus apicem præuiis fuit virtutibus ſublimatus. In huius igitur ſtatus munere S. Presbyter ſic vitam texuit, vt eius virtus omnium animos ad ſe conuerteret, & plurimi eius doctrinæ ſublimitate commoti ad eum ediſcendi causâ confluerent. Romani Imperij clauum Conſtantius hæreſi Ariana fœdatus tenebat, qui aduerſus Catholicos arma commouens, omnium vitas inſidiabatur immanis. Euſebium itaque ſanctum Presbyterum, & Noſtri Orosii collegam, ob fidei Catholicæ defenſionem apprehendens, & illum per ſeptem menſes in cubiculum includens, vitâ priuauit. Eius Corpus cùm Gregorius Presbyter & Orosivs collegiſſent, & ſepulturæ mandaſſent, tantus aduerſus eos Ariani Principis furor excanduit, vt vbique per ſatellites quæritaret Presbyteros, vt illos per cruciatuum anguſtias crudeliter trucidaret. Capto igitur Gregorio, eum in crypta viæ Appiæ viuum ſepelire fecit, qui poſt dies tres in pace quieuit. Orosivs, qui ex Tribus ſuperſtes manſit, manus carnificum effugiens, tandiu latitauit, donec lupus ille rapax, vt Conſtantium vocitat Hilarius, è vita diſceſſit. Poſtmodum Romæ ſiſtens, virtutibus plenus, & perſecutionum pondere diuexatus, tandem obdormiuit in Domino Anno CCC. LXVI. Cuius Corpvs poſt aliquot ſecula cum exuuiis SS. Euſebij, & Gregorij Compresbyterorum coniunctum, in ipſius S. Euſebij Titulari Baſilica ſepultum, ibidem honorificè cuſtoditur.

*Vxorem duxit, ex qua filium ſuſcepit.* — *Romam conceſſit.* — *Presbyter fit.* — *Sepeliuit corpus S. Euſebij.* — *Moritur.* — *Sepelitur.*

*Quot Oroſij?*

Hæc de Orosio Seniore elicere ex Scriptoribus valuimus tàm noſtris, quàm exteris, apud quos Qvatvor huius cognominis Viros, & omnes Hiſpanos deprehendo. Primvs fuit iſte S. Presbyter: de quo, poſt ſuperius dicta, audi Dextrum in Chron. Ann. 352. dicentem: S. Orosivs, Oroſij Tarraconenſis patruus, Romæ floret; & Ann. 366. dùm de eius morte loquitur, ſic: S. Pavlvs Orosivs ſenior reſedit Romæ. Ex cuius verbis duo probantur, ſcilicet prænomen Viri, & Annus tranſitus. Secvndvs fuit Paulus Oroſius iſtius filius, apud Carthaginem mortuus, de quo Flau. Dext. d. Ann. 366. agens de Paulo Oroſio Seniore: Eius ex vxore filius Paulus Oroſius Carthagine mortuus, Romam delatus eſt. E quo textu etiam probantur matrimonium Senioris, perceptio filij, & mortis

*I. Oroſius quis?* — *II. Qualis?*



eius, Romamque delatio. Tertivs fuit Paulus Oroſius Nobilis Scriptor, de quo Flau. Dext. Ann. 370. hac ſerie: Sub Patiano Barcinonenſi Epiſcopo naſcitur Paulus Oroſius iunior, Tarraconenſis ciuis, Diſcipulus S. Auguſtini. Et Ann. 400. vbi eius legationem ad Epiſcopos Africanos recenſet. Et Ann. 417. vbi hæc: Paulus Oroſius, Fl. Lucij Oroſij filius, conſanguineuſque Paciani Patris mei, ciuiſque Tarraconenſis, mirificè auſpicatur Hormeſtam, id eſt Mundi Chronicon, quem ſuſcepit ſcribendum, hortatu, literiſque S. Auguſtini Epiſcopi. De quo etiam plura Gennadius de Scriptor. Eccleſ. c. 39. vbi Aubert. Myreus in Not. fol. 53. Tom. 1. & alibi paſſim. Qvartvs fuit Orosivs Monachus, de quo S. Marcus Maximus in Chron. Ann. 602. apud Roder. Car. fol. 214. lit. D. & Ann. 600. apud Biuar. n. 5. fol. 705. vbi hæc leguntur: Orosivs Monachus Benedictinus, ex progenie ſororis S. Orosii Presbyteri Tarraconenſis procedens, floret in Celtiberia, ad quem S. Gregorius Papa literas dat. Alium etiam Philippus Ferrar. in General. Catalog. SS. Die XIV. Maij fol. 197. Monachum Ægyptium vocat Orosivm, S. Pachomij Diſcipulum; ſed fallitur, nam iſte non Orosivs, ſed Oresiesis dicitur, vt videre eſt apud Gennad. de Scriptor. Eccleſ. cap 9. vbi Myreus in Biblioth. Eccleſ. fol. 45. num. 9. Hæc dicta ſufficiant, quibus omnia in Actis recenſita probata relinquimus.

*III. Scriptor.* — *IV. Monachus.* — *Lapſus Ferrarij.*

C.

S. Marcellvs Epiſcopus Apamenſis Martyr.] In Græcorum Menologio h. d. agitur de S. Marcello Apameæ Epiſcopo in Syria Martyre, quòd Delubrum Iouis, diuino fultus præſidio ſolo æquaret. Cui conuenit Martyrologium Romanum his verbis: Apameæ in Syria S. Marcelli Epiſcopi, & Martyris, qui cùm Iouis Delubrum diruiſſet, à furentibus Gentilibus occiſus eſt. Eadem ſcribunt Sozomenus Hiſtor. Eccleſ. lib. 7. c. 15. Theodor. lib. 5. c. 21. Nicephor. lib. 12. c. 25. & 26. Cardinal. Baron. Annal. Eccleſ. Tom 4. Ann. 389. n. 106. At contra hos omnes inſurgit P. Biuar. in Comment. ad Dextr. Chron. Ann. 382 num. 9. fol. 399. vbi cùm Flauius Dexter dixiſſet: Per idem tempus floret in Hiſpania Marcellvs, Telenſis Epiſcopus: proſequitur: Hunc illum reor S. Marcellvm, qui à Græcis in Menologio, die XIV. Auguſti, Apameenſis Epiſcopus vocatur, factione quorundam Gentilium occiſus, Anno XI. Theodoſij Imperatoris, quòd Delubrum Iouis Apameæ, diuino fultus præſidio demolitus fuerit. Quod autem in Syria paſſus ibi legatur, errore factum videtur alicuius amanuenſis, qui Apameam audiens, explicationis gratiâ Syriæ adiecit; quaſi eius nominis aliæ in Orbe vrbes non eſſent. Vidimus quidem in ſuperioribus Palentiam Vacceorum, vrbem Apameam, ſeu Pameam olim dictam, cuius Epiſcopatus non alius, quàm Telenſis eſt: nam Telenſis Sedes, teſte M. Maximo in Chron. Ann. 480. tranſlata fuit in vrbem Palentiam: quare quòd S. Marcellvs dicatur Telenſis, ſiue Apameenſis Epiſcopus idem recidit. Quadrat enim martyrij tempus, nam paſſus dicitur XI. Anno Theodoſij, cuius iuſſu Delubra omnia Gentilium, quæ adhuc ſupererant, toto Orbe, præſertim in Hiſpania, patriâ ſuâ demoliri fecit. Romanum Martyrologium Græcorum codices ſecutum fuit, vnde ab eo quoque verbum Syrię auferendum. Hactenus doctiſſimus Biuarius, ſed proculdubio in hac Notatione dormitauit. Quis in Dextro leget, Marcellvm Telenſem Epiſcopum, Gentilium delubra diruiſſe? Quis in eius periodo Hiſpanum Antiſtitem à Gentilibus martyrio coronatum? Nec verbum in Dextro de martyrio, nec de Delubri Iouis deſolatione: ergo Biuarius oſcitanter tribuit Marcello Telenſi Epiſcopo Hiſpano, quod euenerat Apameenſi in Syria. Nec correctio quam in Menologio, & Martyrologio Romano introducit, ſequenda eſt, quia ſi hæc admitteretur, omnium Scriptorum codices emendare opus eſſet. Audi Hermiam Sozomenum d. lib. 7. c. 15. vbi loquens de vindicta, quæ à Gentilibus pro Templorum ſuorum euerſione machinata fuerat, poſtquam de Arabibus, Palæſtinis, & Phænicibus verba feciſſet, proſequitur: In Syria potiſſimùm vindices Templi Apameæ, quæ colitur ad Axium fluuium: Quos quidem ego intellexi ad protectionem Templorum ſuorum frequenter auxiliis vſos hominum Galilæorum, & collectorum ex pagis Libano vicinis, ac demum ad tantam prorupiſſe audaciam, vt etiam Marcellvm, qui eius Prouinciæ Epiſcopus erat, interficerent. Ecce locus euentus in Syria, ecce Apamea iuxta fluuium Axium, ecce auxiliares Apameorum ex Galilæis, & accolis Libano vicinis; ſed

*An Marcellus Martyr in Syria?* — *An in Hiſpania?* — *Oſcitantia Biuarij.* — *Refellitur eius Opinionis figmentum.*

ſed quæ horum omnium connexio, cum *Apamea* in *Vacceis*. Quo loci iſti Galilæi, & Libani accolæ in *Hiſpania*? Quod flumen nomine Axium iuxta *Palentiam*. Si ergo nihil de hiſce qualitatibus apud Noſtrates, vt quid *Biuarius* contra tot Scriptorum vetuſtiſſimorum placitum, hocce commentum effingere ſatagit? Et eô maxime, cùm in *Dextro* nihil veſtigij de conſonantia Noſtri MARCELLI cum Syro reliquerit. Sanctiſſimi ergo Antiſtitis MARCELLI in Syria paſſi, ACTA deſcripſit Theodoretus Cyrenſis *Hiſtor. Eccleſ. lib. 5. c. 21.* vbi ſi adiiſſet *Biuarius* in ſimilem haut incideret errorem.

*Marcellus Epiſcopus Telenſis in Hiſpania.*

QVOD Nos hic, ad hæc diſcutienda prolixius impulit, illud fuit, ne ab aliquo ſciolo ſententia *Biuarij* oculis amplecteretur obtuſis, & contra mentem *Dextri* fœdum hoc extenderetur commentum. Illud proculdubio aſſerentes, quòd circa Annum CCC. LXXXII. florebat opinio ſanctitatis in Hiſpania MARCELLI Epiſcopi *Telenſis*. Quæ vrbs erat olim prope *Palentiam* vt ipſe *Dexter* fatetur *d. Ann. 382. num. 9.* ſic: *Per idem tempus floret in Hiſpania* MARCELLVS *Telenſis Epiſcopus. Eſt autem Tela vrbs Vacceorum prope* Palentiam. ita etiam conſentiunt Scriptores Hiſpaniæ Maxim. in *Chron. Ann.* 480. D. Franciſc. Sandoual. *Hiſtor. S. Antonin. §. 4. fol. 26. & 27.*

*Tela quæ vrbs?*

D. *Martyrologia.*

S. CRESCENTIVS *Puer. Martyr Romanus.*] Quamuis huius ſanctiſſimi pugilis Dies agonis conſignetur in *Romano Martyrologio* XVIII. Kalend. Octobris, attamen in Monaſterio Montis Cœlij in *Carpetania*, vbi eius ſacra pignora cuſtodiuntur, eius Dies feſtus agitur XIV. *Auguſti*, propter occurrentiam *Exaltationis S. Crucis.* De eo igitur in dicto *Martyrologio* ſic habetur: *Romæ* S. CRESCENTII *pueri, filij* S. Euthymij, *qui in perſecutione Diocletiani, ſub Turpilio Iudice, viâ Salariâ, gladio percuſſus occubuit.* Eius Acta ita deſcribit Philippus Ferrarius in *Cathalog. SS. Ital. Die XIV. Septembr. fol. 592.*

## *ACTA S. CRESCENTII PVERI, Martyris Romani ex Philippo Ferrario, & aliis Scriptoribus.*

*Parentes, & Origo.*

CRESCENTIVS *S. Euthymij ciuis Romani filius, adhuc puer à Patre in Chriſtiana religione educatus, in immani Diocletiani perſecutione cum parentibus Peruſiam fugit, vbi Patre defuncto, apud Turcium Proconſulem delatus, & in carcere incluſus, de ſententia colendi Chriſti veri Dei, nunquam dimoueri potuit.* *Romam defertur.* *Quare vinctus Romam ad Imperatorem miſſus, in via militibus Chriſtum prædicabat, & in vrbis ingreſſu Mulieri cæcæ lumen oratione reſtituit.* *Cæcam illuminat.* *Turpilio enim Iudici traditus, & ad ipſum perductus, cùm nec Deos credere, nec colere velle conſtantiſſimè diceret, capitalem excipere ſententiam iuſſus eſt.* *Coronatur.* *Ductus itaque extra Portam Salariam capite plexus eſt,* XIV. Septembris, *Anno Domini* CCC. III. *Cuius* Corpus *multis poſt annis repertum, illius partem ad* Senenſem *vrbem delatam, & partem ad* *Tranſlatio Corporis.* *Monaſterij Baſilicam Fratrum Minorum* Montis Cœlij *in* Carpetania, *tranſuectam, honorifice conditam, huc vſque cuſtodit deuotio.*

*De Tranſlatione ad Hiſpaniã.*

Quatenus ad partem Corporis *Hiſpaniam* tranſlatam, & in Monaſterio *Montis Cœlij* adſeruatam, & cultam Illuſtriſſimus D. Petrus Gonzalez de Mendoza olim Archiepiſcopus Granatenſis fidem facit in *Hiſtor. Salicenſ. lib. 4. c. 10. fol.* 829. vbi authenticum Diploma. De alia parte apud *Senenſes* videndus Ferrar. *vbi ſupra. fol. 592.*





# DECIMO OCTAVO Kalend. Septembris.

## DIES XV.

A. *Aſſumptio Sanctiſſimæ Dei-Genitris Virginis* MARIÆ, *D. N. Cuius feſtiuitas apud* Hiſpanos *ſolemniſſima veneratione recolitur, & viſcerali pietate veneratur, ita vt ferè huius Catholicæ Prouinciæ Baſilicæ Cathedrales præcipuæ, huiuſmodi inueniantur conſecratæ myſterio.*

B. TOLETI *in Carpetania Hiſpaniæ* B. AVDENTII *ipſius vrbis Epiſcopi, qui literis, & ſanctitate inſignis, illis hæreticos compeſcuit, iſta populos informauit, adeo vt acerrimus fidei vindex, & ouium Paſtoriâ virgula vigil, nec illos abſque pœna demiſit, nec iſtas ſine profectione coaluit, donec miraculis clarus in Domino quieuit.*

C. LEGIONE *in Hiſpania* S. PELAGII *ipſius vrbis Epiſcopi, qui è* Gallæcia *oriundus, & apud Apoſtolicam nutritus Eccleſiam, Diaconi munus exercuit ibidem, donec ad* Legionenſem *aſſumptus, purgatâ Baſilicâ, aris erectis, & in formam Cathedralis miniſtris conſtitutis, bonorum operum plenus, & dierum, migrauit ad Dominum Confeſſor illuſtris.*

---

# NOTÆ.

ASSVMPTIO *Sanctiſſimæ Virginis* MARIÆ *Dei-Genitricis.*] Variè apud Martyrologos hæc feſtiuitas vocitatur. In Romano vetuſto *Roſuueidi*, & *Vſuardi*, nec non *Adonis*, & in *Menologio*, atque *Kalendario* Græcorum, DORMITIO *Sanctiſſimæ Dei-Genitricis* MARIÆ, compellatur. In *Kalendario Syriaco*, & in eius Breuiario: QVIES *Genitricis Dei* MARIÆ præſcribitur. In *Romano Baronij, Galleſini, Peregrini, Felicis, Maurolyci*, & aliorum recentiorum, ASSVMPTIO *Sanctiſſimæ Dei-Genitricis Virginis* MARIÆ, appellatur. Sed proculdubio hæc vltima ſententia verior eſt, quia ſub ASSVMPTIONIS vocabulo, eius tranſmigratio in corpore, & anima ſignificatur: & ideo Baronius in *Annal. Eccleſ. Tom. 1.*

A. *Varia nomina huic feſtiuitati adtributa.*

*Vſuardi, & Adonis lapſus.*

*Ann.* 48. reprehendit *Vſuardum*, & *Adonem*, quòd hanc feſtiuitatem DORMITIONEM appellauerint, & de ASSVMPTIONE in cœlum cum corpore dubitauerint, vt refert Georgius Coluenerius in *Kalendar. Marian. Tom.* 2. *Die XV. Auguſt. fol.* 101. Igitur de hac ſolemnitate ſcripſere ex Græcis Patribus S. Athanaſius *In Serm. de Sanctiſſ. Deipar.* Iuuenalis Ieroſolymor. Epiſcop. Andreas Cretenſis *Oration. II.* Epiphanius Presbyter Conſtantinopolit. Ioannes Damaſcenus *Orat. II.* Leo Imperator *Orat. I.* Nicephorus Calliſtus, Metaphraſtes, Nazianzenus & alij plurimi inferius citandi. Ex Latinis Iſidorus Hiſpalenſis, Ildephonſus Toletanus, Petrus Damianus, Fulbertus Carnotenſis, Honorius Auguſtodunenſis, Guarricus Igniacenſis, Bernardus Clareuallenſis, Abſolon., & Authpertus Abbates Caſſinenſes, Pandulphus Capuanus, Gregorius Tarracinenſis, & Bruno Siguinus, & propè innumeri, quos inferius referemus.

*Scriptores Græci.*

*Latini.*

SED vt huius FESTI memoriam ab exordio repetamus, & ipſius celebritatis myſteria elucidemus, aliquas *Quæſtiones* indagare propoſuimus, vt in poſterum facilius inueniatur ſolutio, & nullus dubitationi detur locus. Sit PRIMA, *An* MARIA *mortem obierit?* Catholica Eccleſia nunquam de obitu Virginis Matris dubitationem admiſit: ſed quam nouit humanæ naturæ eſſe conſortem, multis tamen prærogatiuis donatam, humanam pariter moriendi neceſſitatem expertam affirmat. Cui aſſertioni, etiam ratio fauet, vt tanquam membrum capiti ſuo Chriſto conformaretur, & mortem patienter accipiendo mereretur: tùm ne alioquin Matris potior, quàm Filij conditio videretur. Ita Baron. *d. Ann.* 48. Petrus Caniſius de B. Virgin. *lib.* 5. *c.* 2. Petrus à Gogni in *Vit. Deipar. c.* 31. Coluener. ſupr. *fol.* 102. *n* 3. Hinc veniunt reſpuendi hæretici *Collyridiani*, qui B. Virginem fuiſſe diuinæ naturæ, atque ita mortis prorſus expertem, dogmatizarunt, pro vt illos damnat Epiphanius *de Hereſib. hæreſ.* 79.

*An Virgo mortem obiit?*

*Collyridiani hæretici reſpuuntur.*

SECVNDA ſit, *Quo modo obierit?* Cui reſpondet concors Patrum, & totius Eccleſiæ ſententia, eam non martyrio, aut violentâ morte, vitæ penſum abſoluiſſe, Sed placido dormitionis exceſſu. Ita ex antiquis Georg. Cedrenus in *Comp. Hiſtor.* Simeon Metaphraſt. in *Orat. de Vit. & Dormit. Mar. c.* 39. Nicephor. *Hiſtor. Eccleſ. lib.* 2 *c.* 21. Albert. Magnus in *Marial. c.* 169. *&* 170. Bernardinus de Buſto in *Marial p* 11. *Serm* 1. *de Aſſumpt.* Clicthoueus *Serm.* 5 Pelbartus in *Stellar. lib.* 10. *p.* 1. *art* 1. *& p.* 5 *art.* 1 *c.* 2. Georg. Coluener. *d.* 2. *p. Die XIII. Auguſt. num* 2 *fol.* 94. & *h d. n.* 5 *fol.* 103. Qui illorum opinionem reprobat, credentium ex *Simeonis* oraculo, ad Virginem dicentis *Luc c.* 2. Tuam *ipſius animam pertranſibit gladius*, Virginem per martyrium hanc vitam finiuiſſe, vt ex Iſidoro Noſtr. de *Vit & Obit. Patr. c.* 68. pateſcit. Nam contrarium tenent Ambroſius, Beda, Damaſcenus, Euthymius, Ildephonſus, Bernardus, Paulinus, Auguſtinus, & Petrus Damianus, relati ab ipſo Coluener. *n.* 4. *fol.* 102.

*Quo modo obiit?*

*Reiicitur opinatio aliquorum, eam per martyrium ſublatam, dicentium, An cũ dolore obierit?*

TERTIA ſit, *An cum dolore mortem guſtauerit?* Et quòd maximâ lætitiâ ex hac vita receſſerit Virgo ſanctiſſima, probat Damaſcenus *Orat.* 2 *de Dormit. Virg.* dicens: *Vt enim antequam vllo partus dolore afficeretur, peperit: ita etiam ipſius è vitâ diſceſſus doloribus caruit.* Sequitur Metaphraſtes *d. Orat. c.* 39. Nicephorus *d. cap.* 21. Hugo Victorinus *Erudition. Theolog. Miſcell lib* 3. *c.* 125. Albertus Magnus in *Marial. c.* 171 Pelbartus *d. lib.* 10. 1. *p art.* 2. Petrus Creſpecius in *Triumph Marian. Die XXVIII. n.* 5. Spinellus de *Mar. Deipar. c* 9 *n* 18. Coluener. *d fol.* 103. *num.* 6. Ioannes Eckius de *Aſſumpt. Domin. homil.* 4. Clicthoueus de *Aſſumpt. Virg. cap.* 16. Qui pictorum incuriam notant, quâ Virginem decumbentem in lecto habitu, & facie ægrotantis effingunt: cui ſententiæ accedit etiam Ioannes Molanus de *Pictur ſacrar. Imagin. lib* 3. *c* 32. Qui nec eius ſanctum virginale corpus corruptionem ſenſiſſe, affirmant.

QVARTA ſit, *Quo ſuæ ætatis, & Dominicæ Natiuitatis Anno, ex hoc mundo migrauerit?* In huius abſolutione Quæſiti, magna inter Patres, & Scriptores Eccleſiaſticos diſceptatio eſt. Quorum, vt clarius, & facilius procedamus, ſummatim ſuo ordine ſententias ſubiiciemus. Igitur *Septem* legimus opiniones, quarum PRIMA aſſerit, Virginem haut diu poſt Aſcenſionem Domini in mundo remanſiſſe. Iſtam protulit S. Ildefonſus Noſter *Serm.* 6. *de Aſſumpt.* his verbis:

*Quo eius ætatis, & Dominicæ Natiuitatis Anno, obierit?*

*I. Opinio.*

*Nec*



*Nec diù hæc ſanctiſſima Virgo poſt Domini Aſcenſionem in terris potuit remanere; quam deſiderabant Angeli, cælum etiam ipſum de eius aſcenſione querebatur.* Sequitur Petrus de Natalibus in *Catalog. SS. lib.* 7. *c.* 65. Vincentius Bellouacenſ. in *Specul. Hiſtor. lib.* 8. *c.* 80. Maſſeus in *Chron. lib* 8. *Ann.* 36. SECVNDA contendit, Virginem aſſumptam, *Anno ſecundo* poſt Chriſti Aſcenſum. Hanc ſecuti ſunt Michaël Beutherus in *Chronic. Ann.* 35. & Martinus Polonus in *Chron. Ann.* 34. *fol.* 114. TERTIA affirmat, Virginem poſt Chriſti mortem, *Nouem annis* vixiſſe, atque ita Anno à Chriſto nato XLII. ætatis ſuæ LVII. Iſtam tuetur Epiphanius apud Franciſcum Turrianum de *Conſtitut. Apoſtol. lib.* 2. *c* 16. & Coluenerium *ſupr. fol.* 106. *n.* 10. QVARTA aſſerit, Virginem *vndecim annos* poſt Chriſti paſſionem vixiſſe. Ita *Euodius* apud Nicephorum *Hiſtor. Eccleſ lib.* 2. *cap.* 3. hac ſerie: *Si quidem* (B. Virgo) *trimula cum eſſet, in Templum eſt præſentata, & ibi in Sanctis Sanctorum traduxit annos* Vndecim. *Deinde verò Sacerdotum manibus Ioſepho ad cuſtodiam eſt tradita: apud quem cùm Menſes peregiſſet Quatuor, ab Angelo Gabriele lætum illum accepit nuntium Peperit autem mundi ipſius lucem Annum agens* XV. *Decembris die* XXV. *Deinde annos peregit.* XXXIII *quos etiam æternum, & anteſeculare Verbum, & Filius eius in terris exegit. Poſt Crucis autem ſupplicium illud, in domo Ioannis annos impleuit* XI. *vt ætatis eius Anni ſimul collecti ſint* LIX. Hanc ſequuntur ſententiam Hippolytus Thebanus, & Iacob. Beutherus in *Synopſ Hiſtor.* QVINTA fatetur, Virginem *Duodecim* annis Chriſto ſuperuixiſſe, & Sexagenariam obiiſſe. Hanc vt communiſſimam refert S. Antoninus *Hiſtor* 1 *p. tit.* 6. *tit.* 6. *c.* 3. §. 1. Ioannes Naucle. in *Chronograp. ſecul.* 1. Reuſnerus in *Diar. Eccleſ. Die XV. Auguſt. fol.* 124. Ioannes Driedo *de Dogmat. Sacrar. Script. lib.* 3. *c.* 4 Durandus de *Diuin. Offic. lib.* 7. *c.* 24. Mattheus Vveſtmonaſterienſis *in Flor. Hiſtor. Ann.* 45. Vvernerus Roleuinkc in *Faſcicul. Tempor. Ann.* 45. ex Nicephor. *Hiſt. Eccleſ. lib* 2. *c.* 21. SEXTA credit, B. Virginem obiiſſe, Anno ſalutis XLVII. hoc eſt ætatis ſuæ LXII. & poſt paſſionem Domini XLV. Hanc defendit Arethas Cæſareæ Cappadociæ Epiſcopus in *Comment. ad Apocalypſ. c.* 19. Andricomius in *Deſcript. Ieruſalem Vrbis num.* 10. Antonius Sabellicus *Enead.* 7. *lib.* 2 & Polydor. Virgilius de *Inuentorib. Rer. lib.* 4. *c.* 2. SEPTIMA dicit, B. Virginem, aſſumptam fuiſſe, anno XV. poſt Dominicam paſſionem, hoc eſt, LXIII. ætatis ſuæ Anno, Chriſti ex Natiuitate numerato XLVIII. Quam ex Euſebio in *Chron. Ann.* 48. & Andricomio etiam in *Chron. d. Ann.* 48. tenet Franciſcus Turrianus *vbi ſupr. d. lib.* 2. *Conſt. Apoſtol. c.* 16. Gonſaluus Durantus in *Not. ad Reuelat. S. Birgit. lib.* 6. *c.* 61. *& lib.* 7. *cap.* 26. Dionyſius Rickel de *Laudib. V. M. lib* 4. *art.* 6. Marianus Scothus in *Chron. Ætat.* 5. *in fin.* Iacobus de Voragine in *Legend. SS. h. d. fol.* 126. Bernardinus de Buſto in *Marial. p.* 12. *de Coronat. Mar. ſerm* 1. Iacobus Philippus Bergom. in *Supplement. Chron. lib.* 7. & in *Vit. de Clar. & Scelerat. Mulier. c.* 1. *fol XI.* Azorius *Inſtitut. Moral. Tom.* 2. *lib.* 1. *c.* 2. *q.* 5. Henricus Enrriq. *in Summ. lib. fin. c.* 10 *n* 9. OCTAVA, & ſequenda aſſerit, B. V. Matrem poſt Filij mortem ſuperuixiſſe XXIV. annis, ita vt ab humanitatis vinculo abſolueretur, Anno à Chriſto nato LVII. & ætatis Deiparæ LXXII. quam ex *Neothericis* probant Petrus Simon Iprenſis Epiſcopus in *Tract. de Aſſumpt.* Petrus à Gogni in *Vit. B. M. c.* 27. Petr. Caniſius de *B V. lib.* 5. *c.* 3. Chriſtophorus à Caſtro *in Hiſtor. Deipar. c.* 20. *n.* 19. P. Franciſcus Suarez *in* 3. *p. S. Thom. Tom.* 2. *Diſp.* 21. *Sect.* 1. Ioannes Bonifacius *Hiſtor. Virginal. lib.* 1 *cap.* 19. Antonius Belinghen. in *Itinerar. Reliquiar B. M. Sect.* 6 *c.* 4. Iacobus Caniſius in *Sacr. Meditat.* 3 *p.* §. 19. Sandæus in *Mar. Patron. Orat.* 5. Spinellus in *Mar. Deipar. c.* 6. *n.* 9. & alij plurimi à Coluener *fol.* 111. *n.* 16. citati.

*II. Opinio.*

*III. Opinio.*

*IV. Opinio.*

*V. Opinio.*

*VI. Opinio.*

*VII. Opinio.*

*VIII. Opinio.*

QVINTA Quæſtio: *An* Apoſtoli *morti* MARIÆ *Virginis, & ſepulturæ interfuerint?* Eoſque interfuiſſe, & ipſius corpus exanime ſepulturæ mandaſſe, affirmant, quotquot de hac feſtiuitate ſcripſere. Iuuenalis Ieroſolymitanus in *Hiſtor. Euthymic. lib.* 3. *c.* 40. relatus à Damaſceno de *Aſſumpt. Orat.* 2. cuius hæc ſunt verba: *In ſancta quidem & diuinitus inſpirata Scriptura de deſceſſu S. Deiparæ* MARIÆ *nihil traditur: ex antiqua autem, & veriſſima accepimus traditione, quòd tempore eius glorioſæ dormitionis, vniuerſi quidem S. Apoſtoli, qui orbem terræ ad ſalutem gentium obibant, momento temporis in ſublime ſublati, conuenerunt Ieroſolymis.* Sequitur Nicephorus

*An Apoſtoli morti B. V. interfuerint?*

 *Hiſtor.*

*Hiſtor. Eccleſ. lib.*15.*c.*14. Pelbartus *lib.* 10. *p.*5. *art.*1. *c.*2. Gregorius Turonenſ. de *Glor. Martyr. lib.*1. *c.*4. Ildephonſus Toletanus de *Aſſumpt. Serm.* 7. Antonius in *Summ. Hiſtor.* 3.*p.tit.*19.*c.*11. Baptiſta Mantuanus in *Parthenic.Marian. lib.*3.*fol.*114. ſic :

*Nec dùm finierat, cùm iam* Duodena *per auras*
*Læta* cohors *aderat, Cilicum reuocatus ab oris*
*Hic erat, à Græcis alius, trans Pelion, atque*
*Thethyos Euboiæ fluctus, Minoiaque arua,*
*Et mare Carpathium: ſitientibus alter ab Indis:*
*Alter ab Æthiopum ſiccis tranſlatus arenis,*
*Tranſque domos Arabum: Rubri trans littora Ponti:*
*Ille per Europæ populos à Gente Latinâ*
*Tranſierat, veniens, Siculos, Pelopiſque penates,*
*Phœbeamque Rhodon, ſparſaſque per æquora terras.*

*Iacobus Hiſpaniarum Apoſtolus etiam in ſpiritu interfuit.*

Sed aliquis dubitabit: Quo modo omnes Apoſtoli conuenire ad Virginis dormitionem, & ſepulturam potuere, Si B. IACOBVS *Hiſpaniarum Apoſtolus*, & Zebedæi filius, iamiam ab hoc ſeculo fuerat per martyrium ſublatus? Sed facilis eſt reſponſio, ſcilicet, quòd cæteri Apoſtoli corporaliter, IACOBVS autem ſpirituali aſſiſtentiâ, conuenere. Nam cùm B. V. MARIA morti proxima omnes Apoſtolos circumſtantes videre cuperet, ſic Filium adloquitur: *Fili mi chariſſime* IESV, *cuperem vt adeſſent Diſcipuli tui omnes, qui ſuperſunt, & etiam* ANIMA *fratris mei* IACOBI, *nuper decollati ab Herode, vt videatur ab Apoſtolis, præſertim à* IOANNE *fratre ſuo.* Quod & à Filio obtinuit, vt ipſa aliis Apoſtolis teſtata eſt, dicens: *Ecce inter vos* ANIMA *fratris mei* IACOBI Zebedei: quæ nihil locuta eſt, quia aliud eſt commercium illius, & aliud iſtud. Sic Amedæus in ſua *Apocalypſ. rapt.* 8. à quo Hippolytus Marraz. *de Apoſtol. Marian.c.*5.*fol.*150. & Nos ſupr. *Tom.*2. *Die XXV. Mart. fol.*401.

*An in corpore & anima aſſumpta fuerit?*

*I. Opinio.*

*II. Opinio ſequenda.*

SEXTA, ſit, *An in Corpore aſſumpta Virgo, an in anima ſolùm fuiſſet?* Cui Quæſtioni licèt plurimi olim dubitanter fuerint locuti Scriptores, ſequentes ſententiam cuiuſdam *Epiſtolæ*, ſeu *Sermonis*, qui *S. Ieronymi* titulo ad *Paulam*, & *Euſtochium* de *Aſſumptione* circunfertur, & apud Auguſtinum *Serm* 35. *de Sanct.* Attamen aliorum opinio contendit ipſam corpore, & anima in cœlum fuiſſe tranſlatam. Ex antiquioribus *S. Athanaſius*, ſeu vt aliis placet, Cyrillus Alexandrinus *Sermon. de Aſſump.* Iuuenalis Ieroſolymitanus apud Nicephor. *lib.*2.*c.*23. Glycas in *Annal.* 3.*p.* Andreas Cretenſis de *Dormit. Mar. Orat.*1. *c.*8. *& Orat.*2. *c.*5. Damaſcenus de *Dormit. Deip. Orat.*1. *&* 2. Metaphraſt. de *Vit. & Dormit. Virg. Mar. c.* 44. hanc partem defendunt. Ex Latinis etiam S. Aug. de *Aſſumpt. ſerm.* 34. *Tom* 9. Hugo de S. Victor. in *Erudition. Theolog. ex Miſcellan. lib.*3.*c.* 125. Albertus Magnus *in* 4. *Sent. diſt.*13. *q.*2. & in Marial. *c.*172. *&* 173. S. Bonauentur. in *Specul. Virgin. lect.* 2. *&* 12. Pelbart. *lib.* 10. *p.* 1. *art.* 3. Stephanus Brulefer *de B. V. ſerm.* 1. Iudocus Coccius *ie Theſaur. Cathol. Tom.*1. *lib.*3. *art.*3. contra *Lutherum*, & *Riuium*, dubitantes aut negantes Beatá Deiparam in corpore, & anima in cœlum aſſumptam, qui contrarium diffuſe probat, ex Patribus Græcis, Latinis, & Doctoribus Scholaſticis.

*Alias temerarium erit*

Melchior Cano de *Loc. Thelog. lib.*12. *c.* 10. qui contrariam eſſe aſſertionem temerariam aſſeuerat. Petrus Caniſius de *B. Virg. lib.*5. *c.* 15. Cæſar Baron. in *Not. ad Martyrolog. Roman. h. d. lit. A* & *Tom.* 1. *An.* 48. Baptiſta Mantua. in *Parth. Marian. d. lib.*3. qui huius ſententiæ deſcribens carmine heroico euentum, ita de Corporis, & Animæ Aſſumptione proſequitur:

*Terga ferè Titan Nemeæ extrema tenebat,*
*Fulgentem cratera inter, claramque coronam:*





*Verum illud Nati imperio pòſt tempore paruo*
*Ablutum Iordanis aquis, terræque reſecto*
*Pondere, & ardenti veſtitum luce, nihilque*
*Jam mortale tenens, celeres in ſydera Diui*
*Tollentes, iterum menti impoſuere beatæ.*
*Jpſa tenens ſceptrum, & nitido diademate fulgens*
*Cincta caput: terras amat, atque vocata fauorem*
*Impluit, & cœli lucentibus imperat aſtris,*

Idem Manuantus in ſacris *Faſtis h.d.* ſimilem ſententiam amplectitur, & Ioannes Hondemius in *Hymno de Aſſumption.* apud Belinghen in *Parnaſ. Marian. fol.* 434. cuius Rhitmum hic inſerere libuit, quia rationes & cauſas, quibus Matrem in corpore & anima in cœlos aſſumere Chriſtus debuit, metricè repetit.

*SCeptrum cœli Rex tenens inclytum,*
*Puræ Matris corpus, & ſpiritum*
*Cœlo ſiſtis, iubens, vt ſubditum*
*Ei ſemper ſit omne conditum*
*Non permittit cenſura Numinis*
*Ut carente, ſit, labe criminis*
*Vermis, hoſpes in carne Virginis,*
*Quâ diuini Sol micat Numinis.*
*Æquitatis Rex micans ſolio*
*Vermem vertit à Verbi ſcrinio:*
*Puritatem ne putrefactio*
*Lædat vſquam in carnis lilio.*
*Et ſi caro de terra ſumeris,*
*Non in terram tracta reuerteris*
*Lege primâ, quâ non opprimeris,*
*Cum in partu pœnam neſcieris.*
*Supra legem, Virgo cùm vireas,*
*Et in partu ſola non doleas,*
*Non eſt rectum, vt migrans, maneas*
*Jnfra ſedes, humi, cinereas.*
*Æquitatis non ſinet linea,*
*Ut ſub mortis frangatur framea,*
*Virga, florem gignens, virginea*
*Quo floreſcunt regna ſyderea.*
*Caro carens tereſtri macula,*
*Cùm ſis hortus, & Chriſtus primula,*
*Rectum dictat, vt vincas vincula*
*Mortis, regnans per cuncta ſecula.*
*Vitæ fructum caro quæ genuit.*

*Mortis nexu premi non potuit:*
*Ergo digne leuari debuit,*
*Eo dante, qui mortem necuit.*
*Hydra mortem propinans, interis*
*Et pudoris pede conteris,*
*Et tu, victrix Virgo, reficeris*
*Vultu Nati, quo felix frueris.*
*Quantum, putas, mouetur triſtibus*
*Hydra liuens ligata nexibus,*
*Cùm ſe videt ſubmerſam ignibus*
*Et te ſummis regnare ſedibus?*
*Ergo, micans throno virgineo,*
*Caput hoſtis preme calcaneo:*
*Et confracto mortis aculeo,*
*Regno tuo ſiſte ſydereo.*
*Quantâ poteſt potiri gloriâ*
*Creaturæ ſufficientia,*
*Tantò gaudes, ô plena gratiâ!*
*Ergo dones exabundantia.*
*Dei Patris vides in Filio*
*Tuæ carnis vernante lilio,*
*Trinitatis quæ ſunt conſilio,*
*Sola ſumpta Dei conſortio.*
*Tuâ flagrat Seraph præſentiâ,*
*Inte Cherub limat ingenia,*
*Dignitatum donat iudicia*
*Summis thronis, tua potentia.*
*Tibi pſallunt cœtus hierachici,*
*Quos tranſcendis flore multiplici:*
*Thure tuo ſe gaudet affici*
*Totus Regni conuentus cœlici.*

*Quo Die poſt mortem aſſumpta eſt.* SEPTIMA Quæſtio ſit, *Quo Die poſt mortem reſurrexit, & anima eius vnà cum Corpore in cœlum fuerit aſſumpta?* Circa quam variæ ſunt ſententiæ. *I. Opinio.* PRIMA ſit eorum, qui aſſerunt, eodem die B. Virginem aſſumptam fuiſſe, quam confirmant ſequenti ratione, ſcilicet, quia Eccleſia hoc eodem die mortem eius, & aſſumptionem celebrat. Ita Iacobus Grethſerus in *Comment. ad Codin. de Offic. Dom. Conſtantinop. lib.3.c.* 15. Et alij à Georgio Coluenerio *d. Die XV. Auguſt. fol.* 119. *n.* 24. *II. Opinio.* SECVNDA opinio eſt dicentium, eam Die XL. à morte in cœlum cum corpore aſſumptam, hoc eſt XXIII. Septembris. Hanc tuentur Venerabilis *Beda*, & Molanus in *Addit. ad Vſuard. in Martyrolog.* vbi ſic adnotatur: *Secunda* Aſſumptio S. MARIÆ *Virginis* qui etiam ex Ioanne Beletho *de Diuin. Offic. c.* 146. circa huius opinionis probabilitatem reuelationem quandam recenſet, prout & S. Antonin. in *Summ. Hiſtor. 3.p. tit.* 19. *c.* 11. Cæſar Baron. in *Not. ad hunc Diem.* & alij. *III. Opinio* TERTIA Opinio eſt, aſſerentium, quòd B. Virginis corpus Diebus XV.

in



in ſepulchro manſerit. Hanc tenet ex reuelatione *S. Birgitæ* facta *lib.* 6. *c.* 62. & *lib* 7. *c.* 26. Gonſaluus Purantus in *Comment. ad Reuelat. dict. loc.* & in *Sermon. de Excell. B.M. cap.* 21. quem refert Coluener. *fol.* 121. *n.* 26. *IV. Opinio verior.* QVARTA & communior Opinio eſt affirmantium, B. MARIAM poſt *Triduum* mortis fuiſſe in corpore aſſumptam. Quam ex Iuuenale Ieroſolymitano, ex antiqua traditione, recenſet Nicephorus *Hiſtor. Eccleſ. lib.* 2. *c.* 23. & *lib.* 15. *c.* 14. Euthym. *Hiſtor. lib.* 3. *c.* 40. Metaphraſt. in *Vit. & Dormit. Virg. c.* 44. & antiquiſſimus Hymnus *Eccleſiarum Hiſpaniæ.*

*In obitu conuenerunt*
*Omnes eius Diſcipuli,*
*Ipſamque ſepelierunt:*
*Et poſt* TRES *Dies ſinguli*
CORPVS *in ſepulchro quærunt,*
*Nil inuenerunt ſeduli,*
*Illud aſſumptum aſſerunt*
*In cœlum omnes creduli.*

Illam quoque ſequuntur recentiores Coſterus *Moditat.* 37. Caſtro *Hiſtor. Delp. cap.* 24. Bonifacius *Hiſt. Virgin. lib.* 1. *c.* 20. Locrius in *Mar. Aug lib* 6. *c.* 12. Canfolonerius in *Vit B. Mar. fol.* 136 Iacobus Caniſius in *Sacr. Medit* 4 *p* §. 55. Suarez *Tom.* 2. *in* 3. *p. Tom. Diſputat.* 21. *ſect.* 2. Azorius *Tom.* 2. *lib.* 1. *c.* 20. *q.* 7. Iacobus Bergomenſis in *Vit. Virg. fol.* 13 & Coluenerius *ſupr fol.* 124. *n.* 29. Antonius Deſlions de *Cult. B V. Mar. lib.* 1. *Eleg.* 20. vbi pulchrè omnia ſuperius dicta hiſce carminibus complectitur.

*Diua Parens quanam poſſum te dicere cauſâ,*
*Communem reliquis mortis adiſſe viam?*
*Non te febris edax, non te moribunda ſenectus,*
*Aut dolor, aut tabes, aut grauis haſta tulit.*
*Integra quòd vitæ, ſceleris quòd pura micares:*
*Mittere mors iaculum non fuit auſa ſuum.*
*Te quibus impeteret, trepidâ cum morte pharetram,*
*Et ſua mutauit ſpicula Diuus Amor.*
*Scilicet ex illo confixam vulnere, leti*
*Te conſanguineus cœpit habere ſopor.*
*Sic ego ſim, liceatque tuis occumbere telis!*
*Fata triumphantis, non morientis erunt.*
*Viderat hoc funus iam terris inuidus æther,*
*Furta mihi video, furta parantur, ait.*
*Parce graui tellus gemmam damnare ſepulchro,*
*Quæ tibi depoſiti nomine miſſa fuit.*
*Non decet, vt tenebris, & nocte, premantur ocelli,*
*Qui mihi pro gemino ſydere ſemper erunt.*
*Non decet, vt caſtæ ſint vermibus eſca, papillæ,*
*Vnde Deus tenero lac bibit ore puer.*
*Quis ferat in cineres Corpus mutetur & vmbram,*



*Altera*

*Altera quod Summi Principis aula fuit?*
*Quis tibi terra, precor, dedit hoc in corpore iuris,*
*Quod rude flagitij eſt, quod ſine labe nitet?*
*Multa parabat humus reſponſa ſimillima veris:*
*At lis iudicio, Chriſte, dirempta tuo eſt.*
TRES *ſibi luciferos depoſtum funus haberet,*
*Fida velut cuſtos, ſeu bona mater humus.*
*Dein vbi felici lux* TERTIA *ſurgeret ortu;*
*Redderet illæſâ credita dona fide.*
*Quo mens læta ſuas adeat cum corpore dotes;*
*Quo par lætitiæ conſtet vtrique modus.*
*Intereà Ioſaphate tuæ per gramina vallis,*
*Remigio alarum turba beata volat.*
*Pars tumulum lætas circumduxere choreas!*
*Pars tumulo vultus applicuere ſuos:*
*Pars fudere roſas, & plenis lilia dextris:*
*Pars digitis blandas increpuere fides.*

QVIBVS ſic prælibatis venio ad ACTA quæ in hac dormitione euenere, quæ dabimus deſumpta ex aliquibus Breuiariis vetuſtis, & Legendariis Hiſpaniæ præcipuè MS apud me *Segobienſi*, ſic:

## *ACTA DORMITIONIS, ET Aſſumptionis B. Virginis* MARIÆ *Dei-Genitricis, Dominæ Noſtræ, ex Legendario Segobienſi MS. & aliis Breuiar.*

IGITVR *cùm Beatiſſima Virgo Dei-Genitrix* MARIA *ad annos Septuaginta-duos ætatis in omni vitæ perfectione, & miraculorum gloria perueniſſet: quo tempore cum ipſius filio, & Domino Noſtro Ieſu Chriſto placuiſſet, ipſam ad ſe euocare, & ex huius caliginoſi ſeculi tenebris, ad gloriam ſuam cæleſtem eam traducere: cùm ſatis exiſtimaret ipſam in fidei eius teſtimonium inter homines permanſiſſe; eidem Angelum ſuum tranſmiſit, videlicet Gabrielem cum viridi palma perfulgidum, qui ipſi ſanctiſſimæ Virgini, poſt triduum mortis dormitionem denuntiaret, atque ipſius in cœlum aſſumptionem certificaret. Qui cùm ipſam in* Simeonis *iuſti domum, orantem comperiſſet, eâ ex more prius ſalutatâ, dicendo*: Aue MARIA gratiâ plena, *adiecit*: Dominus Noſter Ieſus-Chriſtus, Filius tuus, me hac cum palmâ, ad te Matrem ſuam dilectiſſimam tranſmittit, vt tuam mortem adeſſe propinquam annuntiem: videlicet, poſt tres dies affuturam, & in fidei huius ſignum, hanc palmam foliis virentem, ad te dono miſit. Exaltaberis etenim ſuper choros Angelorum omnium; Materque omnium viuentium, & mortuorum de cætero vocaberis, ac te beatiſſimam, atque nimium felicem dicent omnes generationes. *Quibus expletis palmam pulcherrimam ipſi reuerenter contradidit. Cui beatiſſima* Virgo *poſt gratias exhibitas, reſpondit*, ſe per omnia ad iuſſa Filij ſui capeſſenda, præparatam eſſe: verùm magnopere optare, atque id ab ipſo Deo, Filio ſuo humiliter expoſtulabat, dignaretur eidem in hoc obtemperare, quatenus ipſius Diſcipuli omnes ſuæ Dormitioni præſentes

*Gabriel miſſus ad Virginem.*

*Gabrielis oratio.*

*Virginis placitum.*



tes adeſſe, concederet. *Cui perhumanè reſpondit Angelus*: Non ſolum tibi chariſſimæ Dei-Genitrici aderunt Diſcipuli omnes, ſed & ipſe IESVS filius tuus cum omnibus Angelorum choris præſentes aderunt. *Quibus dictis eueſtigio Angelus ab ea diſceſſit feſtiuus. Hoc itaque nuntio accepto, Beatiſſima* Virgo *mortem ſuam propinquam, in primis omnibus domeſticis, & affinibus ſuis nuntians, palmam pulcherrimam in huiuſmodi ſignum, & ſuæ illibatæ, perpetuæque virginitatis, & fidei oſtendit: deinde cæteris notis, & contribulibus id innoteſcere voluit. Hinc itaque Die Tertiâ ſe ipſam tanquam ad Sponſum ſuum æternum itura, ſuis veſtimentis decenter & mirificè compoſuit. Cùm verò iam ipſa mortis hora adeſſet propinqua, ecce illicò ingenti quodam miraculo,* Diſcipuli *affuere omnes. Quibus B. Virgo, poſt ingentes gratias Deo relatas, retulit, quæ de propinqua ipſius morte, ab Angelo acceperat. Veruntamen ipſa primum non minus obſtupuit, de eorum aduentu, quàm poſtea lætata eſt, quòd eidem eueniſſet, quod optauerat, rogaueratque. Ex quibus maximum ſibi gaudium afferebatur, tot Diſcipulos intueri, cum quibus etiam ipſa viuendi felicitatem maximam comparauerat. Poſtquam autem SS. Apoſtoli aduentum ſuum, admiratione dignum, animaduertiſſent, plurimas gratias Deo, & B. Virgini egerunt, quòd præſentibus ipſis, diem ſuum obire elegiſſet. Paululum verò cum eiſdem SS. Apoſtolis immorata, paululumque laudibus præſtitis, ipſa Beatiſſima* Virgo *flexis genibus, quaſi dormitura quieuit, vbi in meditatione rerum cæleſtium, cum conſiſteret, ecce omnes Angelorum chori cum Ieſu Chriſto eius filio inenarrabili ſplendore ad eam deſcendére, quos cum videret mox ingenti gaudio repleta eſt. Tunc Dominus ipſe* IESVS *totus feſtiuus ad eam conuerſus, clarâ voce ſeriò dixit*: Veni de Libano Mater, veni; veni ad cœleſtem gloriam tibi à Patre meo paratam, atque decretam, vbi & coronâ perpetua, ac gaudio incredibili & ſempiterno decoraberis, atque frueberis. *Ipſa quippe verba, ſic Domino proſequente,* Virgo *oculos claudens, paruâ occaſione temporis adhibitâ, animam ſanctiſſimam ipſi Deo, Filio eius,* Ieſu-Chriſto *reddidit immaculatam: quam diuinis manibus ipſe* IESVS *ſuſcipiens, mandauit Apoſtolis ſuis, vt ſanctiſſimum Corpus in valle Ioſaphat ſepelirent, ipſumque ad Triduum vſque, omni adibita cuſtodiâ obſeruarent, quoniam ipſum omnino reſuſcitare decernebat, atque glorificatum in cœlum aſſumere volebat. Ad eam itaque Dominus tanta cum gloria, & inenarrabili ſplendore, nec non & cantuum incomprehenſibilis melodiæ aduenit, vt & Apoſtolorum ſanctiſſimum collegium, cæterique omnes, qui eiuſdem Virginis cubiculo adſtabant, præ nimio gaudio, ex cœleſti illâ ſuauitate, atque iucunditate, in ſuauiſſimam, imò penè diuinam ecſtaſin conuerterentur. Deinde haut multò poſt in ſe reuerſi, ſubito conſpiciunt glorioſiſſimam, intemeratamque Dei Matrem, Virginem* MARIAM *humanis iam exceſiſſe rebus: & nihilominus cunctis videbatur ſomnum capere ſuauiſſimum. Quæ tamen & ſi mortua quieſceret, attamen erat facie candidiſſima, labiiſque decentiſſimè, ſicut roſa, purpureis. Dùm verò Apoſtoli omnes, & cæteri, qui ſanctiſſimo funeri adſtabant, miraculi inſoliti ſpeciem concernentes, extemplò in terram humiliter poſtrati, beatiſſimum Corpus adorauerunt, & lachrymis ac ſanctis gemitibus, quò magis poterant, exequiis obſecundabant. Tunc* Simon-Petrus, *qui inter Apoſtolos, & auctoritate, & vocis magnitudine omnes animabat, celebre præconium de ipſius glorioſiſſimæ Dei-Genitricis, omniumque Chriſti Diſcipulorum Parentis,* MARIÆ *laudibus, in Orationis modum diuulgauit. Aderant autem ad eius exequias famulaturi SS. Angeli cum vniuerſa cœlorum curia, quæ feſtiuâ ſpopondebant obſequia. Vnde mox ſuauiſſimus odor non niſi Paradiſi tantus emanauit, vt ex eo ſanctæ Mulieres, quæ aderant excitatæ in pientiſſimum placitum omnes prorumperent. Maximâ veneratione deinde ſe ſe ad componendum ſanctiſſimum corpus, & in loculo collocandum ornatiſſimè quo magis poterant ſtudio, & deuotione accinxerunt. Sicque demùm decentiſſimè in eodem conlocatum, ſimul SS. Mulieres, & Apoſtolorum, atque*

*Virgo mortem ſuam refert cognatis.*

*Diſcipuli morti eius adſunt.*

*Chriſtus, & Angeli adſunt quoque.*

*Virgo in manus Filij tradit ſpiritum.*

*Melodia cœleſtium Spirituum.*

*Corporis, & oris candor poſt obitum.*

*Petrus in exequiis prædicat.*

*Funeralis pompa diſponitur.*

atque aliorum plurimorum chorus, Ioanne Euangeliſtâ, à B. Petro, cum palma diuinitus miſsâ, præmiſſo, comitantibus SS. Angelis, delecti iuuenes feretrum ſubiere, ſicque pompâ quaſi cœleſti ad ſepulchrum detulerunt; vbi admirandum illud, atque ſanctiſſimum Corpus ibidem in monumento nouo venerabiliter ſepeliere. Circa huius igitur mauſoleum per Triduum Orationi inſiſtentes, reſurrectionem eius, & aſſumptionem præſtolabantur. Vbi & poſt TRIVM Dierum ſpatium, venit iteratò D. N. Ieſus-Chriſtus cum ſuis agminibus Angelorum, & maximâ Beatorum ſpirituum pompâ, intra nebulam chriſtallini coloris fulgentiſſimam quæ quidem totum matris cooperuit monumentum. Cuius tantus erat ſplendor, vt neque Apoſtolorum quidem, neque SS. Mulierum acies eam aliquo modo ſuſtinere poſſet. Tunc ipſe Dominus IESVS, de monumento lapidem tollens, Matrem ſuam dulciſſimam, ex mortuis reuocans, iterùm ſanctam eius animam corpori adiunxit, illamque omnino reſuſcitauit, eidemque hæc verba iucundiſſima dicens. Veni Regina cœlorum, veni Domina Angelorum, veni intemerata Mater mea, veni columba mea, immaculata mea veni, iam enim hiems tranſiit, & receſſit, veni poſſidere regnum Patris mei, atque immortali illa perfrui beatitudine. Ad hanc igitur vocem Beatiſſima Virgo mox conſurrexit, & ex templo diuino iuſſu ſuper choros Angelorum cum ingenti pompa, atque triumpho, XV. Die Auguſti, ætatis verò ſuæ LXXII. anno, & à Chriſti Natiuitate LVII. in Corpore, & Anima mirabiliter eſt aſſumpta. Quo quidem die vniuerſi Chriſticolæ eidem maximum ſacrificium, & ſolemnitatem tribuunt.

*Corpus ſepulturæ traditur.*

*Chriſtus apud ſepulchrum.*

*Matrem ſuſcitauit.*

*In cœlos corpore, & anima aſſumit.*

Hactenus ACTA in relato Legendario, quæ deſumpta fuere ex Philippo Bergomenſi in Vit. B. Mar. vbi prolixiori, licet ſuaui enarratione triumphi cœleſtium ſpirituum pompa deſcribitur, cum aliis circunſtantiis notabilibus, quæ in funere, aſſumptione, & poſtea euenere: Nec non & Oratio, ſiuè concio à D. Petro in exequiis recenſita refertur.

*Quo tempore hoc feſtum inſtitutum.*

QVATENVS ad huius ſolemnitatis inſtitutionem apud varias Nationes plura congerit Georgius Coluener. in Kalend. Marian. d. Tom. 2. h. d fol. 127. a n. 33. & ſeqq. qui nihil de Hiſpania refert, crederem eam inſtitutam apud Noſtrates ante tempora S. Ildephonſi Archiepiſcopi Toletani, & Virginis Cappellani, quia ſuo æuo iam ſolemnis feſtiuitas erat, de qua ipſe aliquos ſermones ſcripſit, in quorum primo hæc verba profert: HODIE, dilectiſſimi fratres, Natalitia B. MARIÆ celebramus. Et inferius fol. 52. in Edito Codice Feu-ardentij, proſequitur: Quapropter, dilectiſſmi, ſolemnitatem huius diei dignanter celebrate, de qua exultant Angeli, lætantur Archangeli, de qua gaudet omnis illa cœleſtis Ieruſalem, ciuitas glorioſa.

*Quid in Hiſpania?*

Quod probatur ex Breuiario, & Miſſali Iſidoriano, abs Iſidoro Hiſpalenſi Antiſtite, & aliis Præſulibus Hiſpaniæ coadunato, in quibus Officium myſteriis plenum repetitur, maxime hac Inlatione: Dignum & pulchrum, & iuſtum eſt: Summe, & ineffabilis Deus Noſter quantis poſſumus laudare præconiis, etſi potentes adſumus lumen tuæ claritatis pollutis contingere labiis, ſed in quantum ipſe donaueris, te benedicere, & conlaudare dignè licebit nobis: Qui etiam ab initio maſſam faciens fortiter electorum, nonullis ex illis miracula dare iuſſiſti per vitam, ſigna per mortem, portenta per aſſumptionem. Alios namque potenter reſuſcitans poſt carnis defectum; alios verò concremans per mentis exceſſum: dumque alios reddidiſti diſſimiles per obitum ineffabilem ſoporum. Illud enim verò Domine quod non dubium de Enoch creditur, vel Elia certiùs; eo magis veriùs confitemur de Ioanne, vel MARIA. Dicam, dicam, hoc illi meruere ante ſacrum aduentum, quod & iſti experti ſunt poſt æuum paratum. Dicam, plerique propter Chriſtum Quid vè mirantur? Ille Enoch nunquam comparuit, cùm vates & ipſe Iſraëlita auriga ſimillimè latuit, & corpore viuos manſio cœleſtis vtroſque detinuit Compleuit & ipſa quod perfecit, & iſtis. Illis per indeclinabilem carnis ſtatum, pòſt etiam ſepulchri deſcenſum, pernicemque illinc MARIÆ & ineffabiliter exitum: ſicuti ibidem Ioannis ingreſſum, ſic permanſurum incomprehenſibiliter vſque ad futurum aduentum. O ſacratiſſimum arcanum, & inexprobabile prouiſum, quod vnumquemque illorum iam per diſparem modum inter plurimos mire

*Breuiarij Iſidoriani Inlatio.*



mire ſublimauit ad cœlum! Meritò quidem & gloriſior Virgo MARIA cœli petiuit intimum, dùm cœli, & terræ ſola viſceribus ſacris portauit Deum, & Dominum. O ineffabilis caſtitas, & immaculata virginitas, quæ nouo, & ineffabili modo adſumi in ſuperna meruit Sede! Viſura cum Angelis ibidem perpetim Deum, cuius Verbi in terra ſacrum effecta eſt templum. Cui nullo modo ibidem incomprehenſibilis fruſtratur ſedes, ſicuti incomprehenſibilis partus non denegatur in terris. Taliùs eſt enim ibi diuinitus aſcendiſſe, qualiùs in nouo Virginis partu hîc ſimilem non inueniſſe. Quid verò verius datur intelligi; hanc Chriſtus elegit à qua natus eſt, hîc ſic illam voluit manſiſſe. Meritò, diuque meritò ibidem glorioſior forè præ cunctis, dùm meritò longeque digno dignior inuiſceratur ex ea Saluator. Hoc te Domine cooperante, qui omnia quæ velis facis, & de nullo nuſquam ventilans: quem quoque gemunt poteſtates, cœlicolique admirantur ciues; cui multiplex cœlica illa Angelorum legio, cateruaque Sanctorum, omnium Virginum, Martyrumque concio, ſiue terreſtris Beatorum multitudo in hoc Aſſumptionis glorioſæ Virginis feſto non ceſſant clamare, ita dicentes: Sanctus, Sanctus, Sanctus. Verè Sanctus, verè benedictus æterne Omnipotens Deus, Ieſus, Chriſtus, Filius tuus: qui tàm viſibilia ab initio inſtituens infinita, tecum, & Spiritu-ſancto potentialiter creans, omnia felicius compleuit, & diuinitus peregit extremo. Igitur inter primæuam, vel vltimam ſeculi ſeriem, ſe cùm in forma Dei eſſet exinaniens, Deo æqualem, noſtrum dignatus eſt contiguum ſumere puluerem. Non quo antea illo eguiſſet cyclopeo, ſed quo vero læthalia vulnera ſanaſſet antidoto. Non quo ante infirmus fulciret propria, ſed quo vero potentius cæleſtia, terreſtria ſaluaſſet, vel tartara. Non quo ante vllam paſſus eſſet inopiam, ſed quo verò inopem gratiâ redderet diuitem. Non quo ante imbecillis cæleſtes, vel aëreos domuiſſet exercitus, ſed quo vero fortiſſimus nouos ibidem reſeraret introitus. Vnde hoc autem nuſquam Domine omne confitemur peractum, niſi & completum eſſet per Verbum, caro factum: quod non natura humana, ſed gratia aduniuit aſſumptum. Accepit namque quod fecerat, in quo ante mirabili modo ſe ſeque facturum prædixerat. De quo mater Syon dicet: Homo, & homo diuinitus, admirabiliterque eſt factus Talem, multoque verè creditur, mirabilem Matrem creaſſe, qualem diuinitus per eam tranſiens decus virgineum non admiſiſſet. Dùm ab illo creari, ita & ab ipſo concipi. Hæc autem Domine omnia ſi humanis viribus poſſent exequi, omnia diuina nuſquam probarentur oriri. Quis verò tandem huius ſanctæ myſterium approbare poterit tantæ incarnationis, Natiuitatis Filij, in cœlum Aſcenſionis, & Matris tàm incomprehenſibilis inlibatæ Aſſumptionis, niſi recta de Patre, & Filio, atque Spiritu ſancto ſinceriter credat, & de Matris Aſſumptione mirabiliter ſentiat. Dùm incomprehenſibilia ſunt vtraque, & inde credenda vtraque; qui verè confitemur vtraque. Hæc fides veriſſima, quâ reconciliamur piiſſimo Deo, & adoptamur in filiis, Chriſto Domino, Redemptorique Noſtro. Ex quo liquet eo tempore in Hiſpania hoc feſtum ſolemniter celebrari. Sed & ante culta feſtiuitas hæc conſpicitur ex Iuliano in Chron. num. 48. dicens: S. Eugenius laxatis ſpatiis prioris Templi Toletani, illud Aſſumptioni B. MARIÆ Virginis ad cœleſtia Regna, dedicat. Sic D. Didacus Caſpejon in Primat. Toletan. 1. p. c. 7. fol. 62. lit. C. Comes Morenſis Hiſtor. Tolet. 1. p. lib. 5. c. 2. fol. 363. n. 1. Et ideò ferè omnes Hiſpaniæ Cathedrales Eccleſiæ didicatæ ſunt Virginis Aſſumptioni. Imò B. Damaſus Pontifex Maximus Hiſpanus origine, hanc feſtiuitatem per totum orbem inſtituit, vt ex Genebrardo in Kalend. defendunt Gaſpar Statius in Antiquitat Luſitan. c. 14. & Antonius Souſſa Mazedo in Excellent. Portugall. c 9. Excell. 5. n. fin. fol. 77. col. 2. Quod in maximum Hiſpaniæ cedit honorem.

*Poëtarum encomia.*

HIS ſic diſcuſſis venio ad Poëtarum encomia, quæ ſi hic in floſculum redigere velimus, longiſſimam ingrederemur prouinciam, ideò Nominum relatione contenti ad vlteriora inſtituti proſequenda procedemus. De hac feſtiuitate Ieronymus Vida Cremonenſis in Carmin. Magn. Matr. Virg fol. mihi 424. Baptiſta Mantuanus in Faſt. Sacr. h. d. fol. 56. Robertus Obrizius in Sacr. Hymn. lib. 6. Hymn. 16. fol. 287. Nicolaus Oüdaërt in Ephemerid. Eccleſ. 2. p. h. d. Epigramm. 15. Morius Sfortia in Kalendar. Roman. Heroic. lib. 2. Hymnor. fol. 190 Ioannes Bacoth in Faſt. Chriſtian. h. d. fol. 580. Iulius Cæſar Scaliger. Hymn. 4. fol. 19. Emanuel Pimenta Luſitanus in Poëmat. Sacr. lib. 6. fol. 208. Ioannes Baptiſta Maſculus Lyricar lib. 8. od. 16. fol. 305. cum pluribus ſeqq. Antonius Deſlions de Cult. Virgin. lib. 1.



Eleg.

*Eleg.*21.*fol.*41. Henricus Coccus Gorcomius *in Chriſtomach. lib.*1. *c.* 11. apud me MS. cuius carmina dabimus, vt cunctis innoteſcat huius viri genium Batauo-Hiſpani.

*At ſimul Heroûm laudes, & facta parentis*
*Iam legere, & quæ ſit poteris cognoſcere virtus.*
*Ergo aderat promiſſa dies, quâ Regia Virgo,*
*Clara Dei-Genitrix nutu depoſcit Olympum,*
*Decreuitque mori dicens: Da Nate petenti*
*Corpus humo patiare tegi, ſcio acerba meorum*
*Circumſtare odia, hunc, oro, defende furorem.*
*Et me conſortem patrum concede ſepulchri*
*Nate, in quo ſpes vna Patris per tanta laborum,*
*Quem variis actum fatis diſcrimina duxi,*
*Ecce inuenta quies, ecce illa extrema malorum*
*Ærumnis factura modum, acceptiſſima ſemper,*
*Atque optata dies, quæſo, da Chriſte petenti,*
*Quod tua chara parens domito te poſcit Olympo.*
*Annuit, & totum nutu tremefecit Olympum.*
*Tunc Genitrix moritura ſuæ benè conſcia vitæ,*
*Diſcipulorum agmen vocat, atque huic talia fatur:*
*Chriſti agite ô tectis iuuenes ſuccedite noſtris,*
*Me quoque per multos ſimilis fortuna labores*
*Iactatam hac demum voluit conſiſtere terra.*
*Non ignara mali miſeris ſuccurrere diſco:*
*Diſcite me pietate ſequi, mihi quotquot adeſtis,*
*Idem ego ſub maiora potens vos præmia ducam.*
*Vndique conuenere animis, opibuſque parati,*
*In quaſcumque velit pelago deducere terras,*
*Ac lætam Matrem lachrymis affantur obortis.*
*Haut equidem ſine mente reor, ſine numine Diuûm*
*Adſumus, & portus delati intramus amicos:*
*Ergo agite, & cuncti lætum celebremus honorem;*
*Ore fauete omnes, & cingite tempora ramis.*
*Sic fati velant materna tempora myrtho,*
*Dilectus Chriſto iuueniſque, & virgo Ioannes,*
*Pacifera digitis ramum protendit oliuæ.*
*Sic vitam petit æternam, cùm mortis adempta eſt*
*Conditio,* MARIA *exultans ſe miſit Olympo*
*Ante Deum, & complexa pedes, ſic ore locuta eſt:*
*Omnipotens Genitor, qui ſolus ab æthere ſummo*
*Cuncta moues, qui reſque hominum, curaſque recenſes,*
*Nos*



*Nos tua progenies, cœli quibus annuis arcem,*
*Adſumus, hoc corpus cum virginitate repono;*
*Excipit ille ſuam Nati læto omine Matrem.*
*Quidquid erat mortale iubet deferre ſub vndas,*
*Abluere, & corpus ſine crimine læta canentem;*
*Felicemque animam ſecum ſuper æthera duxit.*

Ergo Virgo Mater in cœlum aſſumpta eſt, cuius functioni Angelorum, & ſpirituum agmina circunſtantia, protinus à SSS. Trinitatis Perſonis coronata eſt, vt inquiunt plures à *Coluenerio* relati *ſupr.num.* 31. *fol.* 125. & Iodocus Lorichius de *Triumph. B.Virg. c.*7.*fol.*115. *Coronatur in Cœlis.*

*B.*

S. AVDENTIVS *Epiſcopus Toletanus Confeſſor.*] Vnus ex clariſſimis, & ſanctitate præditis S. E. *Toletanæ* dignoſcitur Antiſtes, & ideò à *SS. Iſidoro*, & *Ildephonſo* inter eiuſdem Sedis Epiſcopos numeratur, de quo variis in locis ſcripſere Flauius Dexter *in Chron. Ann.*360. *n.*1.& 366.*n.*1. vbi P. Biuar. *fol.*387.& *Ann.*370. *n.*1. & *Ann.* 384. & *Ann.*385.*n.*1. Luitprandus in *Aduerſar. n.*213. 214. 215. & 216. Iulianus Petr. in *Chron. n.*175. 176. & 179. *nec non* 181. 188. 190. 193. 199. & 248. Ex recentioribus Ioannes Vaſſeus in *Chron. Tom.*1. *Hiſpan. Illuſtrat. fol.* 656. Rodericus Caro in *Not. ad Dextr. fol.*137. Salazar de Mendoza in *Prolog ad Hiſtor. Tenor. fol.*11. D. Thomas Tamayo in *Verit. Dextr. fol.*119. P. Ieronymus Roman de la Higuer. *in Hiſtor. Tolet. Tom.*2. *lib.*9. *c.*12. Franciſcus Piſa *Hiſtor. Tolet. lib.* 1. *c.* 10. *fol.*85. D. Didacus Caſtejon *in Primat. Tolet. Tom.* 1. *p.*1. *fol.* 102. P. Quintana-Dueñas *Hiſtor. SS. Toletan. titul. de Fundat. S. E. Tolet. cap.* 29. *fol.* 114. Illuſtriſſ. D. Petrus de Roxas Comes Morenſis *Hiſtor. Tolet. Tom.*1. *p.*1. *lib.*6. *c.*29. 30. & 31. *fol* 560. Baltaſar Porreño *Hiſtor. Archiep. Tolet. MS fol.* 49. qui eius cultum olim exhibitum in S. E. Toletana Die III. Decembris ex Breuiario Iſidoriano recenſet, à quo eundem refert Comes Morenſis *d.c.*31. *fol.*570. Ex quibus omnibus ſic eius ACTA compaginare conabimur: *Scriptores.* *Cultus.*

## *ACTA S. AVDENTII PONTIFICIS Toletani Confeſſoris, ex Variis Scriptoribus, & monumentis.*

AVDENTIVS *natione* Hiſpanus, *ex Oppido* Segcnâ *in* Carpetanis *oriundus, natus ciuitate* Toleto, *vbi educatus, & ſacris literis imbutus, ſui æui in ipſis primatum inter cæteros obtinuit commilitones. Hinc à* Gregorio *ipſius Sedis Præſule* Archidiaconatus *munere inſignitus, penſum præſulatus ſuſtinuit. Sed* Gregorio *in* Minoricam *exulante, ipſe* S. AVDENTIVS *res Eccleſiaſticas diœceſis mirabiliter adminiſtrat, ita vt è viuis ſublato* Gregorio *ad Sedem illam ſublimatus, deceſſoris locum impleuerit. Nam cùm Dei Eccleſia magnis premeretur hæreticorum erroribus, acceptis Epiſtolis Magni* Baſilij, *aduerſus Manichæos, Arianos, & Photinianos ſcribens, libris, & verbis eorum dogmata, vt erronea deſtruxit, & rationibus execratur. Poſt hæc agnoſcens, quòd collegia, quæ ab Apoſtolorum temporibus inuenta, pro iuuenum educatione, ſeculi intermiſſione dilapſa iacebant, ea ipſius diligentiâ redintegrare præcepit, in quibus plurimos, quibus in poſterùm fuit Eccleſiaſtica diſciplina commiſſa, in ſacris documentis inſtruxit. Sed & Priſcillianum hæreticum* Hiſpaniis, *&* Gallis *infeſtiſſimum, per literas continuò reducere ad fidei profeſſionem curabat, imò & exhortationibus aſſiduis, Vir ingenio præditus deterrebat. Et quia nihil intactum relinqueret, Concilia* Toleti, *&* Cæſarauguſtæ *congregat, non ſolum aduerſus hæreticorum fraudes, ſed etiam aduerſus nonnullos Græcorum Epiſcopos, qui* Baſilium *Cæſareæ Cappadocum Epiſcopum ab eorum communione priuauerant: & aduerſus*

*Origo.* *Archidiaconus nominatur.* *Epiſcopus eligitur.* *Aduerſus hæreticos libros edidit.* *Priſcillianum deterret.* *Contrahit Concilia aduerſus hæreticos.*

*uerſus Chiſaxem, alium ex Vrſatij filiis, damnatum ad exilium apud Elburam Carpetaniæ, ex reſcripto Gratiani. Poſt hæc cùm acciperet, quoſdam hæreticos nomine Bonoſianos, contra illibatam B. Mariæ ſemper Virginis, & Dei Genitricis virginitatem ſcriptis impuris pullulare; aduerſus eos editis elegantiſſimis voluminibus, puriſſimam Cælorum Reginæ virginitatem totis viribus defenſauit.* Gregorium *etiam* Bæticum *Antiſtitem, qui aliquantulum Luciferianis adhærebat ab eius ſtoliditate ſeparauit; nec non Dictinum Aſturicenſem, & alios quos in Concilio Toletano adhibitos ad fidei regulas mirâ felicitate pertraxit. Denique virtutibus clarus, & annorum pondere oppreſſus morbo correptus ſpiritum Deo cui ſeruierat inceſſanter, tradidit* XV. De Auguſti; *Anno Domini* CCC. XCVI. *Cuius corpus in Eccleſia Suburbana* S. Leocadia *Virginis & martyris* Toletanæ *ſepultum eſt, in cuius ſacorphago hocce inſculpſit Epitaphium deuotio.*

*Bonoſianos increpat libris editis.*

*Moritur. Sepelitur.*

*Hoc recubat tumulo Sanctus* AVDENTIVS, *huius*
*Vrbis & Antiſtes, magnus & Orbis honos.*
*Concilia indixit; de noſtris finibus Vrſos*
*Expulit, & Luppos, quò fide claret Iber.*
*Virginis enixè candorem protegit, arma*
*Hæreticis mouens, quos ſine voce redit.*
*Aſſumptæ Matris die vitam feliciter vnà*
*Deſerit, & corpus, poſt & ad aſtra volat.*

*Dies obitus ex Iuliano verior.*

Huius *Epitaphij* auctorem agnoſco *Iulianum* Archipresbyterum Toletanum, qui S. Epiſcopum obiiſſe hoc *Aſſumptionis die* defendit in *Chron. n.*193 quidquid dicat Luitprandus in *Aduerſar num.* 116. Cætera quæ in hiſce ACTIS referuntur communia apud Noſtrates doprehendes, ſi loca ſuperius relata inſpexeris.

C. S. PELAGIVS *Epiſcopus Legionenſis Confeſſor.* ] Antiquorum Scriptorum incuria ſæpe ſæpius res feliciter geſtas Sanctorum deſpiciens, aut quia ſuo ſeculo communes, aut quia ſemper victuras præſumeret, illas poſteris denegauit, ideoque ipſis deficientibus, aliquando Noſtrorum Sanctorum anamneſin monumentis, & auctoritatibus nudam ſubiungimus. Teſtis inter alios iſte ſanctiſſimus Antiſtes, de quo nullus verbum contexuit nisi Ambroſius Morales *Hiſtor. Hiſpan lib.*26.*c.*37. à quo Athanaſius Lobera *Hiſtor. Legion. cap.* 29. *fol.*294. & in Vit. *S. Froilani c.*32.*fol* 144. P. Ioannes Marieta *Hiſtor. SS. Hiſpan lib.*5.*cap.*66. M. Ægidius Gonzal Chronographus Regius in *Theatr Eccleſ. Caſtell Tom.*1.*fol.* 383. & 398. qui omnes vna cum S. E. Legionenſi inter Sanctos illius Sedis Noſtrum referunt Epiſcopum, eiuſque diem feſtum aſſignant XVIII *Kalend. Septembr* vt Philippus Ferrarius in *Catalog General. SS h.d fol.*325. notauit his verbis: LEGIONE *in* Hiſpania S PELAGII *eiuſdem verbis Epiſcopi &* in *Topograph SS. verb. Legio fol.* 66 *col.*2. Eius ACTA periere, illa ex ipſius Sanctiſſimi Præſulis inſtrumenti Donationis, quâ aliqua ſuæ bona donauit Eccleſiæ, relatione deſumpta compilabimus, vt omnibus eius ſanctitatis ſpecimen innoteſcat.

*Scriptores.*

## *ACTA S. PELAGII CONFESSORIS Epiſcopi Legionenſis, ex antiquo diplomate ab ipſo facto, & aliis Scriptoribus, & monumentis.*

*Origo, & familia.*

PELAGIVS *origine* Hiſpanus, *ex Prouincia* Gallæciæ *oriundus & in* Compoſtelana *vrbe natus, ex nobilibus, & honeſtis familiis productus, poſt prima fidei rudimenta, ætate competenti, ad minoris eruditionis ſtudia animum*



*animum perducens, in eadem ipſâ Ciuitate latinitatis, & Theologiæ ſacræ penſum feliciter expleuit. Cùm verò S. Iuuenis tantis doctrinæ primoribus ſe cognoſceret imbutum, ſacris Eccleſiæ miniſteriis adhærens, per ordinum ſacrorum gradus, ad Diaconatum, virtutum ſemitis, euectus, ſingularem de ſe in nouo munere ſanctitudinis exſpirauit odorem. Apicem Legionenſis regni tunc temporis* Ferdinandus *cognomento* Magnus *tenebat, cuius &* Sanctiæ *Reginæ eius coniugis commendatus auſpiciis, cùm iam ad maturæ ſpecimen perueniret ætatis, S. Vir ad dignitatum munera ſublimatus dignoſcitur, donec* Eccleſiæ Legionenſis *Paſtoris ſolatio deſtituta fuit, cuius ſedis munus eidem Reges inclyti commiſere, eodem ipſo anno, quo idem* Ferdinandus *Rex glorioſæ memoriæ feliciter vitam exuit. Quo è viuis ſublato,* Alphonſus *eius filius regni gubernacula ſumpſit, parentis & regnorum, & virtutum feliciſſimus hæres, qui etiam S. Antiſtitis doctrinam, & ſanctitudinem veneratus, plurima pro eius Eccleſiæ reparatione conceſſit. Quam olim extructam fuiſſe quidam aſſerunt in Gentilium, aut thermis, aut templo, cuius ſitum* Ordonius *Rex dedicare fecit in Baſilicam* S. MARIÆ *Dei Genitricis, vbi Epiſcopum poſuit, & magnis poſſeſſionibus, atque opibus ditauit, vrbem ipſam, caput Regni conſtituens. Sed cùm poſtmodum labentibus annis, Iſmaëlitarum gens regnum illud armata manu ingrederetur immanis, populos, Eccleſias, & Altaria ſolo æquauit, ipſamque* Legionenſem *Eccleſiam, quæ adhuc tempore S. Pontificis deſolata remanſit. Aſt Chriſtiani populi miſeratus Dominus, decreuit huius S. Præſulis electionem, vt Baſilicæ illius ruina repararetur in melius, eius interueniente ſollicitudine, quæ ſic piorum animos hominum deliniuit, vt ſuſceptis eleemoſynis opulentis, denuò Baſilicam reparauerit, in qua Altaria erexit, aras collocauit, libros & pſalteria quæſiuit, ornamenta, & cætera ad cultum diuinum neceſſaria diſpoſuit, & ab* Alphonſo *Rege, necnon* Vrracâ, & Geloyrâ *ſororibus, oppida, poſſeſſiones, pomaria, pecunias, aurum, argentum, & alia pretioſiora prorſus obtinuit. Quibus omnibus adquiſitis, & Eccleſiâ in perfectionem redactâ, Prouinciæ Epiſcopos conuocauit, vnà cum Principibus, Abbatibus, & Proceribus, & Baſilicam ſolemni ritu* Die X. Menſis Nouembris, *Era* M. C. XI. *conſecrauit. Denique poſthæc ſuo muneri ſatisfaciens, plenus bonorum operum, & virtutum ſarcinâ imbutus obdormiuit in Domino* XVIII. Kalendas Auguſti, *Anno Domini* M. LXXXVI. *vel circiter. Cuius* corpus *fuit conditum in Maiori Eccleſiæ Cappellâ in Presbyterio ad latus Epiſtolæ, & denique intra arcus affabrè elaboratum ambitum tranſlatum, hodie honorificè requieſcit.*

*Diaconus ordinatur.*

*Et Epiſcopus Legionenſis.*

*Eccleſia Legionenſis conſtruitur.*

*Reparatur.*

*Moritur S. Vir.*

Scriptores Noſtri ſuperius citati referunt, quòd in antiquo marmoris ſarcophago, vbi repoſita erant à multis retro ſeculis lipſana B. PELAGII Noſtri, hocce inuenerunt epitaphium:

HIC. REQVIESCIT. FIDELISSIMVS. CHRISTI. SERVVS.
PELAGIVS. LEGIONENSIS. EPISCOPVS.
ERA. DCCCC. IV. MENSE AVGVSTI.

*Epitaphium.*

Cuius inſcriptionis, quoad *Annorum* computum, ſeriem, omnino claudicare fatentur, nam ſi B. PELAGIVS in viuis erat tempore *Ferdinandi* Magni, & *Alphonſi* VI. eius filij, *Legionis* Regum, nequaquam poteſt eſſe PELAGIVS ille, de quo in *Epitaphio*, cùm de vno Epiſcopo ad alium, fere C XCV. annorum curricula intercedant. Hinc fuiſſe duos PELAGIOS *Legionenſes* Epiſcopos ſuſpicatur M. Ægidius Gonzal. *vbi ſupr. fol.* 398. Sed proculdubio fallitur, quia Annus Chriſti quem indigetat *Era* Inſcriptionis: fuit DCCC. LXVIII. & tunc temporis Eccleſia *Legionenſis* erat penitus diruta, nec Antiſtitem habebat, quouſque PELAGIVS iſte Eccleſiam reparauit, & nouiter ornauit, vt ipſe indicat in Diplomate donationis ab ipſo conceſſo Era M. C. XI. quod ad literam refert Lobera vbi *ſupr. d. fol.* 144. & 294. In quo omnia, quæ de eo compulſauimus, ACTA recenſentur, nam ipſe ſui Chronographus extitit, & Hiſtoricus. Hinc apocrypha inſcriptio eſt.

*Computatio epitaphij apocrypha.*

# DECIMO SEPTIMO
## Kalend. Auguſti.
## DIES XVI.

*A.* Romæ *natalis* S. Serenæ *vxoris Diocletiani Imperatoris, quæ* Hiſpana *origine nomen Chriſto dedit, videns coniugis ſæuitiam in Chriſtianos, dolore correpta obdormiuit in Domino.*

*B.* Cluniæ *in finibus* Celtiberiæ *apud Hiſpanos celebris fuit feſtiuitas* S. Simpliciani *Epiſcopi Mediolanenſis, qui cum à B.* Damaſo *Rom. Pont. cuius erat homopolus S. R. E. Presbyter deſignaretur,* S Ambroſio *Mediolanenſis Eccleſiæ præter Eccleſiaſticas regulas Epiſcopo ordinato, adiutor, & monitor datus eſt, cui poſtmodum ſucceſſit, & virtutibus clarus Confeſſor eximius obdormiuit in Domino.*

*C.* *Apud* Montem Cœlium *in Carpetania Hiſpaniæ* Depoſitio *ſacrorum pignorum* S. Titi *Diaconi, cognomento* Eleémoſynarij, *qui cùm ab Arianis vrbem occupatam conſpexiſſet, pauperibus ſubſtantiam diſtribuens, à Tribuno Gothorum ob fidem mucrone impetitus occubuit.*

# NOTÆ.

A. *Serenorum familia Hiſpana fuit.*

Sancta Serena *origine Hiſpana.* ] Familiam Serenorvm fuiſſe & *Auguſtam*, & *Hiſpanam* apud *Gallæcos* oriundam, pluribus ſuperius probauimus, maximè *Tom.* 1. *Die XIX. Februarij. fol.* 182. & 183. vbi arborem *Genealogicam* depinximus. Ex hac igitur origine proceſſit Serena hæc Noſtra, quæ *Philippi* Imperatoris, & alterius *Serenæ* eius coniugis filia, & Diocletiani Imperatoris etiam vxor extitit. Illam ob Chriſti confeſſionem fuiſſe in cœlis coronatam hoc die aſſerunt *Beda*, *Vſuardus*, & *Ado*, nec non & cæteri recentiores, à quibus Martyrologia *Romanum* Baronij hac ſerie: *Romæ* S. Serenæ, *vxoris quondam Diocletiani Auguſti.* Caſtellanum *Vaſq.* Luſitanum *Lup.* & Italum *Felicis.* De ea plura in Actis *S. Cyriaci*, & *S. Suſannæ*: Petrus Equilinus in *Catalog. SS. lib* 7. *c.* 69. Philippus Ferrarius in *Catalog. SS. Ital. fol.* 514. Baron. *Annal. Eccleſ. Tom.* 2. *Ann.* 295 *num.* 2. & *ſeqq.* Ex Noſtris Luitprandus in *Aduerſar. num.* 175. & 180. Eius Acta quę hactenus per ſynopſin ſcripta fuere, vberiora damus.

*Martyrologia.*

*Scriptores.*

*ACTA*



## *ACTA S. SERENÆ AVGVSTÆ, Diocletiani Imperatoris vxoris, origine Hiſpanæ, ex Variis Scriptor.*

*Origo, & parentes.*

Serena *Auguſta, nobiliſſima fœmina parentes habuit* Philippum *Auguſtum Imperatorem, qui Decij Cæſaris inſidiis occiſus eſt, &* Serenam *eius præclariſſimam coniugem,* Serenorum *familiis* Gallæciæ *exortam; qui filiam honeſtiſſimis imbuendam matronis in omnium virtutum apicibus tradiderunt, quarum doctrinis Virgo prorſus edocta, omnium bonarum artium rudimenta collegit. Sed occiſis chariſſimis* Philippis *parente, & fratre, in matrimonium Valerio Diocletiano tradita, ex eo* Arthemiam *ſanctiſſimam Virginem, deinde Martyrem ſuſcepit. Hæc cùm cæpiſſet à Dæmonio vexari, nequaquam ab eius corpore potuit expelli, donec Cyriaco Diacono cum ſociis de cuſtodia educto, & ad Virginem delato, eius præſentiâ* Arthemia *à dæmonis vexationibus libera. Chriſtum verum Deum magnis vocibus fatebatur. Cuius ſanitatis miraculum cùm vidiſſet* Serena *Mater, vnà cum filia virgine ad* Cyriaci *pedes prouoluta, Chriſti fidem confeſſa, baptiſmi lauacrum toti viſceribus expoſtulat, & inter Catholicorum agmina ſe adnumerari deſiderat. Matris igitur, & filiæ* Cyriacus *ardorem in ſuſcipienda fide compenſans, præuiis ſolemnitatibus ad actum præciſis vtramque baptizauit. Poſt hæc* Suſanna *Gabini Presbyteri filia huius* Serenæ *neptis, cùm nollet, requiſita à Diocletiano Auguſto, Maximiano eius filio adoptiuo matrimonio copulari, ad Palatium aducta; &* Serenæ *Auguſtæ tradita, vt eam ad matrimonium reduceret, vtraque per plurimos dies orationi inſiſteret Dominum deprecans Ieſum Chriſtum, vt earum in huiuſmodi miſereretur anguſtiis. Deniq; Suſannâ myſterio coronatâ,* B. Serena *neptis pignora collegit, & pluries oſculata propriis manibus, aromatibus condita, noctu tradidit ſepulturæ. Deinde cùm paulatim viri ſæuitia aduerſus Chriſtianos exardeſcere vndique penitùs inſpectaret, vitam mœrore plenam ducebat, quouſque dolore cruciata, & febre correpta in confeſſione Domini migrauit ad Chriſtum* XVII. Kalend. Septembris *Anno* CC. XCV. *Domini. Cuius ſacrum* Corpus *à cæteris fidelibus acceptum, & aromatibus conditum in* Crypta *iuxta neptis* Suſannæ *exuuias ſepultum, ibidem requieſcit.*

*Diocletiano copulatur vxor.*

*Chriſtum Deum fatetur, & baptizatur.*

*Suſanna ducitur ad Serenam.*

*Eius pignora condidit.*

*Moritur.*

*Filia Philippi, & Serenæ Auguſtorum.*

Aliqva in hac Actorum ecphraſi veniunt explicanda, quæ illuſtrationem deſiderant, & Primvm de *Parentibus* Serenæ Noſtræ, quos *Philippum* Auguſtum, & *Serenam* fuiſſe diximus. Huius veritatis apex probatur ex Luitprando in *Aduerſar. num.* 175. vbi agens de *Serenorum* familia *Hiſpana*, proſequitur: *Ex huius genere fuit* S. Serenus *Martyr, &* S. Serena *vxor Diocletiani Auguſti.* Et *n.* 180. noſtram ſententiam firmat, *ſic*: Serena *vxor Imperatoris* Philippi, *mater fuit* Serenæ *vxoris Diocletiani.* Eadem *Aulus Halus* in Carmine ſuperius relato *Tom.* 1. *fol.* 183. *Die XIX.. Februar.* retulit:

*Omnibus ex iſtis proceſſit clara* Philippi
*Auguſti coniux, Diua* Serena *pia.*
*Iſta duas genuit Natas,, ambaſque* Serenas:
*Hæc nupſit Caio, Altera* Vallerio.
*Abſque Diocletiano coniuge, & alma* Serena
*Obtulit egregiam palmis & Arthemiam.*

*Origo Hiſpana remiſſiùè probatur.*

Ex quibus auctoritatibus manifeſte colligitur Serenam noſtram, quæ nupſit *Valerio Diocletiano*, fuiſſe filiam *Philippi* Imperatoris, & *Serenæ* Auguſtæ eius coniugis.

SECVNDVM, de *Origine Hiſpana.* Huius rei quæſtionem reſoluimus ſupra *d. Tom* 1 *fol* 182 *&* 183. ex quo nihil erit quod inquiramus. Interim curioſus Aduerſaria Luitprandi *num.*175.176.177 178.179. & 180. perlegat, vbi omnium *Serenorum* progeniem ad amuſſim inueniet.

*An martyrio coronata?*

TERTIVM de morte S. SERENÆ, quam nequaquam martyrio, vt quidam dixere, ſed placida dormitione ſuſtulit, licet doloribus plenam, ob Chriſtianorum carnificinam. Hoc Petrus de Natal. *d. lib* 7. *cap.* 69. Hoc Philippus Ferrarius *d fol* 514. & cæteri eius rerum geſtarum Scriptores probant. Huius Matronæ anguſtias huiuſmodi ſic Iulius Cæſar Scaliger in *Poëmat. Diuar. fol.* 68. depinxit:

*Heu miſeros, & inundantes heu ſanguine campos!*
*Heu vrbs! quæ facta es nunc rogus ipſa tui!*
*Quid maneam? falſæ ſpecioſo nomine vitæ:*
*O obeam: & fiat mors aliena mea.*

Cætera in ACTIS deſcripta, communia ſunt, & ideò nulla indigent illuſtratione: hinc ad alia calamum conuertamus, vt inſtituto, vt iuris eſt, parere videamur.

B. S. SIMPLICIANVS, *Epiſcopus Mediolanenſis Confeſſor.* ] Illius commemoratio celebris eſt in *Romano Martyrologio* Baronij h. d. lit. F. hac clauſula: MEDIOLANI *depoſitio* S. SIMPLICIANI *Epiſcopi*, SS. Ambroſij *&* Auguſtini *teſtimonio celebris.* Conueniunt recentiora, *Caſtellanum* P. Vaſq. *Luſitanum* Lup. *Hiiſpanum* M S. H guer. *Italum* Felic. & cætera *Gallaſinij Peregrinis, Maurolyci, Bellini.* & aliorum. De eo S. Auguſtinus *lib* 8. *Confeſſ cap.* 2. 3 *&* 5. Paulinus in *Vit. S. Ambroſ.* S. Ennodius Ticinenſis, qui ſequens de eo ſcripſit elogium:

*Martyrologia.*

*Scriptores.*

*Ambroſius linquens viduatæ munia plebis,*
*Tranſtulit ad curam* SIMPLICIANE *tuam.*
*Succeſſoris opes, ſpoliati viſcera Regni*
*Creuerunt meritò temporis alterius.*
*Ac veluti annoſam Zephiris ſpargentibus ornum,*
*Ne mutua bellum longa quies ſolidat;*
*Tiro tamen felix cana ad rudimenta vocatus,*
*Non flexit priſcum degenerans apicem;*
*Nil timuit gelidis anima feruente medullis,*
*Pontificis virtus floris habet ſenium.*
*Æquora qui recto preſſit terrena patenti,*
*Moribus, & cultu ſydera cùm tetigit.*

S. M. Maximus Cæſarauguſtanus Epiſcopus in *Chron. Ann.* 606. apud Rodericum Caro *lit.* O *fol* 215 & apud Franciſcum Biuarium *n.*4. *fol.*715. Baronius in *Annal. Eccleſ. Tom.*4. *Ann.* 375 *n.*23. *& Ann.*385. *n.* 2. & *Tom.*5. *Ann* 397. *n.*41 44. 51. *&* 66. & *Ann* 400. *n.*2. *& ſeqq.* Philippus Ferrarius in *Catal. SS Ital. h. d. fol.*514. Aulus Halus in *Carminib MSS.* apud me, cuius *Epigramma* poſtea dabimus. Eius ACTA per ſynopſin ſcripſit *Philippus Ferrarius*, quæ hic tranſcribere compellor, nam ea alibi prolixiora non reperimus.





# *ACTA SANCTI SIMPLICIANI Mediolanenſis Epiſcopi, & Confeſſoris ex Ferrario, & aliis Scriptoribus.*

*Origo.*

SIMPLICIANVS *fuit, vt perhibetur, natione* Hiſpanus, *qui Romam iuuenis aduectus, in Catholica religione, & ſacris literis educatus, in omnibus magiſter euaſit inſignis. Hinc pietatis causâ, dùm iuuentutis vires ſuppeterent, plurimas vrbes peragrauit. Romam reuerſus, & à* Damaſo *Pontifice Maximo eius homopolo cognitus,* S. R. E. *Presbyter ordinatus, multiſque fauoribus inſignitus, ibidem per aliquot annos quieuit. Tunc temporis* Victorinum *Rhetorem egregium ad Chriſtum conuertit. Sed vacante Eccleſiâ* Mediolanenſi, *cùm* Ambroſius *præter eccleſiaſticas regulas eiuſdem Sedis fuiſſet Epiſcopus ordinatus, illi ipſe Summus Pontifex* Damaſus SIMPLICIANVM *adiutorem, & monitorem dedit. Tum Mediolanum S. Vir proficiſcens, vt muneri commiſſo Apoſtolicâ authoritate perſolueret, Sanctorum Apoſtolorum reliquias ſecum detulit. Tantâ igitur ſanctitate, doctrinâ, & virtutibus effulſit, vt à SS. Ambroſio, & Auguſtino non ſemel fuerit laudatus. Denique iam ſenio confectus, Ambroſio è viuis ſublato, ipſius Eccleſiæ Mediolanenſis Antiſtes eligitur, quam, Anaſtaſio Summo Pontifice, ſanctiſſime rexit. Dùm autem illius ſedis apicem homo venerabilis poſſideret,* S. Gaudentium *Epiſcopum* Nauarienſem *odinauit. Eius & ſanctitudinis, & eruditionis fama ſic per totum Chriſtianum Orbem excreuit, quòd cætus Patrum, qui Concilio* Carthaginenſi *coadunati erant, Legatos ad eum conſulendum emitteret, quos humaniter excepit, & dubiis reſolutis dimiſit. Ritum poſtmodum Eccleſiaſticum in officio diuino antiquitùs conſtitutum in eius Eccleſia, cùm diminutum maximè notaret, luculenter, & prolixius adauxit. Huius igitur S. Viri doctrina, & auctoritas, ſic apud ſanctiſſimos illius ſeculi Patres enituit, quòd ad eum* S. Auguſtinus, *duos Libros de diuerſis Quæſtionibus, inſcriberet* S. Vigilius *Epiſcopus* Tridentinus, *& etiam origine* Hiſpanus *Libellum de Martyribus: &* S. Ambroſius *complures Epiſtolas. His denique & aliis præclarè geſtis, iam ætatis onere confectus, & infirmitatum pondere grauatus, in vltima corpuſculum incidit, quâ correptus, perſolutis Eccleſiaſticæ iuſſionis cæremoniis, obdormiuit in Domino* XVII. Kalend. Septembris, *Anno Dominicæ Incarnationis* CCCC. IX. *Cuius Corpus primùm in S. E. Mediolanenſi conditum, poſtea in Templum ſuo nomini dicatum, tranſlatum eſt.*

*S. R. E. Presbyter ordinatur.*

*Adiutor S. Ambr. datur.*

*Illi in Sede ſucceſſit.*

*Legatos Concilij Carthaginenſis excipit.*

*Ei SS. Patres aliqui libros dedicant.*

*Moritur, & ſepelitur.*

*An origine Hiſpanus?*

Haut quaquam erit in poſterum de *Origine Hiſpana* S. SIMPLICIANI Mediolanenſis Epiſcopi prorſus ambigendum, maximè cum conſtet, quòd licet ab aliquibus S. Vir, Mediolanenſis patriâ reputetur, hoc minimè alicuius auctoritate roborari, ſtante Auguſtini *lib* 8. *Confeſſ c* 2. repugnantiâ, vt notauit ipſemet Ferrar. *in d. Catalog. SS. Ital. fol.* 514. in *Annotat* 1. Igitur ſi hæc ſententia *Mediolanenſium* monumentorum nullibi auctoritate fulcitur, neceſſario alia via Scriptorum vetuſtiorum probatione ſumenda eſt. Hanc dubio procul S. M. Maximus in *Chron. Ann.*606. *n* 4. demonſtrat, hoc elogio: *In vrbe* CLVNIA, *fine* Celtiberorum *celebratur* S. SIMPLICIANVS, XVII *Kalendas Septembris.* Et licet Doctiſſimus Biuarius in eius *Not. n.*6. §. 2. *fol.*716. cauſam huius cultus, & celebritatis apud *Clunienſes Celtiberos Hiſpaniæ* ignoret, credens hoc eueniſſe ob eius reliquias tunc temporis acceptas: proculdubio fallitur, nam cultus ille olim, ob *Hiſpanam* originem, fuit, per Hiſpanos exhibitus, vt ex vetuſto Epigrammate ſequenti in meo *Auli Hali* codice MS. reperitur.

*Biuarij lapſus.*

AD. S. SIMPLICIANVM HISPANVM Epiſcopum Mediolanenſem.

## EPIGRAMMA.

*Ambroſij monitor factus, cum nomine mores*
*Oſtendis Paſtor* SIMPLICIANE *tuos.*
*Hinc* Damaſus *tua noſcens Præſul munera Summus*
*Hiſpano Hiſpanus munia ſacra dedit.*
*Poſtmodò &* Ambroſio *ſuccedis denique Præſul;*
*Lux ſynodis fulgens, Pontificumque Pater.*
*Doctrinis rutilas, vitæ ſplendore coruſcas:*
*Erudiens populos, omnibus vnus ades.*

*Concilium Toletanum S. Virum, tanquam homopolum conſulit.* Imò & huius veritatis apicem auget Patrum in *Concilio Toletano*, ex editis, Primo, auctoritas: Nam cùm aliqui ex Priſcillianiſtarum ſecta, illâ abiuratâ, fidem Catholicam profeſſi, ſententiam à Patribus deſideraſſent, reſolutum fuit per Concilium, quod Pontificis, & SIMPLICIANI Epiſcopi, Mediolanenſis expectarentur reſcripta. Verba Concilij attende: *Expectantes pari exemplo, quid Papa, qui nunc eſt; quid* SIMPLICIANVS, *Mediolanenſis Epiſcopus reſcribant.* Cuius conſultationis vi à Patribus *Toletani* Concilij, in eum finem tendit, quòd S. Epiſcopus tanquam *Hiſpanus* origine puniendorum mores agnoſceret, ideoque facilius medelam errantibus præberet. Cætera illuſtratione non indigent, quia communia apud Scriptores relatos.

C. S. TITVS *Diaconus Martyr* ] Is fuit martyrio coronatus Romæ à *Gothis Arianis* tempore *Theodoſij*, quando *Alaricus* eorum Rex Vrbem occupauit. Eius memoriam recolit *Romanum Martyrologium* Baronij, h.d. ſequenti elogio: *Romæ* S. TITI *Diaconi, qui vrbe à Gothis occupatâ, pecunias pauperibus diſtribuens, à Tribuno barbaro iuſſus eſt occidi.* *Martyrologia.* Conueniunt *Caſtellanum* P. Dionyſij Vazq. *Luſitanum* P. Ioannis Lup. & *Italum* Conſtantij Felic. & ab eis cætera recentiorum. De eo Philippus Ferrarius *in Catalog. SS Ital. h. d. fol.* 513. Illuſtriſſ. D.D. Petrus Gonzal. de Mendoza Archipiſcopus Granatenſis *in Hiſtor. Salicienſ. lib.* 4. *cap.* 13. *fol.* 852. qui de *Tranſlatione* ſacrorum pignorum *Româ* ad *Cælium Montem* in *Carpetania* teſtimonium perhibet. *Scriptores.* Eius ACTA periere, nec de eo ampliùs, quam in textu Martyrologij Romani relato reperitur. Ideo nihil noui exponere de cætero potuimus.

# DECIMO SEXTO.

## Kalend. Septembris.

## DIES XVII.

A. AVRIÆ *in* Gallæcia *Hiſpaniæ* Translatio Secunda *ſacrorum pignorum* B. EVPHEMIÆ *Virginis, & Martyris, quæ*



*quæ perfecta dignoſcitur tempore Venerabilis* Petri Seguini *ipſius vrbis Epiſcopi, cuius opere, & vigilantiâ, in Cathedralem Baſilicam honorificè collocata omnium pietate coluntur.*

B. GRANATÆ *in* Bætica Hiſpaniæ *feſtiuitas* Dedicationis Cathedralis Eccleſiæ *anniuerſario colitur faſtu, & luculento reperitur applauſu.*

# NOTÆ.

A. *Scriptores.* TRANSLATIO *Secunda* S. EVPHEMIÆ *Virginis, & Martyris.* ] De ea ſcripſit *D. Petrus Seguinus* illius Eccleſiæ *Aurienſis* Antiſtes, qui ipſam propriis orationibus, & ſumptibus perfecit. Nec non P. F. Ioannes Marieta *Hiſtor. SS. Hiſpan. lib.* 4. *c.* 13. Truxillo in *Theſaur. Concionat.* 2. *p. fol.* 1737. F. Ludouicus ab Angel. *in Viridar. Portugall. fol.* 41. D. Rodericus de Acuña *Hiſtor. Braccarenſ.* 1. *p. c.* 29. *n.* 2. *fol.* 137. Huius Tranſlationis ſeriem ſcripſit *D. Petrus Seguinus*, quam hic ſuo idiomate damus:

*Muytos foram pera ſacar eſte Sancto Corpo, e logo ſe valuia à Igreja, faſtà que eu Dom* Pedro *com ſuas oraçones me concedeu Noſo Senhor, que o truxeſſe a eſta Igreja de* Orenes, *eſte Anno de* M. C. LIII. *è obo competenza com o Arçobiſpo de Braga, & ſe juntaron muytos homes de ente amos regnos: è po obuiar roidos, foe decretado, que o ſanto Corpo, o poſieſem em vn carro, e onde foſem à parar os boyes, que ali o depoſitaſem, e leuaſem à ſua Igreja. Poque Braga decia, que era à Santa da Portogal.* Orenes *que era de* Galiza, *nacida em* Antiochia *da Aquas ſantas; è que ali padezera martyro ſua Irmaa* S. Marinha *E toudos acompanharon o carro faſta onde parou, que foe junto da Cibdade entre vnhas vinhas abaixo do Seixo Albo, no medio do caminho: e aqui pararon ob Bois, que nunca ſe quiieron muar. E ali feceron* Homiladoiro, *e pouſeron vnha Cruz da pedra com à figura da Santa, e debayio dela vnhas letras pera memoria. Iſto aſi paſou ſobre dos euangeos ſacros E logo vem os Coogas, e Presbyteros, e com touda à companha lo leuaron à S. Martinho onde jaze que rougue a Deus por Nos, Amen.*

Hactenus Epiſcopus *Seguinus*, cuius breuem relationem hautquaquam demiretis, nam hæc fuit illorum temporum in Scriptoribus conſuetudo, quòd plus veritati nudæ, quàm verbis multiplicibus deferret. *Breuiariũ Aurenſe.* Nec illam longiorem coagulauit *D. Alphonſus* eius Succeſſor in *Lectionibus Breuiarij Aurienſis*, vbi hæc tantùm leguntur verba.

CVM *Vir ille ruſticus deportaſſet ſanctiſſimum* EVPHEMIÆ *corpus in prædictum Templum* S. Marinæ, *quod proximum erat, poſt plures annos poſtmodum à* Petro Seguino *Epiſcopo* Aurienſi *magnis precibus, & ieiuniis impetrata fuit à Domino Tranſlatio ſanctiſſimi Corporis in ſuam Eccleſiam Cathedralem* Aurienſem; *ſi quidem antea multi ſæpe conati fuerant illud educere, ſemper tamen ad priſtinum reuertebatur locum. Sed denique cùm* Braccarenſes *corpus ſanctiſſimum ſibi pertinere arbitrarentur; &* Aurienſes *itidem in eodem propoſito permanerent actum, & pactum fuit, quatenus ſacra pignora in curru reponerentur, & ſolutis bobus, ipſi quò vellent irent. Ita factum, & currus perſtitit in itinere vrbis* Aurienſis *ad* Saltum Album, *vbi* Eremitorium *fuit conſtructum; deinde in Eccleſiam Cathedralem perducta ibidem requieſcunt, & multis miraculis effulgent.*

Omnia

Omnia etiam hæc complexus fuit *D. Gregorius Lobariñas* in *Hymno de hac S. Virgine*, & Martyre cuius fragmentum ſupra hoc *Tom.4. Die VII. Auguſt.* dedimus, qui ſic proſequitur.

*Hic per multa diù permanſit ſecula Corpus,*
*Accolis vt faceret merita ſæpe pia.*
*Tranſtulit aſt prudens demum ſolemniter illud*
*Pontificis* Petri *anxia cura nimis.*
*Martyris ergo diù quæſiuit oſſa tenaci*
*Angonis penſu*, Braccora, *fruſtra tamen.*
*Nam poſitis ſacris in curru, Numine dextro,*
*Virginis exuuiis, mœnia noſtra ditant.*
*Eccleſiâ hac recubant poſthac pia pignora, magno*
*Sarcophago incluſa, & venerata ſimul.*

C. *Illiberis eadem ac Granata.*

Adhuc eiuſdem Virginis lipſana in *Aurienſi* conduntur Baſilica, magna adiacentium populorum veneratione, & totius *Gallæciæ* cultu

DEDICATIO *Sanctæ Eccleſiæ Granatenſis in Bætica.* ] Conſtruxit Eccleſiam *Illiberitanam* S. IACOBVS Hiſpaniarum Apoſtolus, Zebedæi filius, dùm Hiſpanias veniens, à Chriſto, causâ prædicationis, directus, hanc Prouinciam prædicaret cœpit. Poſtmodum Vrbi *Illiberitanæ* Granatenſis ſucceſſit, ita vt Cathedralis Eccleſia, quæ in Apoſtoli tempore, & multis ſequentibus *Illiberitana* fuit nuncupata, deinceps in *Granatenſem* recidit, & vtriuſque Præſules, aut *Illiberitanorum* titulo, aut *Granatenſium* nomine vocitati, iidem fuere, licet diuerſis nominibus diſcreti. Eius igitur conſtructio, & erectio Apoſtolica vna ex primis Hiſpaniæ fuit, tanquam à Patrono Noſtro à fundamentis erecta, cuius apex peruenit ad Annum Domini DCCCC. LXXX. abſque Præſulum intermiſſione; donec Sarraceni ipſis expulſis, & fide Catholicâ abrogatâ, ſedem in *Granata* conſtituere. Horum Præſulum Catalogum deſcribere noſtri eſt inſtituti: ideo eorum memoriam Pontificum, qui ad vſque Vrbis recuperationem ab Scriptoribus enumerantur, repetemus; poſtmodum dùm illa Eccleſia *Archiepiſcopali* munere effulſit, *Archiepiſcopos Granatenſium* titulo compulſabimus.

## *CATALOGVS EPISCOPORVM S. E. Granatenſis, quæ dicta fuit Illiberitana in Bætica Hiſpaniæ.*

I. S. CECILIVS huius nominis I. Epiſcopus Illiberitanus I. Diſcipulus S. IACOBI, qui martyrio coronatus occubuit Kalendis Februarij Anno LVII. 57.

II. S LIBERATVS huius nominis I. Epiſcopus Illiberitanus II. Diſcipulus S. Petri Apoſtoli, qui apud Amphitriam Hiſpaniæ pòſt multis perpeſſis ærumnis, & laboribus ſanctiſſimè obdormiuit in Domino, XX. Decembris, Anno LXVII. 67.

III. LEVBISINDVS huius nominis I. Epiſcopus Illiberitanus III. à S Petro Apoſtolo Hiſpaniæ conſecratus, obiit Anno Domini LXXVII. 77.

IV. AMEANDVS huius nominis I. Epiſcopus Illiberitanus IV. qui à Beato Lino Pontifice Maximo fuit electus, diem clauſit extremum Anno LXXXII. 82.

V. ASCANIVS huius nominis I. Epiſcopus Illiberitanus V. quem elegit S. Cletus PP. & in ſede per aliquot temporis quieſcens, obiit Anno C.XXIV. 124.





VI. IVLIANVS huius nominis I. Epiſcopus Illiberitanus VI. cuius perſonam elegit S. Alexander Pontifex Maximus, deceſſit Anno C.LXXIV. 174

VII. AVGVSTVLVS huius nominis I. Epiſcopus Illiberitanus VII. qui in eadem vrbe primus Collegium iuuenum literas ediſcentium conſtruxit; eius mors euenit ad Annum CC. XCV. Domini. 295

VIII. MARTINVS huius nominis I. Epiſcopus Illiberitanus VIII. à S. Fabiano Romano Pontifice electus, obiit Anno CC. XCIX. 299

IX. ISIDORVS huius nominis I. Epiſcopus Illiberitanus IX. qui vixit tempore perſecutionis Diocletianicæ, & creditur obiiſſe hoc eodem anno. 299

X. S. FLAVIVS huius nominis I. Epiſcopus Illiberitanus X cognomine *Antiochenus*, qui poſtquam Conſulatum exegiſſet, ad Sedem iſtam promotus, Concilium celebre Illiberitanum congregauit, tandem Nicomediæ, quâ exulatum complebat, à Satellitibus comprehenſus, martyrio coronatus eſt, cum fratribus Auguſto, & Auguſtino VII. Maij Anno CCC. VIII. 308

XI. PETRVS huius nominis I. Epiſcopus Illiberitanus XI. interfuit Conciliis Nicæno Generali, & Romanis I. & II. cuius conſilio creditur Conſtantinum Magnum Hiſpaniæ diœceſes diuiſiſſe, & in Sex Metropolitanas Eccleſias totum Hiſpaniæ ambitum coadunaſſe, obiit Anno CCC.LVII. 357

XII. HONASTARIVS huius nominis I. Epiſcopus Illiberitanus XII. de cuius rebus geſtis nihil peruenit ad nos, creditur obiiſſe Anno CCC.LX. 360

P. F. Petrus à S. Cæcilio *contendit, ſucceſſiſſe* Petro I. *alterum* Gregorium, *qui tempore Conſtantij* Oſij *fatalem euentum inuiſit coram Clementino Præfecto. Aſt.* D. Franciſcus Bermudez de Pedraza *illud figmentum amandat.*

XIII. S. AVGVSTALIS huius nominis I. Epiſcopus Illiberitanus XIII. qui Arianorum, & Priſcillianiſtarum incurſionibus fatigatus Gallias adiit, & apud vrbem Arelatenſem febre correptus obiit, Anno CCC.LXXXII. 382

XIV. OPTATVS I. Epiſcopus Illiberitanus XIV.
XV. PETRVS II. Epiſcopus Illiberitanus XV.
XVI. ZOYLVS I. Epiſcopus Illiberitanus XVI.
XVII. IOANNES I. Epiſcopus Illiberitanus XVII.
XVIII. VALERIVS I. Epiſcopus Illiberitanus XVIII.
XIX. LVSIDIVS I. Epiſcopus Illiberitanus XIX.
XX. VRSVS I. Epiſcopus Illiberitanus XX.
XXI. IOANNES II. Epiſcopus Illiberitanus XXI.
XXII. IOANNES III. Epiſcopus Illiberitanus XXII.
XXIII. IOANNES IV. Epiſcopus Illiberitanus XXIII.
XXIV. IOANNES V. Epiſcopus Illiberitanus XXIV.

*De his omnibus ſubdubitat Pedraza* Hiſtor. Granat. 2. p. c. 17. *Eoſque aut fuiſſe Arianos ſuſpicatur, aut ſuppoſitos, maximè quod inueriſimile videatur potuiſſe Sedem Illiberitanam moderari* XI. *Epiſcopos in* XI. *Annis tãtũ, vſq; ad* CCC. XCVI. *quo ſucceſſit Serenus.*

XXV. SERENVS huius nominis I. Epiſcopus Illiberitanus XXV. interfuit Concilio Toletano I. Obiit Anno Domini CCCC.V. 405

XXVI. S. GREGORIVS huius nominis I. Epiſcopus Illiberitanus XXVI. cognomento *Bæticus*, qui ſanctitatis odore plenus obiit Anno CCCC.XXIV. 424

XXVII. MANTIVS huius nominis I. Epiſcopus Illiberitanus XXVII. qui Eccleſiam ſuam feliciter gubernans obiit Anno CCCC.XXVIII. 428

XXVIII. RESPECTVS huius nominis I. Epiſcopus Illiberitanus XXVIII. cuius infula peruenit ad Annum CCCC.XLII. quô vitam exuit. 442

XXIX. ORENCIVS huius nominis I. Epiſcopus Illiberitanus XXIX. Iſtum cum XXXI. infra nominando confundunt Pedraza, & F. Petrus à S. Cœcilio, quaſi duo fuiſſent ORENTII Illiberitani

Præſules,ſed falluntur, vt ex rationibus ſupr. hoc Tom.4.Die VII. Iulij lit A. adductis probauimus.

XXX. PETRVS huius nominis III. Epiſcopus Illiberitanus XXX. vixit in Sede ad Annum Domini CCCC.LXXX. 480

XXXI. S. ORENCIVS huius nominis I. ( *quidquid dicant relati* ) Epiſcopus Illiberitanus XXXI. Scriptor Nobilis, interfuit Conciliis Tarraconẽſi,& Gerũdenſi,Obiit Die VII Iulij Anno Domini D.XVIII. 518

XXXII. HONORIVS huius nominis I. Epiſcopus Illiberitanus XXXII. creditur vixiſſe ad Annum Domini D. XXXV. 535

XXXIII. CANONIVS huius nominis I. Epiſcopus Illiberitanus XXXIII. cuius infula ad Annum Domini D. LIII. peruenit. 553

XXXIV. STEPHANVS huius nominis I. Epiſcopus Illiberitanus XXXIV. interfuit Concilio III. Toletano, & Hiſpalenſi I. ad Annum Domini D. XC. Tempore huius Præſulis aſſerit Pedraza Hiſtor. Granat. 2. p. c.21.fol.75 inſcriptum fuiſſe lapidem, & nouiſſime inuentum inter rudera foſſarum Eccleſiæ S Mariæ dùm eius fundamenta ponebant operarij, in quo Trium Altarium erectiones diuerſis temporibus factæ recenſentur, ſic.

IN. NOIE. DNI. NSI. IHV. XPI. CONSACRATA.
EST. ECLESIA. SCI. STEFANI. PRIMI. MARTYRIS.
IN. LOCVM. NATIVOLA. A. SCO. PAVLO. ACCITANO. PONFC.
:::::::::::::::::: AN. :: DNI. NSI. VVITTIRICI. REGS.
ER. DCXV. ITEM. CONSACRATA. EST. ECLESIA.
SCI. IOHANI. MARTYRIS. TE :::::::::::::::::::::
::::::::::::::::::::::::::::::::::::::::::::::
ITEM. CONSACRATA. EST. ECLESIA. SCI. VINCENTII.
MARTYRIS. VALENTINI. A. SCO. LILLIOLO. ACCITANO. PONFC.
XI. KAL. FEBR. AN. C:: GL. DNI. RECCAREDI. REGS. ER. DC. XXXII.
HEC. SCA. TRIA. TABERNACVLA. IN. GLORIAM TRINITAT:::
:::HOPERANTE. SCIS. EDIFICATA. SVNT. AB INL. GVDILA:::
:::::VM. OPERARIOS. VERNOLOS. ET. SVMPTV. PROPRIO.

Huius Inſcriptionis illuſtrationem qui videre deſiderat, adeat eundem Pedraza d.fol.75 & 76. vbi ad longum. Epiſcopi memoria ad Annum D XC. 590

XXXV. PETRVS huius nominis IV. Epiſcopus Illiberitanus XXXV. quem inter hos Præſules ſupponit Pedraza ſupr. c. 22. eiuſque obitum Anno D. XCIV. 594

XXXVI. BADVS huius nominis I. Epiſcopus Illiberitanus XXXVI. interfuit Concilio Toletano, cuius meminit Loayſa in recopilet Concil. Hiſpan. fol.& congregato Anno Domini D.XCVII. Epiſcopus Obiit Anno DC. VIII. 608

XXXVII. PISINVS huius nominis I. Epiſcopus Illiberitanus XXXVII. interfuit decreto Gundemari Regis, eius memoria ad Annum DC.X. 610

XXXVIII. RVFFINVS huius nominis I. Epiſcopus Illiberitanus XXXVIII. interfuit Synodo Egarenſi, eius memoria ad Annum DC.XIV 614

XXXIX. BISINVS huius nominis I Epiſcopus Illiberitanus XXXIX. interfuit II.Concilio Hiſpalenſi,eius memoria ad Annum DC.XIX. 609

XL. FELIX huius nominis I.Epiſcopus Illiberitanus XL. qui tempore Suintillæ Regis ad infulam acceſſit,obiit Anno Domini DC.XXII. 622

XLI. ÆTHERIVS huius nominis I Epiſcopus Illiberitanus XLI. interfuit Concilio IV. Toletano, Obiit Anno Domini DC.XXXV. 635





XLII. ANTONIVS huius nominis I. Epiſcopus Illiberitanus XLII. interfuit per procuratores ſuos Conciliis V. & VI. Toletanis ad Annum DC. XXXVIII. 638

XLIII. ÆTHERIVS huius nominis II. Epiſcopus Illiberitanus XLIII. interfuit Concilio VII. Toletano per procuratorem, eius memoria ad Annum DC. XLVI. 646

XLIV. ALLA huius nominis I. Epiſcopus Illiberitanus XLIV. interfuit Concilio Toletano VIII. ad Annum Domini DC. LIII. 653

XLV. ARGEMIRVS huius nominis I. Epiſcopus Illiberitanus XLV.de quo nihil niſi eius nominis memoria ad Annum DC. LXV. 665

XLVI. BAPIRIA huius nominis I. Epiſcopus Illiberitanus XLVI. cuius memoria ad Annum Domini DC. LXXIII. peruenit. 673

XLVII. ARGEBADO huius nominis I. Epiſcopus Illiberitanus XLVII. ex Narbonenſi Metropolita tranſlatus, interfuit Conciliis XII. per ſeipſum, & XIII. per Gratianum procuratorem, eius memoria ad Annum DC. LXXXIII. 683

XLVIII. IOANNES huius nominis VI. Epiſcopus Illiberitanus XLVIII interfuit Concilio XV. Toletano, Obiit Anno Domini DC. XCII. 692

XLIX. CENTVRIVS huius nominis I. Epiſcopus Illiberitanus XLIX. interfuit Concilio XVI. Toletano, & poſtmodum cum aliis Epiſcopis Bæticæ, & Luſitaniæ Sarracenorum iram, & gladium effugientibus, ad Oppidum Sarandulam Luſitaniæ martyrio coronatus eſt Anno Domini DCC XV. 715

L. TRACTEMVNDVS huius nominis I. Epiſcopus Illiberitanus L. ex Euorenſi ſede per Vvitizam Gothorum Regem, viuente Centurio, intruſus. Is cum Oppa, & aliis Iuliani Comitis perfidi, & traditoris conſaguineis Arabum copias in Hiſpanias admiſit, ita vt fere totius Regionis angulus à Sarracenis occuparetur, obiit à dæmone correptus Anno DCC. XIV. 714

LI. DADILANVS. huius nominis I. Epiſcopus Illiberitanus LI. Is tempore captiuitatis ad ſedem acceſſit ab Anno DCC. XXVI. quo Reges Sarraceni Chriſtianis Muzarabibus licentiam conſtituendi Epiſcopum conceſſerunt, & obiit Anno DCC. XLIV. cùm ſedem illam, vt potuit, reformaſſet. 144

LII. ADICANVS huius nominis I. Epiſcopus Illiberitanus LII. qui inter belli turbulenta conamina vixit ad Annum DCC. LIX. 759

LIII. BALDVIGIVS huius nominis I. Epiſcopus Illiberitanus LIII. Muzarabum anguſtias conſolatus, & Arabum moleſtias perpeſſus obiit Anno DCC. LXX. 770

LIV. EGILA huius nominis I. Epiſcopus Illiberitanus LIV. ex Monacho Benedictino Abbas Agalienſis, hinc Illiberitanus Pontifex; ad quem ſcripſit Adrianus I. Pont. Max. circa obſeruantiam antiquæ conſuetudinis in ieiuniis Sabbathorum; ſed adhuc reſiſtente Egilano, aduerſus eum Cixila Toletanus Antiſtes Concilium Toleti contrahit, quo illius pertinacia damnatur, ex quo protinùs reſipiſcens, Concilij decretis paruit, & obiit Anno DCC LXXXV. 785

LV. DANIEL huius nominis I. Epiſcopus Illiberitanus LV.ſuam mirificè rexit Eccleſiam ad Annum DCC.LXXXVIII.quo vitam exuit. 788

LVI. GERVASIVS huius nominis I. Epiſcopus Illiberitanus LVI. qei poſtquam ouium ſuarum ærumnas compeſceret Anno DCCC. III. vitam finiuit. 803

LVII. TVRIBIVS huius nominis I. Epiſcopus Illiberitanus LVII Huius tempore multi Chriſtiani Muzarabes ob graue Maurorum iugum, relictâ vrbe Gallias contendentes, ſub Ludouici Pij Regis tutamine vitam, & fidem conſeruarunt illæſam. Obiit Epiſcopus anguſtiis confectus Anno DCCC.XXIV. 824

LVIII. Aqvila huius nominis I. Epiſcopus Illiberitanus LVIII. qui ob Chriſtianorum fugam à Sarracenis afflictus Anno DCCC. XXIX. occubuit. 829

LIX. Gebaldvs huius nominis I. Epiſcopus Illiberitanus LIX. qui poſtquam Eccleſiam ſuam rexiſſet verbo, & exemplis Anno DCCC. XXXIX. obiit. 839

LX. Sentilanvs huius nominis I. Epiſcopus Illiberitanus LX. cuius doctrina Muſarabes recreabantur, Obiit Anno DCCC. L. 850

LXI. Samvel huius nominis I. Epiſcopus Illiberitanus LXI. qui cum Recafredo Cordubenſi, & Hoſtigeſio Malacitano Concilabulum Cordubæ indixit, cuius canones condemnat S. Eulogius *lib. 2. Memor SS. c. 25.* Hinc meruit a Sede deponi ab Vviſtremiro Toletano Primate Anno DCCC. LVII. 857

LXII. Gervasivs huius nominis II. Epiſcopus Illiberitanus LXII. ab eodem Vviſtremiro Primate in locum *Samuelis* depoſiti electus: interfuit Concilio Toletano, ad Annum DCCC. LVIII. indicto, pro electione Epiſcopi Toletani demortui, quô S. Eulogius ſuffectus eſt, ſed martyrij coronâ præpeditus, mytram recipere nequiuit. Obiit Epiſcopus Anno DCCC. LXXXVII. 887

LXIII. Reccaredvs huius nominis I. Epiſcopus Illiberitanus LXIII. qui fidelis ſeruus exiſtens, repromiſſionem accepit Anno DCCC. LXXXVIII. 888

LXIV. Maxilanvs huius nominis I. Epiſcopus Illiberitanus LXIV. poſtquam Eccleſiæ ſuæ obſequia præſtitit, Anno DCCC. XCIV. obiit. 894

LXV. Senadivs huius nominis I. Epiſcopus Illiberitanus LXV. qui infulam breui denudans vitâ functus eſt Anno DCCC. XCVI. 896

LXVI. Niterivs huius nominis I. Epiſcopus Illiberitanus LXVI. qui dignitatis munere, & onere inter illius ſeculi turbulentias inſigni pietate perfunctus, tandem Anno DCCCC. IV. vitam cum morte permutauit. 904

LXVII. Samvel huius nominis II. Epiſcopus Illiberitanus LXVII. qui glorioſe miniſterij pondera ſuſtinens vitâ exuit Anno DCC CC.X. 910

LXVIII. Pantaleo huius nominis I. Epiſcopus Illiberitanus LXVIII. cuius tempore ſæua aduerſus Chriſti ſeruos perſecutionis procella exorta eſt, ille ad Annum DCCDC. XXVIII. viuere deſiit. 928

LXIX. Gvndaforivs huius nominis I. Epiſcopus Illiberitanus LXIX. tempore quo vires perſecutio Arabica Martyrum occiſione capiat; hinc ærumnis confectus corporis ſarcinam Anno DCCCC XLII. reliquit. 942

LXX. Pirhiscivs huius nominis I. Epiſcopus Illiberitanus LXX. qui nec non Arabum ſęuiſſimum furorem contra Chriſti membra conſpiciens, nec eis occurrere, vt fidem datam in vrbis deditione ſeruarent, voluiſſet: Muzarabibus ad conſtantiam confeſſionis Chriſti validis rationibus perſuaſit. Hinc ab aliquibus Scriptoribus Epiſcopus iſte inter Martyres illius ſeculi recenſetur. Ille vero obiit ad Annum DCCCC. LXIX. vel circiter. 969

LXXI. Tractemvndvs huius nominis II. Epiſcopus Illiberitanus LXXI. cuius nomen, & infulam debemus Luitprando Subdiacono Toletano, poſt Diacono Ticinenſi, ac tandem Cremonenſi Præſuli, ad quem Noſter Pontifex Illiberitanus ſequentem Epiſtolam ſcripſit, quâ ſtatus Eccleſiæ Illiberitanæ, & Muzarabum eius diœceſis anguſtiæ breuiter enarrantur.

*EPISTOLA*



## EPISTOLA TRACTEMVNDI EPISCOPI Illiberitani in Hiſpania ad Lvitprandvm Diaconum Ticinenſem, & Toletanum Subdiaconum.

Sancto, *& amabili filio* Lvitprando, *olim Eccleſiæ* Toletanæ *Subdiacano*, Ticinenſis *verò Leuitæ*, Tractemvndvs *Eccleſiæ* Illiberitanæ *peccator* Epiſcopus, *ſalutem in Domino Noſtro* Iesv-Christo. *Lectis tuis literis, Fili chariſſime, magnâ conſolatione ſuffuſus ſum, ſciens te rectè valere, ac in Germaniæ longâ peregrinatione, in patientiæ perutili exercitatione valdè proficere Etenim vita noſtra militia eſt, à multis retro temporibus grauis, & difficilis, innumeris periculis, incommodiſque inexcogitabilibus expoſita, donec ad littus optatiſſimæ patriæ peruenire Dominus nobis concedat. Quod autem ſcire deſideras de me, ſic habeto: Nos verſari in hoc Oppido* Granatenſi, Illiberitanæ *noſtræ ciuitati proximo, inter fideles* Muzarabes, *qui cum improbis Sarracenis (vt cumque poſſumus) conflictantes, quotidie morimur. Sed gratias Deo Patri, & Domino Noſtro Ieſu Chriſto, eius Filio, qui dat ferre poſſe, & inter tot aduerſa fidem Catholicam viriliter confiteri. Quotidie crebrò pro meis omnibus ouibus oro; diebus Dominicis ad patientiam, conſtantiamque eas exhortor: aliquando legi facio Epiſtolam S. Pontificis* Adriani *Papæ, quam de hoc argumento ad* Egilonem *prædeceſſorem meum ſanctæ memoriæ Pontificem miſit, quæ in Tabulario noſtræ Eccleſiæ reuerenter ſeruatur, ſicut aliorum Romanorum Pontificum, & Dyptichon ſacrum, & Epiſcoporum huius Eccleſiæ, quæ* Cœcilium *habuit primum Paſtorem,* S. Iacobi *cùm venit in* Hiſpaniam *Ieroſolymis indiuiduum comitem; iugiſque memoriæ SS. Martyrum, qui in perſecutionibus Eccleſiæ, pro fide Catholica conſtanter paſſi ſunt: nec deſunt, quos* Sarraceni *mactatos, & in occiſione gladij necatos ad cœlos tranſmittunt in dies. Ora pro me Fili chariſſime.*

Cætera in Epiſtola recenſita nequaquam ad Noſtræ relationis propoſitum ſpectant, ideo illa omiſimus; prout & Epiſtolam Reſponſiuam Lvitprandi, quâ S. Præſulem in hiſce anguſtiis ſolatur; cum nec prorſus ad rem de qua agimus eius relatio pertineat.

Igitur Noſter Epiſcopus Ciuis Toletanus fuit, illiuſque S. Eccleſiæ Archipresbyter ac demum ſuis ſuffragantibus meritis Epiſcopus Illiberitanus, qui ſedem obtinuit ad Annum Domini DCCCC. LXXIV. quo vitam exuit. 974

LXXII. Gapivs huius nominis I. Epiſcopus Illiberitanus LXXII. An iſte fuerit immediatus Succeſſor *Tractemundi*, an temporibus ſubſequentibus ad apicem dignitatis acceſſerit, in dubio eſt. Illud abſque difficultate liquet, quod Sarraceni potentiâ elati prorſus electionem Epiſcoporum Muzurabibus interdixere; quod alij eueniſſe aiunt ad Annum M.C.XXVI. quando Arabes Almorabides ex Africa Hiſpaniam transfretantes omnes Chriſti aſſeclas in Marochium abire compulere: alij vero ad Annum M.C.LI. quo Almohades Sarraceni Hiſpanias aduentantes prorſus Muzarabes extinguendos omnino decreuere. Hinc Eccleſia Illiberitana abſque Præſule iacuit ad Annum Domini M.CCCC.XCII. per fere CCC. XLI. Annos, quouſque vrbs Granatæ, quæ Illiberi ſucceſſit, à Catholicis Ferdinando, & Iſabella Hiſpaniæ Regibus capta fuit. Cuius ſeculo Eccleſia Granatenſis Metropolitica facta eſt ab Illuſtriſſimo D.D. Petro Gonzalez de Mēdoza Archiepiſcopo Toletano, S.R.E.

 Cardi

Cardinali, cui Innocentius VIII. Pont. Max. erectionem commiſerat Romæ Anno M CCCC. LXXXIV. qui illam debitis miniſtris, Dignitatibus, Canonicis, Portionariis, & Capellanis erexit. Hinc Archipiſcoporum ſeries ſequens duxit exordium.

## *ARCHIEPISCOPORVM Granatenſium Series, & Cathalogus incipit.*

I. D. F. FERNANDVS huius nominis I. Archiepiſcopus Granatenſis I. Pontifex Illiberitanus LXXIII. cognomento *Talauera*, ex S. Ieronymi fratribus, Catholicorum Regum Confeſſarius electus, deinde Abulenſis Epiſcopus, & denique ad hanc Metropoliticam tranſlatus, qui ſanctitatis honoribus perfulgens, vrbem, diœceſim, & populos tot Sarracenorum ſpurcitiis fœdatos, oblimauit, poliuit, & ad Catholicæ veritatis cognitionem reduxit. Obiit ſanctitatis opinione Anno M. D. VII. 1507

II. D. ANTONIVS huius nominis I. Archiepiſcopus Granatenſis II. Pontifex Illiberitanus nomine II. Ordine LXXIV. qui ex Magiſtro Ferdinandi Infantis Præſul Maioricenſis eſt factus, deinde in hanc Sedem euectus: poſtea Caſtellæ Præſes, & denique Palentinus Antiſtes Anno M. D. XXIV. 1524

III. D. FRANCISCVS huius nominis I. Archiepiſcopus Granatenſis III. Pontifex Illiberitanus LXXV. cognomento *de Herrera*, ex Collegio S. Bartholomæi Salmanticenſi Iudex Metropolitanus Compoſtellanus, Vicarius Complutenſis, & Toletanus, Inquiſitor, & Canonicus: Archicapellanus Oratorij Regum Nouorum, deinde S. G. Inquiſitionis conſilij Cenſor, & Cancellariæ Granatenſis Præſes, die XX. Octobris huius Metropoliticæ Sedis poſſeſſionem accepit Anno M. D. XXIV. Die XX. Decembris eiuſdem Anni inter tot honorum cumulos mortem inuenit. 1524

IV. D. PETRVS huius nominis I. Archiepiſcopus Granatenſis IV. Pontifex Illiberitanus nomine V. Ordine LXXVI. filius Dynaſtarum Moquerenſium, & Marchionum Villæ nouæ del Freſno, ex Sede Ciuitatenſi ad hanc Metropoliticam euectus, cuius poſſeſſionem per procuratorem accepit die II. Decembris Anni M. D. XXVI. ſed haut eius Eccleſiam ingreſſus, die XVI. Iunij eiuſdem anni vitam, & dignitatem amiſit. 1526

V. D. F. PETRVS huius nominis II. Archiepiſcopus Granatenſis V. Pontifex Illiberitanus nomine VI. ordine LXXVII. cognomento *Ramiro de Alua*; ex Vicario Loxenſi in Regno Granatæ, Dei monitione, Religioſus ordinis S. Ieronymi, & eius Cœnobij Granatenſis Prior, obiit Anno M. D. XXVIII. 1528

VI. D. GASPAR huius nominis I. Archiepiſcopus Granatenſis VI. Pontifex Illiberitanus LXXVIII. cognomento *Aualos*; ex Collegio S. Crucis Valleſoletano Canonicus Magiſtralis Carthaginenſis, Epiſcopus Accitanus, & demùm Metropolita Granatenſis, qui Vniuerſitatem, & Academiam in eadem vrbe Clementis VII. Pont. Max. auctoritate, & Caroli V. Imperatoris munificentiâ feliciter inſtituit. Poſtea ad Compoſtellanam Sedem Anno M. D. XLI. tranſlatus purpureum Galerum à Paulo III. accepit, & 1541
obiit Anno M. D. XLV.

VII. D. FERNANDVS huius nominis II. Archiepiſcopus Granatenſis VII. Pontifex Illiberitanus LXXIX. cognomento *Niño de Gueuara.* ex Præſide Realis Cancellariæ; deinde Epiſcopus Seguntinus, & Patriarcha



Patriarcha Indiarum Anno M. D. XLVI. Obiit Anno M. D. LII. 1546

VIII. D. PETRVS huius nominis III. Archiepiſcopus Granatenſis VIII. Pontifex Illiberitanus nomine VII. ordine LXXX. cognomento *Guerrero*, ex Canonico Seguntino, & Conchenſi, multa præclara geſſit, bis ad Concilium Tridentinum acceſſit, obiit Anno M. D. LXXVI. 1576

IX. D. IOANNES huius nominis I. Archiepiſcopus Granatenſis IX. Pontifex Illiberitanus nomine VII. ordine LXXXI. cognomento *Mendez de Saluatierra.* ex Canonico Complutenſi, & Conchenſi; plenus dierum, & bonorum operum obiit Anno M.D.LXXXVIII. 1588

X. D. PETRVS huius nominis IV. Archiepiſcopus Granatenſis X. Pontifex Illiberitanus nomine VIII. ordine LXXXII. cognomento Caſtro Quiñones, ex Auditore Cancellariæ Valleſoletanæ, Præſide Granatenſis, & Pintianæ electus Calagurritanus Antiſtes. Inuenit Reliquias Sacri Montis Illipulitani, quo Eccleſiam conſtruxit: hinc ad Hiſpalenſem Anno M. DC. X. tranſlatus, obiit 1610
Anno M. DC. XXIII.

XI. D. F. PETRVS huius nominis V. Archiepiſcopus Granatenſis XI. Pontifex Illiberitanus nomine IX. Ordine LXXXIII. cognomento *Gonzalez de Mendoza*, ex Commiſſario Generali totius Ordinis Minorum electus Epiſcopus Oxomenſis, deinde huius Sedis Metropolita, è qua ad Cæſarauguſtanam Anno M.DC.XV. tranſiuit, poſt 1615
ad Seguntinam, quâ obiit Anno M. DC. XXXIX.

XII. D. PHILIPPVS huius nominis I. Archiepiſcopus Granatenſis XII. Pontifex Illiberitanus LXXXIV. cognomento *de Taßis*, ex Canonico Salmantino, Barcinonenſi, & Valentino Inquiſitore, Priore Burgi Oxamenſi, S.G.Inquiſitionis Conſiliario, Commiſſario Generali S. Cruciatæ, Epiſcopo Palentino; Obiit XX. Iulij Anno M. DC.XX. 1620

XIII. D. GARCERANVS huius nominis I. Archiepiſcopus Granatenſis XIII. Pontifex Illiberitanuss LXXXV. cognomento *Albanell.* ex Magiſtro Philippi IV. tunc Principis, Abbate Alcalę Regalis. Obiit Anno M.DC. XXVI. 1626

XIV. D. AVGVSTINVS huius nominis I. Archiepiſcopus Granatenſis XIV. Pontifex Illiberitanus LXXXVI. cognomento *Spinola*: de quo diximus in Catalogo Hiſpalenſium Præſulum. Ex hac ad Compoſtellanam tranſiuit Anno M. DC. XXX. 1630

XV. D. MICHAEL huius nominis I. Archiepiſcopus Granatenſis XV. Pontifex Illiberitanus LXXXVII. cognomento *Santos de S. Pedro*, ex Epiſcopo Solſonenſi Præſes Caſtellæ, quo munere obiit Anno M.DC. XXXIII. 1633

XVI. D. FERNANDVS huius nominis III. Archiepiſcopus Granatenſis XVI. & Illiberitanus Pontifex LXXX. cognomento *Valdes.* ex Præſide Caſtellæ, & Epiſcopo Legionenſi, tandem vt prædeceſſor obiit abſque ſuæ Sponſæ intuitu, & amplexu Anno M. DC. XXXVIII. 1638

XVII. D. MARTINVS huius nominis I. Archiepiſcopus Granatenſis XVII. Pontifex Illiberitanus LXXXI. cognomento *Carrillo*, primùm Ouetenſis Epiſcopus, Obiit Anno Domini M.DC. LIII. 1653

XVIII. D. ANTONIVS huius nominis II. Archiepiſcopus Granatenſis XVIII. Pontifex Illiberitanus nomine III. Ordine LXXXII. cognomento *Calderon*, Magiſter Sereniſſimæ Infantiſſæ Hiſpaniæ Tereſſæ Mariæ. Obiit Anno M.DC.LIV. 1654

Adhuc vacat Sedes.

DECIMO

# DECIMO QVINTO.

## Kalend. Septembris.

## DIES XVIII.

A. *Apud Regale* Exilienſe *Cœnobium in Hiſpania* Tranſlatio *ſacrorum pignorum* B. DOMINICI *ipſius Monaſterij Abbatis, quæ cùm primò in Monachorum tumulata clauſtro per aliquot annos iacuiſſent, poſtmodum* Scemenio *Epiſcopo* Burgenſe *diſponente, &* Alphonſo *VI. Rege Catholico Caſtellæ, & Legionis auctorante, intra Eccleſiæ angulum, in Arâ B. Viri nomini dicata, non ſine multiplici mirabilium frequentiâ, & plebium deuoto iubilo, honorifice tranſlata quieſcunt.*

---

# NOTÆ.

A. TRANSLATIO *ſacrorum pignorum* S. DOMINICI *Exilienſis.* ] Et ſi nullibi hæc feſtiuitas in Scriptoribus editis hac die reperiatur, tamen illam conſignat Monachus Coætaneus, & ferè ſynchronos S. Abbati, qui eius res geſtas luculento ſermone proſecutus, etiam huius *Tranſlationis* ecphraſim adnotauit. Huius operis Codex MS. Gothicis, & vetuſtis elementis exaratus adſeruatur in Cœnobio *Exilienſi*, quem beneficio eruditiſſimi amici *D. Gaſparis Ibañez de Segobia* Alcantarenſis Equitis accepi, è quo ſequentem *Tranſlationis* relationem excripſi.

### *ACTA TRANSLATIONIS Pignorum ſacrorum* S. DOMINICI *Abbatis Exilienſis, ex MS. Codice Monachi Coætanæi.*

*Scemenius Epiſcopus tranſlationem decreuit.*

CRESCENTE *igitur mirabilium operum* B. DOMINICI *præclarâ magnificentiâ, quâ ſunt euidenter manifeſtata veneranda meritorum eius inſignia, cœpit etiam creſcere erga venerabile S. Viri* Corpus *ſumma populorum deuotio, & infinita promiſcui ſexus ad ſacrum tumulum eius properantis frequentia. Deo dignus itaque* Scemenius *Epiſcopus, qui omnibus illius felicibus interfuit actibus, viſis tot, tantiſque ſignorum virtutibus, cum conſilio Venerabilis Viri* Fortunij *eiuſdem Monaſterij Abbatis, & cum piæ deuotionis affectu totius deuotæ congregationis, & cum conſenſu, ac voluntate* Adephonſi



Adephonſi *Hiſpaniarum Regis glorioſiſſimi, Filij* Ferdinandi *Regis, omni regali ſtrenuitate opinatiſſimi, fratris* Sanctij *Regis, omni deuotâ pietate, & bellicosâ virtute, chriſtianâque religioſitate pollentis, & cum voluntate omnium vicinorum Epiſcoporum & Abbatum, atque Optimatum, omniumque circum habitantium populorum, decreuit, dignumque indicauit,* Corpus B. DOMINICI, *ad venerabilioris ſanctitatis, eminentioriſque dignitatis locum, eſſe merito transferendum. Sacratiſſima denique membra tanti Viri, apud Deum tanta meritorum ſanctitate excelſi, indignum cunctis videbatur, retineri loco humili; quod & religiosâ deuotione completum eſt, annuente clementiâ Domini. Adueniente denique prænominato Pontifice cum ſuorum deuoto conuentu Clericorum, ac præfati loci Abbate* Fortunio *cum Religioſorum agmine Monachorum, conuenientibus etiam plurimis turbis Nobilium, plebeiorumque populorum, ac dignâ reuerentiâ, debitâque religioſitate, completis diuinis Miſſarum, hymnorumque officiis,* TRANSLATVM *eſt* CORPVS *Sanctiſſimi Viri à Sepulchro in quo primum, excedens à ſeculo, fuerat reconditum, & intra Eccleſiam ante Altare* B. Martini, *vbi nunc veneratur, honorificè eſt tumulatum: quo in loco ad vſus diuinorum ſacrificiorum Ara in ipſius honore ac nomine eſt constructa, vbi creberrimè monſtrantur diuina, ipſo obtinente beneficia omnibus cum fide, & deuotione ad ipſius venientibus poſcenda ſuffragia. Nos igitur dilecti Fratres, qui tàm digniſſima merita, tamque præclara beneficia tanti Patroni, quotidie oculis intuemur, & aſſiduâ ipſius largitate perfruimur, monita eius ſalubria, ſaluti animarum noſtrarum congrua (quibus omnes ſuos auditores, adhuc in corpore manens, omni vigilantiâ verbis inſtruxit, & adhuc licet anguſtiâ ſepulchri clauſus, clareſcentibus miraculorum ſignis, inſtruere non deſiſtit) à mente nunquam abſcindamus, ipſis intento ſtudio inhæreamus; errores & culpas quas fecimus, ante oculos cordis reuocemus; de ipſis antequam obtenebreſcat, id eſt, antequam mors ſubripiat, fructus dignos pœnitentiæ faciamus; mortifera, & infernalia crimina funditùs abiiciamus; amicos in Deum, & inimicos propter Deum diligamus; indigentibus, & impotentibus ſecundum noſtrum poſſe ſucurramus; ſuper omnia autem veram charitatem, quæ eſt vera dilectio Dei, & proximi obſeruemus; fidelibus defunctis quotidianum iuuamen orationum, & eleemoſynarum impendamus; nullis moleſti, omnibus beneuoli ſimus. Si enim his, atque huiuſmodi bonis operibus intenti fuerimus, & Deum propitium, & omnibus noſtris deſideriis, & orationibus fautorem habebimus, & iuuamine, atque interceſſione* B. P. N. DOMINICI, *(cuius hodie Tranſlationis feſtiua gaudia, vnà cum ſanctiſſima illa Regina* Helena, *Magni Conſtantini Matre, quæ etiam hac die, in cœlos coronata tranſcendit, cordialibus, & ſolemnibus officiis celebràmus) proculdubio digni erimus conſequi meliora, & frequentia tutamina. Eſt nempe maximè nobis vtile, ſic vnanimiter, ſic ſyncereter tranſitoriam, temporalemque illius feſtiuitatem celebrare; ſic illi debitas laudes perſoluere, quatenus ipſius meritis, & precibus, ad nunquam finiendam ſed æternaliter permanſuram Supernorum Ciuium feſtiuitatem, curſu huius vitæ peracto, felices, & gaudentes mereamur introire: præſtante* D. N. IESV-CHRISTO, *qui cum Deo Patre, & Spiritu-ſancto viuit & regnat per omnia ſecula ſeculorum, Amen.*

*Fit Tranſlatio.*

*Dies Tranſlationis.*

Poſt hanc relationem in Codice MS. recenſentur C. XIV. miracula, à Deo facta S. Abbatis interceſſione, quorum Monachus Scriptor diuiſit duobus libris numerum. Poſt hæc hocce Epitaphium ſubiungit. *Miracula.*

*Hac Tumbâ tegitur, dignâ qui luce beatur,*
*Dictus* DOMINICVS, *nomine conſpicuus.*
*Orbi quem ſpeculum Chriſtus conceſſit honeſtum,*
*Exhortando bonos, corripiendo malos:*
*Solſtitium mundo dùm dat brumalis origo*

*Subſtrahitur mundo, iungitur in Domino.*
*Protegit hic plebes ſibi fide mente fideles:*
*Nuncque tuendo ſuos, poſt trahat ad ſuperos.*
*Transfertur Corpus, cùm ſpiritus almus* Helenæ
*Iungitur Angelicis, Spiritibuſque piis.*

Hinc verum *Tranſlationis* Diem agnoſces tàm in proſa, quàm in verſu, cùm Dies tranſitus *S. Helenæ* fuerit XV. *Kalendis Septembris*, vt ex Romano liquet Martyrologio.

*Annus Tranſlationis.* QVATENVS ad Annum crederem eueniſſe *Tranſlationem* hanc ad Annum M.LXXVI. Nàm *Scemenius* Epiſcopus, qui tranſlationem exegit, tunc temporis erat Epiſcopus *Aucenſis*, quæ ſedes tranſlata fuit ad Oppidum *Gamonalenſe* Anno M.LXXVII. vbi fuit primus Epiſcopus *Scemenius*, & vltimus *Aucenſis*, & ſic patet *Tranſlationem* factam antequam *Scemenius Gamonalenſis*, Sedis Epiſcopus appellaretur. Ita M. Ægidius Gonzal. Chronographus Regius *in Theatr. Eccleſ. Tom.* 3. *fol.*63. & Nos ſupra in *Dedicat. S. E. Burgenſis hoc Tom.*4. *Die XX. Iulij. lit. F.*

# DECIMO QVARTO
## Kalend. Septembris.
## DIES XIX.

A. *Apud* Caſtrum Brincolam *in Prouincia* S. LVDOVICI *Toloſanæ Eccleſiæ Epiſcopi, qui vitâ, & morte miraculis clarus quieuit in Domino. Cuius ſacra pignorâ* Maſſiliâ Valentiam *delata honorificè ſeruantur, & coluntur.*

B. GERVNDÆ *in Hiſpania Citeriori* Depoſitio *ſacrorum Corporum* SS. MARINI, *Epiſcopi, &* PATRONI *Confeſſorum, qui per virtutum ſemitas properantes, ad amœniſſimos gloriæ campos feliciter peruenere. Quorum exuuiæ ſacræ elegantiſſimis incluſæ thecis, ab omnibus fidelium turbis venerantur.*

C. PLACENTIÆ *in* Vettonia Hiſpaniæ *Depoſitio* S. IVLII *Senatoris Romani, qui ſub Vitellio Præfecto, imperante Commodo, per fuſtium iterata ſupplicia, martyrio coronatus occubuit. Cuius ſacra lipſana Româ* Vrbano *VIII. Pont. Max. concedente tranſlata ibidem in ſacrario cuſtodiuntur.*





# NOTÆ.

A. TRANSLATIO *Corporis* S. LVDOVICI *Epiſcopi Toloſani.*] Duplici titulo feſtum huius S. Præſulis concelebrat *Hiſpania*, & quia ex *Hiſpaniæ* Regiis familiis oriundus; & quia eius ſacra pignora Vrbs *Valentina* omnibus ſeculis opulenta veneratur, & poſſidet. Hæc duo ſuis locis probabimus, nunc ad eius elogia procedamus.

*Martyrologia.* *Martyrologium Romanum* Baronij eius memoriam hac ſerie recolit. *In* Prouincia *apud* Caſtrum Brincolam *depoſitio* S. LVDOVICI *Epiſcopi, Toloſani, vitâ ſanctitate, & miraculis clari, cuius Corpus inde Maſsiliam tranſlatum, in Eccleſia Fratrum Minorum honorificè conditum eſt.* Conueniunt Martyrologia *Caſtellanum* P. Dionyſ. Vazq. *Luſitanum* P. Ioann. Lup. *Italum* Conſtant. Felic. *Gallicanum* Andr. Sauſſ. *Tom.* 1. *fol.* 526. Franciſcanum Arturij à Monaſter. *fol.* 354. & aliorum recentiorum. De eo Martinus Polon. *in Chron Ann.* 1297. S. Antoninus in *Summ. Hiſtor.* 3. *p. tit.* 24. *c.* 14. Gonzaga *Hiſtor. Seraph.* 2. *p. lib.* 6. & plurimi relati ab Arturo in *Not. ad Martyrolog. Franciſcan. h. d. fol.* 354. § 3.

*Scriptores.* Ex noſtris Aluarus Pelagius de *Planct. Eccleſ. lib.* 2. *c.* 73. Marinæus Siculus *de Reb. Hiſpan. lib.* 11. Marcus Vliſyponenſ. Minor. in *Chron. Minor.* 2. *p. lib.* 6. *c.* 1. *ad* 23. Scolanus *Hiſtor. Valent. Tom.* 1. *lib.* 4. *c.* 1. *n.* 8. Solozarno in *Sacrar. Valentin. in relat. Reliquiar. fol.* 158. *col.* 2. P. F. Ioannes Marieta *Hiſtor. SS. Hiſpan. lib.* 5. *c.* 84. *fol.* 141. P. Martinus de Roa *Hiſtor. Malacitan. c.* 16. *fol.* 51. Antonius Panormit. *in Vit. Alphonſ. Arag. Reg. lib.* 2. *c.* 4. Ioannes Santes in *Specul. Rom. Princip. tit.* 8. *n.* 5. *fol.* 55. Eius ACTA ſcripſere F. Franciſcus Scarerius, Petrus Epulanus, & alij. Ea collegere Surius *Tom.* 4. Lippelleus *Tom.* 3. Gazetus *Tom.* 2. Villegas, Ribadeneyra, & cæteri *Florum SS. Scriptores*, illa ex anonymo apud *Sedulium* damus; imò ex *Bulla Canonizationis* à Ioanne XX. Pont. Maxim. expeditâ, addita origine *Hiſpana.*

## *ACTA S. LVDOVICI EPISCOPI Toloſani Confeſſoris, origine Hiſpani, ex Bulla Canonizationis à Ioanne XXII. expedita Pont. Max. & aliis.*

*Parentes, & origo Hiſpana.* LVDOVICVS *ex Regali proſapia Francorum*, Hiſpanorum, & Vngarorum *Regum oriundus fuit. Nam illi Pater extitit* Carolus II *filius Caroli I. Siciliæ Regis, qui fuerat filius Ludouici* VIII. & Blanchæ *coniugis, filiæ* Alphonſi IX. *Caſtellæ Regis, & frater* S. Ludouici IX. *Galliæ Regis, ita vt ex hac linea* LVDOVICVS *Noſter fuerit abnepos* Blanchæ, *& Trinepos* Alphonſi IX. *cognomento Nobilis. Eius Mater* Maria *ex* Vngarorum *Regum proſapia originem traxit. Igitur* Ludouicus *tantis ornatus Regalibus ornamentis, in ætate exiſtens tenera, ſub Magiſtri religioſâ diligentiâ cum ſuis fratribus tenebatur. Ipſe tamen ibi maturis intendendo moribus, ſub tenello pectore geſtare ſe ſenilem animum oſtendebat.*

*Obſes datur cum duobus fratribus.* *Ductus in* Cathaloniam Hiſpaniæ *cum Duobus fratribus, datus obſes pro liberatione* Caroli *Regis Parentis, tàm feruenter dedicauit ſe ſtudio, quòd infra ſeptennium, quo ibi etiam obſes fuit, ſub inſtructione Fratrum Minorum, quos ſecum habebat in ſocios; in primitiuis ſcientiis, & ſacrâ paginâ ſic profecit, quòd Vir Dei pollens ingenio, de prædictis ſcientiis, non ſolum publicè, ac priuatè ſubtiliter diſputare valeret, ſed & ſolemniter Clero ac Populo proponere verbum Dei: vt putaretur ſcientia hæc infuſa, ſibi magis diuinitus, quam humanitus adquiſita. In Orationibus ſedulus, & deuotus, mentem ad Deum eleuatam tenuit: profecto ſciens, quod Oratio humiliantis ſe nubes penetrans pro exau-*

*Pietas eius in Miſſam.*

ditionis ſuffragio Deum adit. In tempore namque dicto, ſacramentali confeſſione præmiſſâ, Miſſas audiebat deuotè; in magnis verò feſtiuitatibus, cum præparatione multâ Corpus ſumebat Dominicum. Factus etiam Sacerdos diebus ſingulis celebrabat. Audientiæ verbi Dei inſiſtebat attentè: pro paſtu verò animæ in ſcripturis deuotus, ſtudens, habebat ad hoc pro ſolatio ſanctos libros. Caſtitatis autem amor à puero affecerat eius mentem adeo, vt ob ipſius fidam cuſtodiam, mulierum conſortia fugiebat omnino: in tantum quòd niſi forſan cum Matre, & Sororibus, ſolus cum ſola nullo vnquam tempore loquebatur. Mulierem namque amariorem nouerat eſſe morte: Verba etiam inboneſta horrebat audire, ac loquentes talia grauiter arguebat: attendens prudenter, quod corrumpunt mala colloquia bonos mores. Fratres nihilominus Duo, & interdum quatuor in ſua iacebant camerâ in ſuæ teſtimonium nitidæ puritatis. Cum Apoſtolo Paulo ſobrietate cibi & potus corpus ſuum caſtigabat aſſiduè: ſeque frequenter manu ſuâ, quandoque autem alicuius fratris conſocij cum catenis ferreis diſciplinans: veſtiendo pro camiſia rude ſtamen, & deferendo ad nudum pro cingulo cordam groſſam, ipſam carnem in ſeruitutem redigebat.

*Caſtitas illibata.*

*Voto ſe conſecrauit Ordini Minorum.*

SVMMO etiam ſtudio terrena cuncta calcare ſtuduit, ex deſiderio æternorum. Conſiderans etiam Sanctus iſte quòd Mundus totus ſit poſitus in maligno, quodque cum concupiſcentia ſua tranſit, ipſum fugiendo deſeruit totaliter, & contempſit. Nam rediens de Cathalonia cum Rege prædicto, votum quod de intrando ordinem fratrum Minorum in obſidione fecerat, in Conuentu eorundem Fratrum de Monte Peſſulano voluit adimplere. Sed videns quod timore dicti Regis ipſum Fratres recipere non audebant, votum ipſum ſolemniter iterauit. Et quia vouentibus præceptum nouerat de reddendo: ſuadenti felicis recordationis Papæ Bonifacio, quòd adſenſum præberet prouiſioni de ſe factæ Eccleſiæ Toloſanæ, nullatenus conſenſit, quadusque votum dictum quod fecerat, compleuiſſet. Cuius deuotioni annuente Pontifice, habitum ordinis prædicti ſuſcipiens LVDOVICVS, in præſentia Ioannis Epiſcopi Portuenſis eiuſdem Ordinis Generalis Miniſtri expreſſam profeſſionem flexis genibus, in manibus eius fecit ſicque prouiſioni prædictæ ſuum præbendo adſenſum, mandatis Apoſtolicis obediuit. Et quamuis de iuſſu Bonifacij prædicti dictum habitum velatum portauerit, vſque ad feſtum B. Agathæ tunc vicinum: in dicto tamen feſto in præſentia duorum Cardinalium recepit publicè ac ſic extunc portauit continuè, atque ipſo die ad S. Petrum patenter detulit peditando. Miranda res & alias inſueta: Vir namque virtutum poſitus in ſublimi, iuri primogenituræ renunciauit & regno: Regalis ſolij ſpretâ pompâ, pro regno corruptibili æternum, ac plenum deliciis regnum mercans. Mirâ verò compaſſione ad pauperes ferebatur, quibus largas, tàm priuatas, quàm publicas eleemoſynas faciebat. Vnde iam factus Epiſcopus Toloſanus, per vnum ſuum familiarem Secretarium mandauit inquiri de ſuorum quantitate redituum, quantumque ſibi ſufficeret pro moderatis expenſis faciendis, & rationalibus: volens quòd totum reſiduum in ſuſtentandis pauperibus poneretur, quamquàm Prælatus tàm magnus eſſet, & filius tanti Regis. Cum autem iret Pariſios, pauperem quendam nudum reperit, cui multum compatiens abſconditè cappam contulit quam portabat, ſibique fecit aliam ſecretè adportari. In hoc etiam Chriſti imitatore nihilominus humilitas vera fulſit. Attenditque quòd Deus qui mærentes ſoſpitate erigit, ponit humiles in ſublime. Ipſe enim viginti quinque pauperes in domo ſuo reficiebat quotidie, aquam manibus infundebat, manuque ſuâ ipſis fercula adponebat, ac panes ſcindebat eiſdem etiam genu flexo: in ipſis Chriſto ſeruire, & ipſum recipere ſe delectans.

*Fit Epiſcopus Toloſanus poſt votum ſolutum.*

*In pauperes liberalis.*

*Ipſe paupertatis amator.*

HOSPITALIA pauperum aliquoties viſitabat. Sciens denique, quòd qui veſtiuntur mollibus, in hoc à Domino non laudantur, poſt Diaconatus ſumptum ordinem, ſemper veſte humili vſus fuit. Poſt ingreſſum verò prædicti Ordinis, vili habitu, ac bruno colore in tapetiis, cortinis, & lecti coo-

pertoriis



pertoriis vtebatur. Pontificatus etiam officium exercebat cum diligentia Seruus hic Chriſti fidelis, & prudens; Miſſas dicendo aſſiduè, deuotiſſimè Ordines celebrando, Clericos quibus de beneficiis prouidere volebat examinando de virtutibus, & vitiis, & articulis fidei, vitâ, & moribus diligenter. Iudæos, & Gentiles, zelo feruens Dei, inducebat ſedulè ad baptiſmum, ac quoſdam eorundem ſacro de fonte leuauit. Demùm glorioſus iſte ſanctus, curſu vitæ conſummato, feliciter ad Deum fontem viuum, quem auide ſitierat, migraturus, infirmitate decumbens vltimâ, deuotiſſimè ſumpſit Corpus Dominicum, quamuis debilis de lecto exiliens in occurſum Domini Saluatoris. Cruce autem ſibi datâ per quendam ex ſociis, deoſculabatur illam genuflexùs in lecto, vt potuit: ac in oratione deuotâ & ſilentio poſtmodum diu manſit. In Cruce namque Domini Noſtri Ieſu Chriſti, & non in alio didicerat gloriari. Tandem glorioſam reſolutus in mortem, qui hîc viuus ambulauit in innocentia in medio domus ſuæ, ad Deum ſuum contemplandum in gaudio, facie reuelatâ in ſua innocentia eſt ingreſſus, XIV. Kalendas Septembris, Anno Domini M. CC. XCVII. Cuius Corpus ſepultum fuit Maſſiliæ, apud Fratres Minores, prout teſtamento ſuo ipſe inſtituerat, in medio chori, magnificè peractis exequiis. Tot & tantis in vita, & morte miraculis effulſit Beatus Vir, quòd Ioannes XXII. eum in numero Sanctorum VII. Idus Aprilis, Anno Domini M. CCC. XVI. ſcriberet. Eiuſque ſacra pignora poſtmodum VI. Idus Nouembris Anni ſequentis in honorificentiori loco tranſlata fuere; donec Anno M. CCCC. XXIII. Die Sabbathi XIII. Kalendas Decembris, Alphonſus Aragoniæ Rex huius nominis V. cognomento Prudens expugnatâ vrbe Maſſilia, & per milites incensâ, S. LVDOVICI Noſtri ſacras exuuias accepit, Hiſpaniam detulit, & in Eccleſia Cathedrali vrbis Valentiæ in Edetanis honorificè conlocauit, vbi adhuc hodie magnâ Ciuium veneratione coluntur.

*Muneris exercitia.*

*Moritur.*

*Canonizatur.*

*Tranſlatio Hiſpaniã.*

Hactenus ACTA huius Sanctiſſimi Præſulis, quorum ecphraſim illuſtrare curabimus, vt cunctis de dictis & relatis in eorum compoſitione pateſcat.

PRIMVM ſit Quæſitum circa originem Hiſpanam, quæ maximè ad noſtrum inſtitutum ſpectat. Et licet Ioannes Marieta in Hiſtor. SS. Hiſpaniæ. lib. 5. c. 82. aſſerat S. Præſulem non fuiſſe Hiſpanum, natiuitate concedimus; ſed origine negamus. Nam Carolus II. Siciliæ Rex patrem habuit Carolum I. cognomento Martel, etiam Siciliæ Regem, qui fuit natus ex Blancha Caſtellæ Infantiſſa, & Ludouico VIII. Galliarum Rege. Qui quidem Carolus II. Nepos Blanchæ, pater fuit huius Noſtri Præſulis, & ex conſequenti ex Regia ſtirpe Regis Alphonſi IX. qui S. LVDOVICI huius fuit Tritauus. Hoc patet ex Paulo Æmylio Hiſtor. Franc. Tom. 1. fol. 354. & Sedulio Hiſtor. Seraphic. in Vit. S. Ludou. c. 1. fol. 301. & in Not. 326. vbi probant, Carolum I. Siciliæ Regem, Auum S. Præſulis fuiſſe fratrem S. Ludouici Galliarum Regis ex Ludouico, & Blancha parentibus: ergo Carolus ille I. Siculus filius fuit Blanchæ, & Noſter Toloſanus Antiſtes eiuſdem Reginæ abnepos: in cuius genealogiæ veritate non eſt amplius hæſitandum.

*An ex origine Hiſpana?*

SECVNDVM Quæſitum inſurgit circa Tranſlationem ſacrorum pignorum Maſſiliâ Valentiam Hiſpaniæ per Alphonſum V. Aragoniæ Regem, cognomento Prudentem. Et licet hæc Tranſlatio à Gallis Scriptoribus reticeatur, audi Antonium Panormitam in Vit. Alphonſ. Reg. lib. 2. c. 4. à quô Ioannes Santes in Specul. Bon. Princip. tit. 8. n. 5. fol. 55. dicens, cùm de Regis pietate, & religione in Deum verba faceret: Sed & id longe admirabilius, quòd opulentiſſimâ vrbe Maſſilienſi vi potius, nihil inde præter Diui ALOISII Corpus deportauerit. Indignum ſanè diiudicans, tam venerabiles Reliquias in vrbe victa, direpta, & incenſa remanere debere. Conueniunt Gaſpar Scolanus Hiſtor. Valent. d. Tom. 1. lib. 4. c. 1. n. 8. Ieronymus Zurita in Annal. Aragon. Tom. 3. Ann. 1423. c. 22. fol. 156. col. 2. Ioannes Mariet. d. cap. 84. P. Roa Hiſtor. Malacitan. d. c. 16. Solorzan. in Sacrar. Valentin. d. fol. 158.

*An Corpus tranſlatum è Maſſiliâ Hiſpaniã?*

TERTIVM verſatur circa Annum quo hæc expugnatio Miſſiliæ confecta à Rege fuit. Cui facit ſatis Ieronymus Zurita d. Ann. 1423. c. 22. vbi totius belli euentus rem geſtam enarrat, & Dauid Chytræus in Chronolog. Rer. Geſtar. Alfonſ.

*Quo Anno expugnata Maſſilia ab Alphonſo Aragonia.*

*Ann.* 1424.*fol. mihi* 232. his verbis *In itinere* Maſſiliam, *quæ ad Andegauenſis prouinciam pertinebat, ex Stœchadibus Inſulis oppugnatam cepit, & diruit, Vrbe captâ pro more,* Alphonſus *ſuo matronalis decoris haut oblitus, earum fœminarum, quæ in Templa confugerant, iniuriæ parci iuſſit, eaſque ſpectata integritate viris, ne à militibus probro afficerentur ſeruandas tradidit Quæ cùm ad eum pro conſeruata pudicitia magnam auri, atque gemmarum vim, quam ſecum detulerant, miſiſſent; vltrò libertatem, & ea omnia ſeſe iis dare dixit, poteſtatemque fecit, vti ad ſuos mitterent, qui eas ex vbe deducerent: iis, vt omnes, quas ab incendio conſeruauerant, exportarent, permiſit. Cùm autem in reliqua præda etiam* D. LVDOVICI *Epiſcopi* Toloſani, *ex Galliæ Regum familiâ nati* CORPVS *in* Hiſpanias *aueheret, ac in mari, aſpperrimâ tempeſtate iactaretur: cum Sacerdotes, & nautæ, ac milites vnà omnes clamarent,* B. LVDOVICI Corpus *tempeſtatis huius cauſam eſſe, ideoque* Maſſiliam *remitti debere, ipſe in propoſito perſtitit, & aut ſibi vnà cum* S. LVDOVICO *pereundum eſſe, aut iis longè ad auguſtiorem, ac Diis acceptiorem Ciuitatem ſe ſanctiſſimi* Corporis Reliquias *conditurum eſſe. Cùm igitur* Valentiam *incolumis cùm exercitu perueniſſet,* D. LVDOVICI Corpus, *clariſſimæ victoriæ vnicam mercedem, ſed æternæ ſuæ gloriæ monumentum, ſummâ cum veneratione, & gratulatione ciuium collocauit, Anno* M. CCCC. XXIV. Eadem Antonius Panormita *d. lib.* 2. *c.* 4 & P. Roa *d. c.* 16. qui *c.* 15. aſſerit, S. LVDOVICVM Epiſcopum *Toloſanum* eſſe ab expugnatione vrbis MALACÆ in Bætica Hiſpaniæ, illius vrbis tutelarem Patronum, eo quòd eius feſtiuitatis die, Ciuitas illa Catholicis Regibus ceſſit: & licet tunc temporis dubitaretur an AGAPITO Martyri die XVIII. Auguſti, an LVDOVICO Epiſcopo, die XIX. eiuſdem, titulus, & ius Patronatus daretur, eo quòd, illo Ciuitas tradita, iſto triumphalis Regum ingreſſus euenit: tandem conuenit tutelam eſſe conferendam LVDOVICO, quia ex *Regum Catholicorum origine* oriundus S. Præſul extitit, & procedens. Ita P. Roa *d. c.* 15. *fol.* 48. *col.* 2.

*Alphonſi Aragoniæ cōſtans deuotio.*

*Malacitanæ vrbis Patronus.*

HINC in pluribus *Hiſpaniarum* Eccleſiarum *Breuiariis* antiquis, maximè *Bæticarum*, Officium S. LVDOVICO Epiſcopo decantatum inuenimus, in cuius primis Veſperis Hymnus in B. Præſulis laudem reperitur, cuius tenor, talis eſt.

*VRgente Mundi veſpere,*
*Sol Mundo miſit heſperum:*
*Qui micans, vt in athere,*
*Lucem monſtrauit operum.*

LVDOVICVS *per omnia,*
*Ductu diuinæ gratiæ*
*Vectus eſt, ab infantia*
*Solem ſequens iuſtitiæ.*

*Regali ſtirpe genitus,*
*Contempſit primogenita:*
*Regno terreno penitus*
*Mente carens gratuitâ.*

*Detentus in* Heſperia
*Claret per patientiam:*
*Nā paſſus nimis grauia,*
*Præfert ſemper lætitiam.*

*Dùm patitur exilium,*
*Datur ſolerti ſtudio:*
*Chriſtus eius ingenium*
*Suo perfudit radio.*

*Quô repletus Deificè*
*Profert cunctis ſaluifica:*
*Vbique ſans authenticè*
*Præco Dei mirifica.*

*Factus Franciſci filius,*
*Virgo candens vt lilium:*
*Fit & Præſul eximius,*
*Collega nunc Cœleſtium.*

D. F. Franciſcus de Soſſa Epiſcopus *Canarienſis* primùm, poſt *Oxomenſis*. deinde *Segobienſis* in *Sanctoral. Seraph. h. d fol.* 20. luculenter S. Præſulis charitatem ad cœleſtia hoc epigrammate deſcripſit

*Deſerit*



*Deſerit aſtra Deus, linquit conſortia Patris,*
*Vt Mundum vincat, vincat vt arte viros.*
*Aſt ego linquo viros, regnum contemno, ſupernas*
*Vt vincam Sedes, Patre fruarque Deo.*
*Eſt mihi Gallorum princeps Regalis origo:*
*Sanguine ſed iungor Regibus Heſperiæ.*

Cætera quæ in Actis referuntur communia ſunt, hoc tantum addere conuenit, quod *D. Petrus à Toleto* qui fuit Epiſcopus *Malacitanus* I. poſt recuperationem vrbis, inter alia ſtatuta, quæ pro gubernatione Eccleſiaſtici Ordinis tàm in Eccleſia Cathedrali, quàm in cæteris vrbis, & diœceſis ſequens adiecit, quod latinitate donatum in eruditorum gratiam compulſamus: *Item ordinamus, & mandamus quòd in poſterùm perenniter in hac vrbe* Malacitana, *& in ſuæ diœceſis populis fiat feſtum ſolemne in die* S. LVDOVICI *Epiſcopi, Siciliæ Regis filij, quod* XIV. Kalendas Septembris *ab Eccleſia repetitur, in Octauis Aſſumptionis Deiparæ. Quo die Anno Domini* M. CCCC. LXXXVII. *Caſtrum, quod* Alcazaua *dicitur huius vrbis, Catholicis, excelſis, & potentiſſimis* Ferdinando, *&* Eliſabethæ *Regibus* Hiſpaniæ, *Dominis Noſtris tradidit* Ali-Dordux, *& in eorum nomine* D. Gabrieli de Cardenas, *Magno* Legionis *Commendatario, & Regum prædictorum Maximo Calculatori.* Qui illud integrum deſiderat, adeat P. Martinum de Roa *Hiſtor. Malacitan. d. c.* 15. *fol.* 49.

*Statutum Malacitanum circa feſtum S. Ludouici.*

S. MARINVS *Epiſcopus, &* PATRONVS *Confeſſores.* ] Eorum *Corpora* ſacra in Benedictinorum Cœnobio *S. Petri Biſoldunenſi* in diœceſi *Gerundenſi* adſeruari, & honorificè coli referunt Antonius Vincentius Domenec *Hiſtor. SS. Cathalon. lib.* 1. *fol.* 55. & Philippus Ferrarius in *General. Catalog. SS. h. d. fol.* 329. Qui vafrè prorſùs errauit, credens S. MARINVM eſſe illius Regalis Cœnobij Patronum, eo quòd S. PATRONVS adhæreat nomini S. MARINI, quaſi verbum *Patronus* reſpiciat, & ſignificet *titulum*, non verò *perſonam*. Hinc dixit: *Beſuli apud Gerundam* S. MARINI *Epiſcopi, & loci illius* Patroni. Sed procul dubio errorem contraxit, nam S. MARINVS nec illius loci *Patronus* extitit, nec verbum *Patronus* in relatione *Vincentij Domenec* pro titulo ponitur, ſed pro perſona. Illum auſculta agens de *Reliquiis*, quæ in hoc Regali Cœnobio cuſtodiuntur: *In hanc illuſtrem, & ſacram Domum poſt modum adlata fuere ſancta pignora Noſtrorum* SS. *Euidij,* MARINI, *&* PATRONI, *quorum* TRIVM *interceſſione Deus plura hominibus inuocantibus eos beneficia confert.* Et paulo inferius: *Feſtum* S. MARINI *colitur in hoc Regali Cœnobio* Die XIX. Auguſti, *quo Monachi Officium recitant de Pontifice Confeſſore.* Et demùm paucis interiectis lineis, agens de thecis, quibus collocata ſunt Sex Corpora Sanctorum in eodem Monaſterio cuſtodita, proſequitur: *In angulo Sepulchri iacent oſſa* S. MARINI, *&* S. PATRONI. *At* S. MARINI *oſſa omnia integra reperiuntur, licet pauciora* S. PATRONI. Hinc elicies, qualiter errauerit *Ferrarius*, hautquaquam intelligens *Vincentium Domenec*, cuius hiſtoriam perperam profert. His ſic ſuppoſitis, venio ad inſtituti penſum. Nullus igitur, qui hanc iſtorum Sanctorum memoriam repetit, aliud niſi nomina refert; nam eorum res geſtas aut temporum iniuriâ, aut ignis voracis vi, quâ Cœnobium illud olim exarſit deperiiſſe fatetur *Domenec*, referens, quatenus in antiquis *Breuiarij Biſoldunenſis* Officiis, hæc tantum Oratio conſeruatur:

*Ferrarij lapſus.*

*Probatur error.*

*Eorum res geſta periere.*

*Propitiare nobis famulis tuis, quæſumus Domine per horum Sanctorum Martyrum tuorum* Primi, *&* Feliciani, Concordij, *atque* Euidij, MARINI, *ac* PATRONI, *& aliorum Sanctorum, qui in præſenti requieſcunt Eccleſia, merita glorioſa, vt eorum pia interceſſione ab omnibus ſemper protegamur aduerſis. Per Dominum,* &c.

Quaten

Quatenus ad Epiſcopatum S. MARINI illud perſuadet, quod in ſpecioſo ſimulachro Maioris Aræ Cœnobij multas Sanctorum effigies ad viuum exprimenti, iſtius Diui vna conſpicitur, ſacris Pontificis ornamentis infulata. Hinc communis Monachorum ſententia effluxit, eum fuiſſe Epiſcopali munere decoratum, vt ipſe Vincentius profitetur.

C. S. IVLIVS *Senator, Martyr Romanus.*] Eius memoriam recolunt antiqua, & recentiora *Martyrologia*, maximè *Romanum* hoc die ſequenti periodo: *Romæ* S. IVLII *Senatoris, & Martyris, qui Vitellio Iudici traditus, & ab eo in carcerem truſus, iubente Commodo Imperatore, tandiu fuſtibus cæſus eſt, donec emitteret ſpiritum: cuius Corpus in cœmeterio Calepodij viâ Aureliâ ſepultum fuit.* Conueniunt *Caſtellanum* P. Vaſq *Luſitanum*, P. Lupi, & aliorum. De eo Mombricius *Tom.* 2 *fol* 44 Vincentius Bellouacenſis *in Specul. Hiſtorial. lib.* 11. *cap.* 119. Equilinus Epiſcopus *in Catalog. SS. lib.* 7. *cap.* 79. Laurentius Surius *Tom.* 4. *fol* 162. Baſilius Sanctorus in *Flor. SS. Tom.* 2. *fol.* 97. Nos in *SS. Placentin. Hiſpan cap.* 6. *fol.* 390. Philippus Ferrarius in *Catalog. SS. Ital. h. d. fol.* 522. qui eius ACTA ſic ſummauit.

## *ACTA SANCTI IVLII SENATORIS, Martyris Romani ex Philippo Ferrario de SS. Italiæ, & aliis Scriptoribus.*

*Officium.* IVLIVS *Senator Romanus, Commodo Imperante, ad prædicationem* SS. Euſebij, Vincentij, *& Sociorum, ad Chriſtum conuerſus, mox accito Ruffino Presbytero, ſe cum vniuerſa familia, aquis luſtralibus expiari curauit.* *Conuertitur.* *Cumque Chriſtum palam profiteretur, alioſque ab infelici dæmonis ſeruitute ad veram Chriſti pietatem, libertatemque perducere conaretur, Imperatori delatus eſt: qui illum catenis vinctum, Vitellio Iudici, viro truci,* *Capitur.* *flagitioſo, & crudeli examinandum tradidit. Is cùm animo eſſet in Chriſtianos infenſiſſimus* IVLIVM *conſtanter Chriſtum confitentem, poſt carcerem, & vincula, adeò atrociter fuſtibus mactari iuſſit, vt in eo ſupplicio* *Cruciatur, & corona-* *ſpiritum emiſerit XIV Kalend. Septembris circa Annum C. XCII Cuius Corpus ante Amphitheatrum canibus obiectum, ab Euſebio, & Sociis collectum in cœmeterio Calepodij ſepultum eſt, vbi iacuit ad Annum Chriſti* M. DC XXIII. *quo* Gregorius XV *Pont. Maximus Eminentiſſimo* S. E. R. *Corpus in Hiſpaniam transfertur.* *Cardinali* Zolero *facultatem conceſſit aliquot Sanctorum Corpora ex vrbis Cæmeteriis extrahendi, illaque cui voluerit donandi. Cuius decreto hocce* S IVLII *Senatoris inter alia extractum, Cardinalis* D. Ferdinando de Montemaior *S. E. Placentinæ Decano donauit, qui ſuæ Eccleſiæ illud obtulit, vbi honorifice quieſcit.*

Hæc ſunt ACTA. Quatenus ad *Tranſlaiionem* CORPORIS eadem S. E. *Placentina* authenticum inſtrumentum huius relationis veritatem exprimens retinet, quod ſæpius vidimus, de quo non erit amplius ambigendum. Videſis Libellum meum in *Vit. SS. Epitatij & Baſilæi c.* 6. *fol.* 390. & 394.





# DECIMO TERTIO Kalend. Septembris.

## DIES XX.

*A.* DEOBRIGÆ *in Hiſpania* SS. SEVERI, & MEMNONIS *Centurionis Martyrum, qui tempore* Adriani *Imperatoris, ob fidei confeſſionem tenti, cæſi, & ad vltimum ſupplicium damnati, conſtantes pugiles coronam in cœlis promeruerunt æternam.*

*B.* *Ad Caſtrum* CAMONE *prope* Nerium *promontorium in* Gallæcia *Hiſpaniæ* S. MAXIMI *eiuſdem Caſtri oriundi, qui* Gallias *adiens,* & S. Martini Turonenſis *factus Diſcipulus, ſic virtute religionis emicuit, ſic mirabilium operatione perclaruit, vt illuſtris Confeſſor* Galliam, & Hiſpaniam *ſanctitatis honoribus illuſtraret.*

*C.* SEIONE *Inſulâ prope* Carthaginem Spartariam *in Hiſpania* S. PHILIBERTI *Eremitæ, qui ibidem in ſilentio ſolitudinis vitam agens Angelicam ad perfectionis apicem in ſeculo, poſt ad beatitudinis ſpecimen in gloria, Confeſſor peruenit mirabilis.*

*D.* CORDVBÆ *in Bætica Hiſpaniæ* SS CHRISTOFORI *Monachi, ipſius vrbis Ciuis,* LEOVIGILDI Illiberitani, *Martyrum, qui in perſecutione* Arabicâ, *pro Chriſti nominis exaltatione comprehenſi, guttura gladio tradiderunt ſtrenui, & ad æternum gaudium poſtea cucurrere victores.*

*Æ.* IN *Territorio* Lingonienſi *in Gallia* S. BERNARDI *cognomento Melliflui, Primi* Claræ-Vallenſis *Abbatis, Regis* Alphonſi *VI. Caſtellæ, & Legionis Catholici, propinqui: vita, & miraculis glorioſi, qui adhuc eo viuente, Regis conſanguinei petitione commotus plurimos in* Hiſpanias *emiſit Diſcipulos, quorum plantatione inſignibus Cœnobiis Prouincia mirabiliter illuſtratur.*

# NOTÆ.

A. *Martyrologia.*

SANCTVS SEVERVS, & MEMNON *Martyres Deobrigenſes in Hiſpania.* ] Eorum Nomina ſcripſit vniuerſalis Eccleſia in Albo Sanctorum hoc die, pro vt & illa poſuere Græci in *Menologio*, à quibus *Romanum Martyrologium* hac ſerie: *Item Sanctorum Martyrum* SEVERI, *&* MEMNONIS *Centurionis, qui eodem mortis genere conſummati, victores abierunt in cælum.* Conueniunt Martyrologia *Caſtellanum* P.Vaſq. *Luſitanum* P. Lup. *Hiſpanum M S.* P.Higuer.& *Italum* Conſtant. Felic. Et licet apud relatos Scriptores hautquaquam locus adſignetur palæſtræ, tamen illum indigetauit Iulianus Archipresbyter Toletanus *in Chron. num.* 400. his verbis: *Deobrigæ* SS. SEVERI *&* MEMNONIS *ſub Valeriano Auguſto.* Quæ ſententia amplectenda eſt, nec admittenda alia ab eo confarcinata in *Aduerſar. num* 250.*fol.*57. quâ credidit hunc SEVERVM fuiſſe Patrem SS. *Quiteriæ*, & aliarum Octo Virginum & Martyrum *Gallæcarum*, de quibus Nos ſupra *Tom.* 1. *Die XVIII. Ianuarij fol.* 183. quia vt ex ipſius *Iuliani* contexturâ liquet, iſtam opinionem retulit in *Aduerſariis*, ſeu manualibus promptuariis tanquam credibilem, non verò tanquam ſecuram, & ideo potius ſtandum eſt *Chroniconi*, quàm *Aduerſariis*, maximè ſtante eiuſdem Iuliani *Epigrammate*, his com poſitum carminibus:

*Iuliani opinio in Aduerſariis reſpuitur.*

*Centurius* MEMNON, *nec non ſociuſque* SEVERVS,
*Martyres excelſi colla dedere ſimul.*
*Hoſque* Deobriga *Chriſti tunc pro Nomine paſſos.*
*Vallerij Imperio, priſca* Kalenda *docet.*

*Annus martyrij.*

Aſt quo cruciatuum genere SS. Martyres agones compleuere, ignotum adhuc eſt. Paſſos liquet tempore *Valeriani* Imperatoris ad Annum CC. LX. vel circiter, quo Valerianus, & Gallienus Imperij tenebant habenas. Hæc quæ de his SS. Martyribus potuimus inquirere; nec non ſi literæ *Romani Martyrologij* ſtamus, ſuſpicari poſſumus eos præciſis manibus & pedibus, in caminum ignis ardentis coniectos, colla dediſſe mucroni. De Vrbe DEOBRIGA Hiſpaniæ infra *Tom.* 5. *Die XIV. Octobr.* agemus.

B. *Martyrologia.*

S. MAXIMVS *Confeſſor.* ] De eo agit *Romanum Martyrologium* Baronij h. d. his verbis: *In Caſtro Cainone* S. MAXIMI *Confeſſoris, Diſcipuli B. Martini Epiſcopi.* Conueniunt Molanus in *Addition. ad Vſuard.* P.Dionyſ. Vazq. in *Martyrolog. Caſtellano*: P. Ioannes Lupus *in Luſitano*, & Conſtantius Felicius in *Italo*, necnon Andreas Sauſſayus in Gallicano *Tom.* 1. *fol.* 533. Eius Acta carmine ſcripta olim circumferri ſcriptum reliquit S. Gregor. Turonenſ. *de Glor. Confeſſor. cap.* 22. vbi eius res geſtas ſummatim refert. S. Maximus Cæſarauguſtanus Præſul in eius *Chron. Ann.* 438. apud Roder. Car. *lit H. fol.* 162. & apud Biuar. *n.* 2. *fol.* 136. §. 3. eius memoriam recolens, ita fatur? CAMONE Caſtro, *prope* Nerium *promontorium in* Gallæcia, S. MAXIMVS *Diſcipulus* S. Martini *floret.* Quorum verborum ſi topographiam confers cum ſituatione *Gregorij Turonenſis*, aut iſte deficit, aut Noſter. *Biuarius* tamen vtriuſque Scriptoris ſanctiſſimi relatione vexatus, dixit: *Sanè ſi codex* (S.Maximi) *hoc loco vitio caret; aut alium* MAXIMVM Martini *etiam Diſcipulum nobis inducit in* Gallæcia *Monaſticam, ſeu Eremiticam vitam degentem, aut eundem quoque (hoc magis arridet)* è Gallia *in* Gallæciam *aliquando tranſlatum, & aliquandiu commorantem, atque virtutibus florentem.* Neque hoc à *Turonenſis* prorſus alienum relatione: quandoquidem id inter cæteras MAXIMI ſui virtutes commendat, quòd humilitatis ergo, ne agnoſceretur, & vti ſanctus haberetur, plerumque latibula hinc inde commutauit. Sed omnia hæc cum poſſent euenire, nec

*An in Gallæcia vixerit?*



necfalcem in re dubia immittere eſt animus, ideo hanc quæſtionem relinquimus intermiſſam, vt quando Deo placeat feliciter decidatur.

S. PHILIBERTVS *Solitarius in Hiſpania.* ] Huc vſque eius ſanctitudo *Hiſpanos* meos latuit, donec Iulianus Archipresbyter Toletanus in *Aduerſar. num.* 267. *fol.* 60. & ſanctitatem, & locum, quô vitam egit eremiticam manifeſtauit, his verbis: S. PHILIBERTVS *ſolitarius in* Inſula Seione *prope* Carthaginem Spartariam, *quod verius eſt. Alij prope fretum Herculeum aliam ponunt.* Cætera quæ in *Iuliani* textu ſequuntur, prorſus vitiata eſſe pateſcit, nam haut quaquam ſenſum coagulant. Quis iſte S. Solitarius fuerit, nondùm diuino. Eius memoriam ideò hoc die conſignamus, quia ipſô Vniuerſalis Eccleſia feſtiuitatem S. PHILIBERTI Abbatis Gemmeticenſis in Herio Inſula Galliæ Celticæ celebrat.

C. *Quis S. Philibertus.*

SS. CHRISTOFORVS, & LEOVIGILDVS *Martyres Cordubenſes.* ] Eorum anamneſin hoc die reperunt *Beda*, *Vſuardus*, *Galeſinius*, & cæteri recentiores, à quibus *Martyrologium Romanum* Baronij, hoc elogio: CORDVBÆ *Sanctorum Martyrum* LEOVIGILDI, *&* CHRISTOFORI *Monachorum, qui in Arabum perſecutione pro Chriſtianæ fidei defenſione, in carcerem coniecti, ac mox ceruicibus abſciſſis, igni traditi, martyrij palmam adepti ſunt.* Conueniunt Martyrologia *Caſtellanum* P.Vaz. *Luſitanum* P.Lup. *Hiſpanum M S.* P. Higuera. *Italum* Conſtantij Felic. *Manaſticum* Wionis, & Hugon. Menard. & *Cordubenſe* P. Roa *fol.* 136. De eis S. Eulogius in *Memor. SS. Cordubenſ. lib.* 2. *c.* 11. P. Marieta *Hiſtor. SS. Hiſpan. lib.* 3. *cap.* 6. *&* 7. *fol.* 175 *col.* 2. Ambroſius Moral. *Hiſtor. Hiſpan. lib.* 14. *cap.* 14. Equilinus in *Catalog SS. lib.* 7. *cap.* 86. D. Franciſc. Bermud. *Hiſtor. Granat.* 3 *p. cap.* 12. *fol.* 104. Baron. in *Annal. Eccleſ.* 11. *Ann.* 852. *num.* 17. Eorum ACTA conſcripſit S. Martyr Eulogius hac ſerie:

D. *Martyrologia.*

*Scriptores.*

## *ACTA SS. CHRISTOFORI, & Leouigildi Monachi, Martyrum Cordubenſium ex S. Eulogio Martyre, Synchrono.*

*Origo, & inſtitutum.*

CHRISTOFORVS Cordubæ *natus, à pueritia noſtri auditor, qui poſt noſtrum magiſterium, Cænobium* S. Martini, *quod eſt in* Montana Cordubenſi, *loco qui appellatur* ROLANA, *ingreſſus, magnum piè volentibus conuerſari ſpecimen ſanctitatis oſtendit. Hic igitur ephæbus adoleſcns, contribulis noſter, factus Monachus, agnitâ præcedentium nece Sanctorum, concito greſſu, in vrbem deſcendens, mox obuiare Iudici non extimuit: & reddens coram eo teſtimonium veritatis, adnuntiat Euangelium, ſancta Domini prædicat, prophanationibus deditum vulgus exhortatur, arguit male credulos, luituros cum auctore falſario, æternum profert incendium. Quem continuo Iudex ſæuo commotus furore carceri deputat, arctioribus macerandum vinculis commendat.*

*Iudici teſtimonium fidei reddit.*

LEOVIGILDVS *etiam Monachus* Illiberi *progenitus, vir planæ iuuentutis, ſanctus, iuſtus, & timoratus, ex Cænobio* SS. Iuſti, *&* Paſtoris, *quod eſt in interiori* Montana Cordubenſi, *loco qui dicitur* FRAGA, *inter cliuoſa Montium, & condenſa ſyluarum, confini viculi* Leiulenlenſis, *qui à* Corduba *diſtat quinque Milliarios luſtros: quo ſe nuper moraturus contulerat, martyrio potiturus aduenit. Et priuſquam forum intraret inſtituendi ſe gratiâ nos inquirens, obſecratur, precatur, exoptat, vt conatus ſuos Nos precibus iuuaremus, eique benedictionem conſummandi agonem traderemus, promittens ſe Noſtri curam gerere ante Dominum. Cumque à Nobis firmatus in pace diſcederet, mox coram Iudice ſuam prolaturus profeſſionem adſiſtens, dat teſtimonium fidei, ſecundum cæterorum conſtantiam: qui cæſus alapis, conuitiiſque diſtentus, illicò apud ſæuos carceres traditur alligandus. Ibi ſe famuli Dei alterno fouent conſultu, roborantur in inuicem: ſicque pari voto connexi, cum iam mactationis hora inſtaret, præire* S. CHRISTOFORVS *beatum* LEOVIGILDVM *reuerentiâ ætatis exoptat, poſtmodum ipſe*

*Leuigildi origo.*

*Monachus, quo loco?*

*A S. Eulogio informatur ad agonem.*

*Coronatur.*

 *ruiturus*

*Sepeliuntur.*

*ruiturus. Et ita vterque hoc ordine interiit.* XIII. Kalend. Septembris, *Era quâ ſupra, ſcilicet* DCCC. XC. *Anno Domini* DCCC. LII. *Quorum* Corpora *ſuppoſitis aduſta incendiis, antequam penitùs vrerentur, fidelium curâ erepta, apud Baſilicam* S. Zoili *ſepulta ſunt.*

*An Monachus apud Iliberim Leouigildus?*

Hactenus *Eulogius* Noſter, cuius etiam ecphraſin collegit S. Eccleſia *Cordubenſis*, vt ſuis Lectionario, & Breuiario inſereret, vt ex eis liquet. ACTA illuſtrauit Ambroſius Morales *fol.* 290. *in fin. Tom.* 3. *Hiſpan. Illuſtrat.* apud quem nihil noui, etiam in ſitu locorum. D. Franciſcus Vermudez in *Hiſtor. Granatenſ. d.* 3. *p. c.* 12. contendit, S. LEOVIGILDVM nequaquam Monachum apud *Cordubam* egiſſe, ſed apud *Iliberim*, à quâ *Cordubam* profectus, & in Monaſterio S. Iuſti, & Paſtoris aliquando diuerſatus, poſtea martyrij coronam accepit. Aſt hæc *Vermudez* opinio, nullo fulcitur auctore.

E.

*Martyrologia.*

S. BERNARDVS *Abbas Claræ-Vallis.*] Communis eſt memoria huius ſanctiſſimi, & melliflui Abbatis, apud omnes Martyrologiorum Scriptores, præcipuè Baronij *Romanum*, hoc elogio: *In Territorio Lingonienſi Depoſitio* S. BERNARDI, *Primi Claræ-Vallenſis Abbatis, vitâ, doctrinâ, & miraculis glorioſi.* Conueniunt Martyrologia *Caſtellanum* Vaſq. *Luſitanum* Lup. *Italum* Felic. *Monaſticum* Vvion. & Hugon. Menard. & *Gallicanum* Andr. Sauſſay *Tom.* 1. *fol.* 531. De eo *Menologium Ciſterc-*

*Scriptores.*

*cienſe* Chryſoſtomi Enrriquez h. d. *fol.* 270. vbi omnia quæ deſiderari poſſunt coniuncta reperies. Eius ACTA omnibus partibus abſoluta apud Surium *Tom.* 4. & cæteros Vitæ Sanctorum Scriptores reperies. Illa ſic ex *Mantuano*, damus:

## ACTA S. BERNARDI CLARÆ-VALLENSIS Abbatis I. Confeſſoris, ex Baptiſtâ Mantuano in Faſtis

BERNARDI *lux feſta venit celeberrima Belgis.*
*Belga fuit. Sex germanos, vnamque ſororem*
*Traxit ad obſequium Chriſti. Deus omnibus vnum*
*Inſpirauit opus. Vitæ genus omnibus vnum.*
*Mater adhuc prægnans vidit per ſomnia crebris*
*Se geſtare vtero catulum latratibus acrem.*
*Sic Deus oſtendit venturi qualia partus*
*Ora, & corda forent contra genus omne malorum.*
*Ipſe pudicitiam coluit, muliebria paſſus*
*Bella tamen iuuenis, roſeo quia candidus ore,*
*Corda paroxyſmis grauibus torquebat, & igne:*
*Quo Venus accendit teneras inceſta medullas.*
*Cum peteret Celtas, & nox iam pallida cœlum*
*Clauderet, hoſpitium ſubiit: temeraria noctu*
*Hoſpita ſopito iuueni petulanter adhæſit:*
*Admouitque latus lateri: ſcelus ille repente*
*Horruit, & magno ſociis clamore vocatis*
*Nequitiam facto vicit terrore furentem.*
*Ingens forma malum, quo nulla nocentior herba*
*Per iuga Theſſaliæ legitur, per Phaſidis arua.*
*Tradidit ingenium ſacris ſermonibus. Omne*





*Quod docuit Chriſtus, quod prædixere Prophetæ,*
*Quod didicit Moyſes Panchæo in vertice, ſecum*
*Aſſiduè meditans, ſine præceptoribus vllis.*
*Sciuit: & idcirco ſyluas habuiſſe magiſtras*
*Se dicebat. Inops vixit, ſed munda volebat*
*Veſtimenta, ſitum damnans, ſordemque peroſus.*
*Id curæ quod vulgus habet pro corpore, ſolam*
*Tranſtulit ad mentem, vitiorum acerrimus hoſtis.*
*Si populis certamen erat, diſcordia Regnis,*
BERNARDVS *pacator erat. Legatus ad vrbes*
*Ibat, & ad Reges odium fracturus & iram.*
*Munere fungentem tali, videre Alemanni,*
*Videre Inſubres quondam, videre Aquitanni.*
*Si quando in dubiis nutabant pectora rebus,*
*Ipſe erat interpres, ducens mortalia corda*
*De tenebris ad lumen; vti ſolet ignea lampas*
*Longinquâ de turre micans, adducere noctu*
*Turbine iactatos ſecura ad littora Nautas.*
*Prodigiis, quot vix numero comprehendere fas eſt,*
*Claruit; occultas hominum cognoſcere curas,*
*Pellere auernales Genios, curare jacentes*
*In langore potens. Ideoque impleuerat Orbem*
*Fama Viri, nomenque volans peregrina per ora,*
*Sex-Decies fundaſſe Decem Ciſtertia tecta*
*Dicitur: vnius valuit prudentia tantum.*
*Sacra igitur meritis huius vigeſima tanti*
*Eſt aurora Patris, quâ ſeſe in ſumma recepit*
*Limina, ſupremi quod continet omnia cœli.*

Hinc colliges qualis, aut quantus fuerit BERNARDVS, cuius ſi elogia à Patribus, Hiſtoricis, & Poëtis decantata in vnum colligere velimus, grandem ingrederemur prouinciam, & huius voluminis molem augeremus. Ideò ne inſtituti noſtri propoſitum differatur, hic quæ ad eum pertinent, ſubiiciemus.

*Cultus cauſa I. ob propinquitatem Regis Alphonſi.*

IGITVR Hiſpania BERNARDVM pluribus ex cauſis inter ſuos Diuos apponere compellitur, quas breui epilogo compulſabimus, vt omnibus innoteſcat, quantis illius Regna beneficiis Diuus afficeret. Cauſa ergo PRIMA huius gratitudinis, & cultus, quia S. BERNARDVS fuit ſanguine coniunctiſſimus *Alphonſo* cognomento *Imperatori* Caſtellæ Regi, prout probat Alphonſus Sanctius de *Reb. Hiſpan. lib.* 4. *c.* 17. *fol.* 205. his verbis: *Multa ſunt in* Hiſpania *Ciſtercienſis Ordinis Cœnobia conſtructa, & ab Rege pro temporis anguſtiis dicata, in* PROPINQVI *ſui* BERNARDI *gratiam Ipſumque* BERNARDVM Hiſpaniam *inuiſiſſe multa monumenta probant.* Ex quibus verbis elicies cauſæ huius primæ probationem.

*Cauſa II. Ob plantationem, & augmentū ordinis.*

SECVNDA, quia ipſe S. Vir Monachos *Ciſtercienſes cum S. Niuardo* fratre in *Caſtellam* emiſit, petente eius conſanguineâ *Sanctiâ* Regis ſorore, & in *Luſitaniam* deſiderante *Alphonſo* Portugalliæ Rege, vt omnia congeſſit Ioannes Seifridus in *Genealog. Dom. Anici. & Auſtriac.* his verbis: *Quantum verò hæc* Ciſtercienſis *vinea, à*

Nullibi Ciſtercium floruit, ac in Hiſpania.

Niuardo *in* Hiſpanias *tranſplantata, atque mox liberalitate, & munificentiâ Regum fota, & quaſi compluta breui tempore creuerit in vineam magnam, palmites ſuos extenderit vſque ad mare, & vſque ad flumina* Luſitaniæ *propagines ſuas, longum eſſet hîc recenſere Illud duntaxat commemorabo: Ordinem Ciſtercienſem in nulla Orbis Chriſtiani parte adeò floruiſſe, atque in* Hiſpaniæ, Aragoniæ, Luſitaniæ *Regnis. Nam eſto affulſerit hæc ſacra familia* Toloſanæ *prouinciæ, Albigenſium tenebris obſcuratæ*, Quaſi Aurora conſurgens: *Fuerit inter tot lucentia diuerſorum Ordinum Gallicanæ, & Germanicæ Eccleſiæ ſydera*, Pulchra vt Luna: *Fuerit in Italia, ad tuendam Sedem Apoſtolicam, Romanorumque Pontificum auctoritatem conſeruandam*, Electa, vt Sol; *in nullo tamen, quam in* Hiſpaniæ *Regnis fuit terribilis*, vt caſtrorum acies ordinata. *Nam in aliis quidem Chriſtiani Orbis partibus* Ciſtercienſes *contra ſpiritualia nequitiæ viriliter dimicare ex inſtituto conſueuerunt, ſpiritualibus armis, oratione, ieiunio, corporis maceratione & his ſimilibus: ſola verò* HISPANIA *præ cæteris hac ſe verâ laude iactare poteſt, quòd peperit, & continuò nutriat, ac foueat in ſuo gremio inſtituti* Ciſtercienſis *homines, qui vt ſtrenui cooperatores ſpiritualis fabricæ, aliis vnâ manu, dexterâ ſcilicet, infatigabiliter laborantibus, & opus Domini facientibus, ipſi, vt apud* Eſdram *legimus, alterâ teneant gladium.* Quo loco *Seifridus* loquitur de Ordinibus *Militaribus Hiſpaniæ*, qui ſub inſtituto *Ciſtercienſi* degunt, ſcilicet *Calatrauenſis, Alcantarenſis, Monteſenſis, Auiſenſis*, & *de Chriſto in Luſitania*, quorum ſtrenuitate, Sarraceni vniuerſâ *Hiſpaniâ* expulſi ſunt. De quibus Nos infra dicemus.

*Cauſa III. Ob plura, & inſignia Cœnobia.*

TERTIA ob celebres, & ſingulares Cœnobiorum *Domos*, quas per totius *Hiſpaniæ* angulos hic Sanctiſſimus *Ciſtercienſium* poſſidet, *Ordo*, quarum catalogum ex Gaſpare Iongelino *lib. 6. Not. Abbat.* damus, vt omnia chronologica narratione, diuiſione Regnorum Monaſteria cognoſcas.

# CATALOGVS COENOBIORVM Ordinis Ciſtercienſis in Regnis Hiſpaniarum extructorum.

## *IN CASTELLA.*

I. MOREROLANVM conditum in ſitu incolis dictum MORERVELA in diœceſi Zamorenſi, ad Annum M. C. XXXI. in quo olim extitit Cœnobium Benedictinorum. 1131

II. SACRAMOENIENSE extructum prope Oppidum *Peñafiel*, Diœceſis Valleſoletanæ, hodie SACRAMENNA, ad Annum M.C. XLI. 1141

III. SPINENSE totius Hiſpaniæ celeberrimum, ob Spinam Coronæ Domini ibidem adſeruatam ſic appellatum, conditum à Sanctia Alphonſi Hiſpaniarum Imperatoris ſorore, & à S. Niuardo fratre-germano S Bernardi, cuius ſacra pignora ibidem requieſcunt, ad Annum M. C. XLIII. 1143

IV. VALLIS-BONENSE conditum munificentiâ Regum Hiſpaniæ in diœceſi Valle-ſoletana, Anno Domini M.C.XLIV. hodie dicitur VALBVENA. 1144

V. RIVO SICCENSE, quod appellatur RIO-SECO, in diœceſi Burgenſi prope Oppidum *Medina de Tomar*, conditur Anno M. C. XLVII. 1147

VI. LVCRONENSE titulo *S. Prudentij* condecoratum, diœceſis Burgenſis, conditum Anno M.C.XLVIII. eo ipſo loco, quo S. IACOBVS Apoſtolus Hiſpaniarum Tutelaris, & Patronus vnicus pro Chriſtianis contra Mauros, tempore Ramiri Regis pugnauit. In hoc Cœnobio requieſcunt ſacra pignora *B. Prudentij* Turiaſonenſis Epiſcopi, à quo Monaſterium nomen mutuauit. De quo & Nos diximus ſupr. *Tom. Die XXVIII. April. lit. B. fol.* 802. 1148

VII. Ma



VII. MATAPLANENSE hodie MATALLANA non longè à *Rio-Seco*, Diœceſis Palentinæ, conditum Anno M.C.L. 1150

VIII. HORTENSE ſitum in Diœceſi Seguntina, hodie HVERTA vocatum, & ab Alphonſo Caſtellæ Rege, dicto Imperatore conditum, Anno M. C. L. 1150

IX. PALAZVELENSE, S. Apoſtolo Andreæ dicatum, in diœceſi Valleſoletanâ conſtructum, Anno Domini M.C LXIV. 1164

X. FERRARIENSE non procul à *Miranda de Ebro*, diœceſis Burgenſis conditum, vt ſuſpicatur, Anno Domini M.C.LXXI. à Ferdinando Caſtellæ Rege, ad locum HERRERA, in tractu, & ditione, quæ RIOLA dicitur. 1171

XI. VALLIS-ECCLESIARVM conditum ex Monachis Spinenſibus in diœceſi Abulenſi, Anno M. C. LXXVII. hodie VAL-DE IGLESIAS. 1177

XII. OVILENSE in diœceſi Seguntina, conditum ab Alphonſo Imperatoris Nepote ad Annum M. C. LXXXV. hodie OVILA in Alcarria. 1185

XIII. VALLIS-PARADISSI, patrio vocabulo VALPARAYSO inter Zamoram, & Salmanticam, ſed in illius diœceſi, fundatum ab Abbate Martino ad Annum M. C. LXXXIX. licet alij velint, ab Alphonſo Imperatore. 1189

XIV. BVXETENSE ſitum altero ab vrbe Burgenſi lapide, cuius eſt diœceſis, hodieque BVXEDO dicitur, quod è Scala-Dei in Vaſconia progenitum exordium ſumpſit, Anno M. C. LXXXIX. 1189

XV. VALLIS DEI, quod noſtris VALDEDIOS dicitur, ſitum in Aſturicenſi ditione, diœceſis Ouetenſis, Benedictinis ſucceſſit, nam illis ab eo Cœnobio abeuntibus Anno M. C. XCVIII. Ciſtercienſes ingreſſi ſunt. 1198

XVI. GVMIELENSE, S. Petro dicatum in Oppido Gumiel, diœceſis Oxomenſis, conditum Anno M. CC. accitis ex Morimundo Galliæ Monachis, vbi B. Mamertum S. Dominici Prædicatorum Ordinis Patriarchæ fratrem germanum, Abbatem egiſſe, nonnulli memorant: in eoque Corpus Nobilis Viri FELICIS DE GVZMAN vtriuſque Patris ſepultum iacet. 1200

XVII. BONA-VALLIS apud Noſtros BVENA-VAL vocatum, & in diœceſi Toletana ſitum, non procul ab Oppido Vzeda, conditum Anno M. CC. olim Abbatiale, hodie ſub Montis-Sion faſcibus militans. 1200

XVIII. BENAVIDENSE conditum in diœceſi Pallentina, non longe ab Oppidis Villalon, & Rio Seco, in loco BENAVIDES, qui nomen Cœnobio dedit: conditum ad Annum M. CC. ex Monaſterio Superatenſi in Gallæcia 1200

XIX. VILLA-NOVENSE prope oppidum VILLA-NVEVA DE OSCOS, in diœceſi Ouetenſi, conditum VIII. Kalend. April. Anno Domini M. CC. II. ex Monachis Carracetenſibus, in Aſturicenſi Principatu. 1202

XX. MONS-SALVTIS celebre ob ſalutem quam ibidem accipiunt rabie laborantes, ideoque MON-SALVD Noſtris dicitur, ſitum eſt in diœceſi Conchenſi, ad Annum Domini M. CC. VI. 1206

XXI. BELLO MONTENSE in Aſturicenſi Principatu Ouetenſis diœceſis conſpicitur, & patrio vocabulo BEL MONTE nuncupatur, eius initium ab Anno Domini M. C C. XV. refert. 1215

XXII. MONTIS-SION celeberrimum iuxta vrbem Toletum ſitum, & in eius diœceſi collocatum, cuius exordium Anno M. CCCC. XXV.

XXV. dignoſcitur. Illius Abbas habet primum gradum inter cæteros Caſtellæ Abbates. 1425

XXIII. LAVRETANENSE Collegium Salmanticæ conditum, vt in eius celeberrima Academia Neophyti Ordinis Ciſtercienſis ſtudiis Philoſophiæ, ac S. Theologiæ incumbant, ad Annum M. D. LXXX. 1580

XXIV. COMPLVTENSE Collegium in eadem vrbe conditum pro erudienda iuuentute in illa famigerata Vniuerſitate Anno M. D. LXXXVI. 1586

XXV. MADRIDENSE in Regali Catholicorum Regum Cunia ſitum, & S. Annæ, Dei Genitricis Matri dicatum, & ab Alphonſo de Peralta, Nobili Viro conditum, Anno M. D. XC. 1590

## IN ARAGONIA.

I. VEROLENSE conditum prope Cæſarauguſtam, & in eius diœceſi, VERVELA nomine, ad Annum M.C.XLVI. à D. Petro Atares Borgiæ Dynaſta. 1146

II. CLARIANENSE in Comitatu Roſſilionis, diœceſis Helenenſis, accolis dictum CLARIANA, conditum Anno M C.XLVII. 1147

III. ROTENSE ſucceſſit Monaſterio *Iuncarienſi*, quod extruxerat Alphonſus II. Aragoniæ Rex iuxta Cæſarauguſtam Anno M. C. LII. hodie RVEDA. 1152.

IV. SACRARVM-CRVCIVM in Cathalonia, diœceſis Tarraconenſis, quod extruxit Petrus Aragoniæ Rex Anno M.C.LII. 1152

V. POPVLETENSE, quo hodie POBLET nominatur, in diœceſi Tarraconenſi ſitum, à Berengario Comite Barcinonenſi Anno M. C. LIII. conditum, & ab Alphonſo Aragoniæ Rege auctum. 1153

VI. BONA-VALLIS, in Comitatu Roſſilionenſi, diœceſis Helenenſis ſitum, hodie BVENA-VAL, conditum Anno M. C. LXIV. 1164

VII. SCHARPENSE, ſitum ad Cingam fluuium in diœceſi Ilerdenſi, hodie ab accolis ESCHARPE dictum, quod extruxit Petrus Aragoniæ Rex, cognomento Catholicus, Anno M. C. LXXX. 1180

VIII. PETRENSE, quod de PIEDA dicitur ſitum in diœceſi Tyraſonenſi conditum ab Alphonſo Aragoniæ Rege, Anno M.C. XCV. 1195

IX. LABACIENSE, ſitum ad locum LABAIX, diœceſis Vrgellenſis, in Cathalonia, conditum ad Annum M.CC.XXII. 1223

X. SAIDAENSE, conſtructum in diœceſi Dertoſenſi in Catalonia, in loco dictum SAYA, ad Annum M CC. XXVII. adhuc non extat. 1227

XI. REGALENSE iuxta vrbem Maioricam, & in eius diœceſi, & Inſula, conditum à Iacobo Aragoniæ Conquiſitore Anno M. CC. XXX. Titulo DELREGALO. 1230

XII. BENEFASSANVM Derſatonæ diœceſis in Cathalonia, dictum BENFAZA, conditum à Iacobo Aragoniæ Fortunato, Anno M.CC. XXXV. 1235

XIII. VALENTINVM, S. Vincentio dicatum in ipſa Vrbe Valentia Edetanorum, conditum ab Alphonſo III. Aragoniæ, Anno M.CC. LXXXVI. 1286

XIV. VALLIS-DIGNA, iuxta Oppidum Gandia, in diœceſi Valentina, conditum à Iacobo II. Aragoniæ Anno M. C C. XCII. hodie VAL-DINA dictum 1192

XV. FONS CLARENSE, dicatum S. Fidei, à quâ & nomen poſtmodum accepit ſitum in diœceſi Cæſarauguſtana, & conditum Anno M.CCC.XXXVIII. 1338





XXVI. S. BERNARDI Cœnobium prope Valentiam, conditum Anno M. CCC. LXXXVI. ſed poſtmodum Ordini S. Ieronymi datum Anno M.D.XLIV. 1386

## IN NAVARRA.

I. FITERENSE ſitum inter Pampilonam, & Tudelam, conditum primò in monte *Yerga* Anno M. C. XLVI. poſt tranſlatum ad *Caſtellionem*, ac demum ad *Fiterum*; Anno M.C.L. 1150

II. OLIVENSE ſitum in diœceſi Pampilonenſe in loco cui OLIVA nomen, & conditum à Sanctio Nauarræ Rege Anno M. C. LX. 1160

III. LEGERENSE olim Benedictinorũ conſtructũ Anno DCCC.LX. datum Ciſtercienſibus, Anno M. C. LXX. S. Saluatori dicatum. 1170

IV. IRANZVNENSE, quod vulgò IRANSV dicitur, conditum à D. Petro Pariſio Pampilonenſi Epiſcopo, Anno M.C. LXXVII. 1177

V. MANILIENSE in eadem diœceſi Pampilonenſi, ad locum MANILIA quod eſſe fœminarum Cœnobium ſuſpicatur Iongelinus fol. 19.

## IN LEGIONE, ET GALLÆCIA.

I. CARRACETENSE, fuit olim Benedictinorum ab Anno DCCCC. XC. ad M.C.XXVI. quo Ciſtercienſibus datum, hodie CARRAZEDO, in Aſturica. 1126

II. CASTANNEENSE, dicatum S. Martino, & in Aſturicenſi diœceſi ſitum, hodie *Caſtañeda*, conditum Anno M. C.XL. 1140

III. VRSARIENSE in Gallæcia ſitum, hodie OSSERA, conditum ab Alphonſo VIII. Caſtellæ Rege, Anno M.C.XL. 1140

IV. MELONENSE in Gallæcia diœceſis Tudenſis hodie MELON, conditum ad Annum M.C.XLII. miſſis Monachis à D. Bernardo. 1142

V. SVPERATENSE in Gallæcia, diœceſis Compoſtellanæ, hodie SOBRADO, quod Benedictinorum, ſed Ciſtercienſibus datum Anno M.C.XLII. 1142

VI. MEIRENSE in Gallæcia, diœceſis Lucenſis, hodie MEYRA, conditũ Anno M C.XLIII. cui plura obtulit Alphonſus Imperator. 1143

VII. MONS-RAMENSE in Gallæcia, diœceſis Aurienſis, hodie MONTERAMO, conditum Anno M. C. LIII. ab Vrraca Legionis Reginâ. 1153

VIII. ARMENTERIENSE in Gallæcia, diœceſis Compoſtellanæ, quod hodie dicunt ARMENTERA conditum Anno M. C. LIII. 1153

IX. VALLIS-VIRIDIS in Legione, & diœceſi, dicitur hodie VAL-VERDE, extructum Anno Domini M.C.LXIX. 1169

X. IVNCARIENSE in Gallæcia, diœceſis Aurienſis, incolis IVNQVERA vocatum, conditum Anno M. C. LXX. 1170

XI. SANDOVALLENSE in Legione, & eius diœceſi, hodie SANDOVAL, ſitum: ſed conditum Anno M.C LXX. 1170

XII. NVCALENSE in Gallæcia, diœceſis Aſturicenſis, conditum Anno Domini M. C. LXXI. quod nunc NOGALES dicitur. 1171

XIII. HOYENSE in Gallæcia, diœceſis Tudenſis cui HOYA nomen, conditum pro Benedictinis ad Annum D. LXIX. pro Ciſtercienſibus M.C. LXXXV. 1185

XIV. SANCLAVDIENSE in Gallæcia, diœceſis Aurienſis, olim etiam Benedictinorũ, & ad Annũ M.CC. Ciſtercienſiũ hodie S. CLODIO. 1200

XV. MONS-FERENSE in Gallæcia, diœceſis Compoſtellanæ, hodie dictum ab incolis MONFERO, conditum Anno M. CC. I. 1201

XVI. SOTALBENSE in Legione, & eius diœceſi, quod SOTALBOS nuncupatur, conditum ad Annum M.CC.XII. 1212

XVII. Penna-Maior in Gallæcia, diœceſis Lucenſis, *Pena mayor* dictum, conditum Anno M. CC. XXVI. 1226

## *JN PORTVGALLIA.*

I. Tavrocense ſitum in diœceſi Lameccnſi, hodie *Tarouca*, conditum reuelatione S. Ioannis Baptiſtæ, Anno M. C. XXXII. 1132

II. Lafoense, S. Chriſtophoro dicatum, & in Viſeenſi diœceſi ſitũ, hodie *S. Chriſtoual de Lafoëns*, conditum Anno M.C.XL. 1140

III. Salicense ſitum in diœceſi Lamecenſi, hodie Salzeda vocatum, conditum Anno M.C.XLIV. per Tereſiam Comitiſſam. 1144

IV. Aqvilense conſtructũ in diœceſi Lamecenſi, & S.Petro dicatũ, conditum Anno M. C.XLV. per Garſiam, & Dordiam coniuges. 1145

V. Alcobatiense ſitum in diœceſi Vliſſipponenſi, hodie *Alcobaza*, conditum ab Alphonſo I. Portugalliæ Rege, Anno M. C. XLVIII ob victoriam partam de Sarracenis, S.Bernardi precibus, ad Scalabim. 1148

VI. Stellense, S. Paulo dicatum in diœceſi Conimbricenſi, quod exordium ſumpſit ex Monachis Alcobatienſibus, Anno M.C.LXIII. 1163

VII. Bovrense olim Benedictinorum in diœceſi Braccarenſi, dictum Bovro, deinde Ciſterciẽſibus conceſſum, Anno M.C.LXIX. 1169

VIII. Tamaraense ſitum in diœceſi Vliſſiponenſi, vulgo Tamaraens. conditum Anno M.C.LXX. ex Monachis Alcobatiẽſibus. 1170

IX. Ceicense ſitum in diœceſi Conimbricẽſi, cui Ceyca vocabulũ, conditum Anno M. C. XCV. ab Alphonſo I. Rege Portugalliæ. 1195

X. Maceiradense in eadem diœceſi Conimbricenſi ſitum, & *Mazeyradam* dictum, conditum Anno M.CC. 1200

XI. Exiliense ſitum intra vrbem Vlyſipponenſem, & *Noſſa Senhora do Deſterro* vocitatum, ſed quo Anno conditum nullibi dicitur.

*Ordines Militares Hiſpaniæ ſub regula Ciſtercienſium.*

En Lector Ciſtercienſium Fratrum Cœnobiorum Catalogum, vbi nec Sanctimonialium Monaſteria deſcribere potuimus, quia nondum ecphraſim accepimus eorum. Nunc ad *Equeſtria Ordinum Militarium* exordia, quorum origines ſub *Ciſtercienſium Regulis* præſcriptas agnoſcimus, deueniamus.

## *CALATRAVA.*

Oppidvm in *Oretanorum* populis *Citerioris Hiſpaniæ*, non procul ab *Ana* flumine ſitum, in loco munitiſſimo, & arduo. Cuius arcem diù tenuere *Templarij Milites*, qui Arabum continuis incurſionibus impetiti, Oppidum relinquentes, *Sanctio Caſtellæ* Regi huius nominis III. populandum dimiſere. Quod cùm nullus procerum ſuo periculo defendendum ſuſciperet, Deo annuente Raymvndvs *Fiterenſis Abbas* in *Vaſconia*, qui *Toleti* eo tempore moram trahebat, ſuadente *Didaco Velaſquio* ſocio, olim in ſeculo ſtrenuiſſimo milite, Calatravam à Rege defenſandam ſuo ordini flagitauit. *Sanctius* Rex Abbatis ſanctitatem cognoſcens, ei factum hocce, auctore Deo, tradidit, & pauperi Abbati totius illius Prouinciæ, curam, & dominium commiſit. Qui ad *Ioannem* Toletanæ Eccleſiæ Præſulem veniens, & onus ſuper eius humeros impoſitum referens, ab eo approbationem, & auxilium faciliter impetrauit. Publicato per vrbes negotio, multi quos deuotio incitauit, temperato habitu, vt militaria expoſcebat agilitas, eorum Ordinem receperunt, & in continenti contra Arabes cædes, & prælia exercere, Domino adiuuante, cœperunt. Hoc huius Militaris Religionis exordium, cui regulam præſcripſit *Raymundus* Sanctiſſimus Abbas *Fiteri*, de quo Nos ſupra *Tom. 2. Die XV. Mart fol. 237.* & omnes

ferè



ferè de hac re Scriptores, quos refert III. D. D. Ieronymus Maſcareñas in *Memorial. Calatrau. fol. 5.* & in *Vit. S. Raymund. fol. 27. & 28.* Igitur Ordo hic Militaris inſtitutus fuit, vt diximus à *B. Raymundo*, Anno M. C. LVIII. vt conſtat ex Priuilegio *Sanctij* Regis Caſtellæ & Legionis, quod refert Rades de Andrada in *Antiquitat. Ordinis Calatrau. c. 2. fol. 5.* & alij Scriptores. *Inſtitutio.* Et tunc in formam Congregationis, donec ad Ordinem tranſiit Apoſtolica confirmatione per Alexandrum III. Pont. Max. *Anno* M. C. LXIV. quo inclytus *Ordo*, tanquam *Primus* in *Hiſpania* erectus, cœpit celebrari. *Confirmatio.* Poſtmodum Anno M. C. LXXXVII. *Ordini Ciſtercienſium* adhæſit Apoſtolicâ auctoritate, vt priuilegiorum participationem, & bonorum operum communionem cum *Fratribus Ciſtercienſibus* haberet; ita F. Angelus Manrrique in *Memorial. 1. pro Priorat. Calatrauenſ. c. 1. n. 6.* D. D. Ieronymus Maſcareñas *d. Memorial. fol. 20.* & plures alij. *Communicatio cum Ciſtercienſibus.* Quatenus ad formam habitus; is variè acceptus traditur; nam à principio *Scapulare pro habitu Religionis* accepere Milites, & Sacerdotes; vſque ad Annum M.CCC. XCVII. Benedictus XIII. qui ſe pro Pontifice Maximo gerebat, eo Anno diſpoſuit, quod ſupra veſtimenta exteriora, ad læuum latus, *Crucem rubram* apponerent, cuius *extrema deſinerent in quatuor lilia:* qua adhuc forma hodie vtuntur Equites, & Fratres, quos *Freyles* vocitant, in diſcrimen Religioſorum aliorum Ordinum, qui Militares non ſunt, ita Radez in *Antiquitat. Calatrauenſ. c. 3. fol. 7.* Tunc vt inſtitutus fuit, cœpit per Magistros gubernari, in quo ſequentes numerantur: *Habitus.* *Freyles, quare dicti?*

## *MAGISTRI GENERALES SACRI Ordinis Calatrauenſis ab Anno M. C. LXIV. quo inclytus, & Militaris hic Ordo confirmatus eſt ab Apoſtolica Sede, per Alexandrum III. Pont. Max.*

I. D. Garsias huius nominis I. Magiſter Ordinis Calatrauenſis I. origine, vt creditur, *Nauarrus*, qui arcem *Calatrauæ* viriliter defenſauit ab incurſibus Sarracenorum. Eius memoria ad Annum M.C. LXVIII. 1168

II. D. Fernandvs huius nominis I. Magiſter Ordinis Calatrauenſis II. cognomento *Eſcaza*, qui cum CC. Militibus Laycis, & Clericis ſui Ordinis auxilia Regi Alfonſo præſtitit ad Caſtrum Zuritæ, Magiſterio renuntiauit Anno M.C.LXX. 1170

III. D. Martinvs huius nominis I. Magiſter Ordinis Calatrauenſis III. cognomento *Perez de Siones*, Turiaſonenſis, qui cum Equitibus ſui Ordinis per Giennium ingreſſus Sarracenos profligauit. Poſt hæc aliqui ex Equitibus quendam Didacum Garſiam Magiſtrum elegerunt, ſed breui hoc ſchiſma ſopitum fuit. Magiſter inſignibus facinoribus factis obiit Anno M. C. LXXXII. 1182

IV. D. Nvnnivs huius nominis I. Magiſter Ordinis Calatrauenſis IV. cognomento *Perez de Quiñonez*, Auileſenſis in Regno Legionis. Huius tempore Ordo iſte adhæſit Ordini Ciſtercienſi; & *Calatraua* in Sarracenorum manus deuenit; & ideo Ordo, & Conuentus ad Oppidum *Ciruelos* prope Toletum tranſlati ſunt, poſtmodum ad Saluam-Terram. Obiit Magiſter Anno M.C.XCVIII. 1198

V. D. Martinvs huius nominis II. Magiſter Ordinis Calatrauenſis V. & Saluaterrenſis I. cognomento *Martinez*, qui Xenodo-

chium conſtruxit in Oppido S. Eulaliæ inter Toletum, & Talabricam; deinde Aragoniam profectus, vt in obedientiam ſui, & Ordinis *Garſiam Lupum*, qui Oppidum *Alcannizium* vſurpauerat; & ſe Magiſtrum Alcannizenſem attitulauerat, traheret, obiit Anno M.CC.IX. 1209

VI. D. RODERICVS huius nominis I. Magiſter Ordinis Calatrauenſis VI. & Saluaterrenſis II. cognomento *Diaz de Anguas*, Cuius tempore Oppidum *Saluatierra* à Sarracenis deſtructum eſt, & Conuentus ad Oppidum, & Caſtrum *Zuritæ* tranſlatus, vbi iacuit ad Annum M. CC. XII. quo *Calatraua* à Mauris erepta, iterum Ordini reſtituta eſt;& Magiſter ab oneris dignitate eodem anno ſe abdicauit, & vixit IX. annos. 1212

VII. D. RODERICVS huius nominis II. Magiſter Ordinis Calatrauenſis VII. cognométo *Garces*, Obiit in Aragonia Anno M.CC.XV. 1215

VIII. D. MARTINVS huius nominis III. Magiſter Calatrauenſis VIII. cognomento *Fernandez de Quintana*, Cuius tempore Conuentus tranſlatus fuit ex veteri caſtro Calatrauenſi ad recentius eodem nomine inſignitum, obiit Anno M.CC. XVIII. 1218

IX. D. GVNDISALVVS huius nominis I. Magiſter Calatrauenſis IX. cognomento *Yañez*, Cuius tempore hic Ordo, & S. Iacobi fraternitatem contraxere, & ſimul coadunnati de Mauris illuſtres victoria percepere. Obiit Anno M. CC. XXXVIII. 1238

X. D. MARTINVS huius nominis IV. Magiſter Calatrauenſis X. cognomento *Ruiz*, Qui ordinem *de Auis* in Portugallia viſitauit,& obiit Anno M. CC. XL. 1240

XI. D. GOMETIVS huius nominis I. Magiſter Calatrauenſis XI. cognomento *Manrrique*, qui ordinem rexit ad Annum M.CC.XLII. & Magiſterio renuntiauit. 1242

XII. D. FERNANDVS huius nominis II. Magiſter Calatrauenſis XII. cognomento *Ordoñez*, ex Maiori Commendatario, qui cum ſuis Equitibus mira in obſidione Hiſpalenſis vrbis peregit, obiit Anno M.CC.LIV. 1254

XIII D. PETRVS huius nominis I. Magiſter Calatrauenſis XIII. cognomento *Yanez*, qui primò fuerat Alcantarenſis Magiſter, obiit Anno M. CC.LXVII. 1267

XIV. D. IOANNES huius nominis I. Magiſter Calatrauenſis XIV. cognomento *Gonzalez* qui multa in obſequio Regum perfecit, Obiit Anno M. CC. LXXXIV. 1284

XV. D. RODERICVS huius nominis III. Magiſter Calatrauenſis XV. cognomento *Perez Ponze*, obiit in bello Aznallozenſi aduerſus Arabes Anno M. CC.XCV. 1295

XVI. D. DIDACVS huius nominis I. Magiſter Calatrauenſis XVI. cognomento *Lopez de Sanſoles*, ſiue S. Zoyli, obiit Anno M. CC. XCVII. 1297

XVII. D. GARSIAS huius nominis II. Magiſter Calatrauenſis XVII. cognomento *Lopez de Padilla*, qui bis à dignitate depoſitus, tandem obtinuit, & demùm dimiſſo Magiſterio, retentis aliquibus caſtris in Aragonia, ibidem ſeceſſit Anno M.CCC.XXIX. 1329

XVIII. D. IOANNES huius nominis II. Magiſter Calatrauenſis XVIII. cognomento *Nunez de Prado*, cuius tempore (vt ipſe prædeceſſorem ſchiſmate turbauerat) à duobus intruſis in Magiſterio ſchiſma exortum eſt; ille capite plexus obiit Anno M.CCC.LV. 1355

XIX. D. DIDACVS huius nominis II. Magiſter Calatrauenſis XIX. cognomento *Garcia de Padilla*, quem etiam in dignitate turbauit D. Petrus Eſteuañez, ſed à Petro Caſtellæ Rege occiſus, pro vt & ipſe Magiſter Anno M. CCC.LXVIII. 1368





XX. D. MARTINVS huius nominis V. Magiſter Calatrauenſis XX. cognomento *Lopez de Cordoua*, primum Alcantarenſis, qui à Rege Petro ſublimatus poſtmodum illum, & ſucceſſorem Henrricum deſeruit, & ideo decollatus occubuit Anno M CCC.LXIX. 1369

XXI. D. PETRVS huius nominis II. Magiſter Calatrauenſis XXI. cognomento *Muniz de Godoy*, qui Generali Capitulo congregato ad Magiſterium S. Iacobi tranſlatus eſt Anno M.CCC LXXXIV. 1384

XXII. D. PETRVS huius nominis III. Magiſter Calatrauenſis XXII. cognomento *Aluarez de Pereyra*, ex ordine S. Ioannis, obiit in bello Anno M.CCC.LXXXV. 1385

XXIII. D. GVNDISALVVS huius nominis II. Magiſter Calatrauenſis XXIII. cognomento *Nuñez de Guzman*, Eius tempore mutatus eſt habitus antiquus & data Crux rubra in pectore, vt diximus; Obiit Anno M.CCCC.IV. 1404

XXIV. D. ENRICVS huius nominis I. Magiſter Calatrauenſis XXIV. cognomento *de Villena*, qui communiter dicitur Aſtronomus, cuius tempore ſchiſma exoritur, & ipſe à dignitate depoſitus Anno M. CCCC. XIV. 1414

XXV. D. LVDOVICVS huius nominis I. Magiſter Calatrauenſis XXV. cognomento *Gonzalez de Guzman*, qui primus diſpenſationem obtinuit ad contrahendum matrimonium, ipſe, & cæteri Equites, ſed nullus illa vſus eſt; òbiit Anno M.CCCC XLIII. 1443

XXVI. D. FERNANDVS huius nominis III. Magiſter Calatrauenſis XXVI. cognomento *de Padilla*, qui cùm inſcio Rege Ioanne fuiſſet electus, breui occiſus eſt Anno eodem. 1443

XXVII. D. ALFONSVS huius nominis I. Magiſter Calatrauenſis XXVII. cognomento *de Aragon*, qui iuridice depoſitus Anno M. CCCC. XLV. Aragoniam perrexit. 1445

XXVIII. D. PETRVS huius nominis IV. Magiſter Calatrauenſis XXVIII. cognomento *Giron*, qui depoſito prædeceſſore dignitatem obtinuit, & feliciter obiit Anno M.CCCC.LXVI. 1466

XXIX. D. RODERICVS huius nominis IV. Magiſter Calatrauenſis XXIX. cognomento *Tellez Giron*, vix Octennis electus, ſed ſtrenuus ſuo tempore, Obiit in bello Anno M.CCCC. LXXXII. 1482

XXX. D. GARSIAS huius nominis III. Magiſter Calatrauenſis XXX. cognomento *Lopez de Padilla*, deuotus in B. Raymundum huius Ordinis Inſtitutorem: qui Conuentui plura ornamenta donauit, & obiit Anno M. CCCC. LXXXVII. 1487

POST *huius Maſtri obitum Reges Catholici* Ferdinandus, *&* Iſabella *Caſtellæ, Legionis, Aragoniæ, & vtriuſque Siciliæ, gratiam obtinuere, vt huius Ordinis Adminiſtratio in perpetuum penes Reges Hiſpaniæ exiſteret; & ideo ipſi, Carolus V. Philippus II. III. & nunc IV. Reges Noſtri hunc Ordinem rexere, & regit.*

# ORDO ALCANTARÆ.

QVEM olim, & primitùs S. IVLIANI DEL PEREYRO dictum fuiſſe nullus dubitat, cuius nominis origo ſumpſit exordium ab *Oppido*, quo fuit inſtitutus, in diœceſi *Ciuitatenſi* ad ripam fluminis *Coæ*. Quis autem illum primus inſtituerit, adhuc ſub ſilentio eſt, illud ſcitur, quòd Anno M. C. LXXVII. ab *Alexandro* III. Pont. Max. confirmationem accepit, cùm iam præcedenti Anno conſtet extitiſſe *Fratres* apud *Pereyrum* ex Priuilegio *Ferdinandi* Regis Legionis, & Gallæciæ, quod refert Rades de Andrada in *Ordin. Alcantar. cap.* 1. *fol.* 1. *col.* 2. Poſt Anno M.C.LXXXIII. *Lucius* III. Pontifex Max. ipſis *Regulam S. Benedicti* præſcripſit, certo moderamine ſubſignatam, prout *Milatari Ordini* decebat. Qualis

*Inſtitutio.*

*Confirmatio.*

*Regula.*

fuiſſet Equitum, & Clericorum habitus à principio, prorſus ignoratur. Creditur Equites honeſto ſeculari, & Clericis talaribus ad pedes vſque vſos, additis ſcapu-
*Inſigne.* lari, & pittacio panni; quæ inſignia poſtmodum in *Cruce viridi in extremis liliatâ* commutarunt. Poſtmodum relicto Oppido S. IVLIANI, & Nomine DELPEREYRO, hic Ordo inclytus, & inuictus DE ALCANTARA cœpit appellari; quia hoc munitiſſimo Oppido, ad *Tagi* fluminis fluenta poſito, olim *Norua - Cæſarea*
*Mutatio Nominis, & quare?* dicto, ab *Alfonſo* Legionis Rege Anno M. CC. XIII. è Sarracenorum faucibus, erepto, illud *Calatrauenſibus Equitibus* dono Rex ceſſit, qui certis conditionibus *Magiſtro*, & *Ordini S. Iuliani* liberaliter Oppidum hocce conceſſere. Hinc *Conuentum* extruere cœptum. Hinc nominis, & loci mutatio ſecuta. Hinc exordium ſequentis magnitudinis, quâ in poſterum *Ordo* iſte concreuit. Eius Magiſtros recitare compellimur, vt inſtituti incepti præſcripta regula Nos ab onere liberet.

## *MAGISTRI GENERALES*
### *Sacri Alcantarenſis Ordinis Militaris ab Anno M. C. LXXVII. quo ab Apoſtolica Sede confirmatus eſt Ordo per Alexandrum III. Pont. Max.*

I. D. GOMETIVS huius nominis I. Magiſter Alcantarenſis I dum apud *S. Iulianum* eſſet Conuentus. Hic Ordinis confirmationem obtinuit ab *Alexandro* III. Pont. Max. multa geſſit, & obiit ad Annum M CC. 1200

II. D. BENEDICTVS huius nominis I. Magiſter S. Iuliani II. cognomento *Soarez*, ſeu *Sugiz*, qui cum Ordinis Iacobæi Magiſtro fraternitatem inſtituit, & ſui Ordinis confirmationem ab Innocentio III. impetrauit. Obiit Anno M. CC. VIII. 1208

III. D. NVNTIVS huius nominis I. Magiſter primùm S. Iuliani III. poſt Alcantarenſis I. cognomento *Fernandez*; cuius tempore ALCANTARA Ordini ceſſit, ex quo Alcantarenſis Ordo, & Magiſter vocitari cœpere, relicto prorſus nomine S. IVLIANI, ſiuè DEL PEREYRO, & tunc relicto Oppido antiquo ad Alcantaram deuenere. Obiit Magiſter Anno M.CC. XIX. 1219

IV D. DIDACVS huius nominis I Magiſter Alcantarenſis IV. cognomento *Sanchez*, qui Conuentum in Alcantara erigere curauit. Huic Alphonſus Legionis Rex conceſſit, vt quotquot Oppida, & Caſtra in Extremadura à Mauris ipſe, ſiue eius ſucceſſores eriperent, Ordini ſubiacerent, reſeruato Legionis ſupremo dominio. Magiſter obiit in obſidione Montagij Anno M. CC. XXVII. 1227

V. D. ARIAS huius nominis I. Magiſter Alcantarenſis V. cognomento *Perez Gallego* qui cum Rege Legionis Pacis Auguſtę obſidioni interfuit; poſt *Magazelam* in Prouincia Serenenſi cepit, & Turrem-Iuliam, quâ poſuit Clericos huius Ordinis, quos Trugillenſes vocauere. Obiit Anno M.CC.XXXIV. 1234

VI. D. PETRVS huius nominis I. Magiſter Alcantarenſis VI. cognomento *Yañez*, qui hanc noſtram *Serenenſem* Prouinciam è Sarracenorum faucibus eripuit, nam *Metellinum* primò, deinde Oppidum *Villam Nouam*, poſt Oppidum *Benquerencia* ſuo Ordini acquiſiuit, & ob eius illuſtria facinora ad Magiſtratum Calatrauenſem Anno M. CC.LIV. tranſiit. 1254

VII. D. GARSIAS huius nominis I. Magiſter Alcantarenſis VII. cognomento *Fernandez Barrantes*, qui Regis militaria inſignia ſecutus,



cutus, illi admodum fidelis extitit: & gratus obiit Anno M. CC. LXXXIV. 1284

VIII. D. FERNANDVS huius nominis I. Magiſter Alcantarenſis VIII. cognomento Paëz, qui pro Rege Sanctio aduerſus Pacenſes dimicauit, Obiit Anno M. CC. XCII. 1292

IX. D. FERNANDVS huius nominis II. Magiſter Alcantarenſis IX. cognomento *Perez Gallego*, cuius tempore Caſtrum S. Iuliani, quod fuerat caput Ordinis pactione ad Portugaliæ Regem deuenit. Obiit Anno M. CC XCVI. 1296

X. D. GVNDISALVVS huius nominis I. Magiſter Alcantarenſis X. cognomento *Perez* qui pontem Alcantaræ à rebellibus captum recuperauit, & alia in Regis Ferdinandi peregit, & obiit Anno M. CCC. XII. 1312

XI. D. RODERICVS huius nominis I. Magiſter Alcantarenſis XI. cognomento *Velazquez*, ſiue *Vazquez*, qui fuit depoſitus à dignitate Anno M. CCC. XVIII. 1318

XII. D. SEVERIVS huius nominis I. Magiſter Alcantarenſis XII. cognomento *Perez Maldonado*, qui fuit ſuffectus loco depoſiti, obiit Anno M. CCC. XXXIV. 1334

XIII. D. RODERICVS huius nominis II. Magiſter Alcantarenſis XIII. cognomento *Perez Maldonado*, prædeceſſoris frater. Paceri ſi obſidioni interfuit, poſt dignitati renuntiauit Anno M. CCC. XXXV. 1335

XIV. D FERNANDVS huius III. Magiſter Alcantarenſis XIV. cognomento *Lopez* qui ad dignitatem aſcendit in ſchiſmate per Equites, & Sacerdotes Alcantarenſes, nam D. Gundiſaluus de Ouiedo apud Turrim - Iuliam perperam electus fuit. Obiit Anno M. CCC. XXXV. 1335

XV. D. SOERIVS huius nominis II. Magiſter Alcantarenſis XV. cognomento *Lopez* in locum Fernandi deceſſoris electus durante ſchiſmate Gundiſalui, & Roderici, ſed iſte armis, & militibus Soerium ad renuntiationem compulit, & ipſum Alphonſus Rex, ita vt Anno M. CCC. XXXVII. pacificato Ordine ad nouam electionem ventum eſt. 1337

XVI. D. GVNDISALVVS huius nominis II. Magiſter Alcantarenſis XVI. cognomento *Nuñez de Ouiedo*, Regis Alphonſi inſtantiâ electus, cui in pluribus bellis fideliſſimè ſeruiuit, donec ab eius obedientia ſeparatus, tandem decollatus eſt, Anno M. CCC. XXXVIII. 1338

XVII. D. NVNNIVS huius nominis II. Magiſter Alcantarenſis XVII. cognomento *Chamizo*, qui cum ſui Ordinis Equitibus variis aduerſus Sarracenos congreſſibus interfuit, donec Anno M. CCC. XLIII. in obſidione Ageziræ aquis fluminit depreſſus interiit. 1343

XVIII. D. PETRVS huius nominis II. Magiſter Alcantarenſis XVIII. cognomento *Alonſo Pantoxa*, Toletanus, electus in obſidione Algeziræ, quâ vt ſtrenuus Eques ſagitæ ictu vulneratus occubuit Anno M. CCC. XLVI. 1346

XIX. D. FERNANDVS huius nominis IV. Magiſter Alcantarenſis XIX. cognomento *Perez Ponze de Leon*, ex Ducibus, qui cum Rege Petro aliquot contentiones habuit, donec pactis concluſis, in eius obſequio durauit ad Annum M CCC. LV. obitus. 1355

XX. D. DIDACVS huius nominis II. Magiſter Alcantarenſis XX. cognomento *Gutierrez de Zeuallos*, qui licet poſſeſſionem acciperet, eo quod non eſſet in ordine profeſſus neutiquam fuit eius approbata profeſſio, & ideo ceſſauit Anno M. CCC. LV. 1355

XXI. D. SOERIVS huius nominis III. Magiſter Alcantarenſis XXI.
cogno

cognomento *Martinez Aſturiano*, Regis Petri placitum ſecutus obiit Anno M.CCC. LXI. 1361

XXII. D. GVTERIVS huius nominis I. Magiſter Alcantarenſis XXII. cognomento *Gomez de Toledo*, Prior Ordinis S. Ioannis decreto Regis Petri, cui in omnibus obtemperauit, & pro eius ſeruitio in bello contra Aragoniam obiit Anno M.CCC.LXIV. 1364

XXIII. D. MARTINVS huius nominis I. Magiſter Alcantarenſis XXIII. cognomento *Lopez de Cordoa*, qui Regem Petrum ſecutus, Magiſterium Calatrauæ obtinuit ad Annum M. CCC. LXVIII. 1368

XXIV. D. MELENDVS huius nominis I. Magiſter Alcantarenſis XXIV. cognomento *Suarez*, hic fuit intruſus, & ideo depoſitus Anno M. CCC. LXXI. 1371

XXV. D. RODERICVS huius nominis III. Magiſter Alcantarenſis XXV. cognomento *Diaz de la Vega*, qui Henrico Regi gratus extit, obiit Anno M. CCC. LXXV. 1375

XXVI. D. DIDACVS huius nominis III. Magiſter Alcantarenſis XXVI. cognomento *Martinez* qui in obſequium Henrici multa geſſit, obiit Anno M.CCC. LXXXIII. 1383

XXVII. D. DIDACVS huius nominis IV. Magiſter Alcantarenſis XXVII. cognomento *Gomez Barroſo*, qui in bello inter Reges Caſtellæ, & Portugalliæ occubuit, Anno ſequenti. 1384

XXVIII. D. GVNDISALVVS huius nominis III. Magiſter Alcantarenſis XXVIII. cognomento *Nuñez de Guzman*, qui aduerſus Luſitanos dimicauit in bello, quod *de Aliubarrota* dicitur, & fuit tranſlatus ad Calatrauenſes Anno M.CCC. LXXXV. 1385

XXIX. D. MARTINVS huius nominis II. Magiſter Alcantarenſis XXIX. cognomento *Yañez dela Barbuda*, ſtrenuiſſimus Dux obiit in bello Anno M. CCC. XCIV. 1294

XXX. D. FERNANDVS huius nominis V. Magiſter Alcantarenſis XXX. cognomento *Rodriguez de Villalobos*, qui aduerſus Luſitanos dimicauit, Obiit Anno M. CCCC. VIII. 1408

XXXI. SANCTIVS Infans Caſtellæ huius nominis I. Magiſter Alcantarenſis XXXI. cuius tempore conceſſa fuit Equitibus, & Clericis fratribus huius Ordinis CRVX VIRIDIS liliata in extremis, Obiit Anno M. CCCC. XVI. 1416

XXXII. D. IOANNES huius nominis I. Magiſter Alcantarenſis XXXII. cognomento *Sotomayor*, cuius tempore Ordo multa contraria paſſus eſt eo inſtante, quapropter depoſitus dignitatem amiſit Anno M. CCCC. XXXII. 1432

XXXIII. D. GVTERIVS huius nominis II. Magiſter Alcantarenſis XXXIII. cognomento *Sotomayor*, interfuit bello Archidonenſi, & obiit Anno M.CCCC.LVI. 1456

XXXIV. D. GOMETIVS huius nominis II. Magiſter Alcantarenſis XXXIV. cognomento *Caceres & Solis*, qui Ordinem bellis, & contentionibus turbauit, ita vt à dignitatis poſſeſſione abdicatus obierit Anno M CCCC. LXIII. 1463

XXXV. D. ALPHONSVS huius nominis I. Magiſter Alcantarenſis XXXV. cognomento *de Monrroy*, electus in depoſitione deceſſoris, multa perpeſſus à dignitatis onere ſe abdicauit, vt potentiæ cederet, Anno M. CCCC LXXIII. 1473

XXXVI. IOANNES huius nominis II. Magiſter Alcantarenſis XXXVI. cognomento *de Zuñiga*, huius tempore Reges Catholici Magiſtratum huius Ordinis in perpetuum titulo Adminiſtratorum à Sede Apoſtolica pro ſe, & ſuis Succeſſoribus Regibus Caſtellæ obtinuerunt, & Magiſtro Hiſpalenſem, Sedem & Purpureum Galerum



Galerum à Summo Pontifice concedi totis viribus, & ſupplicationibus impetrarunt.

Huius inclyti *Ordinis* pars eſt Oppidum ZALAMEA dela SERENA, *Patria mea*, quo hæc ſcribo; olim dictum MVNICIPIVM ILIPENSE in *Bæturia Turdulorum*, vt ſæpius dixi. Hîc ergo eſt *Dignitas Prioralis* cum iuriſdictione quaſi Epiſcopali in eius diſtrictu, cuius *Prior* habitu *Alcantarenſi* inſignitus omnimodam iuriſdictionem in ſubditos exercet. Primum hæc Dignitas per *Vicarios* perpetuos ab Ordinis Magiſtro nominatos ſeruiri cœpit; poſt Anno M. D. LII. in Capitulo Generali *Prioralis* effecta eſt. Hinc in *Patriæ meæ* honorem *Vicarios*, & *Priores*, qui illam in ſpiritualibus texere, reponere, ne temporum lapſu eorum Nomina obliterentur, curaui.

Zalamea *eſt Prioratus Ordinis Alcantarenſis*.

## *VICARII ZALAMEÆ.*

I. F. ALFONSVS Vicarius *Zalameæ* I. cognomento *Hontiueros*, ex eodem oppido oriundus, quo Anno vixerit ignoratur.

II. F. FRANCISCVS Vicarius *Zalameæ* II. cognomento *Gomez*, ex Oppido Villa-Noua huius Prouinciæ progenitus.

III. F. PETRVS Vicarius *Zalameæ* III. cognomento *Cabrera*, ex Oppido Alcantara huius Ordinis capite procreatus poſtea ad Magazelenſem Prioratum euocatus.

## *PRIORES ZALAMEÆ.*

I. F. D. NICOLAVS Prior *de Zalamea* II. cognomento *Gutierrez*, ex Oppido Alcantara, qui Sacri Conuentus Prior fuerat Regiuſque Cappellanus, Primus à Capitulo Generali Ordinis Prior electus.

II. F. D. FRANCISCVS Prior *de Zalamea* II. cognomento Calderon, ex Prioratu ſacri Conuentus, & Cappellano Regio electus; poſt ad Magazelenſem tranſlatus.

III. F. D. CHRISTOPORVS Prior *de Zalamea* electus III. cognomento *Pedrero*, ex Priore Sacri Conuentus; ſed cauſis iuſtis noſtrum dimiſit.

IV F. D. ANTONIVS Prior *de Zalamea* IV. cognomento *Barrantes*, ex Alcãtara oriundus, cuius tempore Imago S. CRVCIFIXI veneranda cœpit miraculorum frequentiâ illuſtrari, & prodigiis totum Orbem replere. Huius Prioris infirmitatibus aſſiduis interuenientibus, datus eſt Coadiutor D. Franciſcus Barrantes Maldonado eiuſdem Ordinis. Obiit Prior. Anno M. DC.XXI. 1621

V. F. D. FRANCISCVS Prior *de Zalamea* V. cognomento *de Ouando*, ex Regio Cappellano electus, apud Cazeres natus, obiit Anno M. DC. XXIV. 1624

VI. F. D. LVDOVICVS Prior *de Zalamea* VI. cognomento *Velazquez de Tineo*, progenie clarus, & iuſtitiæ titulo ſeuerus, obiit Anno M. DC. XXVIII. 1628

VII. F. D ALVARVS Prior *de Zalamea* VII. cognomento *Texeda*, origine Bejarenſis, ex Priore Rollanenſi electus, obiit Anno M. DC. XXXVII. 1637

VIII. F D. LAVRENTIVS *Prior de Zalamea* VIII. cognomento *de Aldana Portocarrero* ex Cazerenſi Oppido ortus, obiit Anno M. DC. XLII. 1642

IX. F. D. ALVARVS Prior *de Zalamea* IX. cognomento *de Vlloa Paredes*, ex proxime citato Oppido progenitus, obiit Anno M. DC. XLIV. 1644

X. F. D. LVDOVICVS Prior *de Zalamea* X. cognomento *Velazquez*

& *Zuñiga* qui fuerat Rector Collegij Salmanticenſis huius Ordinis, poſt Ceclauinenſis Archipresbyter, literis, virtutibus, & ſtemmatibus condecoratus, vt merito maiora præmia tot meritorum ſpecimen expoſtulet; adhuc huius dignitatis regiminis onus ſuſtinet.

*Ordo Auiſij in Portugallia.* Sub *Ciſtercienſis Ordinis* communione militant etiam ORDO Equitum de AVIS in *Portugalia*, qui regulam accepit à *B. Ioanne Cirita* Abbate *Taurocano* ad Annum M CC. LXII & poſtmodum Anno M. CC. XIII. *Militiæ Calatrauenſium* ſe ſubdidit. Huius Ordinis Magiſtros, & inſigne referunt Chryſoſtomus Enrriquez in *Priuileg. Ordin. Ciſtercienſ. fol.* 481. *&* 514. Gaſpar. Iongelin. in *Not. Abbat. Ordin. Ciſtercienſ. lib.* 10. *fol.* 8.

*Ordo Monteſæ in Valentia.* NECNON apud *Valentinos* Hiſpaniæ, ORDO Militaris Equitum MONTESÆ, qui ſumpſit exordium ad Annum M. CCC. XVII. approbatus a *Ioanne* XXII. Pont. Maxim. Cuius Generales Magiſtros, & inſignia videſis apud *Zuritam*, *Iongelinum*, *Vvionem*, & Enrriquez in *Faſcicul. Ciſtercienſ. libr.* 1. *Diſtinct.* 18. *cap.* 4.

*Ordo Chriſti in Luſitania.* ITEM in Regno *Portugalliæ* ORDO Equitum CHRISTI, cuius initium refertur ad Annum Domini M. CCC. XIX. qui *Templariorum* locum ſucceſſit, inſtante *Dionyſio* Portugalliæ Rege, qui Legatos ad Romanum Pontificem Auenione commorantem, confirmationem eius nomine petituros direxit, cuius ſupplicationibus inclinatus Summus Antiſtes omnia conceſſit, & tunc *Ordo* iſte militare cœpit. Magiſtros eius Generales, & inſignia qui noſcere deſiderat adeat Chryſoſtomum in *Faſcicul. Ciſtercienſ lib.* 1. *Diſtinct.* 18. *c.* 5. *fol.* 304. Iongelinum *d. lib.* 10 *fol.* 10. hæc S. Bernardi in *Hiſpania* inclyta progenies.

# DVODECIMO
## Kalend. Septembris.
## DIES XXI.

*A.* BVRGINATI *in Bætica Hiſpaniæ* SS. VINCENTII, *&* IVLIANI *cum Sociis, qui inprimis Eccleſiæ perſecutionibus martyrio coronati, ſpiritus Domino tradiderunt.*

*B.* OCTOGESÆ *in Hiſpania* SS. IVVENALIS, BONOSI, *&* MAXIMIANI *Martyrum, qui Trajano Imperatore Eccleſiæ perſecutionem mouente, pro fide tenti, poſt cruciatuum anguſtias, mucroni guttura, animas Domino depoſuere.*

*C.* BLANDÆ *in Hiſpania Citeriori* SS. BONOSI *&* MAXIMIANI *Martyrum, qui pro Chriſti fidei confeſſione trucidati, vitam hanc ærumnoſam, cum cœleſti Martyres commutarunt æterna.*

*D.* VRGABONE *in Bætica* SS. BONOSI, *&* MAXIMIANI *Martyrum,*



*Martyrum, qui cùm eſſent fratres ex* Illiturgitana *vrbe oriundi, Chriſto nomina dedere, quo Milites facti, Imperatoribus Romanis, in* Hiſpalenſi *tumultuario bello ſtrenuâ auiditate ſeruierunt. Sed adueniente Datiani Præſidis perſecutionis procellâ pro fide tenti, cochlæa ſuſpenſi, & aliis cruciatibus fatigati, tandem abſciſſis ceruicibus martyrio coronati, palmam meruere.*

*E.* OCTOGESÆ *in Hiſpania* S. VILDEFRIDI *ipſius vrbis Presbyteri, qui gloriâ Confeſſoris admirabilis, & miraculorum munificentiâ celebris, in Domino quieuit.*

*F.* VLIÆ *in Bætica Hiſpaniæ* S. QVADRATI *ipſius vrbis Epiſcopi, qui doctrinæ cumulos ſpargens, & virtutum granos coaceruans, ad gloriam Confeſſor properauit eximius.*

*G.* CORDVBÆ *in Bætica* S. SAMPSONIS, *qui literis, & doctrinâ celebris, ſanctitate, & patientiâ egregius ad Dominum meritis plenus, glorioſo fine peruenit.*

*H.* GERVNDÆ *in Hiſpania citeriori Depoſitio* S. PALLADII *Epiſcopi* Ebrodunenſis; *cuius ſacra pignora honorifico cuſtodita ſarcophago, ibidem reconduntur, & venerantur.*

*J.* SARDINIÆ *natalis* S. CAMERINI, *Epiſcopi* Tuccitani *in Bætica, poſt* Toletani *in Carpetania, qui poſt multos exantlatos propter fidei cauſam labores, demùm cum aliis martyrio coronatus, ad ſuperos euolauit.*

# NOTÆ.

SANCTVS VINCENTIVS, *&* IVLIANVS *cum Sociis Martyribus.*] Eorum Nomina hoc die conſignat Venerabilis Beda in *Martyrologio*, ſequenti periodo: *In Hiſpaniis* VINCENTII, *&* IVLIANI; cui conuenit *Notkerus*, & *Rabanus* apud Caniſium *Tom.* 6. *Antiquitat. fol.* 732. & ſubſcribunt Franciſcus *Mauroylicus*, licet loco VINCENTII reponat IVLIVM, hac ſerie: *In Hiſpaniis* SS. IVLII, *&* IVLIANI, *pro* VINCENTII, *&* IVLIANI. Quo etiam Nominis errore Conſtantius Felicius in *Martyrolog. Ital. fol.* 72. *Martyrologia.* Qui iſti Sancti Martyres fuerint Luitprandus in *Aduerſar.* apud D. Laurent. Ramir. *n* 147. apud D. Thom. Tamayo *num.* 130. manifeſtat, his verbis: *Municipium* BVRGINATVM, *quod* *Scriptores.* *Mauri vocauerunt* BVXEXAR, *& ab Orca* (aliis Oſca) *Bæticæ Oppido* XX. P. M. *diſtans, à Germanis Coloniæ Trajanæ ciuibus conditum antiquitùs, Mauri diruerunt: vbi Gentilium tempore fuit celebris nundinarum conuentus: vbi fuerunt Duo Sancti* (*qui creduntur Martyres*) XXI. Auguſti, VINCENTIVS, *&* IVLIANVS, *cum Sociis, in pri-*

*Giennenſium Scriptorum circa chorographiā vera aſſertio.*

*mus Eccleſiæ perſecutionibus. Creditur dirutum à Sarracenis*, *cùm* Burginatenſes *reſiſterent. Eſt optimi ſoli, cœlique ; terra ferax frugum, ſi non deſint imbres. Hîc finis eſt Oretaniæ, & incipit Regio Baſtetaniæ.* Huius occaſione fragmenti Scriptores *Genienſis* Epiſcopatus, & *Beazienſis* vrbis hos ſibi SS. Martyres adſcribunt, contendentes, Municipium *Burginatenſe*, quod à Mauris BVXEXAR vocitatum dicitur, à Noſtris hodie BEXIXAR appellatur, ſit in *Giennenſi* Epiſcopatu incluſum. Ita M. Franciſcus Rus-Puerta *Hiſtor. Giennenſ. 1 p. ſecul. 1. c. 17. fol* 81. *n* 5. P. Franciſcus Bilches *Hiſtor. SS. Giennenſ. 1. p c. 9 fol. 20.* D. Martinus de Ximena in *Annal. Eccleſ. Giennenſ. Ann. 95. fol. 63.* Quorum libenter aſſertioni, quatenus ad *Chorographiam* adhæreo : Sed quatenus ad diem conſignationis martyrij prorſus diſcedo. Huius opinionis circa *conſignationem, diei* feſtiuitatis Auctor anteſignanus fuit amicus

*Circa Diē agonis, & cum aliis Diuis commixtionē, error ſupinus.*

olim, iam vitâ functus, rei litterariæ diſpendio, Noſter *M. Franciſcus Rus-Puerta*, qui Noſtros hos SS. Martyres VINCENTIVM, & IVLIANVM permiſcuit cum SS. Martyribus DATIVO, VINCENTIO, IVLIANO, & XXVII. Sociis eorum, quorum memoriam *Martyrologium Romanum*, & cætera tàm antiqua, quàm recentiora ad *Diem* XXVII *Januarij* repetunt, ex eo motus ſolummodo, quod iſti Martyres, iidem ipſi fuere, de quibus Flau. Dext. in *Chron. Ann.* 95. hæc verba concepit : *Aquis Quintianis in Gallæcia Hiſpaniæ Sancti Chriſti Martyres*, IVLIANVS,

*Probatur I.*

DATIVVS, VINCENTIVS, *& alij* XXVII. *Socij eorum.* Cuius aſſertioni cohæſere *P. Bilches*, & *D. Martinus de Ximena*, deſpectis noſtris Notationibus *ſupr. Tom.* 1. *Die XXVII. Januar. fol.* 310 vbi probauimus, S. VINCENTIVM illum, de quo *Martyrologium Romanum*, & *Dexter*, fuiſſe Epiſcopum *Carthaginenſem* in Hiſpania, qui cum aliis XXIX. Sociis martyrium conſummauit, ex Iuliano Toletano in *Aduerſar. num* 472. *fol.* 131. & ideò perperam *M. Puerta* confundere curauit hos

*Probatur II.*

Martyres, cum illis ad *Aquas Quintianas* paſſis. Hoc etiam probatur, nam Venerabilis *Beda, Rabanus Maurus, Maurolycus, Philippus Ferrar.* in *Topograph. SS. verb.* Hiſpania *fol.* 62. & in *Catalog. General. SS. h. d. fol.* 332. in *Not. verſ.* Hîc Maurolycus, & Conſtantius Felic. in *Martyrolog. Ital. fol.* 72. qui ſeorſim Noſtros Martyres ad hunc diem appingunt, ſi cum illis *die* XXVII. *Januarij* paſſis, aliquod conſortium haberent, proculdubio, proferre illud ſatagerent ; hoc reticent, ergo ab illis iſti diuerſi. Nec mouent ipſius *M. Puerta* argumenta in contrarium coagulata.

*Reſpondetur inſtantiis eorum. I.*

Non PRIMVM de conſortio IVLIANI cum VINCENTIO, & è contrario, ac ſi diceret, quòd vbicumque VINCENTIVS inueniatur cum IVLIANO, aut IVLIANVS cum VINCENTIO, iſti erunt *Martyres Burginatenſes* ; & ſic cùm ipſe in Martyrologiis conſpiceret vnà XXVII. *die Januarij* eorum Nomina cum ſociis, de his locutum *Luitprandum*, fatendum eſſe. Quia hæc inſtantia fallit, nam *Luitprandus* horum SS. Martyrum natalem appoſuit XII. *Kalend. Septembris*, pro vt & conſignauerat *Venerabilis Beda*, & ſuperius adducti ; ergo *Luitprandi* mens de iſtis à *Beda* & ſequacibus hoc die conſignatis, loquitur. NEC SECVNDA inſtantia

*Reſpondetur II.*

ſuffragatur amico *Rus-Puertæ*, quòd forſitan *Venerabilis Beda*, & qui eum ſequuntur, locuti ſint hoc die de *Tranſlatione*, aut feſtiuitatis cultu SS. Martyrum, tunc temporis in *Hiſpania* celebrato : quia prorſus contra verba *Luitprandi* confecta eſt. Patet, nam agens de *Burginatenſi Municipio*, addit : *Vbi fuerunt Martyres Duo Sancti* XXI. Auguſti. Ergo nec in *Aquis Quintianis*, nec Die XXVII. *Januarij* Noſtri Martyres coronati ſunt. His nec TERTIO obſtat additio *Luitprandi* poſt

*Reſpondetur III.*

nomina Martyrum CVM SOCIIS, quia licet tunc temporis alij Chriſti aſſeclæ cum Noſtris, martyrij agonem explerent, nil veritati ſubtrahitur, ſi illorum nomina ſub ſilentij cinere lateant adhuc : cuius rei tòt ſunt exempla, quòt periodi in Martyrologiis. Nos veritatis authographis inſiſtentes, SS. Martyres apud *Municipium Burginatenſe* paſſos ex *Luitprando* concedimus, cætera reſpuere compellimur, hinc eorum ACTA ſic formanda eſſe, nam alibi haut inuenta contendimus :





## ACTA SS. VINCENTII, ET IVLIANI Martyrum Burginatenſium in Hiſpania, ex Luitprando.

*Origo.* *Virtutes.* *Perſecutio.* *Coronantur.*

VINCENTIVS, *&* IVLIANVS *Ciues* Burginatenſis *Municipij in finibus* Oretaniæ, *quâ regio* Baſtetana *incipiebat*, *Chriſto nomina dederunt in exordio Euangelicæ prædicationis : cuius rore perfuſi, continuò ad altiora virtutum incrementa creſcentes, cæteris fidelibus, & ſociis Chriſticolis de ſe illuſtrium facinorum præbebant odorem : ita vt eorum actiones probitatis eſſent ſingulis documenta. Sic vitam SS. Homopoli contexebant, cum Domitiani Imperatoris edicta per totum Orbem, aduerſus Chriſti membra perſonare cæpere, & in* Hiſpanias *delata, ſanctiſſimos Dei pugiles, conſtantes in fidei confeſſione feliciter reperere. Hinc ad carceris cuſtodiam adducti iuuenes, poſt varia Iudicis examina, cum nec Diis ſacrificia offerre, nec à Chriſti nomine ſeparari potuiſſent, diuerſis tormentis cruciati, tandem martyrij coronis ad cæleſte regnum conſcenderunt ſtrenui* XII. Kalend. Septembris, *Anno Domini* XCV.

*Kalenda SS. Giennenſium corrigenda eſt.*

Hinc, meo videri, corrigenda venit *SS. Giennenſium Kalenda*, ab Eminentiſſimo, ac Reuerendiſſimo D. ac Domino meo *D. Balthaſare Moſcoſo, & Sandoual*, S. R. E. Presbytero Cardinale, olim Epiſcopo *Gienenſi* compacta ; quâ SS. Martyrum horum, Dies Natalis reponitur XXVII. *Januarij*, cuius feſtiuitas in ſequentem diem transferri iubetur, ob S. Ioannis Chryſoſtomi, natalitium ; & transferenda in hunc diem, vt hiſtoricæ veritati conueniat tanti Præſulis conſignatio.

*Topographia.*

BVRGINATENSE *Municipium*, hactenus à Noſtris incognitum, ſed in *Hiſpania* conditum à Ciuibus *Coloniæ Trajanæ*, quos *Germanos* vocitat Luitprandus *d. n.* 147. *vel* 130. in finibus *Oretaniæ*, & in principio *Baſtetaniæ*. De eo Rus-Puerta ſupr. *n.* 2. *& ſeqq.* Bilches *d. c.* 9. & Ximena *d. Ann.* 95. Qui aſſerunt hodie dici BEXIXAR, nomen abs Arabibus impoſitum, & in *Giennenſi* diœceſi ſitum.

*B. Horum SS. Martyrum memoria ; & diuerſitas à Blandenſibus, & Vrgabonenſibus.*

SANCTI IVVENALIS, BONOSVS, *&* MAXIMIANVS *Martyres Octogenſes.*] Eorum Nomina iunctim à nullo ex Martyrologiorum compilatore ſcripta comperimus, licet dempto IVLIANO, duorum ſociorum anamneſin hoc die repetat *Romanum Martyrologium*, & cæteri à *Baronio* citati, de quibus infra, & Nos ad amuſſim duobus literis C. & D. ſequentibus. Horum Trium Martyrum agones iungit Luitprandus in *Aduerſar. n.* 74. apud Ramires. *fol.* 472. & *n.* 66. apud Tamay. *fol.* 17. ſequenti periodo : *In Hiſpania, Ciuitate* OCTOGESA, *quam Gothi corruptè, & decurtatè* ICTOSAM *dixere, celebrantur Martyres* IVVENALIS, BONOSVS, *&* MAXIMIANVS *ſub Trajano paſſi.* Ex cuius relatione pateſcit, hos Martyres diuerſos eſſe ab illis, quos Flau. Dext. *in Chron. Ann.* 156. *n.* 2 *fol.* 245. apud *Biuar.* & ab illis, quorum idem *Dexter* in Chron. *Ann.* 308. *n.* 4 *fol.* 358. apud eundem *Biuar.* recenſet. Et patet, nam iſti, cum IVVENALE, apud vrbem *Octogeſam Celtiberiæ*, tempore Trajani, circa Annum CX. patiuntur. Illi primi apud vrbem *Blandam* in *Laletania Tarraconenſi* ſub Antonino, ad Annum C. LVI. Poſtremi apud *Vrgabonem* in *Bætica*, vlteriori Hiſpaniâ, ſub Diocletiano, & Maximiano, Anno Domini CCC. I. Quod & notauit P. Biuar. in *Commentar. ad Dextr. d. Ann.* 308. *n* 4 *fol.* 360. licet de his *Octogenſibus* altum apud eum ſilentium. Qui verò fuerint, nec *Luitprandus* exponit, nec vllibi eorum ACTA comperimus, & ideo illa conſcribere haut facile potuimus, huius anamneſis relatione contenti. Cætera Dominus ſuo tempore manifeſtare dignabitur, vt tantorum res geſtas concelebret Eccleſia.

*Topographia.*

OCTOGESA Ciuitas antiqua *Hiſpaniæ Citerioris* ad *Iberum* flumen poſita, vt inquit Cæſar in *Commentar de Bello Ciuil.* vt refert Ieronymus Pujades *Hiſtor. Cathalon. lib. 6. c.* 124. inter *Ilerdam*, & *Dertoſam*, quæ fuit Ciuitas Epiſcopalis, vt infra dicemus, hodie MEQVINENZA, *Diago*, & aliis.

SANCTI BONOSVS, & MAXIMIANVS *Martyres Blandenſes.*] Iſtorum

*Blanenſes Martyres qui?*

memoria apud Dextrum in Chron. Ann. 156. ſequenti periodo reperitur: BLANDÆ in Hiſpania patiuntur Sancti Martyres BONOSVS, & MAXIMIANVS. Hos fuiſſe diuerſos ab Octogenſibus, de quibus ſupra lit. B. & ab Vrgabonenſibus, de quibus infra lit. D. manifeſtè conuincitur, ex locorum diſcrimine, & temporum intercapedine, vt ſupra retulimus, & fatetur Biuarius d. Ann. 308. n. 4. fol. 360. & Illuſtr. D. D. Antonius Calderon, electus Archiepiſcopus Granatenſis, iam vitâ functus, in Apolog. pro SS. Vrgabonenſ. lib. 2. c. 7. n. 1. & ſequentib. Vbi agens de SS. Bonoſo, & Maximiano Martyribus Vrgabonenſibus, Quæſtionem excitat: An illi SS. Martyres ſint in Martyrologio Romano deſcripti? Cui Reſpondet: Quòd in Hiſpania triplex eſt corona Martyrum, hiſce nominibus nuncupatorum, ſcilicet Blandenſium, Vrgabonenſium, & Octogenſium: & cùm Martyrologia omnia Bedæ, Adonis, Vſuardi, & Romani ſimpliciter tantùm BONOSI, & MAXIMIANI hoc die meminerint, nulla ſupereſt ratio, quâ credatur, illa Martyrologia fuiſſe locuta de Blandenſibus maximè, ac de Octogenſibus, aut Vrgabonenſibus: ergo in dubio non noſcitur, qualium ex hac Martyrum triplici coronâ meminiſſent relata Martyrologia. Quinimò pro Blandenſibus ſtat auctoritas P. Biuarij, & Roderici Caro ad Dextr. d. Ann. 156. lit. R. fol. 72. vbi ille ſic: Quorum memoria cum benedictione permanet in Martyrologiis, die XXI. Auguſti. & hoc idem dixit Caro d. lit. R. Denique quia Luitprandus difficultatem ſoluere videtur, cùm expreſsè Martyres Octogenſes fateatur celebrari XXI. die Auguſti. Sed hiſce argumentis non obſtantibus, pro Vrgabonenſibus Martyribus ſtant ACTA, quæ circumferuntur, quæ ſequenti litera dabimus.

*Diuerſi ab Vrgabonenſibus. Et an iſti ſint in R. M. deſcripti?*

*Topographia.*

BLANDA. Ciuitas Hiſpaniæ Citerioris in Lalætanis Tarraconenſibus vetuſtiſſima, ex Plin. lib. 3. c. 3. Pompon. Mel. lib. 2. c. 6. de qua, & eius origine Ieronymus Pujad. Hiſtor. Cathalon. lib. 1. c. 12. Eamque hodie dici BLANES ex Floriano de Ocampo, & Diag. Hiſtor. Barcin. lib. 1. c. 3. & aliis probat.

D.

*Martyrologia.*

SANCTVS BONOSVS, & MAXIMIANVS Martyres Vrgabonenſes.] Pro iſtis SS. Martyribus ſtare videtur omnium Scriptorum ſententia Bæticorum, & aliorum, quòd Beda, Ado, Vſuardus, & cæteri recentiores cum Romano Martyrologio locuti ſint hoc die, dùm eius memoriam repetunt, ſic: Eodem die Sanctorum Martyrum BONOSI, & MAXIMIANI. Quibus conueniunt Scriptores Hiſpani, ex Dextr. in Chron. Ann. 308. num. 4. hac ſerie: VRGABONE in Bætica ſub Præſide Datiano BONOSVS, & MAXIMIANVS Martyres. Subſcribunt Biuar. d. n. 4. fol. 360. Roder. Car. fol. 112. col. 2. lit. B. Idem P. Biuar. in Apolog. pro SS. Vrgabon. §. 1. Bernardus de Aldrete in Phænomen. SS. Vrgabon. Martyr. c. 20. fol. 55. P. Bernardinus Villegas in Memorial. SS. Vrgabonenſ. 2. p. §. 6. F. Ieronymus Pancoruo Diſquiſit. SS. Martyr. Vrgabon. n. 12. Illuſtriſ. D. Anton. Calderon in Apolog. pro SS. Vrgabon. lib. 2. c. 6. 7. & ſeqq. M. Franciſcus Rus-Puerta Hiſtor. Giennenſ. p. 1. Secul. 4. c. 6. fol. 128. P. Franciſcus Bilches Hiſtor. SS. Giennenſ. 1. p. c. 27. fol. 64. D. Martinus Ximena Annal. Giennenſ. Tom. 1. Ann. 308. fol. 21. Eorum ACTA publica fecit Biuarius, ſic:

*Scriptores.*

## ACTA SS. BONOSI, ET MAXIMIANI Martyrum Vrgabonenſium in Bætica ex Legendario Antiquo Biuarij.

*Perſecutio in Hiſpania.*

CVM impiiſſimi Imperatores Diocletianus, & Maximianus vexarent Dei Eccleſiam, & de eorum mandato Datianus in Hiſpaniis multos Chriſtianorum exquiſitis tormentis trucidaret, degebant Iliturgi BONOSVS, & MAXIMIANVS fratres, ibidem ex liberalioribus parentibus nati, & in fide Chriſtiana, ac bonis literis educati, & erant quidem bonæ indolis iuuenes, à cunctis vitioſis actionibus abſtracti, moribuſque ſuis erant exemplo, & ſolatio. Contigit autem illis diebus tumultuarium bellum, quod Bæticam infeſtauit; eo quod Hiſpalenſis Præfectus urbem ſibi, & contra ius, faſque vellet occupare. Tunc BONOSVS, & MAXIMIANVS militiam amplexi ſunt, vt iuſtitiam defenderent. Ibique ſtrenuè ſe geſſerunt, & exemplum

*Origo, & mores Sanctorũ.*

*Militia eorum.*

pariter



pariter bonorum operum cæteris militibus effecti. Eô autem bello feliciter confecto, domum reuerſi, vehementi deſiderio afficiebantur, offerendi ſe Domino per martyrium, hoſtiam gratam, & immaculatam; ad quod ſe inuicem continuò exercebant, & animabant. Sed cùm Datianus Vrgabonæ conſiſteret, in arce militum Romanorum, loco pro ſuppliciis Chriſtianorum deſignato, & multa de eis audiret, miſit apparitores, qui ſuis conſpectibus eos præſentarent. Quod cum factum fuiſſet, Datianus eis dixit: Quandoquidem, vt conſtat, vos ſemel militiam profeſſi eſtis, neceſſarium eſt, vt in eadem perſiſtatis: & arcem iſtam cum reliquis militibus incolatis, & defendatis. BONOSVS, & MAXIMIANVS reſponderunt: Nos quidem milites iam ſumus, ſed Chriſti. Datianus dixit: Vultis ne magis huius hominis milites eſſe, quàm Imperatorum? SS. Martyres reſponderunt: Etiam; multóque nobis hoc eſt iucundius. Præfectus dixit: Ego igitur vobis atrocem mortem inferam, & tunc videbimus, quid vobis prodeſſe poterit Chriſtus, quem adoratis. SS. Martyres dixerunt: Tunc, o Datiane, feliciores erimus, & veriores milites Dei, & Domini Noſtri Ieſu-Chriſti, quem cum Patre, & Spiritu-ſancto, vnum Deum in Trinitate veneramur. Tunc Datianus iuſſit eos in cochlæa torqueri; ſic quòd à ſumma arce præcipitati, ſurſum, & deorſum è fune ſuſpenſi agerentur; & cùm prope terram deſcendebant, à ſatellitibus ibidem præparatis, validis vectibus, Corpora Sanctorum Iuuenum collidebantur, & nihilominus, acriter ad murum in repentino aſcenſu, & deſcenſu allidebantur. Sed in hoc cruciamine à Domino ſuſtentati ſunt, ne deficerent; & quaſi in aëre ſuſpenſi, inuiſibili gratiâ detinebantur, ne dirumperentur. Tunc Datianus dixit: Videtis, malo veſtro, quàm fortes ſunt Imperatores Noſtri, à quorum manibus Deus veſter non poteſt vos eripere? Vultis ne iam milites eorum fieri? SS. Martyres reſponderunt: Imò verò experti ſumus debilem eorum fortitudinem, & infinitam Chriſti potentiam, qui Nos, ne deficeremus, animabat. Præſes iuſſit eos per octo dies in arcta cuſtodia arcis detineri, & ibi continuâ ſiti, æſtate media, & aliis tormentis cruciari. Venerunt quoque parentes eorum pietate moti, ad iudicem rogantes, vt iuuentutis illorum miſereretur. Quibus ipſe facultatem dedit, eos, ſi poſſent verbis, & lachrymis à propoſito remouendi. Sed SS. Dei talibus ſunt verbis vſi ad ſuos, vt parentes viſâ conſtantiâ filiorum, & ardenti deſiderio martyrij, eos potius ad coronam animarent. Itaque iuſſi ſunt tandem à Datiano, decollari, & ita pro Chriſti nomine eorum capita palam amputata ſunt, XII. Kalend. Septembris, hora III. poſt meridiem; cùm BONOSVS vigeſimum annum ageret, & MAXIMIANVS Decimum Octauum. Parentes verò acceſſerunt ad Iudicem, vt ipſis concederet corpora honeſto loco ſepelienda: quod tamen ille negauit; volens ſic inſepulta manere, vt cæteris eſſent terrori, & exemplo. Quæ tamen Deus vſque ad multam noctem ſplendore cæleſti veſtiuit, quouſque quidam milites Chriſtiani clàm de arce exeuntes ad radicem arcis ſecreto ſepelierunt: Præſtante D. N. Ieſu-Chriſto, qui cum Patre & Spiritu-ſancto gloriatur Deus per infinita ſæcula ſæculorum, Amen.

*Comprehenduntur.*

*Conſtantia Martyrũ.*

*Torquentur.*

*Denuò carcerantur.*

*Coronantur.*

*Sepeliuntur.*

Ex huiuſmodi ACTORVM relatione lucem aſpiciet vetuſtiſſima Inſcriptio, quæ apud Arucitanam vrbem in Bætica adhuc inuiſitur, vbi ſequentia verba referuntur.

M. ATTERIO. PAVLINO. M. F.
QVI. TVMVLTVARIO. BÆTIC.
BELLO. ASSVRGENTE. MVLTA.
PRO. REP. ARVCITANA.
BELLO. RETINENDA. FORTISSIME.
GESSERAT.
ARVCITANI. VETERES. ET IVVENES.
OPTIM. CIVI.

Quam

*Tumultuarium bellũ in Bætica quo tempore?*

Quam *Inſcriptionem* referunt Moral. *in Anquitat. verb.* Bæturia. *fol.* 101. Rus-Puert. *vbi ſupr. d. cap. 6. num.* 8. *fol.* 136. & cæteri ſuperius relati, vt Actorum ecphraſin confirment, cùm ibidem dicitur: *Contigit autem illis diebus* Tumultuarium bellum, *quod* Bæticam *infeſtauit*. Ita vt credatur ſtatuam *Atterio* ab *Arucitanis* erectam, eueniſſe temporibus Diocletiani, ad Annum Domini CCC. VIII. vel circiter.

*Topographia.*

Mvncipivm Albense. Vrgabonense. Vrbs antiqua in *Bætica Hiſpaniæ* inter *Bætim* fluuium, & *Occeanum* ſita, vt placet Plin. *lib.* 3. *cap.* 1. vt referunt Ambroſ. Moral. *Hiſt. Hiſpan. lib.* 9. *c.* 31. & in *Antiquitat. verb.* Menteſa. Vide Alderete in *Phænom. c.* 1. *& ſeq.* Rus-Puert. *d c.* 6. *n.* 1. qui aſſerunt hodie dici Arxona in diœceſi *Giennenſi*.

E.

*Scriptores.*

S. Vildefridvs *Epiſcopus Octogienſis Confeſſor.* ] Eius memoriam hoc die reponere decreuimus, quia Luitprandus in *Aduerſ. n* 74. apud D. D. Laurent. Ramirez. & *n.* 66. apud D. Thom. Tamay. *fol.* 17. illam coniungit cum SS. Martyribus *Iuuenale, Bonoſo*, & *Maximiano*, de quibus Nos ſupr. *h. d. lit. B.* ſequenti periodo: *In Hiſpania, Ciuitate* Octogesa, *quam Gothi corrupte vocarunt decurtatè* Ictosam, *celebrantur Martyres* Iuuenalis, Bonoſus *&* Maximianus *ſub Traiano paßi. Et* S. Vildefridvs *eiuſdem ciuitatis* Epiſcopus, *&* Confeſſor, *miraculis clarus, ante tempora Conſtantini*. Et cum celebritas SS. Martyrum fuerit hoc die apud *Octogeſam*, ideò & Nos illam coniunximus cum illorum feſtiuitate. Prorſus eius res geſtas obliterauit temporum colluuies, quæ nec diem, nec annum obitus S. Præſulis nobis patefecit. Hinc iſtâ relatione contenti, ad vlteriora pergimus.

*Sedes Epiſcopalis Octogenſis hactenus ignota.*

Qvatenvs ad *Sedem Octogenſem*, ſiue *Ictogenſem*, quam Luitprandus tribuit S. Vildefrido, hucuſque Noſtris ignotam intueor, licet *Frontimanum*, *qui Gerundenſi* Concilio interfuit, vocitet Epiſcopum *Ictogenſem*; cùm in editis à Garſia de Loayſa *fol.* 75. nulla ſit de loco ſedis memoria. Audi Luitprand. in *Aduerſar. d. n.* 74. *vel* 66. de *Octogeſa* loquentem: *Hæc Sedes in* Hiſpania *vetuſta eſt. Paret* Tarraconenſi, *nec ab alio poteſt cogi Epiſcopus eius, niſi à Papa. Interfuit.* Concilio Gerundenſi *ſub* Ioanne *Tarraconenſi* Frontimanus Octogeſæ, *ſiue* Ictogeſæ. Quidquid ſit, in Hiſpania floruit S Vildefridvs Epiſcopus ante tempora Conſtantini, Confeſſor, & miraculis clarus.

F.

*Tres Quadrati Pontifices fuere. I. Athenienſis Anno. 128. II. Vlienſis Anno. 139. III. Macedonicus ad Annum 200.*

S. Qvadratvs *Epiſcopus Vlienſis Confeſſor.* ] Tres huius Nominis Præſules in Eccleſiaſticis Hiſtoriis inuenio. Primvm, cuius meminit *Romanum Martyrologium* Die XXVI. Maij, & S. Ieronymus de *Scriptor. Eccleſ. cap.* 19. Flau. Dext. in *Chron. Ann.* 128. & plures relati à Baron. *in Not. lit. C.* eumque fuiſſe *Athenienſis* Sedis Antiſtitem referunt. Secvndvm, cuius etiam mentio eſt in eodem *Romano Martyrologio* Die XXI. Auguſti, hac ſerie: *Item* S. Qvadrati *Epiſcopi.* Quo loco idem Baronius *lit. K.* eius Sedem prorſus à nemine conſignatam fatetur. Sed Flau. Dext. *in Chron. Ann.* 139. Sedem omiſſam patefecit, ſic: Vliæ *in Bætica floret* S. Qvadratvs *Epiſcopus*. Tertivm, de quo Equilinus in *Catalog. SS. lib.* 7. *c.* 90. vbi confundit hunc Noſtrum *Vlienſem* Præſulem, cum Scriptore iſto, qui *ſcripſit &* Parthicum *bellum ſub* Seuero *Principe geſtum: Auidij, & Caßij vitam, & geſta ſcriptioni tradidit, & in partibus* Macedoniæ *in pace quieuit.* Nam luce clariori veritas dignoſcitur, ex ipſiſſimis *Equilini* verbis; Nam ſi I. Anno Domini C. XXVIII. floruit, & Adriano Imperatori Librum obtulit pro Chriſtiana Religione: & II. Anno Domini C. XXXIX. in *Bætica*

*Error Equilini.*

*Hiſpaniæ* degebat, quo pacto aliquis iſtorum potuit ſcribere *Parthici belli* congreſſus, qui euenerunt tempore *Seueri* ad Annum Chriſti CC. & amplius? Ergo alius ab illis fuit iſte *Quadratus* huius belli, & rerum geſtarum *Auidij*, *& Caßij Scriptor*, & in *Macedonia Epiſcopus*. Hinc liquet, B. Qvadratvm, cuius memoria in *Romano Martyrologio* reperitur, Noſtrum *Vlienſem* Præſulem eſſe, quia locus Sedis hactenus ignoratus fuit à *Baronio*, eumque conſignauit *Dexter*: Nam de *Primo*, & *Tertio* Sedes nota erat: ergo de Noſtro loquitur Martyrologium. Hanc Noſtram ſententiam tuentur P. Biuar. in *Not. ad Dextr. in Chron. Ann.* 139. *n.* 3. *fol.* 246. & Roder. Caro *ibidem fol.* 79. *lit. B.* Penitus eius Acta periere, ideò





illa omittimus, ne cùm eius glorioſam vitam ſcribere cupimus, ignorantiâ rerum geſtarum, in eius relatione turpiter aberremus.

*Topographia.*

Vlia *Ciuitas Epiſcopalis* antiqua in *Bætica*, quinque leucas Hiſpanicas à *Corduba* diſtans, de qua Rodericus Caro *d. fol.* 70. *lit. A.* Nummum cum vrbis nomine Vlia refert; & Ambroſius Morales *Hiſtor. Hiſpan. lib.* 9. *cap.* 41. *fol.* 312. celebrem inſcriptionem recenſet, à quo Gruterus in *Antiq. Inſcript. fol.* 271. *num.* 1. qui etiam aliam ſcribit *fol.* 345. *n.* 6. Hodie dicitur Monte-Maior, ex ipſo Moral. *lib.* 8. *c.* 35.

G.

*Martyrologia.*

S. Sampson *Abbas Cordubenſis Confeſſor.* ] Eius memoria celebris eſt apud *Hiſpanos*, & exteros Scriptores, nec non & eius ſanctitudinis apex, vt ex *Martyrologiis Monaſticis* Wionis, & Hugonis Menardi h. d. ſequenti liquet elogio: *In Hiſpania* S. Sampsonis *Abbatis, doctrinâ, & ſanctitate conſpicui.* Et ibidem Wion in *Not. lib.* 3. *fol.* 278. Philippus Ferrarius *in Topograph. SS verb.* Corduba *fol.* 42. & in *Cathalog. General. SS. h. d. fol.* 331. P. Ieronym. Roman de la Higuer. *in MS. Martyrolog. Hiſpan. h d.* De eo Luitprandus in *Chron. Anno* 859. *n.* 300. *fol.* 431. Iulianus Archypresbyter Toletanus in *Chron. n.* 440. 444. & alibi. Cyprianns Archipresbyter Cordubenſis in *Poëmat. MS. Epigramm.* 3. Ambroſius Morales in *Not. ad Memorial S. Eulog. lib.* 1. *n.* 9. & in *Hiſtor. Hiſpan. lib.* 15. *c.* 21. P. Ioannes Mariana *Hiſter. Hiſpan. lib.* 17. *c.* 15. Baronius in *Annal. Eccleſ. Tom* 10. *Ann.* 890. P. Martinus de Roa *Hiſtor. Malacit. cap.* 13. Aubertus Myræus in *Biblioth. Eccleſ. Tom.* 1. *fol.* 101. D. D. Laurentius Ramires in *Not. ad Luitprand d. n.* 300. *fol.* 431. D. Thom. Tamayo *ibidem Ann.* 859. *fol.* 204. D. Martinus Ximena in *Annal. Giennenſ. Tom.* 1. *Ann.* 864. *fol.* 49. M. Franciſcus Rus-Puerta *Hiſtor. Eccleſ. Gienn.* 1. *p. ſecul.* 9. *c.* 2. *n.* 2. Eius Acta nullus coagulauit, illa Nos in vnum floſculum ex omnibus coniungemus.

*Scriptores.*

## *ACTA S. SAMPSONIS ABBATIS Cordubenſis, in Monaſterio S. Zoili Martyris, ex Variis Scriptoribus.*

*Origo.*

Sampson *ex vrbe* Corduba Bæticæ *in* Hiſpania *oriundus, atque Catholicis parentibus inter Arabum fæcem, ciuitatem illam Patritiam poßidentium, nutritus; ab incunabulis fidei rudimenta, & Chriſtianæ veritatis articulos feliciter exſuxit, quibus adoleſcens innixus, contra illius ſeculi perfidiam, ſtrenuus agoniſta felicius decertauit. Sed ad maturioris ætatis apicem perueniens, relictis mundi delitiis, & calcatis ſeculi ſuperſtitioſi nequitiis ad religionis portum, virtutum ſarcinâ onuſtus, totis viſceribus tranſmigrauit. Hinc in Monaſterio* S. Zoilo *Martyri* Cordubenſi *dicato, cucullum induens, ibidem doctrinis ſacris imbutus, & illuſtrium facinorum infulis indutus, primordia religionis expleuit; quo vſque ad Abbatiale munus, meritis intercedentibus acceßit. In hoc gubernationis pondere, doctrinam, fidei Catholicæ zelum, & alias animi virtutes oſtendens, omnium fidelium, Sarracenorum captiuitate oppreſſorum, ſic ad ſe corda conuertit, vt meritò, pater pauperum, tutela viduarum, & defenſor fuerit abiectorum vocitatus.*

*Fit Monachus.*

*Et Abbas.*

*Hoſtigeſij Epiſcopi Malacitani mores.*

Ergo *tunc temporis Eccleſiam* Malacitanam *in Bætica* Hoſtigeſius *Epiſcopus regebat, homo auaritiâ fœdatus, aduerſus oues crudelis, in fide deuius, &* Antropomorphitarum, *veram Chriſti Domini humanitatem negantium, hæreſim inſectans, vnà cum* Seruando *Comite Epiſcopi leuiro, qui viuorum mortibus non contentus, quieſcentium, quorum animabus requiem impedire non poterat ne vel ipſis parcere videretur, Corpora, vt fuerant ſub aris* Dei *poſita, è ſuis loculis inſignis veſpillo traxit. & ſatellitibus Regis Sarraceni, vt fuerant ancipiti enſe truncata monſtrauerat, vt hoc facto animos Regios in Catholicorum perniciem excitaret: quatenus promerentur apud eum, debito mortis obnoxij, qui auſi eſſent humare illius proſtratos*

Sampſon Hoſtigeſij errores detegit.

pugione. Aduerſus vtrunque Epiſcopum, & Comitem, B. Abbatis zelus domus Dei viriliter exarſit, & editis voluminibus, Hoſtigeſij errores, Seruandi ſæuitias, & vtriuſque cupidines, conſtanti ſtrenuitate detexit. Hinc Synodus apud Cordubam indicta eſt, cui interfuere Valentius Cordubenſis, Reculphus Egabrienſis, Beatus Aſtigitanus, Ioannes Beacienſis, Geneſius Vrcitanus, Theudegutus Illicenſis, Miro Aſſydonenſis, & ipſe Hoſtigeſius Malacitanus. Aſt Beatiſſimus Abbas Hoſtigeſij potentiam agnoſcens, & quantum in Synodo eum fauoris adepturum perſcrutans, regulam fidei, & catholicam confeſſionem ſcripſit, quam ante Synodalem ſeſſionem Epiſcopis conuentis oſtendens, ab omnibus fuit approbata; ſed in Synodo poſtmodum à Valentio Cordubenſi, Hoſtigeſij minis, & violentiâ, dimiſſa, & damnata. Synodi igitur congregatione finitâ, cùm Valentius Cordubenſis errorem admiſſum in reprobatione regulæ fidei B. Abbatis profundiùs intueretur, eius improbi facti pœnitens fragilitatem, cum cæteris, vt errori contracto medicamen præberet, S. Abbatis regulam approbauit, cui etiam ſubſcripſere Ariulphus Emeritenſis Metropolita, & Sarus Epiſcopus Baëcenſis, ita vt illam tanquam Catholicam admittendam eſſe, & ab omnibus amplectendam decretarent.

Synodus Cordubenſis.

Quâ damnatur regula fidei Sampſonis.

Poſtmodũ approbatur.

Hoſtigeſius vindictam ſumit.

Hvivs reſolutionis canonem Hoſtigeſius audiuit, & furore aduerſus Valentium & Sampsonem commotus, protinus illos deſtruere conatur, cuius denique embolis, ille à Sede depoſitus, iſte ab vrbe exulatus, nefario Epiſcopo vindictam impleuere. Tunc B. Abbas Cordubam deſerens, Tuccim vrbem Bæticæ properauit, vbi exilium agere compellitur: qui ſui defenſionem proſpiciens, Apologiam aduerſus Hoſtigeſium, Seruandum, & cæteros in ſuis hæreſibus ſequaces, tribus Libris diſcretam conſcripſit, quâ veritatem fidei regulæ à ſe expoſitæ, omnibus Eccleſiæ Hiſpanicæ Pontificibus manifeſtat. Hinc Bonitus S. E. Toletanæ Epiſcopus, à calumniis Hoſtigeſij, & aliorum, B. Abbatem liberauit. Hinc etiam Iulianus eiuſdem Metropolicæ Sedis Antiſtes, & Boniti ſucceſſor indicto Toleti Concilio, B. Abbatis defenſionem aſſumpſit, quo damnatus Hoſtigeſius, & Sampsonis fides Catholica prorſus extitit approbata. Igitur B. Vir in exilio vitæ reliquæ curſum exegit, & cùm totum Hiſpaniæ angulum virtutum famâ, & doctrinæ ſignis impleret; febre correptus, & annorum ſarcinâ curuatus, ſpiritum Domino tradidit candidandum XII. Kalendas Septembris, Anno Domini DCCC. XC. cuius Corpvs apud Tuccim honorifice tumulatum, miraculorum inſignibus ſignis clarere cœpit, in cuius Sarcophago Cyprianus Cordubenſis Archipresbyter hocce inſculpere fecit epigrammatis Epitaphium:

Sampſon Apologiũ ſcripſit.

Eius fides probatur in Concilio.

Moritur.

Sepelitur Tucci, & Epitaphiũ.

*Quis, quantus vè fuit* Sampson *clariſſimus Abba,*
*Cuius in vrna manent hâc ſacra membra ſub Aula;*
*Perſonat* Heſperia *illius adhuc famine fota.*
*Flecte Deum precibus, lector, nunc flecte peroro:*
*Æthera vti culpis valeat conſcendere terſis.*
*Diſceſſit longè notus, plenuſque dierum;*
*Sextilis namque Menſis, Die Vicesimâ Primâ,*
*Sexti namque Menſis, Primo, & Viceſimo Sole.*
ERA. DCCCC. XXVIII.

Corpus transfertur Toletum.

Poſt aliquot annos, nè forte ſacra pignora in manus Sarracenorum deuenirent, Toletum tranſlata ſunt, & in ſacrario illius Metropoliticæ Baſilicæ collocatæ, vt ex alterius Poëtæ Toletani, illius Seculi Scriptoris, hocce Epigrammate apparet.

Dulce



*Duce Sacerdotum decus, qui maximus Abbas,*
Hostigesi-Mastix *iure vocandus eris.*
*Noſtra pio cumulare Sacraria pignore; Teque*
*Nouimus: hinc noſtros* Sampson *amænat agros.*
Cordvba *te genuit, tenet hîc te Diua* Toletvm:
*Vt faueres Noſtris, qui faues ipſe Tuis.*

Adhuc ibidem requieſcunt, licet inter aliorum Sanctorum aggerem confuſa, excepto brachij, vt creditur, radio, qui ſeparatim in vaſe chriſtallyno adſeruatus oſtenditur. Scripſit S. Abbas extra Apologiam, nonnulla carmine Epitaphia, & Epigrammata.

Quæ ſcripſerit opera.

Hactenus Acta ſanctiſſimi Abbatis, in quorum relatione aliqua illuſtrabimus, vt cunctis veritas eorum pateſcat. Hinc quod Cordubâ oriundus fuerit ex Patritia vrbe, conſtat ex Diſtich. 3. Epigrammatis Auli Hali, Poëtæ Burdigalenſis, Toletanâ Ciuitate donati ab Alphonſo VI. Caſtellæ Rege, vt notat Iulianus Archipresbyter Toletanus in Chron. Ann. 1132. n. 633 fol. 137. ibi:

Ex vrbe Corduba oriundus.

Cordvba *te genuit*. ..........

Qvatenvs ad controuerſiam cum Hoſtigeſio Epiſcopo Malacitano, communis eſt Noſtrorum opinio, deſumpta ex ipſomet Apolegetico S. Abbatis, qui in Bibliotheca S. E. Toletanæ adhuc adſeruatur, vt probant, Iulianus in Chron. Ann. 859. n. 440. Morales ſupr. in Not. ad lib. 1. Memor. S Eulog. n. 9. P. Roa Hiſtor. Malacit. d. c. 13. vbi mores iſtius Malacitani Epiſcopi refert. Et Halus, qui S. Abbatem Hoſtigeſi-Maſticem, vocat.

Hoſtigeſij controuerſia cum S. Abbate.

Circa Synodum Cordubenſem, & alia relata im Actis, quæ ibidem euenerunt: conſulendi M. Rus Puerta d. Hiſtor. Giennenſ. d ſecul. 9. c. 2. n. 2. & ſeqq. D. Martinus Ximen. in Annal. Giennenſ. d. Ann. 864 P. Martinus de Roa d. Hiſtor. Malacit. c. 13. Cardinal. Baron. d. Tom. 10. Ann. 890. quia hæc recenſuit, & Epitaphium Cypriani Archipresbyteri Cordubenſis ſubiunxit.

Synodus Cordubenſis.

De Boniti Toletani Pontificis abſolutione, quâ S. Abbatem à calumniis Hoſtigeſij Malacitani liberauerat: teſtes aduoco Luitprandum in Chron. Ann. 859. n. 30. vbi agens de Bonito, & plura referens, proſequitur: Sed Toleti ſcriptis literis ad Sampsonem Cordubenſem, ipſe eum abſoluit. Prolixius Iulianus Noſter in Chron. Ann. 859 n. 440. hanc S. Abbatis abſolutionem retulit, ſic: S. Bonitvs Epiſcopus Toletanus, natione Gallus, Aruernenſis Ciuis, alterius Aruernenſis conſanguineus, qui poſt petiuit Aruernos, & noluit intereſſe Concilio Cordubenſi, in quo grauiter erratum eſt contra Sampsonem Abbatem, vbi & ille Sampson. Vir ſanctiſſimus, & doctriſſimus fuit, fecit Apologeticum, quod ſeruatur in S. Iuſtæ Toletanæ Bibliothecâ. Subſcribunt D. D. Laurent. Ramir. in Not. ad Luitpr. 8. n. 300. fol. 431. D. Thom. Tam. ſup. d f. 204.

Abſoluitur S. Abbas à Bonito Toletano.

Qvòd Iulianus Toletanus Pontifex S. Abbatem defenderet, & indicto Concilio in vrbe Toleto, eius confeſſionem in eo probaſſet, idem Iulianus in Chron. num. 444. refert his verbis: Iulianus Archipresbyter Boniti, Vir miræ manſuetudinis, & prudentiæ, ſuccedit S. Bonito. Præeſt ad annum Domini DCCC. LXXV. mirè confortat, & animat Chriſtianos Muzarabes. Ab illo cogitur Synodus in defenſione Sampsonis cum Concilio. Conueniunt D. D. Laurent. Ramir. d. n. 300. fol. 431. Rus-Puert. d. ſecul. 9. c. 2. n. 4. & alij: quorum ſententiam omiſit D. Martinus Ximena.

Et à Iuliano Boniti ſucceſſore in Concilio Toletano.

De Exilio, & obitu S. Abbatis apud Tuccim Bæticæ vrbem quam hodie Martos dicunt, communis eſt Scriptorum ſententia nemine diſcrepante, & ideo pro eius comprobatione Lector adeat ſuperius relatos, ne tot remiſſionibus inuoluamur. Tantum hîc ſubiungere curabimus Epigrammata S. Viri, quæ adhuc extant, & MSS. in Codice peruetuſto Gothicis characteribus exarato in Bibliotheca S. E. Toletanæ adſeruantur, quorum copiam ab amico eruditiſſimo D. Martino de Ximena, illius S. E. Portionario, & Eminentiſſimi, ac Reuerendiſſimi D. ac D. mei Cardinalis-Archiepiſcopi Toletani Secretario, omnium bonarum artium anteſignano, & totius Eccleſiaſticæ eruditionis benemerito, accepimus.

## EPIGRAMMATA, ET EPITAPHIA
*Sampſonis Abbatis Cordubenſis, ex MS. Codice S. E. Toletanæ.*

EPITAPHIVM ſuper Tumulum OFFILONIS Abbatis à Sampſone Abbate.

OFFILON *hîc tenui verſus in puluere dormit;*
*Fallentem Mundum olim qui mente ſubegit:*
*Fragrantes dapes tempſit, & pocula fulua;*
*Infeſtum, virgo, malens vitare Chelidrum.*
*Laudatur talis multorum lingua Sacerdos;*
*Optetur illi, & cœli portio dari.**

** Sic carmen hoce in exemplari.*

Eiuſdem, ſuper Tumulum ATHANAGILDI Abbatis.

*Occulit Abbatis magni hæc vrna fauillas*
*Quem* ATHANA *priſca vocitabant ſecula* GILDVM.
*Hunc, Lector, rogito Dominum commenda orando;*
*Ablatus eſt ſubitò ſcripta in marmore Era.* DCCCC.XVIII.

Item* cuius, ſupra Sepulchrum VALENTINIANI Presbyteri.

** Forte Eius*
*† Valentiani. Is fortè Epiſcopus Cordubenſis, de quo in Actis.*

*Tecta* VVLENTIANI *membra hæc continet Aula,*
*Qui Chriſto famulans ornatus veſte ſacratâ,*
*Ad Heroas latus eſt, ſculpta in marmore Era.*

Item aliud.

*Verbis crede meis, quoniam non friuola fingo,*
*Somnia nulla canam, nec carmina falſa Poëtæ.*
*Me Iuuenes cernant, quibus eſt ſapientia cordis,*
*Et virtutis amor, magnaque cupidine capti.*
*Ferratas acies metuunt, nec agmina denſa,*
*Horribili vultu, nam terreo corda virorum.*
*Vera loquar: Fero Terna Quater capita ſuper vnum,*
*Sunt mihi bis duodeni oculi, & duo lumina frontis:*
*Bis Decies ſenoſque pedes mihi contulit Auctor.*
*Vnguibus ecce Decem vicies, & Vndecies Sex*
*Dentibus, atque Quater; Centum Bis nam ſeu Septem.*
*Terribilis propero pulchros per rura, per agros,*
*Vocibus aſt multis comitor, mœſtoque tumultu.*

Epitaphium.



Epitaphium Paulæ.

*Vale* PAVLA, *& cultores tui vltimam ſenectutem omnibus iuua: Fides, & Oratio tua Chriſto te ſociant. Præſens facilius quod poſtulas impetrabis. Exegi Monumentum hoc perennius, quod nulla deſtruere poſſit vetuſtas. Incidi elogium Sepulchro tuo, quod huic volumini ſubdidi, vt quocumque notanter peruenerit, Te laudatum, Te in Bethlen conditam Lector agnoſcat.*

Titulum Sepulchri.

*Scipio quam genuit* Paulæ *fuere Parentes:*
*Græcorum ſoboles Agamemnonis inclyta proles,*
*Hoc lucet in Tumulo Paulam dixere priores;*
*Euſtochio genitrix Romani prima Senatus,*
*Pauperiem Chriſti, & Bethlemitica rura ſecuta.*

In Rupibus Speluncæ.

*Reſpicis anguſtum præciſâ rupe ſepulchrum,*
*Hoſpitium* Paulæ *eſt cœleſtia regna tenentis.*
*Fratres, cognatos, Romam patriamque relinquens,*
*Diuitias, ſobolem, Bethlemitico conditor antro.*
*Hîc præſepe tuum Chriſte, atque hîc myſtica Magi*
*Munera portantes homini, Regique, Deóque.*

*Dormiuit Sancta, &* B. Paula VIII. *Kal. Februar.* III. *Sabb. poſt ſolis occubitum, Sepulta eſt* V. Kal. *Earund. Honor. Aug.* V *& Ariſtebennio* COSS. *Vixit in Sancto propoſito Romæ Annos* V. *Bethlem annos* XX. *Omne vitæ tempus impleuit Annos* LVI. *Monſibus* VIII. *Diebus* XXI.

Epigramma.

*Quadam nocte* Niger *Dux nomine*, Candidus *alter*,
*Forte ſubintrarunt vnica tecta ſimul.*
Candidus *exhibuit ſecum Ter-Quinque nitentes:*
*Totque* Niger *nigros miro colore pares.*
*Candidus è noſtris primus qui dixerat alter*
*Præuidet excubias, nam tua dicta ſequar.*
*Hæc placido contra reſpondet* Candidus *ore:*
*Iudicio quemquam nolo grauare meo:*
*Ne noua lis ſocios per me conſpiret in arma,*
*Sed tibi conſilium non remouebo meum.*
*Ordine diſponam ſocios, diſcumbere cunctos,*
*Quos ſors nona ligat noctis in excubias,*

 Candi

*Candida ſed ſedeat nigris commixta caterua,*
*Vt ne me velle viros fallere nemo putet.*
*Quatuor eximij candoris, Quinque nigelli*
*Candidus liuini, vnicus atque niger.*
*Splendentes Trini falcata pelle nigellus,*
*Candidus hic vnus, carboneique Duo.*
*Candiduli Bini ſplendentes pelle decora,*
*Quos ſequitur cunctos vnicus atque niger.*
*Hos ſuper ingenio cunctos ſors Nona nigellos,*
*Sic cecidit, turba candida ſorte caret.*
*Dux niger excubias ſolus cum milite fuſco*
*Peruigil ingratus duxit ad vſque diem.*
*Aſt placidum totâ carpebat nocte ſoporem*
*Candidus ingenij præditus atque ſui.*

Item Aliud.

*Ars mea multorum eſt, quos ſecla priſca tulerunt,*
*Sed nouata breuitas adſerit eſſe meam.*
*Omnia cùm veterum ſint explorata libellis;*
*Multa loqui breuiter, ſit nouitatis opus.*
*Te relegat Iuuenis, quem garrula pagina terret,*
*Aut ſi quem paucis ſeria noſſe iuuat.*
*Te longinqua petens comitem ſibi ferre viator*
*Ne dubitet peruo pendere multa velis.*
*Te ſiquis ſcripſiſſe volet, nonnulla queretur*
*Damna, nec ingrati triſte laboris onus.*
*Et quod quiſque petat prorſus cenſura diſerti,*
*Continet hoc opus, dummodo liuor abeſt.*

Alia ſunt carmina in MS. Sed ſic vitiata, & ſine proſodiæ lege conſcripta, quæ prorſus tranſcribere neglexi, donec, Deo auſpice, illa & alia veterum horum Poëtarum monimenta in vnum coagulata, meliori ferulæ animaduerſione, publica facere diſponam.

H. *Anamneſis per remiſſionem.*

S. PALLADIVS EPISCOPVS *Ebrodunenſis in Gallia.* ] Eius *Depoſitionem* in *Cathalonia* in *Camprodunenſi* Eccleſia diœceſis *Gerundenſis*, ad amuſſim deſcripſimus *ſupra Tom.3. Die XXI. Iunij lit.* D. auctoritate F. Antonij Vincentij Domenec *Hiſtor SS.Cathalon lib.1.fol.57.* & Philippi Ferrar. in *Catalog. SS. General. Die 21. Iunij. fol.257.* ad cuius ecphraſin mitto Lectorem.

I. *Martyrologia.*

S. CAMERINVS *Epiſcopus Tuccitanus, & Toletanus* ] Inter ſanctos Martyres, quos *Romanum Martyrologium* in *Sardinia* paſſos h. d. recenſet, iſtius nomen enumerat, ſic: *In Sardinia Natalis ſanctorum Martyrum Luxorij, Ciſelli, &* CAMERINI, *qui in perſecutione Diocletiani ſub Delphio Præſide gladio cæſi ſunt.* Conueniunt Martyrologia *Caſtellanum* P. Vaſq. *Luſitanum* B. L[illegible]pi; & *Italum* Conſta[illegible]j Felic. Iſtumque fuiſſe Epiſcopum *Tuccitanum* fatetur Luitprand. in *Aduerſar. n.125.* vt ſcribit M. Franciſcus Rus-Puerta *Hiſtor. Giennenſ. 1. p. ſecul 4. c. 2. n.1. fol. 112.* hac ſerie: CAMERINVS *Epiſcopus* Tuccitanus, *qui interfuit Concilio* Illiberitano,



beritano, *Anno* CCC. *tempore perſecutionis* Melantij *ſanctiſsimi Confeſſoris, &* Natalis *ſucceſſoris, Corepiſcopus fuit.* Et in ipſis *Aduerſar. n.14.* aſſerit: S.CAMERINVM, *Toletanum* (forte Tuccitanum) *Pontificem, ad* Sardiniam *delatum cum aliis, adhuc durante perſecutione Diocletiani* XXI. Auguſti *paſſum.* Hinc crederem mendum irrepſiſſe in editis *Luitprandi* codicibus, dum B. Virum, *Toletanum* Antiſtitem, in *d.n.14.* fuiſſe conſcribitur. Nam *Dexter*, qui propinquior illis ſeculis fuit; nequaquam CAMERINVM, Epiſcopum *Toletanum* aſſignat, vt ipſe *Luitprandus* notauit. *d. n.125* apud Rus-Puerta *d c.2.n 1.* Nec obſtabunt verba Iuliani Archipreſbyteri Toletani *Ann.306. n.146. fol.39.* dicentia: *Mortuo* Melantio, *Viro ſanctiſſimo, Confeſſoreque celeberrimo, & admirabili Doctore, ſuccedit in Sede Toletana, totius Hiſpaniæ Primate*, Marinus, *vel* CAMERINVS *Ricuſinus Epiſcopus, qui interfuit Concilio* Illiberitano. Quia tota hæc compago verborum proculdubio variis, & fœdis errorum infirmitatibus laborat. Nam in *Concilio Illiberitano*, quis CAMERINVM Epiſcopum RICVSINVM agnouit? Quiſvè CAMERINVM ſucceſſorem *Melantij* in Sede *Toletana*, hucuſque perlegit? Hanc difficultatem adeptus eſt M. Rus-Puerta, *d. ſecul.4. c.2. n.1, in fin.* quâ oppreſſus dicere feſtinauit: *Quòd ideo* Iulianus S. CAMERINVM *inter Epiſcopos* Toletanos *reponere decreuit; quia eum* Coadiutorem Melantij *comperiſſet, cum re verâ, nequaquam illius* S. E. *infulas induiſſet.* Hinc D. Thomas Tamayo, Illuſtriſ. Epiſcopus Turiaſonenſis, & alij S. Virum prorſus à *Dypthicis* Præſulum *Toletanorum* amandarunt. Sed aduerſus eos inſurgunt P. Antonius Quintana-Dueñas in *Hiſtor. SS. Toletanor. Secul. 4. fol.232.* & Illuſtris D. Petrus de Roxas Comes Morenſis *Hiſtor. Toletan. 1. p. lib. 6. c.19. §. fin. fol. 523.* Qui totis viribus probare nituntur hanc S. CAMERINI infulam *Toletanam*, poſt *Melantium*: Cuius in apice, affirmant, accepiſſe *Encliticas literas* ab *Alexandro Patriarcha Alexandrino*, quas fecit poſtmodum publicare, ex Iuliano in *Chron. 318. n. 146.* & alia ab ipſo Archipresbytero ſingularia referunt, quibus haut deferre, religio foret. Hinc Nos eorum auctoritatibus compulſi, in huiuſmodi *Toletana* infula venire fatemur, ſed prorſus abnegare compellimur Diem ab ipſis aſſignatam, quâ martyrium CAMERINVM egiſſe conſignant. Nam prorſus à veritatis tramite deuiant, credentes cum Iuliano *in Chron. Ann. 124. n.150.* S. Præſulem occubuiſſe *in Africa, Die X. Iulij.* cùm contrarium conſtet ex *Luitprandi* loco ſuperius relato Aduerſariorum *n.14.* quo probatur, hunc S. Pontificem martyrio fuiſſe coronatum *Die* XXI *Auguſti* apud *Sardiniam*, cum *Luxorio, & Ciſello*, in perſecutione Diocletiani, vt ex Romano patet Martyrologio, h. d cuius verba ſuperius dedimus. Item conuincitur hæc ſententia *Quintana-Duenas*, & *Comitis Morenſis* ex dictis à Nobis hoc eodem *Tom. IV. Die X. Iulij. lit. A.* vbi probauimus S. MAXIMVM in Cæſarea Mauritaniæ in Africa paſſum, fuiſſe *Olyſsiponenſem* Ciuem, non Epiſcopum, nec alio dignitatis munere decoratum. Ergo iſte diuerſus ab illo, & ex conſequenti hallucinaſſe relatos *Neothericos* in conſignatione Diei, & Loci martyrij. Inſuper, quia potiùs eſt deferendum *Luitprando* tanquam antiquiori, quàm *Iuliano*, qui poſt aliquot ſecula ſcripſit, & tum Sarracenorum captiuitate laqueatus in pluribus opinionibus ſententias fuit aniles amplexus, vt Deo duce aliquando, cùm eius commentaria in publicum exhibebimus, manifeſta veritate proferemus. Hinc non ſunt audiendi circa locum, & diem agonis, qui *Iulianum* ſecuti ſunt: ideoque Nos eius anamneſin in hunc diem reiicimus, quia verba *Luitprandi* magis veritati cohærent. Sed prorſus amandamus conceptum, vt credamus CAMERINVM, qui cum *Luxorio*, & *Ciſello* agonizauit in *Sardinia*, eſſe Noſtrum *Epiſcopum Toletanum*, cum conſtet, illum *Sardicum Martyrem* ita puerulum fuiſſe, quòd vix verba emittere nequiuiſſet. Sic Mombritius in *Act. SS. Tom.2. fol.63.* illis verbis: *Et quia non erat ætas eorum* (Ciſelli, & CAMERINI) *ad dandum reſponſum interrogationis; iuſsit* (Delphius Præſes) *eos ſub officij cuſtodiâ eſſe.* Eadem Ioannes Arca de *SS. Sardin. lib.1. c 6. fol.74.* hac ſerie: CISELLVS, *&* CAMERINVS *impuberes ambo, nati, & alti in Ciuitate* Calari, *ad Præſidem accuſandi trahuntur Erant tàm pueri, vt verba neſcirent accommodare Præſidi, firmi tamen animo.* Si hæc ita, quo pacto CAMERINVS, qui ad *Sardiniam* coronatur, potuit *Tuccitanus*, nec *Toletanus* Antiſtes vocitari.

*An Toletanus Antiſtes?*

*Error in Codicibus Iuliani.*

*Scriptores Neotherici, qui Iulianum defendunt.*

*Quâ Die martyrio coronatur.*

*Camerinus qui cum Luxorio, & Ciſello coronatur Sardinia erat puerulus.*

*Gloſema in edito Codice Luitprandi detegitur.*

vocitari. Ergo gloſema vaſtum in edito Codice *Luitprandi*. His accedit, quod ſi CAMERINVS iſte *Tuccitanus* Præſul, & *Toletanus* Pontifex, agonem impleuit temporibus Diocletianicæ perſecutionis, quo modo ad eum ſcripſit *Melchiades* Pontifex Maximus ad Annum CCC. XIV. Epiſtolam, vt refert Iulianus in *Chron. Ann.* 306. *numer.* 143. nec potuit Concilium *Toletanum* contrahere, vt refert D. Comes Morenſis *d. Hiſtor Tolet. cap.* 21. *fol.* 529. nec aliqua, quæ apud Noſtros Scriptores circumferuntur, facere; cum iam illo ſeculo Diocletianica perſecutio penitus ceſſaret. Quibus ſic exantlatis, meum ſenſum hic exponere decreui, exploſis tot contradictionum varietatibus, ſcilicet S. CAMERINVM verè *Tuccitanum* Epiſcopum egiſſe, & *Concilio Illiberitano* interfuiſſe. Qui forte *Melantij Toletani* Primatis aliquantulum *Coadiutor* exiſtens, *Præſulis Toletani* titulum permeruit. Poſt perſecutione Diocletiani ingraueſcente, *Hiſpanias* deſerens, aut *Sardiniæ*, aut *Africæ*, aut alibi martyrij coronam promeruit, aſt, quo loco, aut die, hactenus ignotum. Hinc apud *Luitprandi* placitum, omnia hæc, verbis ſubdubiis recenſita. Nec nos ad vlteriora pergimus, quia aut certas S. Viri res geſtas in hiſce Scriptoribus reperimus, ſtantibus vndique paſſim tot contradictionum inuolucris; & in re dubiâ, potior, & ſecurior doctrina erit, aliqua confuſa ſub ſilentij velamine obuoluere, quàm improbata recenſere.

*Huius rei veritatis apex ſubiicitur.*

*Topographia.*

TVCCI. *Ciuitas Hiſpaniæ Bæticæ* antiqua. De ea Nos ſupra *Tom.* 2. *Die XXX. April. lit. C. fol.* 853. De qua adhuc in lapide *Inſcriptio* perſeuerat apud *Caſtulonem* in Bætica, cuius meminit Gruter. *fol.* 325. *n.* 2.

VALERIÆ. CIPATINÆ.
TVCCITANÆ. SACR.
COLONIÆ. PATRICIÆ.
FLAMINICÆ.
COLONIÆ. AVG. GEMELLÆ.
TVCCITANÆ. FLAMINICÆ.
SIVE. SACERDOTI. MVNICIPI.
CASTVLONENSIS.

Cuius *Inſcriptionis* inuolucra ſi obuoluere cupis adi Ambroſium Morales in *Hiſtor. Hiſpan. Tom.* 2. *in Antiquitat. verb.* Caſtulo. *fol.* 59. *col.* 2.





# VNDECIMO

## Kalend. Septembris.

## DIES XXII.

*A.* TITVLTIÆ *in Carpetania prope Thermedam natalis* SS. PHILIBERTI, *&* FABRITIANI *Monachorum, & Martyrum, qui cùm Templa Deo, &* B. MARIÆ *Virgini-Matri conſtruxiſſent ſplendida, Valentiniano perſequente delati, propter fidem illuſtres agoniſtæ ceruices Domino tradiderunt intrepidi.*

*B.* ALZIRÆ *prope Valentiam Hiſpaniæ* SS. BERNARDI *Ciſtercienſis Monachi,* GRATIÆ, *&* MARIÆ *Sororum, qui ſpretis Sarracenorum dogmatibus, quibus à natiuitate, tanquam ex eorum origine oriundi, fuerant imbuti, Chriſto nomina dedere, tandemque martyrio coronati, glorioſum de ſe præbuerunt odorem.*

# NOTÆ.

SANCTI PHILIBERTVS, *&* FABRITIANVS *Monachi, & Martyres.* ] Eos ad *Hiſpaniam* paſſos, fatentur antiqua MSS. Martyrologia, à quibus *Galeſinus*, & *Baronius* in Romano h. d. ſequenti clauſulâ: *In* Hiſpania *Sanctorum Martyrum* FABRITIANI, *&* PHILIBERTI. Quibus conueniunt etiam Martyrologia *Caſtellanum* P. Dionyſ. Vazq. *Luſitanum* P. Ioann. Lup. *Hiſpanum MS.* P. Ieronym. Rom. & *Italum* Conſtant. Felic. Philippus Ferrar. *in Topograph. SS. verb.* Toletum. *fol.* 125. *& verb.* Hiſpania *fol.* 62. De eo Flauius Dexter in *Chron. Ann.* 308. his verbis: Titultiæ *in Carpetania prope* Thermedam *ciuitatem Sancti Chriſti Martyres, & Monachi* PHILIBERTVS, *&* FABRITIANVS, *qui in confluenti* Fenarij *fluminis*, Tagoniique *Monaſterium Deo Optimo Maximo, &* B. VIRGINI *dedicarunt.* Iulianus Archipreſbyter Toletanus *in Chron. Ann.* 910. *n.* 465. *fol.* 111. hac ſerie: *Florebat hoc tempore* Fabritius *Abbas Sanctorum* FABRITII, *&* PHILIBERTI *in Oppido* Titultia. Silus Rex Aſturicæ *in Epiſtol. ad Cixilan. Toletan. Antiſtit.* illâ periodo: *Mittimus ad vos* Hymnum *de SS. Martyribus* PHILIBERTO, *& Socio eius, paßis in vrbe* Titultia, *quos audiuimus eſſe Toletanos.* D. Alphonſus de Carcamo *in Epiſtol. ad Philipp. II. Reg. Cathol.* D. Franciſcus Padilla *Hiſtor. Eccleſ. Hiſpan. Tom.* 2. *Cent.* 4. *c.* 31. F. Ioannes Mariera *Hiſtor. SS. Hiſpan. lib.* 2. *cap.* 101.

*Martyrologia.*

*Scriptores.*

D. Martinus Carillo *in Annal. Eccleſ.Hiſpan. Tom.* 1. *Ann.* 308. & ibidem *Camargus* P.F. Franciſcus Biuar. *in Comment. ad Dextr. d. Ann.* 308. *n.* 6. *fol.* 308. *num.* 6. *fol.* 360. Rodericus Caro *ibidem fol.* 113. *lit. G.* P. Antonius Quintana-Dueñas *Hiſtor. SS. Toletanor. Secul.* 4. *fol.* 225. Illuſtr. D. Petrus de Roxas *Hiſtor. Toletan.* 1. *p. lib.* 6. *cap.* 20. *fol.* 523. Eorum ACTA nullus congeſſit, & ideo Nos illa breui epilogo compaginabimus.

## *ACTA SANCTORVM PHILIBERTI, & Fabritiani Monachorum, & Martyrum Titultienſium in Hiſpania ex Flauio Dextro, Iuliano, Silone, & aliis Scriptoribus.*

*Origo.* PHILIBERTVS, & FABRITIANVS *natione* Hiſpani, *ex vrbe* Toleto *felicibus auſpiciis orti, à teneris ætatis annis, doctrinâ, & fide informati Chriſto nomina dedere. Qui cùm ad iuuenilem ætatem peruenirent, ſic in eis decorandis Chriſti mira virtus & potentia mirabiliter affulſit, vt omni ſuperatâ nequitia, ſaluos, & liberos, per cruciatuum anguſtias in poſterum eos dirigeret in patriam.* *Patriam deſerunt.* *Quod vt facilius S. Viri conſequerentur, relictis ſeculi illius technis, & fraudibus, communi aſſenſu patriam relinquere, vrbem deſerere, opes calcare, omnia proiicere, & Chriſtum inſequi propoſuere. Hinc locum quærentes commodum, ſilentij tantum aſſiſtentiâ plenum, ad fluminum* Fenarij, *&* Tagonij *confluentem illum feliciter inuenientes, ibidem* Baſilicam *Deo Optimo, & Maximo conſtruxerunt, eamque nomini* *Baſilicam conſtruunt.* B. Dei-Genitricis Virginis MARIÆ, *cui erant ex totis viſceribus addictiſſimi, dedicarunt. Ibidem SS. Viri aliquantulum incluſi, in diuinis laudibus continuò occupati, & vitam in ſolitudine, orationibus, & ſpiritualibus exercitiis intenti, angelicam agentes, tantus illorum inſignium virtutum, inter totius* Carpetaniæ *accolas odor excreuit, vt quotidie ad eos cateruatim fidelium, ſimilem vitam appetentium, cœtus maximus Mundi deſpectis* *Aſceteriũ formatur.* *illecebris confugeret. Tunc Aſceterium conflatum, vbi SS. Viri venientes ſocios inſtruebant in fide, docebant regulam ſilentij, & orationis, & alia illis miniſtrantes, tanquam Patres, & Patroni totius illius congregationis habiti ſunt. Sed cùm Imperatorum Diocletiani & Maximiani adhuc perſeueraret impietas, vt Baſilicas euerteret, libros Chriſtianæ Religionis incenderet, & Viros Catholicos quæritaret, vt perderet, cognito per Præſidem* Hiſpaniæ Toleti *degentem Monaſterio, & quòd in eo plures Chriſtum laudantes Aſ-* *Perſecutio.* *cetæ in vnum coadunati congregationis formam conſtituerent; aduerſus eos indignationis furorem explicuit. Tentis igitur* PHILIBERTO, *&* FABRITIANO *tanquam illius cœtus auctoribus, & in* Titultiam *proximum Oppidum miſſis, ibidem per varia cruciamina pro fide Chriſti perpeſſa, purum* *Coronantur.* *quilibet ſpiritum tradidit Creatori* XI. Kalendas Septembris *Anno Domini* CCC. VIII. *Quorum ſolemnia poſtmodum* S. E. Toletana, *ſic feſtiuè celebrauit deuota, vt ſequentibus ſeculis tantorum Martyrum ſuorum agnitionem, & admirationem præberet.*

*Hymnus in feſto SS. Martyrum vetuſtus.* En ACTA ex ſterili Scriptorum campo congeſta, quorum ecphraſin iam ex ſuperioribus illuſtratam relinquimus. Sed hic de hiſce SS. Martyribus *Hymnum* ſubiicere propoſui, quem in *MS. Codice Carminum Hali* ſcriptum inueni, forte ille erit, cuius meminit Rex Silo in *Epiſtola ad Cixilanem* S. E. Toletanæ Præſulem, quam referunt D. Prudent. Sandoual. *Hiſtor. Reg. in Silo. fol.* 67. P. Biuar. in *Not. ad Dextr. Ann.* 280. *fol.* 303. P. Quintana-Dueñas *Hiſtor. SS. Toletan. Secul.* 3. *fol.* 204.





## IN FESTO SS. PHILIBERTI, & Fabritiani Martyrum Toletanorum.

## HYMNVS.

*Plaude Mater Eccleſia*
*Laudes Sanctorum Martyrum*
*Quorum* Toletum *Ciuitas*
*Ortum agnoſcit Regia.*
*Hos tibi alumnos edidit,*
*In fide ſancta nutriens,*
*Nec non & caſtis moribus,*
*Ediſcant vt cœleſtia.*
*Hinc* PHILIBERTVS *amans*
*Secreta ſolitudinis,*
*Cum* FABRITIANO *ſocio*
*Antra deſerti quæritat.*
*Agros amœnos quilibet*
Titulciæ *iunctim eligit:*
*Quibus, vt præſtet Domino*
*Syncera corda, inhabitat.*
*Sed perſecutio cominus*
*Turgens tunc gentis perfidæ,*
*Illos corôna Martyrum*
*Emiſit ad cœleſtia.*
*Vos ergo Sancti vernuli*
*Noſtras preces cum laudibus*
*Audite, & ante Dominum*
*Illas pro nobis reddite.*
*Auxilio tanto, vt liberi*
*A noſtris peccaminibus,*
*Conſortiô Nos in poſterùm*
*Fruamur veſtrô, in ſecula.*

Proſodia, pro vt illa tempora ferebant, ferè nulla in Hymno, in quorum textamine ſolùm ſonus, ſeu vocum tinnitus deſiderabatur; cætera prorſus omittebantur.

TITVLTIA. Ciuitas vetuſtiſſima *Hiſpaniæ* in *Carpetania*, ſita, vt indicat Ptolom. in *Geograph. lib.* 2. *Tab.* 6. *Europ.* cui adhæret Aurelius de Frias *lib.* 19. *c.* 8. M. Clauer in *Antiq. Hiſpan.* Ambroſius Morales in *Antiquitat. tit. de* Carpetania *verb.* Titultia. *fol.* 16. P. Biuar. ad *Dextr. Ann.* 308. *n.* 6. *fol.* 360. P. Quintana-Dueñas *d. ſecul.* 4. *fol.* 227. Comes Morenſ. *d. lib.* 6. *c.* 20. *fol.* 324. Qui omnes conueniunt hodie BAYONA vocitari.

SS. BERNARDVS *Monachus*, GRATIA, & MARIA *Martyres.* ] Celebris

*B. Martyrologia.*

horum Sanctorum fratrum, Monachorum *Ciſtercienſium*, & Martyrum extat in Tabulis Eccleſiaſticis memoria, quam reperunt Arnaldus Wion in *Martyrolog. Monaſtic.* in *Append. lit. B.* Hugo Menard. *in Martyrolog. Monaſt. Die XX. Auguſt. fol.* 71. & *lib.* 1. *Obſeruat. fol.* 308. Philippus Ferrar. *in Catalog. General. SS. eod. die fol.* 330. F. Chryſoſtomus Enriq. in *Menolog. Ciſtercienſ. Die XXIII. Auguſt. fol.* 282. hoc elogio: *Alciræ in* Hiſpania *paſſio SS. Martyrum* BERNARDI, MARIÆ *&* GRATIÆ *Ordinis Ciſtercienſis: ex quibus* BERNARDVS *poſtquam abiuratâ turpiſſimâ Mahumetis ſectâ, in Monaſterio* Populetano *ſub* Ciſtercienſi *inſtituto, ſanctiſſimè conuerſatus fuiſſet, & continuis claruiſſet miraculis in Regnum* Cartelanum *miſſus, vt ibidem fratrem ſuum Regem, & gentem illam ad fidem conuerteret, pro eadem fide, à proprio fratre immaniter occiſus, clauo fronti affixo, glorioſè occubuit.* MARIA *verò &* GRATIA *eius ſorores quas ipſe in Chriſto genuerat, & præmiſſo caſtitatis voto Ciſtercienſiũ numero adſcripſerat, cum eodem variis ſuppliciis, & tormentis affectæ, per palmam martyrij victrices ad æterna regna euolarunt.* De eis Antonius Beuter *Hiſtor. Valent. lib.* 1. *cap.* 33. Martinus Viciana *Hiſt. Valent.* 3. *p. fol.* 235. F. Franciſcus Diago *Hiſtor. Valent. lib* 6. *c.* 21. *fol.* 260 *& c.* 25 *fol.* 266. F. Ioann. Marieta *Hiſtor. SS. Hiſpan. lib.* 3. *cap.* 31. *fol.* 86. Antonius Vincent. Domenec. *Hiſtor. SS. Cathalon. lib.* 2. *fol* 10. Gaſpar Scolanus *Hiſtor. Valent. Tom.* 2. *fol.* 246. Illuſtriſſ. D. Sanctius Dauila *de Venerat. Reliq. lib.* 3. *cap.* 8. *n.* 4. Barnabas Montaluo *in Chron. Ciſtercienſ. Tom.* 1. *lib.* 4. *c.* 5. Illuſtriſſ. D. D. Manriq in *Sanctoral. Ciſtercienſ. lib.* 3. *Epiſtol.* 1. §. 1. qui plures alios Ructores refert, & in *Annal. Ciſtercienſi* 6 *Tom.* 2. *Ann.* 1156. *c.* 1. *& Ann.* 1163. *c.* 5. *& Ann.* 1178 *c.* 5. *n.* 6. *& Ann.* 1180. *c.* 5 Eius ACTA ſcripſit breui libello, *Hiſpano ſermone*, Anonymus quidam, quem apud me retineo, ex quo illa dabimus.

## *ACTA SS. BERNARDI, GRATIÆ & Mariæ Fratrum ex Ordine Ciſtercienſium Martyrum ex Anonymo.*

*Parentes.*

BERNARDVS, Almanzorium *Patrem habuit*, Pintarraſes, *&* Carleti *Regulum in regno* Valentiæ, *qui* Zaën *ipſius vrbis Regis Sarracenorum, illius Prouinciæ principis obſequio militabat, & ipſe quoque Mahumeticæ ſectæ ſubditus. Almanzorius ergo quatuor ex coniuge filios ſuſceperat, natu maximum* Almanzorem, *nominis ſimul, ac paterni dominij hæredem;*

*Fratres.*

HAMETVM *huius Hiſtoriæ heroem;* ZAYDAM, *&* ZORAYDAM, *quæ poſtmodum hæc Arabica nomina, in* GRATIAM, *&* MARIAM *feliciter conuerterunt. Vterque* Almanzorius, *&* Hamete *fratres in aula* Valentina, *inter Regis* Zaën *miniſtros primæ notæ educabantur; Filiæ in paterna domo, vt moris eſt, familiaribus continebantur peragendis officiis.*

*Educantur in Aula Regia.*

Almanzorius *prout hæres Reguli parentis, apud Regem auctoritate, ſed* Hamete *induſtriâ præcellebat; adeo vt negotia regni grauiora, ſubſidia belli, & ſumptus, collectæque, vix præter ipſum alij crederentur. Inſuper* Hamete *adhuc in ipſa infidelitatis ſecta nutritus, ſic virtutes morales adeptus eſt ab incunabulis, quòd omnibus aulicis ſtuporem, ipſique Regi admirationem inferret.*

*Mores Bernardi in Mahumetiſmo.*

*Nam erat in omnibus temperatus, caſtimoniâ præditus, à conuitiis alienus, ſingulis liberalis, ſua vnicuique concedens, nulli propria rapiens, nec alicui ſibi à lege permiſſa tollens. His igitur virtutibus in iuuene fulgentibus Rex imbutus, illum ad Legationem* Cathalanenſem *emiſit, quâ de redimendis captiuis Sarracenis, qui ex continuis congreſſibus cum Principibus Chriſtianis,* Barcinone, *& alibi detinebantur, tractabatur, & paciſcendis induciis, & Regulis in obſequio firmandis, ſolutione tributorum peragebatur.*

*Legatus ad Principes Chriſtianos eligitur.*

*Quia talis erat* Hameti *virtus, & prudentia, quòd eidem omnia totius Regni negotia committerentur.*

HÆC Hameto *ſalutis ianua fuit. Quippè cùm* Cathaloniam *perueniſſet,* Illerdam *primùm; mox per incerta ductum, abruptaque; cùm dies vnà & via ſimul deſeruiſſent, medio noctis ſilentio, in nemus incidit, vel in ipſo*





*meridie horrendum exteris, nocte intempeſtâ vel propriis formidandum.*

*In nemore nocte intempeſta aberrat.*

*Dumeta, & vepres, terram, frondes, cælum auferebant ab oculis euntium; & ſolæ tenebræ vndequaque patebant viſui: trunci, quo minus præuiſi, minus declinabiles; atque eò magis nihil metuentes, repentino contactu territuri: vt nec vitare pericula liceret, & vel timendum foret ſemper à tutis. Placuit quieſcere, progredi impotentibus; & quæ maior in rebus anguſtis prouidentia eſt, commodum ab incommodo captare.*

*Quieſcit inter arbuſta.*

*Quæ gradientibus cuncta in offenſione, detentis in viſu; atque arbuſta, & virgulta pro ſtraminibus, pro tectis frondes, pro parietibus trunci, pœnæ ad pabulum equos, equitantes ad requiem inuitabant. Virginis* MARIÆ, *ſole longè purioris, agebatur ſolemnitas, &* Hametus *medius inter dormientem, & vigilantem, ſed dormienti propinquior, erroris ſui damna, & ſi non compenſabat, conſolabatur. Cum ecce eminùs auditæ cantantium voces, melodiâ dulces, inſtrumentis ſonoræ, & materiâ graues; & quæ interuallis modicè diſtinctæ, alternantibus choris, aures ab ipſa varietate mulcebant, & animum aut rapiebant, aut concentibus excitabant; quibus* Hametus.

*Concentus harmoniâ obſtupuit.*

### *Obſtupuit, ſteteruntque comæ, & vox faucibus hæſit.*

*Quippè nec ſuetus homines audire eatenus pſallentes, nec doctus Angelos, & vt vtroſque noſſet, hæſiſſet dubius, ne quinam, qui audiebantur, eſſent, determinaſſet. Vltra Tres horas prorogata melodia vocum, quò diuturnior, ſuauior; quippè timore pulſo ab aſſuetudine, ſolus pſallentium concentus percipiebatur. Tum verò muſicâ deficiente ſimul cum nocte; & ſuccedente harmoniæ lucis crepuſculo qui ſolem aduenientem prænuntiaret, ſubit animum, & conſcenſis iterum equis, quâ vepres permitterent, nemus peragrare: ſed illam ante omnes alias plagam, vnde voces auditæ auditorum affectum excitauerant.*

*Illam quæritat.*

*Creſcebat tunc, ſub Grimaldo Abbate illuſtris Domus,* Raymundi *Comitis opus,* POPVLETVM, *atque ingentioribus adhuc incrementis, vel in initio præparabatur. Hæc loco proxima, & adhuc tectis humilis, ſed ſanctitate, obſeruantiâque ſublimis, latitabat in nemore; & terram manibus, per ligonem, vomeremque; cælum corde & linguâ, per Dei laudes, alternis vicibus ſibi comparabant.*

*Situs Monaſterij Populetenſis.*

*Ergò cùm primùm ſurgentes cominùs muros, atque hominum* Hametus *conſpexit habitacula; ratus quod erat, voces inde auditas; interior ſubſtitit: & quodnam genus illud humanæ vitæ, qui ritus gentis, qui mores perſcrutari prouidus, ac curioſus deliberauit. Ventum erat ad ianuam Monaſterij, cùm iam Sol oriens nemus irradiaret, & mallei ſonitu vocatus, qui aperiret. Venit Atrienſis, aperuit oſtium, & viſis hominibus, ex veſte Sarracenis, ex apparatu magnis, & ex phyſiognomiâ fidei hoſtibus, protinus hæſit.*

*Cœnobij ad oſtium accedit.*

*Vicit tamen timorem* Hameti *comitas, qui ſe pacificum, & noſcendæ vitæ causâ, non lædendi aduenisse, atque inermem ingreſſurum, ſi vellet, præſtito iuramento pollicebatur. Cæleſti monitu,* Grimaldus *animatus, Virum ad ſe adduci præcepit, cui cuncta penetralia nouæ Domus, cui Oratorium, cui Monachorum Chorum oſtendere iuſſit.*

VIX *Monaſterium eſt* Hametus *ingreſſus, vix* Grimaldum *Abbatem adlocutus, vix venerabilis ſenis verba auribus hauſit; cùm ſe interius mutari repentè ſenſit; & aut affici legi Chriſtianorum, quæ tales viros proferre conſueuiſſet; aut inuidere, (nec ipſe ſatis nouerat atque) ſimiles alios ex ſuis facere, ſi vitam probè noſſet, meditabatur.*

*Corde commotus, Monachorum legi afficitur.*

*Simulatâ igitur ægritudine, quâ deluderet ſocios, eos Ilerdam tranſmiſit, inde auocandos, cùm conualeſceret, vt ſic aliquandiù moram in Monaſterio traheret. Tunc verò ſolus inter Monachos relictus, omnia diſquirens, & ſingula perpendens, tandem Mahometicæ Catholicam legem conferens, dubitare primùm, mox diſſerere; & de aliquibus rebus iudicare ſeria omnia, quæ à Chriſto, grauiaque: ludicra, & leuia multa à Mahumeto; hæc rationi difformia; conſona illa: & illa per miracula firmata, qualia hæc nulla pro ſe valeat adducere. Quid, quo Chriſti*

*Diſſerit de fide Chriſti, & ſectâ Mahumeti.*

potentiam inermes homines, deſpecti, & humiles, præualentes in Orbe: Mahometi impotentiam, bella, & arma; nec quiſquam hactenus aliter perſuaſus; certis omnino indiciis manifeſtent? Noſtris ſolam virtutem in pretio eſſe, apud ſuos vel vitia præualere. Vtramque religionem nequaquam compati, & ſi alterius electio facienda ſit, præſtare Chriſtianam, non ſolum pietate, ſed ſapientiâ atque in vtraque ſapientia, & pietate, excellentibus hominibus, qui proprio ſanguine teſtimonium perhibuerint, pro veritate vſque ad mortem certaturi. Hæc & ſimilia Hametus mente reuoluens, atque vnctione magiſtrâ, altiùs edoctus, Chriſtianam primùm fidem, quod difficilius: quippè abdicandis patriâ, parente, opibus, propinquis, atque gratiâ Zacheni Regis, & ſiquæ alia, ſiue hactenus habuerat, ſiue deinceps ſperabat, ſimul cum lege: dein, quod iam facilius videbatur, Ciſtercienſe inſtitutum, ac vitam illam quam principium ſalutis habuit, vſque in finem æmulandam ſibi decreuit, quâ à ſeculi ſarcinis liberior ad cæli culmina properaret.

Chriſti amplectendã decreuit.

NON deerat generoſo iuueni interior lucta, ex aliorum offenſione maior, quàm ex ſe ipſo. Laturum ægre Patrem apoſtaſiam, quam à vera religione eſſe putaret: quin deſpectui habendum ab aliis Regulis, quòd degenerem filium genuiſſet: Sorores ſibi vnicè dilectas in errore manſuras, quas forſan ſi reuerteretur, imò & totam familiam lucrari poſſet. Sed quod magis vrgebat, negotia regni ſibi commendata, nec deſerenda infecta viro nobili, cuius fidei eſſent abs Rege commiſſa. Redeundum ſaltim rationem reddituro, nec exponendam famam aulæ rumoribus, quibus mos cuncta in deterius interpretari. Futuros, qui deſertum Mahometiſmum leuitati adſcribant; alios, qui deceptioni: vtroſque timendos: Sed quanto magis, ſi violatam fidem, ſi regnum perditum, ſi defraudatum patrimonium Regium, ſeu quæ ſimilia inter cauſas adſignaret? Hoc opus, hic labor Hameti fuit. Quem, non parentes, non patria, non moleſtias contemnentem, non nouæ vitæ rigor deterruerat; ſola opinionis nota penè retraxit; & ni Deus auxilians præſtò foret, haut dubium, quin retineret, quamuis inuitum.

Sed interioris luctæ apice detinetur.

Fama nobili viro fortis.

SED vicit tandem in ipſo diuina gratia, atque hactenus ignoratam veritatem deplorantem acerbè, ſitientem aridè ad Abbatis Grimaldi pedes traxit: Adſit, & miſereatur errantis ouis, pro qua Chriſtus obierit, non deſerturus in deſerto reliquas, ſed vltro ad caulas venientem admiſſurus. Abluat fœdatum aquis ſacri fontis, atque ab ipſo leuatum, ſi velit, probet; executurum fideliter mandata, atque aſpera quæcunque perlaturum. Indignum ſe conſortio Sanctorum hominum, & nunc primum venientem ex paganiſmo, miniſtrum imparem, cui maiora, cui grauia committi valeant. Obediendo quemcunque parem eſſe, ſi modò velit humeros ſupponere. Sed neque arcendos tyrones ab Euangelio, quod non niſi per recens conuerſos, hoc eſt Apoſtolos, vocatos ex Iudaiſmo, fuit plantatum, & ſeminatum. Senſit Grimaldus inflammatæ mentis ardorem, qui Hameti deſiderio conſenſit, ac magiſtro aſſignato, catechumenum voluit, mox Chriſtianum, deinde Monachum futurum. Ferunt intra vnius hebdomadæ ſpatium, edoctum legem, fidei articulos, præcepta vtriuſque neceſſaria,, non ſine ipſius Magiſtri deſignati, ac cæterorum, qui viderant, admiratione. Quippe in aliquibus etiam ſupra Magiſtrum; in aliis ipſe Magiſter, ſed potiùs Deus in ipſo, comprobabatur.

Sed vicit diuina gratia.

Legem in hebdomada edoctus.

ITAQVE Anno Domini M.C.LVI. Die XX. Auguſti, S. Bernardo ſacro luſtralibus ſacri fontis aquis abluto corpore, atque anima per gratiam renouata, & veterem cum actibus ſuis exuta hominem, nouum induere meruit in Chriſto genitum, atque ex ipſo renouatum, per ipſum tandem in cœlis regnaturum. Nomen HAMETI depoſuit, ſimul cum ſecta, atque Bernardi recenti ſanctitate, quâ Dies Baptiſmi illuſtrabatur. BERNARDVS dictus; cui Sancto, ab ipſis ſuæ conuerſionis initiis, ſeu famâ operum, ſeu ſtudio profeſſionis, ſupra alios addictus, in quantum potuit, voluit adhærere. Iam legebantur Libri vitæ eius, primus præcipuè à Guillelmo Abbate

Baptizatur.

Nomen Bernardi adſumit.



Abbate ſcriptus, qui & Hameto ſacris initiando, traditus fuerat. Hunc ergo virum præ aliis imitandum, cùm catechumenus ſibi propoſuiſſet, nominis non minùs petiuit anteſignanum: quo nunquam poſſet ab aliis nominari, quin Bernardum ingererent: ſed neque ſui ipſe ſine Bernardo, ſi tamen renouati, per Chriſtum, recordaretur. Neſcit tarda molimina Spiritus-ſancti gratia, & BERNARDVS impatiens totius moræ, vix dùm Chriſtianus, vitam perfectiorem, ſanctioremque in ea, cui adhæſerat, lege deſiderabat; cuius obſeruantiâ ſic vitam texuit, vt ad habitum Religionis Ciſtercienſis admitteretur. In huius nouæ militiæ S. Vir adſcriptus, exercitio virtutum veteranos anteiuit, & in totius pietatis operatione profecit: nam quantò tardius ad fidem Chriſti conuerſus aduenerat, eò feruentior, ac inſigniori charitate decorabatur. Præfecerat cellario Monaſterij Populetenſis Stephanus Abbas; & quam olim Valentini Regis fiſco, negotiis domus, operam impendere, homini induſtrio, expertoque præceperat. Et creſcebant ſub ipſo annui fructus, ſed qui in paupere largè diſtributi, ſiuè, vt aliquibus videbatur prodigè, vix putarentur Conuentui ſuffecturi. Creſcebat indies concurſus aduentantium, nec numero alendorum multiplicato, panes decreſcere, aut minus ſingulis tribui, animaduerſum, zelatumque, ne Domus exhauſta Dei, deficiente annonâ, ad vltimam miſeriam redigeretur: eſſe modum in omnibus virtutibus, quem vltra non ſint tales: nec liberalitatem debere dici, quæ omnem liberalitatis materiam de medio tollat. Nam vnde poſtmodum liberales exiſtant, cum nihil habeant? Quin ſi cogantur præ inopia mendicare, abſumpturos aliorum miſericordiam; vt imparem vtriſque ſuſtentandis, ſic permiſſuram tot pauperes perire, quot alat Monachos. Exigendam proinde rationem à Cellario, & computandos cum fructibus perceptis, fructus conſumptos, atque item neceſſarios vſque ad meſſem: tunc eroganda, ſi tunc quæ forte ſuperfuerint, ſed defectura, vt neceſſe erat, in proximo ſupplenda potiùs aliundè, quàm exhaurienda; & prouidendum miniſtrum prudentiorem, qui liberalitatem parſimoniâ producat, non profuſione impediat, nec petere cogatur, dum dare properat.

Monachus in Populeto admittitur.

Cellarius efficitur Monaſterij.

Ab aliquibus calumniatur.

HÆC, & ſimilia ad Abbatem producta, primùm omiſſa, ſed mox increbreſcentibus rumoribus, ad examen delata: & Bernardus ad iudicium vocatus eſt, dati & accepti rationem redditurus. Iam libri ante Abbatem poſiti erant, iam ſumptus comparati perceptis fructibus, duplo ferè exceſſiſſe comperiebantur, iam timebatur ingens æs alienum, quod ad exceſſum S. Cellarius contraxiſſet; cùm ille ſpiritu Dei plenus, & de exhibitione præcedentium (nam creuerat annona, pecuniáque, hactenus ipſo minus aduertente,) firmam concipiens futurorum expectationem, Ego (ait) ab extraneis nihil accepi, ſed neque libros habeo certiores, quàm horrea Monaſterij, & officinas: illic acceptum, & datum computetur. Nihil de foris aduenit; ſi quid habuerit, ea debiti noſtri ſumma erit, in anni reliquum prudentiùs diſtribuendum. Res mira ſed certa! Frumentum, vinum, oleum, pecunia, & ſi quid aliud Conuentus adquiſierat, redundabat in doliis, horreis, thecis, ac ſi pluribus duplo congregatis, nihil omnino ex eis hauſtum fuiſſet. Inde firmatus in fide, & charitate profuſior in dies; ſed neque Monachi experti Dei virtutem, & S. Hominis merita, alium habere voluerunt diſpenſatorem. Ille reliquum vitæ non minus ſignis clarus, quàm virtutibus exegit: Negotiis Domus exterius ita intentus, vt nilominus intus Deo vacaret, diuiſâ in varias curas parte inferiori; ſed ſuperiori vnita, ac cœlum intuenti, quæ nihil aliud, quàm gloriam Dei attenderet.

Rationes annonæ reddere cogitur.

Sed horrea repleta inueniuntur.

IGITVR vergenti iam ad ſenium BERNARDO, illi conceſſa eſt quies, atque otium à Monaſterij curâ indultum, dolentibus Monachis, & populis vicinis lachrymantibus, viriſque, quòd communem Patrem amitterent, ſub quo neque illis, quod darent, nedum quod poſſiderent; neque his, quid acciperent, deficere potuiſſet. Tum verò S. Vir ad altiora manum extendens, atque hactenus alendorum corporum curam ſibi commiſſam, ad conuertendas animas,

Cellarij officium abdicat.

&

*Ilerdam venit ad materterã.*

*Quo deaccepta fide nepotẽ reconuenit.*

& ad ſpretos pro Chriſto conſanguineos, per Euangelij prædicationem illuminandos transferens, petitâ ab Abbate Hugone licentiâ, obtentaque, Ilerdam prius ad materteram peruenit, inde ad ſorores, & fratrem perrecturus. Illa, vt nepotem, quæ auro, & oſtro fulgidum iuuenem conſpexiſſet, in vili ſago, atque habitu deſpecto cognouit marcidum ſenem, inſultans primùm, & nouos illi ritus, inuiſum crucifixi hominis cultum, Religionem degenerem obiiciens, quæ per ſpeciem virtutis eneruet animos, & corpora ſeruituti duræ ſubiiciat: mox vt BERNARDVM de Chriſto diſſerentem, & Mahumetanos errores confutantem, attentius audiit, ſerenior vultu, & iam deliberanti ſimilior, quàm obiicienti, dixit: Quod, Fili, in Chriſtiana lege ſubſidium, in qua deiectio pro humilitate; patientia pro conſtantia; & miſeriæ pro gloriis vſurpantur? Quæ cæcitatem ſub honeſto nomine fidei, aut producit, aut palliat, & rationi, ac diſcurſui parum defert, ſenibus nihil. Tùm ſi in qualibet lege dubia occurrant, præferendam vitam, quam ſiuè fato, ſiuè prouidentiâ diuinâ datam ſine culpa retineas, nec poſſis adimplere, niſi cum laude, vt parentes, & patriam genuſque accepta, non quæſita, nec quibuſlibet aliis permutanda; ſi Religionem, quam ſemel hauſtam, ad mortem conſeruare conſtantiæ ſit, nimium examinare ſacrilegij; deſerere perfidiæ; variare inconſtantiæ, & leuitatis.

*Ille mulieri infidæ ſatisfacit.*

*Quæ Cœpit Chriſtianã religionem venerari.*

*Poſtmodũ ſectari.*

HÆC, & ſimilia ad BERNARDVM annoſa mulier edixit. Ille è contra fidei cæcitatem oculatiſſimam nequicquam è ratione magis, quàm multa dari, quæ ſint ſupra rationem. Non fore hominem, ſi à brutis caperetur; non Angelum, ſi ab homine mortali; & quanto minus Deum, ſi à creaturis? Quæ de ſe ipſo nobis reuelauit, tot ac tantis inniti teſtimoniis, tot conuinci argumentis, vt cæcus ſit, qui non videat cœleſte Numen. Tum ſemel cognitâ diuinâ veritate, quid amabilius nobis, quam Deus-Homo inter homines conuerſans, pro hominibus patiens, atque homines ad diuinum eſſe adſumens? Æternas animas, æternis donandis præmiis, præferendas corporibus caducis, quæ ſi recte deſeruiant ſpiritui, neque irremunerata remanebunt, ad immortalitatem ſurrectura. Patriam, parentes, genus nequaquam eligi, quia præueniunt arbitrium. Religioſum arbitrio noſtro ſubiici, rem grauiſſimam omnium, atque adeò conſultius eligendam. Hactenus forſan ignorantiæ datum, forſan inaduertentiæ, quòd non diſcuſſerit. Nunc iam neutram ab ea poſſe prætendi. Videat, inſpiciat, conferat, & eligat æternum, aut damnanda, aut regnatura. Dixit, & Mulier interius tangente Deo; velut ſi è graui ſomno euigilaret, ſummum illud principium ſine principio, immutabile, immenſum, ac totam æternitatem mente reuoluens, Mahumetanas nugas primùm ſpernere, dein ſpurcitias auerſari, & denique damnare licentiam quæ ſanctis moribus plurimum obſiſteret, cœpit. Hinc grauitatem Chriſtianæ Religionis venerari, amplecti, & nunc timore imminentis ſibi gehẽnæ terreri acriùs, nunc ſpe gloriæ allici; deinde amore immenſæ bonitatis, & miſericordiæ, quæ in opere præcipuè Redemptionis altiùs reſplenduiſſet, reſoluta in lachrymas, tandem fidem Chriſtianam, imò & qua licuit, etiam perfectionem amplexa eſt, in vtraque vſque ad mortem permanſura. Bona maiori ex parte adhuc viuentis diſtributa pauperibus: reliqua reſeruata in vſus fœminæ, modicos pro qualitate regij ſanguinis; ſed ſibi, & ſuis ſatis, & qui ſuperuenirent adhuc pauperibus. Tum grati animi pignus poſt eius obitum, hæc ipſa cedere voluit Populeto, vnde illa ſalus, vnde eluxiſſet Euangelij diuina veritas, & manet hodie prædicto Monaſterio nemus opacum, non procul ab Ilerda, quod inter alia Heroinæ legatum fuiſſe traditio eſt.

*Carletum perrexit, & in itinere miracula patrat.*

HINC materteræ hacce conuerſione ad Ilerdam peractâ Carletum perrexit, Fratrem Almanzorium iam regnantem parentis obitu, ſorores & ſi quos poſſet alios ex Mahumetiſmo ad veram Chriſti fidem conuerſurus.

Patrata



*Miraculũ.*

*Fratrem, & Sorores ad fidem prouocat.*

*Sed à fratre reſpuitur.*

Patrata ab eo in itinere nonnulla miracula fuiſſe aliqui Scriptores affirmant, ſed quæ, aut qualia fuerint minime. Celebre illud de Monacho apoſtata per Virum Dei conuerſo, ſed non ſtatim ad Monaſterium reuerſo; qui mox decedens, in Clericali ſepultus habitu, redeunte BERNARDO, ac ſepulchrum ſcrutante, in Monachali cuculla inuentus eſt, non ſine ingenti cunctorum admiratione. Igitur Carletum ingreſſus, à Fratre, & Sororibus, cæteriſque aulicis gratanter primùm, velut qui ad vomitum Paganiſmi reuerſus, atque ad hoc tantùm veniſſe reputaretur, ſuſceptus eſt; indultâ tamen apoſtaſiæ veniâ, & quando frater orbus permaneret repromiſſâ coronâ, & coniuge, ex qua etſi ſeros ſucceſſores habere poſſet. At poſtquam S. Vir diuerſam ſibi mentem, & longè aliam aduentus ſui ad Fratrem cauſam aperuit, nec ſe ad ſacrilega deliria Mahumetis, quæ ſemel exhorruiſſet authoritate Euangelij, peruertendum, quin fratrem Almanzorium, ſororeſque Zoraydam, & Zaydam conuerſurum, ſi poſſet, proteſtaretur; vnde ſolus ad populum deſcendens, veram illis coronam, ſublimius regnum; atque præmia cœleſtia compararet. Tum vero Almanzorius frater terram pede quatiens, atque oculis, naribuſque flammans, & fumans, nec minus ideò in eum dentibus ſtridens, quaſi qui zelo violatæ Religionis commotus eſſet, exprobrare apoſtaſiam, cumulare opprobria, nec ſe fratrem, ſed hoſtem prædicare deſertoris ſacrilegi, in quem verbera, crucem, tela, ac grauiora ſupplicia comminaretur. Et niſi interceſſiſſent piæ Sorores, quâ fratrem deuium ſe ſuaſuras pollicebantur, actum fortaſsè foret de vita S. Mrtyris, occidente Almanzorio fratre, ſiuè vt Mahumetem tali ſacrificio, ſiue vt populum ſibi, quod Principum aliquando conſilium eſt, per Religionis conciliaret ſpeciem. Sed BERNARDVS diuinâ prouidentiâ, quas poſtmodum ſeruaturus erat Sorores, tunc ſeruatrices habuit, ſimul cum ipſo coronandas.

*Et ſororibus traditur peruertendus.*

*Quas ad fidem conuertit.*

*Iterum fratrem fide aggreditur.*

*Sororum ſimulata ſuaſio.*

IGITVR permiſſus Zoraydæ, & Zaydæ ſororibus S. Monachus, vt per eas ad leges auitas, & patriam religionem reuocaretur; BERNARDVS magis, quâ erat fide præditus, atque zelo Chriſtianæ Religionis; vtramque ſororem aggreſſus, cùm multa illis de cœleſti patria, multa de Chriſto, & fide diſſeruiſſet, qui ſororibus peruertendus traditus fuerat, ſorores conuertit; ac doctrinâ Chriſtianâ aptè inſtructas, ac verè fideles, ſacro Baptiſmatis fonte deuotus abluens, alteram GRATIAM, alteram MARIAM prouidus appellauit. Vtramque commendatam ex ipſo nomine; illo nimirum, quod gratiam præſeferat; hoc quod totius Gratiæ Genitricem. Vtramque item ex virginitate, qua ſero licet Agnum ſecuturæ, nihilominus ſequerentur, quocumque iret. Nec dubium, præſeruatas ſibi à Chriſto, quas viro dudum maturas, nubileſque, ſub lege continentiam aſpernante, opibus, genere, formaque præſtantes, plures iam Reguli elegiſſent ſibi vxores, ſi non ab alio amatore præuentæ eſſent, cui à cunctis, vel inuitis cedendum foret. Interim BERNARDVS fratrem Almanzorium ſalutaribus monitis aggreſſus, & nunc ex Mahumetanis deliramentis, nunc ex Chriſtianæ legis excellentiâ aucupium captans, cùm nihil ſe proficere videret, & aliàs nouæ Sponſæ Chriſti MARIA, & GRATIA inter Chriſtianos Sponſo deſeruire, atque inter Virgines illi conſecratas ſolemniter, & ipſæ conſecrari ardentiùs exoptarent, communicato inter ipſos conſilio, ac ſingulis quæ facienda erant iniunctis, placuit per fugam tempus anteruertere. Tum Almanzorio velut deſperatæ Sorores de reuocando fratre, quem ſuis precibus durum omnino ſilicem, atque immobilem cautem expertæ eſſent, dixere: Quin Religionis deſertorem, & vilem transfugam, quantocyus expellamus de terra noſtra; quem neque perſuadere pertinacem, neque fratrem occidere, neque apoſtatam liceat retinere. Eat, & laborioſam, ac deſpectam, quam ſemel elegiſſet, reſumens vitam, obſtinatæ perfidiæ pœnas luat. Cæteris gentibus mortem in ſupplicio, quia in delitiis viuere conſueſcunt; Chriſtianis vitam in amaritudine, mortem in gloria: vnde in hanc faciles, atque eò atrocius puniantur, quò diutius viuant.



Hæc

*A fratre de regno eiicitur.*

Hæc, *& ſimilia dicentibus Sororibus credidit* Almanzorius *: & ſeueriùs* Bernardvm *allocutus, eum ab Aula, ab Vrbe, & à regno abire iubet, nequaquam illuc vltra rediturum. Ille, vt erat de ſalute fratris ſollicitus, quauis ſorores ob nouum Chriſti vinculum, charitate ardentiori complecteretur, obortis lachrymis fratri reſpondit* : Diſcedam, frater, & tibi terram leuiter relinquam, dùm cœlum non deſeram : & qui non tua ſed Te quærere veni, facile ab his amouear, quæ non quæſiui. Adueneram te Chriſto lucraturus, non mihi opes; aut regnum temporale. Diſcedam lætus ab his, quæ lubens fugi, imò ab his quæ euaſi : ſed te, quem fratrem vinculo naturæ, quem Dominum iure ſucceſſionis & amaui, & colui, æternæ damnationis vinculis captum, nec eripi patientem, dolebo triſtis, lachrymabor amarus, neque vnquam capiam de amiſſo fratre; quem vnicè dilexi ſolamen. *Dixit, & pene ad lachrymas commouit ſuperbum Regulum. Aſſuere Sorores diſcedenti, ſiccioribus oculis, qui tunc illis pro lingua, quibus horam, & locum condicta commemorabant.*

*Diſceditab vrbe.*

*Ergo* Bernardvs *ſub veſperam egreſſus, altero ab vrbe lapide diuertit ad nemus,* Mariam *&* Gratiam, *ac reliquam familiam ( nam plures ſe ſe illis aſſociauerant ) in medio noctis ſilentio præſtolaturus. Ibi orationibus, & precibus intentus, ſacris Virginibus animum virilem, obſcuritatem nocti, oſtiariis aulæ fratris profundum ſomnum, demùm conatibus piis felicem exitum, & tardam fratri notitiam deprecabatur. Iam cæleſtem ſphæram profunda nox, ſilentium terras, atque homines ſomnus occupauerat; cùm recens Chriſto deſponſatæ Virgines, Sponſo obuiam ituræ ſurrexerunt, ac congregatis qui erant fidei ſociis, aſſumptiſque per ſopitos cuſtodes tranſeuntes, aulam primùm, mox vrbem deſeruere.*

*Et etiam Sorores, & alij.*

*Nec erat leue ſpatium vnius leucæ peragrandum vtriſque, ſed præcipue Virginibus, fœminis Regiis, & ferri ſuetis magis, quàm ambulare; & retinebant obſcura caligo noctis, cæca plerumque via, inuiſi lapides, gliſcenteſque rupturæ, & ſi quæ alia paſſim occurrentia, aut offendere ſolent, aut retardare. Sed quæ cum fide charitatem ſimul, cum charitate virtutes omnes induerant, nouum ad omnia robur in ſe ipſis, fortitudinem nouam ſupra virilem, nedum ſupra fœmineam experiebantur: Ergo albeſcente Aurorâ, nemus primùm, dein ante nemus* Bernardvm *fratrem obuium conſpicientes, qui iam obuiam exiret venienti agmini, reſolutæ in lachrymas* Ecquis ( *inquiunt* ) nos vltra ſeparabit à Charitate Chriſti? non mors, non vita, non periculum, non gladius. Quærat, ſi volet, ſorores *Almanzorius*, & inueniat ſi poteſt : aut vita nos manebit inter Chriſtianos, aut mors pro Chriſto. Occultatas fideles præſtolantur, detectas Angeli. Itaque ſiue viuimus, ſiue morimur, Domini ſumus: Interim nemus latentes tueatur, egreſſuras de latebris, cum fratris inquiſitio deferbuerit.

*In nemoris ſpelæo latitant.*

Iam *biduum in eodem loco peregerant, & miniſtri* Almanzorij, *qui omnem circa diſcurrerant regionem, nulla prorſus veſtigia reperientes, ſpe ſua fraudati, reuertebantur : cùm ecce egreſſus de latebris* Bernardvs *proximam nemori coloniam petiturus, vnde aliquid, quo vitam ſuſtentarent, afferret ſororibus, in regem, & ſeruos eius incidit.*

*Inueniuntur à Reguli miniſtris.*

*Tum verò Regulus inſano furore percitus, irruere in fratrem, & niſi à propriis ſeruis, donec ſorores reuelaret, retentus eſſet, vltrò ſe offerentem, nec recuſantem pro Chriſto trucidari, haſtâ, quam manu geſtabat, tranſuerberaſſet. Hinc* Almanzorius *fratrem blandis alloquitur verbis, & ipſum ad reuelationem loci quo Sorores latebant, attraxit.*

*Comprehenduntur.*

*Illo per Regulum cognito, in furorem conuerſus, aut reſiliendum à fide Chriſtiana, aut ſubeundam attrocem mortem proponit.* Bernardvs, *qui fratris dolum perceperat, dixit :* Mihi viuere ſolus Chriſtus eſt, pro Chriſto mori lucrum, quod dudùm quæro. Nec credam ſemel Chriſto deſponſatas Mariam, & Gratiam morte meâ diuellendas ad eius fide. Quin ſanguine fraterno, velut irriguæ, altiùs radicabuntur, ſecuris ictus firmiùs ſuſcepturæ. *Dixit, & oculos ad cælum leuans priùs, mox ad Sorores vertens, quaſi quas ad paſſionem inuitaret* : Chriſte ( *ait* ) quia poſſibile eſt, tranſeat à me ad illas calix iſte, compatiantur, conregnent : & quas congenitas mihi carne, & ſpiritu, tibi in filias per gratiam adoptaſti, fac cohæredes. *Mox ſatellitibus vinciendas manus offerens, atque arborem, cui alligabatur, reuerenter ſalutans, quaſi quæ ligni Crucis ſpeciem ferret, ferreo tandem, quem miles fortè ferebat, clauo frontem adfixo, maiorem ad cruciatum, occiſus eſt, videntibus Sororibus, & fratre, nec lachrymantibus; illis, quia gloriæ fratris Martyris congaudebant; hoc, quia propriæ vindicta gratulabatur.*



*Coronatur Bernardus.*

Ipso *per martyrium coronato, protinus ſæuus Regulus ad Sorores verba blandientia direxit; ſed cùm hæc nihil proficere, atque vtramque Sororem, in fide Chriſti acceptâ conſtantem videt, ad terrores conuerſus, & nunc ſubitam mortem intentans gladio, nunc cædem acerbiorem cæde fratris comminatus attrociter, ſanctas Virgines à propoſito diuertere ſatagebat. Sed illas conſtanter in fide loquentes perſcrutatus, gladio percuſſas occidi iubet, in conſpectu cadaueris* Bernardi, *quod vires eis de terra, roburque, non ſecus ac de cælo, triumphans ſpiritus, auxilia, & vitæ æternæ deſiderium, temporalis contemptum, atque in morte lætitiam impetrabat. Excepit iſtum Sancta vtraque Virgo conſtanter, & auidè : nec ſeriùs vtriuſque ſpiritus cælos penetrauit, quàm terram trunco contigit. Eorum agonem referunt eueniſſe* X I. Kalend. Septembris, *Anno Domini* M. C. LXXX. *Quorum* Corpora *beſtiis terræ in nemore relicta, & volucribus expoſita fuere, donec ſeruus eorum illæ ſepulturæ mandauit in ipſo martyrij loco, non procul ab* Alzira *nobili Oppido.*

*Et ſorores.*

*Quo manſere ignota, quo ad vſque ſub* Iacobo I. *Aragonum Rege, cæleſtibus ſignis præcedentibus, detecta, atque ab ipſo honorificâ Capella, & tumulo fuere donata marmoreo: & ex tunc eorum apud* Alziræ *accolas veneratio in pretio habita, Patronos Populus, & Clerus elegit, donec Monaſterium Fratrum* S S S. Trinitatis *conſtruitur.*

*Patroni Alzirenſes.*

Hactenus Acta, in quorum relatione notandum, circa miraculum de *Monacho* apoſtata, quod licet illud plurimi tribuant *Bernardo Claræuallenſi*, proculdubio nominis vocabulo allecti, potius *Claræuallenſi*, tanquam principaliori, miraculum tribuunt, omiſſo *Alzirano* minùs ab exteris Scriptoribus cognito, vt D.D.F. Angelus Pacenſ. Epiſcop. *Tom.* 3. *Ann.* 1180. *cap.* 4. *num.* 3. & 5. fatetur.

*Miraculū de Monacho Apoſtata à quo patratum?*

Alzira. Oppidum in diœceſi Valentina in Edetanis olim ignobile, poſt famigeratum ob horum Sanctorum Maryrum agonem, vbi Cœnobium Fratrum SSS. Trinitatis conſtructum fuit.

# DECIMO KAL.

## Septembris.

## DIES XXIII.

*A.* LVGDVNI *in Gallia* S. ELEAZARII Hiſpani, *Archiſynagogi* Toletani, *qui cùm apud* Ieroſolymam *diuerſaretur, à* B. Petro *Apoſtolorum Principe conuerſus*, & *eius Diſcipulus factus*, Gallias *transfretauit*, Lugdunenſes *prædicauit*, *donec pro fidei confeſſione comprehenſus cum* octo filiis *ad martyrij meritum acceſſit.*

*B.* BRACCARÆ *Auguſtæ in Gallæcia* S. FABIANI *eiuſdem vrbis Epiſcopi*, *qui poſt innumeros virtutum cumulos in fidei Catholicæ prædicatione collectos*, *ad vitam migrauit æternam.*

*C.* FORO-FLAVICANO *in Gallæcia Hiſpaniæ* S. LVPI *Martyris*, *qui cum eſſet hominis ſeruus*, *ad Dei & Hominis dulciſſimum famulatum acceſſit*, *in quo ſic perſeuerauit ingenuus*, *quòd Martyr nec amiſſo capite reſipuerit.*

*D.* *In Tractu* Braccarenſi *Depoſitio ſacrarum Reliquiarum* B. SIDONII *Apollinaris* Aruernenſium in Gallia *Epiſcopi*, *literis*, & *ſingularium virtutum ornatiſſimi*, *quas honorificentiſſime cuſtodiuit deuotio*, & *populorum ſummâ pietate coluit frequentia.*

*E.* ROMÆ *paſſio* S. MAXIMI *Martyris*, *qui cum aliis apud Oſtia Tiberina tempore Alexandri*, *ſub Vlpio Præfecto martyrium compleuit. Cuius ſacra lipſana* Complutum *in Carpetania*, *Româ adducta*, *ibidem in Collegio fratrum SSS. Trinitatis Excalceatorum depoſita*, *debito coluntur honore.*

NOTÆ.



# NOTÆ.

*A. Martyrologia.*

SANCTVS ELEAZARVS, & VIII. *Filij Martyres Lugdunenſes in Gallia.* ] Celebre in omnibus ſeculis fuit Nomen eorum in *Gallia*; ſed celebrius erit in poſterum in *Hiſpania.* Ibidem, quia *Lugduni* famigeratâ Conuennarum vrbe, Celticis ſitâ populis, tantorum Martyrum paſſio. Iſthinc, quia *Toleto* Regia ciuitate, Carpetanorum capite, feliciſſima origo. Illorum memoriam repetunt omnia ferè Martyrologia *Bedæ*, *Vſuardi*, *Adonis*, & recentiorum, *Romanum* Baronij; *Caſtellanum* Dionyſij; *Luſitanum* Lupi; *Hiſpanum* MS. Higuer. *Italum* Felic. *Gallicanum* Andr. Sauſſ. *Tom.* 1. *fol.* 541. Philippus Ferrar. in *Topograph. SS. verb.* Lugdunum. *fol.* 70. De eis ſcripſere Theophilus Raynaudus in *Indicul. SS. Lugdunenſ. fol.* 213. Petrus de Natalib. *in Catalog. SS lib.* 11. *c. fin. n.* 224. Ex Noſtris Iulianus Archipresbyter Toletanus *in Chron. Ann.* 66. *n.* 11. & *in Aduerſar. n.* 261. & 474. P. Chriſtophorus Granados in *Sermon. edit. Tolet. Ann.* 1635. *fol.* 11. P. Antonius Quintana-Duenas *Hiſtor. SS. Toletanor. ſecul.* 1. *fol.* 139. Illuſtr. D. Petrus de Roxas Comes Morenſis *Hiſtor. Toletan.* 1. *p. lib.* 4. *c.* 14. *fol.* 305. Eorum omnium ACTA, quæ diuiſa conſpicimus, in vnum coagulata ex variis colligemus. *Scriptores.*

## *ACTA SANCTORVM ELEAZARI, & octo filiorum Martyrum Lugdunenſium in Gallia, ex Iuliano, & aliis Scriptoribus.*

ELEAZARVS *ex Hebræa gente*, *quam* Nabuc-Zerdam, *ſeu* Pyrhus *Nabucodonoſſoris Babyloniæ Regis Dux* Hiſpanias *traxerat*, *oriundus*, *cuius ataui ad* Toletum *celebrem* Hiſpaniæ *vrbem*, & Carpetaniæ *primariam ſiſtentes*, *ibidem* Synagogam Iberiæ *maximam conſtruxere*; *quæ*, *vt moris erat*, *continuò apud* Ieroſolymam, *procuratorem*, *qui omnia à Pontificibus illius legis decreta*, & *ordinata*, *ad cæterarum* Synagogarum *gubernationem*, *emitteret*, *habebat. Ergo* ELEAZARVS *vrbe* Toletanâ *natus*, & *eius* Synagogæ *Sacerdos*, *omnium Hebræorum conſilio*, *ad* Archiſynagogi, *ſeu* Procuratoris, *in* Ieroſolyma *conſiſtentis*, *apicem euectus*, *muneris penſum obire cœpit*, *eo tempore*, *quo* Chriſtus Dominus *per* Iudæam, & Samariam *ſalutis oſtia reſerabat æternæ. Cuius inculpabilem vitam cognoſcens*, *cuius mirabilia opera plaudens*, *cuius prodigia recogitans*, & *verba ſalutaria demirans*, *in animo concipere*, *illum futurum veritatis* Antiſtitem, & *vniuerſæ gentis* Saluatorem, *dubio procul occepit. Hinc etiam meditabatur*, *quanta eſſet Principum ſuorum inuidia*, *quâ Chriſtum inſectari*, *eius opera inuidere*, & *ad mortem vſque protrahere deſtinaſſent. Igitur per Scribas*, & *Phariſæos de* Chriſti *morte conſilium initum cùm cognoſceret* ELEAZARVS, *ne* Toletana *in illorum decreto* Synagoga, *cuius vices gerebat*, *in conſulta peccaret*, *hanc illi literam præmiſit.*

*Origo. Archiſynagogus eligitur. Chriſtum agnouit. Eius virtutes. Synagogæ Toletanæ præſcribit.*

## *ELEAZAR ARCHISYNAGOGVS Gentis Hiſpanæ in Ieruſalem, & Seniores eius, Leui Archiſynagogo Toletano; Samueli, & Ioſepho Senioribus; Salutem in Domino* ISRAEL.

FRATRES ſcitote hîc prædicare Virum bonum, nomine IESVM-CHRISTVM, Nazarenum, qui facit multa miracula, ſuſcitat mor-

tuos, ſanat leproſos, cæcis viſum, claudis greſſum, paralyticis membrorum vſum præſtat. Eſt homo benefaciens, humilis, benignus, miſericors, & grauis; formoſus præ filiis hominum; & gratioſus in ſermone, potens in opere, in omnibus ſupra reliquos homines, & apud multos habetur vt Meſſias. Ioannes Zachariæ filius, illum mônſtrauit digito dicens: *Ecce Agnus Dei.* Nos in mortem eius, quam illi Annas, & Cayphas Principes Sacerdotum machinauerunt, conſentire noluimus, & admonemus, ne vos, aut alij conſentiant ex Hiſpanis duodecim Tribuum, quæ ibi quidem ſolùm ſunt. Memores cùm Amam Maiores Noſtros iam in Hiſpaniam delatos, & alios aliarum Prouinciarum Iudæos iuſſit ſuſpendi, Deo ordinante, ex furca, quam præpararat Patri Noſtro Mardochæo, illum ſuſpenſum fuiſſe.

*Non eſſe conſentiendum cum Phariſæis in Chriſti morte.*

*Synagoga Toletana reſiſtit Chriſti occiſioni.*

HANC *cùm reciperet Epiſtolam* Synagoga Toletana, *protinùs ad* Samuelem, Annam *&* Caypham *præcipuos de Chriſti morte adminiſtros, reſponſionem dirigere decreuerunt, quâ illos ab incepto errore diſſuadere conantur, pluribus relatis circunſtantiis, quibus* IESVM *verum eſſe* Meſſiam, *interpretabantur. Sed cùm inuidia illorum corda obduraſſet, haut aliquid valuit apud æmulos* Toletanorum *ſpecifica contradictio. Tandem poſt Chriſti Domini mortem, alia aduerſus eius Diſcipulos perſecutio Ieroſolymis eſt exorta, quâ omnes ab vrbe profugi Samariæ, Iudææ, Palæſtinæ, & aliarum Prouinciarum Orbis ciuitates in refugium ingredi decreuere. Sed Principum Sacerdotum Ieroſolymorum furor adeò excanduit aduerſus eos, quòd* Epiſtolas *ad omnes* Synagogas *Orbis præmitteret, quibus præcipitur, ne Diſcipulos* Crucifixi *vllatenus recipiant, imò illos à ſuorum conſortio ferocius expellant. Quorum decretum, cùm agnouiſſet* ELEAZARVS, *iterùm ſuis reſcripſit, hautquaquam obedirent canoni* Synagogæ Ieroſolymitanæ, *ſed Diſcipulos* Chriſti *admittendos, & honorandos diſſeruit, maximè* IACOBVM, *tanquam ad prædicationem illius Prouinciæ* Apoſtolum *deſtinatum.*

*Diſcipulos Chriſti admittendos credit.*

*Eleazarus conuertitur, & baptizatur à Petro.*

*Hiſpaniam repedat, & filios tinxit.*

*Capitur. & coronatur.*

POST *hæc cùm* B. Petrus *Apoſtolorum Princeps ſermonem de Chriſti diuinitate coram populis, & gentibus inſtrueret, inter alios, quos ad fidei confeſſionem attraxit,* ELEAZARVS *conſignatur, qui ab ipſo Apoſtolo de fide edoctus, etiam fuit ablutus aquis protinus ſalutaribus, & illi adhærens inter eius Diſcipulos fuit meritò conſignatus. Hinc* Hiſpaniam, *&* Toletum *reuerſus, quia adhuc Phariſaïca perſecutionis reſpirabat procella, filios* octo *quos habebat ſacris laticibus tinxit, & Romam aggredi deſiderans cum prole Petrum viſurus, per* Gallias *tranſiens, &* Lugdunum *Celtarum ingrediens, cum Chriſtum verum Deum ediceret, à Gentilibus tentus, & variis cruciatibus expoſitus, tandem in fide conſtans, vnà cum* filiis *ad martyrij coronam celebris, & ſtrenuus Agoniſta peruenit* X. Kalend. Septembris, *Anno Domini* LXVI. *Quorum* Corpora *poſt aliquot ſecula inuenta in crypta* S. Irenæi, *ibidem adhuc aſſeruantur, & debito venerationis coluntur obſequio.*

*An Hebræi in Hiſpanias venerint.*

Multa in hiſce ACTIS & illuſtria prorſus inuoluuntur *Hiſpanicæ* antiquitatis monimenta, quorum illuſtrationem ferè omnis tam Noſtratum, quàm Exterorum efflagitat eruditio. Illam breui epilogo, debita explanatione, digito demonſtrabimus, ſi per *Quæſtiunculas* procedamus, huiuſmodi.

PRIMA erit de *Aduentu Hebræorum in Hiſpanias.* Cui ad amuſſim iam fecere ſatis P. Franciſcus Biuarius in *Not. ad Dextr. in Chron. Ann.* 37. *n.* 5. *fol.* 61. vbi eruditam diſſertationem coagulat, & ex Antiquioribus S. Athanaſius Cæſarauguſtanus in *Fragment.* Iulianus Toletanus in *Chron. Ann.* 66. Stephan. Garibay. *Hiſtor. Hiſpan. lib.* 5. *c.* 4. Florianus de Ocampo *Hiſtor Hiſpan. lib.* 2. *c.* 22. Petrus de Alcozer *Hiſtor. Toletan. lib.* 1. *c.* 10. P. Ioannes Pineda de *Reb. Salomon. lib.* 4. *cap.* 14. Quintana-Dueñas *ſupr. fol.* 143. Comes Morenſis, qui plures congerit in *Hiſtor. Tolet.* 1. *p. lib.* 2. *c.* 22. *fol.* 119.

*An Toletum?*

SECVNDA de *Aduentu illorum in vrbem Toletum.* Cui deferunt *Hiſtor. Orb.* 2. *p. lib.* 5. *c.* 22. P. Ieronymus Roman de la Higuer. *Hiſtor. Toletan.* 1. *p. lib.* 1. *c.* 23. *fol.* 47.

&



& 48. prout refert Comes Morenſis *Hiſtor. Tolet.* 1. *p. lib.* 2. *c.* 23. *fol.* 124. Qui aſſerit, hunc aduentum Iudæorum eueniſſe ante Quingentos annos à D. N. Ieſu-Chriſti natali. Ex antiquis Stephanus Garibay. *Compend. Hiſtor. lib.* 5. *c.* 4. Nieua *Hiſtor. Martyr. Guardienſ. c.* 6. Puente in *Conuenient. Monarchiar. lib.* 7. *c.* 23. & 28. P. Claudius Clemens in *Tabul. Chronolog. tit. de Nabuchodonoſor.* Rodericus Mend. *in Populat. Hiſpan. fol.* 39.

*An in hac vrbe Synagoga?*

TERTIA, an in *eadem vrbe fuerit conſtituta Synagoga?* Iulianus Toletanus Archipresbyter *in Chron. Ann.* 36. *n.* 8. reſpondet, agens de illis Hebræis à *Nabuc-Zerdam* ex Ieroſolymitana direptione adductis: *Iudæi, qui venerant* Toletum, *ædificauerunt ibi celeberrimam totius* Hiſpaniæ; *& Mundi* Synagogam. Eadem *n.* 211. P. Higuera *Hiſtor. Toletan.* 2. *p. lib.* 6. *c.* 15. Comes Morenſis *d.* 1. *p. lib.* 4. *c.* 5. & plurimi.

*An hæc conſenſerit in Chriſti morte.*

QVARTA, *quod hæc Toletana Synagoga non conſenſerit in Chriſti morte;* indicat Flauius Dexter *Ann.* 37. Iulianus Archipresbyter *in Aduerſ. n.* 9. hac ſerie: *Iudæorum Hiſpanorum Synagoga, non conſenſit morti Chriſti.* Et in iiſdem *Aduerſar. n.* 42. vbi clarè refert hunc conſenſum nequaquam fuiſſe emiſſum ob literas ELEAZARI Archiſynagogi Toletani. Conueniunt Stephanus Garibay. *d. lib.* 5. *c.* 4. F. Ioannes Pineda *in Monarch. Eccleſ. lib.* 4. *c.* 18. D. Franciſc. Padilla *Hiſtor. Eccleſ. Hiſpan. Tom.* 1. *Cent.* 1. *c.* 9. Franciſcus Piſa *Hiſtor. Toletan. lib.* 1. *c.* 4. D. Prudentius Sandoual. *Hiſtor. Reg. Hiſpan. in Alfonſo. fol.* 71. D. Michael Erze de *Aduent. S. Iacob.* 2. *p. Tract.* 6. *c.* 8. D. Didacus Caſtejon *Hiſtor. Primat. Toletan.* 1. *p. cap.* 13. & 14. Sed quia omnia ſuperius recenſita probantur ex *Epiſtola Reſponſiua Synagogæ Toletanæ* ad Principes Synagogæ Ieroſolymitanæ, quam antiquo idiomate Caſtellano tranſcriptam retulit *D. Prudentius Sandoual, Quintana-Dueñas, Comes Morenſis,* & alij, illam & Nos, vt Exteris antiquitatum amatoribus pateat, damus:

*LEVI ARCHISYNAGOGO, E SAMVEL, Ioſeph homes-Bonos del Aljama de Toledo, à Eleazar-Muid gran Sacerdote, è à Samuel Canut, Anàs, è Caïphas, homes-bonos de la Aljama de la Terraſanta Salud en el Dios de* ISRAEL.

AZARIAS voſo home, Maeſo en ley, nos aduxo las cartas, que vos nos inuiauades, por las quales nos faciades ſaber cuomo paſaba la fazenda del Profeta de Nazaret, que dizque facie muchas ſeñas. Colò por eſta Vila, non à mucho, vn cierto Samuel, fil de Amaſias, è fablo nuſco, è recontò muchas bondades deſte Home, qui hi es, è que es Home bono, homildoſo, è manſo, que fabla con los lazeriados, que faze à todos bien; è que faciendole a el mal, el non faz mal à ninguen; è que es Home fuerte con Homes ſuperbos, è malos; è que vos malamente teniades enemiga con ele, por quanto en faz vos deſcobria voſos pecados; è por quanto fazia eſto, le auiades mala volunta. E perquerimos deſte home, en que Año, Mes, o Dia auie nazudo. E cuomo nos lo dixeſe, fallamos, que el Dia de la ſua Natiuidade foron viſtos en eſtas partes Tres Soles, que muelle à muelle ſe fizieron ſoldemente vn ſol. E cuomo noſos Padres acataron eſta ſeña, aſmados dixeron, que cedo el Meſſias nazeria, è que por ventura era ia nazido. Catad Hermanos, ſi por ventura aya ia venido, è non le ayades acatado. Relataua tanbien el dicho home que el ſuo Padre le recontara, que ciertos Magos, homes de mucho ſaber, en la ſua Natiuidade llegaron à Terra Santa, perquiriendo el logar do Niño Santo auia nazido: è que Herodes voſo Rey ſe aſmara, è depois juncto homes ſabios de ſua Vila, è perquirio donde naziera el Infante

porquien

porquien perquirian los Magos; è le reſpondieran: En Bethlen de Iudà ſegunque Micheas home de gran pergeriò profetizara. E que dixeran aquellos Magos que vna eſtrella de gran craridad de lueñe los aduxo à Terra Santa. Catad noſea eſtà aquella profecia: Catarán Reyes, è andaran en craridad de la ſua Natiuidade. Otroſi catad non perſigades alque forades tenudos mucho honrrar, è recebir de buen talante: mas faced loque tuuieredes por bien guiſado. Nos vos decimos, que nin por conſejo, ni por noſtro aduedrio veniremos en conſentimiento de la ſua morte; ca ſi lo ficieſemos, luego ſeria nuſco aquella profecia que diz: Congregaronſe de conſuno contra el Señor, è contra el ſuo Meſſias. E damos vos eſte conſejo maguer que ſeades homes de mucho ſaber, que tengades grande afincamiento ſobre tamaña facienda, porque el Dios de Iſrael enojado con vuſco non deſtruyra ſegunda caſa de voſo ſegundo Templo; ca ſepades cierto cedo àde ſer deſtruyda. Epor eſa razon noſos antepaſados, quando ſalieron de captiuerio, ſiendo ſuo Capitan Pyrro, que embio Cyro è aduxo nuſco muchas riquezas que tollò de Babilonia el Año LXIX. de la captiuidade, è fueron recebidos en Toledo de los Gentiles, que hi moraran, è edificaron vna gran Aljama, non quiriendo voluer à Ieruſalem, otrauegada à edificar Templo, ca tuuieron por cierto auia de ſer deſtruydo otra vegada. De Toledo XIV. Dias del Mes Niſſan, Era de Ceſar XVIII. è de Auguſto Octauiano LXXI.

Comes *Morenſis* aliquantulum differt in tranſlatione huius Epiſtolæ, ab ea, quam tranſtulit *Quintana-Dueñas*. Comes tantum ponit: *Año* XVIII. *de Tiberio Cæſar.* Sed ferè eadem computatio eſt, nam additis XXXVIII. Annis Eræ, ad Annum XXXIII. Chriſti, omnes erunt LXXI. & XVIII. Tyberij emergentium, ita vt nulla ferè ſit diſcrepantia. Quatenus ad Epiſtolam ELEAZARI in Actis inſertam videndi Iulianus Toletanus in *Aduerſar. n.*476. & cæteri relati.

*An Eleazarus Archiſynagogus Toletanus?*

Quod iſte S. ELEAZARVS Archiſynagogus *Toletanus*, fuerit *Diſcipulus S. Petri* Apoſtoli, & *Martyr* cum *Octo filiis* ſuis apud *Lugdunum Galliæ*; probat Iulianus in *Chron. Ann.*66. *n.*11. ſequenti periodo: *Lugduni in Conuenis* XXIII. Auguſti, *Anno* LXVI. ELEAZARVS *cum* OCTO *filiis*, *Diſcipulus S. Petri*; *prius* Toletanus *Archiſynagogus in Ieruſalem*, *ab illo conuerſus*, *fuit Martyr*. Eadem repetit in Aduerſar. *n.*261. & alibi, qui *n.*42. *fol.*11. eum *Toletanum* ciuem fuiſſe, *Ieroſolymam* miſſum *procuratorem*; poſt *Diſcipulum Principis Apoſtolorum*, cuius meminit S. Clemens *lib* 3. *Recognitionum* recenſet. Conueniunt ex Noſtratibus fere omnes ſuperius recenſiti. Hinc etiam Annum agonis S. Martyris & filiorum, ex ipſo textu Iuliani percipies, & quam vafrè Scriptores *Gallos* errare cognoſces, qui dicunt temporibus *Potini*, & *Irenæi*, ELEAZARVM, & filios agonizaſſe, vt inquit Sauſſayus in *Martyrolog. Gallic. h.d. fol.*541. vt etiam notauit Theophilus Raynaldus in *Indicul. SS Lugdunenſ fol.*214. imo & ipſe hallucinatur, qui Martyrum paſſionem ad *Annum Domini* C. LXXIX. reiicit. Quibus varietatibus exploſis, iam *Lugdunenſes* vlteriùs annum paſſionis ſuorum Martyrum percipient.

*Error apud Gallos Scriptores.*

*An eius iuſſione Paulus baptizatus?*

VNVM hic addere libet, quod de Noſtro ELEAZARO ſcriptum reliquit Iulianus Archipresbyter *Ann.* 44. *n.* 17. ſcilicet, quòd *B. Paulus* Apoſtolus fuerit ab *Anania* Damaſcenorum Pontifice baptizatus, impulſu, & iuſſione ELEAZARI Noſtri. Eius verba recenſeo: *Hoc anno baptizatur* Helena *Regina Adiabenorum*, *&* Rachates *filius eius prædicatione Pontificis Annaniæ Damaſcenorum. Qui* S. Paulum *baptizauit*, *iuſſione* ELEAZARI *Diſcipuli S. Petri*, *ex Annalibus Ieroſolymitanis*. At cùm Paulus ex hac relatione fuerit ſacro latice tinctus iuſſione ELEAZARI, *Diſcipuli Petri*; & *Petrus* nullum alium habuerit *Diſcipulum* huius nomine vocitatum, niſi *Archiſynagogum Toletanum* Noſtrum, clarè patet *Paulum* Apoſtolum baptizatum iuſſione ELEAZARI Noſtri origine, *Lugdunenſis* paſſione.

B. S. FABIANVS *Epiſcopus Braccarenſis Confeſſor.*] Habuit Deceſſorem *S. Serenianum*, cuius meminimus ſupra *Tom.* 1. *Die I. Februar. fol.* 15. & Succeſſorem *S. Narciſſum*, de quo & Nos ſupra *Tom.* 2. *Die XVIII. Mart. fol.* 293. *lit. B.* ex Iuliano





Archipresbytero Toletano in *Chron. n.*80. his verbis: *Floret memoria* S. FABIANI *Epiſcopi* Braccarenſis, *ſucceſſoris* Sereniani, *qui ſucceſſit Polycarpo. Obiit* X. Kalend. Septembris, *Anno* CC. L. *ſucceſſit* Narciſſus *illi*. Sed nequaquam immediatè, nam vt ex Actis *Narciſſi* conſtat, iſte ſucceſſerat *Caledonio*, & is *Secundino*, qui ſucceſſit *Grato*, & iſte *Felici*, immediato ſucceſſori *S. Fabiani* Noſtri, vt patet ex *Catalog. Epiſcopor. Braccarenſ. n.* 6. & ſeqq. ab *Acuña* confecto; & in Hiſtor. *Braccarenſ. Tom.* 1. 1. *p. c.* 33. *fol.* 146. Hactenus eius nomen ignoratum à *Braccarenſibus*, & nondùm in *Tabulis Eccleſiaſticis Sanctorum* recenſitum; ideò eius *Acta* periere; ideo tantùm hac relatione contenti, ad vlteriora progredimur. *Scriptores.*

C. S. LVPVS *Martyr Foro-Flauicanus in Gallæcia.*] De eo Græcorū *Menologium*, à quo *Romanum Martyrologium Baronij* h. d. ſequenti elogio: *Item* S. LVPI *Martyris, qui ex ſeruili conditione, Chriſti libertate donatus, martyrij quoque coronâ dignatus eſt.* Conueniunt Martyrologia *Caſtellanum* P. Dionyſij Vaſq. *Luſitanum* P. Ioannis Lup. *Italum* Conſtantij Felic. & *Hiſpanum M S.* P. Ieronymi Higuer. Apud quæ nulla de loco martyrij memoria extitit. Illam patefecit Iulianus Archipresbyter Toletanus *in Chron. Ann.* 300. *n.* 138. his verbis: FORO-FLAVICANI, *quod Oppidum in* Gallæcia *nunc* PONS-VEDRVS *dicitur*, S. LVPI *Martyris*, *qui ex ſeruo libertus Chriſti factus*, *multa tormenta pro Chriſti confeſſione pertulit.* Quis iſte LVPVS fuerit nondum diuino. Nec eundem ipſum fuiſſe crediderim, cuius meminit Flauius Dexter in *Chron. Ann.* 100. apud Biuar. *Comment.* 2. *num.* 9. *fol.* 204. Roder. Car. *fol.* 56. *lit. X.* quia ille Diſcipulus S. Pauli Apoſtoli; iſte ex ſeruili conditione, Chriſtiana libertate donatus. Nec *Paulus* niſi *Oneſimum* hîc qualitate cognitum, alium ſub ferula fidei recepit: ergo Noſter ab illo diuerſus. Proculdubio errauit Biuarius *d. n.* 9. *fol.* 204. confundens *Diſcipulum Pauli* cum hoc *Foro-Flauiano* Martyre, quia vt ex *Iuliani* computo elicitur, hunc occubuiſſe credendum erit, in Diocletiani, & Maximiani Imperatorum perſecutione, iuſſu Datiani Præſidis Hiſpaniarum ad Annum CCC. quo illum *Iulianus* conſignat. Ille verò, ſi Martyr, ad Annum C. tempore Trajani. In meo Codice M S. Carminum *Auli Hali* Exaſtichon inuenitur, epitaphij ordine Scriptum, hoc lemmate.

*Martyrologia.*

*Scriptores.*

PRO S. LVPO MARTYRE
Gallæciæ Exaſtichon.

*Epitaphium.*

*Continet hoc ſaxum* LVPPI *iam Martyris oſſa,*
*Conditione* δοῦλος, *qui fide liber erat.*
*Huncque* Flauicanum *conſpexit iugula falci*
*Subdere conſtanter, quô capit aſtra, Forum.*
*Præſidis* Hiſpani *contempſit barbara prorſus*
*Decreta, & Chriſto ſeruus adhæſit amans.*

Δοῦλος vox Græca, quæ Latinis ſonat *Seruus*: & quia B. Martyr huius fuiſſet conditionis, ideo Poëta vtitur voce illa ob carminis proſodiam. Eius ACTA hîc compaginare decreui, ſic:

## *ACTA S. LVPI MARTYRIS*
## *Foro-Flauicani in Gallæcia Hiſpaniæ, ex Iuliano, & aliis.*

LVPVS *conditione ſeruus, temporibus Diocletianicæ perſecutionis pro Chriſti fide, cui nomen dederat, comprehenſus apud Oppidum* Gallæciæ *in* Hiſpania, *cui* Foro-Flauicanum *vocabulum erat, & ad Præſidem delatus, fortiſſimo cordis ſpiritu ſe Chriſtianum eſſe profitetur. Sed eius abiectiſſimam à iure conditionem exquirens, & noſcens, furore actus aduerſus Martyrem*

*Comprehenditur.*

*Coronantur.*

diuerſa cruciatuum decreta promulgauit. At S. LVPVS in Chriſti promiſſione ſuffultus omnia illa Iudicis mandata contemnens, ceruices ſubdere conſtanti libertate diſpoſuit. Tunc Præſes poſt varia cruciamina ſatellitibus, vt eius caput è corpore ſepararent, præcepit. Ita factum, & ſpiritus ad æterna cœli culmina properauit, X. Kalendas Septembris, Anno Domini CCC. imperantibus Diocletiano, & Maximiano. Eius Corpus in eodem Oppido ſepultum ibidem requieuit.

*Topographia.*

En ACTA quæ potuimus ex Noſtris Scriptoribus congerere; cætera Deus ſcit, qui forſan ea ſuo tempore dabit ad maiorem ſui Martyris honorem. Nec de Oppido FORO-FLAVICANO aliquid in antiquis Scriptoribus Geographis inuenire potuimus. Idem Iulianus d. n. 138. aſſerit, eum inter Oppida Gallæciæ connumerari, dicique PONS VEDRVS, quod & hodie PONTEVEDRA vocitatur. In eo aliquando & Nos fuimus, cum ex Tyde Compoſtellam, ad viſitanda S. Apoſtoli limina, tranſiremus. Oppidum diœceſis Compoſtellanæ ſatis populoſum, nobilitate conſpicuum, & concurſu gentium illuſtre.

*D. Martyrologia.*

S. SIDONIVS APOLLINARIVS Epiſcopus Aluernenſis in Gallia.] Celebris eſt eius memoria apud Martyrologos, vt notauit Molanus in Addit. ad Vſuard. h.d. Cuius elogium conſcripſit Romanum Martyrologium hac ſerie: Aruernis S. SIDONII Epiſcopi, doctrinâ, & ſanctitate conſpicui. Conueniunt Martyrologia Caſtellanum Vaſq. Luſitanum Lup. Hiſpanum MS. Higuer. & Italum Conſtant. Felic. & recentiora Galeſinij, Maurolyci, Peregrinis, & aliorum, cum Gallicano Andr. Sauſſ. Tom. 1. fol. 541. Petrus Equilin. in Catalog. SS. lib. 7. c. 107. De eo S. Gregor. Turonenſ. Hiſtor. Francor. lib. 2. c. 21. & ſequent. & lib. 4. c. 12. lib. 6. cap. 7. & de Glor. Confeſſ. lib. 2. c. 2. Vincent. Bellouacenſ. in Specul. Hiſtor. lib. 21. c. 46. S. Antoninus

*Scriptores.*

Florentin. Hiſtor. tit. 11. c. 13. 2. p. Honorius Auguſtodunenſ. de Scriptor. Eccleſ. c. 92. Gennad. de Scriptor. c. 92. Ioannes Trithemius de Viris Illuſtr. cap. 173. Ex Noſtris Iulianus Toletanus in Aduerſar. fol. 47. n. 187. Don. Rodericus de Acuña Hiſtor. Braccarenſ. Tom. 1. p. 1. c. 63. fol. 267. Eius Acta ſcripſere Zacharias Lippeloo, & Cornel-Graſſis Hiſtor. SS. Tom. 3. fol. 535. Andreas Sauſſayus in Martyrolog. Gallican. d. fol. 541. Ioannes Sauarus in exordio Epiſtolarum S. Præſulis, quas Notis illuſtrauit. Ea ab ipſo petemus, quia genuina:

## *ACTA S. SIDONII APOLLINARIS, Præſulis Aruernenſis in Gallia, ex Ioanne Sauaro, & aliis.*

*Origo.*

GAIVS SOLLIVS APOLLINARIS SIDONIVS parentibus Aruernis, & illuſtribus fuit, Apollinare patre, Honorio imperante, Tribuno Notario, & Præfecto prætorio Galliarum, cognomine auo primo ſuæ gentis Chriſtiano, Præfecto prætorio Galliarum. Proauo iuxta inluſtri, Matre nobili, fratre germano, qui adoleſcentiæ annos ſub Fauſto Regienſi ſine vlla pudicitiæ labe tranſegit, patruis, patruelibuſque claris, & inſignibus natus eſt, Theodoſio Iuniore, & Valentiniano III. imperantibus, quo anno non liquido liquet: Quantum ex Aſterij Conſulatu coniicere licet, Flau. Antiocho, & Anitio Baſſo VV. CC. Coſſ. Nonarum Nouembrium die. Grandior factus, in diſciplinam traditus eſt ludimagiſtris celebribus; Euſebio, &

*Studia.*

Oëno: ſub quibus cùm ſtrenuam literis Græcis, & Latinis nauaſſet operam, tandem omni curâ, omnique ſtudio indulſit Philoſophiæ, Mathematicis, Iuriſprudentiæ, quibus rebus ante alios eruditior euaſit, varioque dictandi genere ſupergreſſus eſt, vel aſſertore aſſeſſore Flauio Nicetio V. C. & docto. Poëticam puer auſpicatus, tractu temporis in ea tantum profecit, vt mirâ facilitate, felicitateque verſus ediceret extemporaneos, plures tamen, & plerequeomnes non maiore ingenio, quàm curâ. His bonis artibus inſtitutus, ex ſchola,

*Militia.*

& ex ephæbis excedens, lege, & more maiorum militiæ nomen dedit, ſtipendiiſque perfunctus eſt, quibus emeritis ad vota tranſiit. Flau. Auiti ciuis Aruer



Aruernenſis, ex Aruernorum decreto ad Conſtantium Cæſarem Legati, pacis inter Theodoricum, & Ætium Patritij ineundæ medij, & interpretis, Ter vtriuſque militiæ Magiſtri, Quaterque prætorio Galliarum Præfecti, poſtea

*Matrimonium.*

Petronij Maximi A. ad Regem Theodoricum II. Legati ad extremum, Maximo à Romanis diſcerpto, Conſulis, & Imperatoris filiam, Pampianillam nomine, Ecdicij poſtea Patricij, & Agricolæ viri ſtrenui ſororem, in vxorem duxit, cui in dotem datum, Auitacum, coluit, & excoluit, in quo cum vxore concorditer ſine lite vixit, liberoſque ex ea ſuſcepit vtriuſque ſexus Apollinarem filium, quem domi ſuæ paternis documentis informauit; Roſciam filiam in auiæ, amitarumque indulgentiſſimo ſinu dedit alendam, & cum ſeueritate nutriendam; Seuerianam etiam dubiæ valetudinis, & febricitantem.

*Mores.*

Erga ſuos affectus benè affectus, blandus pater, concors maritus, clemens dominus, homo quietus, frugi & diligens pater familias rem domeſticam curauit, ſui parens, in egenos prodigus, alieni non appetens, pius & religioſus, magni conſilij, viuacis ingenij, geniique ſubtilis, & acuti, fautor non ſtudiorum modò, verum etiam ſtudioſorum, quorum contuberniis delectabatur; veteris ſtudioſus elegantiæ, ita vt barbaricis incurſionibus obſoletæ, & penè antiquatæ, antiquæ facundiæ reductor, & reparator haberetur: non derogator,

*Exercitia.*

derogatores habuit, lautus, & humanus, dicax & hilaris, cætera modeſtus, adeò vt ex moribus cognomen acciperet. Pilâ ad primè delectabatur, & obluctabatur, teſſeriſque, quibus cum Theodorico Rege Gothorum luſit, interque ludendum, aliquid obſecraturus impetrauit: erat enim ei maximè familiaris, vel ex eo quod Theodoricus Rex, Auito ſumendi imperij conſilium dedit, & copias præbuit auxiliares, vt in Heſperium Imperium connitentibus Gallis, & annuente Senatu leuaretur Auitus. Theodoricianæ formæ quantitatem, vitæque qualitatem, & penitiſſimas actiones, elegantiſſimâ ad Agricolam deſcripſit Epiſtolâ; luſitque carmine non ineleganti, in elegantiam formæ Reginæ Ragnachildæ, Theodorici vxoris, quod Ennodius conchæ argenteæ argentarij cœlo incidendum curauit, & Reginæ obtulit. Cumque Maiorianus à Leone Orientis Imperatore, in Occidentis imperium adſcitus fuiſſet, Ricimeris Magiſtri militum, & Patricij ope, cuius inſidiis Auitus Auguſtus indignationem Senatus incurrit, Româ abiit, Placentiam ſeceſſit, & ſe captus, & coactus

*Maioriano Aug. infenſus.*

abdicauit imperio: mox in Gallias Maiorianus, quæ imperij faſcibus Auitum accinxerant, procinctum mouit, vt Gothos abigeret ex vrbibus Romanæ ditionis, quas Auiti conniuentiâ, ſeu veriùs conhibentiâ Theodoricus occupauerat, Lugdunum obſedit, in eaque obſidione SIDONIVM Auiti Auguſti generum, & Theodorici familiarem, infenſum habuit, & inimicum: qui, Lugduno dedito, fugatiſque Gothis, captus, ſeruatuſque fuit, hortatu Petri, Magiſtri epiſtolarum, qui eum ex hoſte publico, priuatum amicum inſinuauit Maioriano, cui illicò Maiorianus, ius ciuitatis ademptum, reſtituit; huicque

*Poſt amicitia deuinctus.*

patriam reddidit, & illum patriæ, cenſumque trium capitum remiſiſſe crediderim, quod ab eo acuto Epigrammate poſtulauit, illique poſt Nouem Menſes ab Imperij die, Kalendis Ianuarij, Conſulatum auſpicanti incomparabili Principi, eidemque Conſuli comparabilem Panegyricum dixit, & in Petri Magiſtri ſcrinij librum, ſubitò inter epulas prolatum, carmen non inſipidum ſubitus effudit, ob quæ, & alia præclara poëmata, tunc temporis

*Illi ſtatua erigitur.*

D.D. Leo, & Maiorianus A A. Senatu petente, illi ſtatuam laureâ Apollinis coronatam, in Foro Diui Trajani erigi, collocarique iuſſerunt; tantumque fidei SIDONIO concreditum, vt illo conſiliante pacis pactionem cum Theodorico Maiorianus pepigerit: poſteaque vocatum ad epulum, quod Quinquennalibus ſuis edebat, menſæ Auguſtæ ſacris admotum, Comitis eſt honore dignatus. Quid Quadriennio Seueri Auguſti egerit, nihil aliud ſcitur, præterquàm quòd literatis literis adſiduè vacabat, & acer, atque alacer Aruerniæ vindex, illam à Barbarorum aſſerebat incurſibus, cùm crebris rerum,

*Officia.*

Regumque motibus Galliæ verſarentur, & vexarentur. Tandem Anthemij ſumentis imperium Legatus Aruernorum euocatoria accitus Romam venit,

*Quæ geſſit Romæ.*

*Apoſtolorum liminibus affuſus de via laſsitudinem, & omnem animi ſenſit exploſum eſſe languorem. Interuenit nuptiis Patricij Ricimeris, & Aſcelæ filiæ Anthemij Principis, quâ feſtiuitate decurſâ, Pauli Præfectorij laribus exceptus, comiter hoſpitalitatis officiis excolebatur. Gennadij Auieni, & Cecinæ Baſilij Virorum Conſularium amicitiam ſibi conciliauit, ſeruatâque Auieno, vt Seniori, reuerentiâ, domum Baſilij frequentauit, vt Auernæ Legationis officio defungeretur, cuius conſilio, remiſſa aliquantiſper legatione. Anthemio II. Conſuli Panegyricum dixit, cuius occaſione Præfecturam Vrbanam adeptus, in ea verſatus eſt optimè, & ideo ſtatuâ vt Præf. Vrb. donatus. Anno ſequenti Marciano, & Zenone Coſſ. cùm Aruandus Galliarum Præfectus nouas res moliretur, & ex decreto Narbonenſium reus poſtularetur maieſtatis, Aruando confeſſo, confoſſoque ſe ſuæ confeſsionis gladio, vſque ad aras in amicitia perſtitit, mortemque vt Anthemius in exilij pœnam commutaret, obtinuit.*

*Amicis, & patriâ addictiſsimus.*

*Amicis erat addictiſsimus, adeòque ſollicitus, vt eis omnia tuta timeret, eorumque vita carentum, æque vt incolumium reminiſceretur. Supra omnia patriam diligebat, & venerabatur, quæ cùm Seronato labefactaretur ingruente, Ecdicium ſororium ſuum inuitauit, vt Aruernis opitularetur, eò quippè liberi populi libertas redacta erat, vt ſi procellis Seronati ſerenitas Anthemij non occurreret, patriam dimittere, vel libertatem amittere ſtatuiſſet, quod Deus auertit, capto ab Aruernis Seronato læſæ Maieſtatis reo, qui Romam deſtinatus, & addictus capite plexus eſt.*

*Aruerniæ infulam induit.*

CVMQVE *variâ dignitate faſtigiaretur, à Tribunali, diuino Numine, raptus ad Epiſcopatum, Eparchio diem functo, Viro iuſto, & ſancto ſucceſsit, dignus tanto prædeceſſore ſucceſſor, ſtatimque poſt impactum reluctanti Sacerdotium, ſeculi dignitates Apollinari filio ſuo reliquit hæreditarias: Poëticæ renuntiauit, proſario opere ſe exercuit, vt ſeria tractaret, cæleſtium ſcripturarum myſteria rimaretur, & ſe totum his ſtudiis manciparet, vt quò ſe ſtudioſius imbueret, eò doctrinam copioſiùs infunderet, in qua quidem Theologiæ diſciplina ſic animum excoluit, vt de difficilioribus ab Arbogaſte viro illuſtri Franco, & ab Eufronio Auguſtodunenſi conſuleretur Epiſcopo. Circaque ſui Præſulatus initia, Bituricas ſuo Pontifice viduatas, decreto Ciuium petitus aduenit, & ex communi Epiſcoporum conſenſu, qui ad eligendum Epiſcopum conuenerant, in* SIDONII *arbitrio poſita fuit libera, quem vellet, eligendi poteſtas, ſicque Virum ſpectabilem Simplicium Bituricenſem ciuem, in locum Eulodij creauit Aquitanicæ primæ Metropolitanum, concione ad Agræſium Sennonenſem, collegas Epiſcopos, & populum, cuius electioni, quòd ei honorificè ceſsit, omnes acquieuère.*

*In epiſcopatu exercitia.*

*In Epiſcopatu ſuo præclare ſe geſsit, in ieiuniis, & orationibus aſsiduus, vnde male ſe habuit, erga mendicos effuſus, & vnicè liberalis, argenteæ ſupellectilis vaſa egenis erogabat, vt Papianilla vxor reſciens illa, dato precio, repeteret. Cumque graui fame Burgundi fatiſcerent, & cæli ſolique ſui profugi terras peruagarentur alienas, vt ſtipe collectitiâ victitarent, quatuor egenorum Millia, cum Ecdicio ſororio ſuo, communibus votis, & opibus aluit.*

*In Arianos ſæuitia.*

*Doctor Catholicus, & Romanus Prædicator, egregius Chriſtianæ fidei propugnator, & expugnator Arianæ hæreſis, liberrimo ſpiritu iu Euarigem potentiſsimum Regem Arianum, palam inuectus eſt, cuius deſpectâ rabie, quâ crudeliter in Epiſcopos ſæuiebat, vitæ lubricum eſt expertus. Redux deinde in Aruerniam, vt Eccleſiam conſecraret quam condiderat Elaphius Ruthenenſis; totus Dominicis officiis incubuit, diœceſim luſtrauit, librumque Liturgicum concinnauit, quô paſsim in Gallia poſteri diù ſunt vſi Pontifices. Rogationes à Mamerco Viennenſi Epiſcopo inſtauratas, primus Epiſcoporum Galliæ ſummâ religione recepit, & in Aruerniam induxit: quibus aſſueti incolæ Gothorum cuneos, cædem, flammamque pertentantes, ſæpe ſæpius auerruncarunt.*

*A Gothis relegatur.*

*Tamen diuino permiſſu Aruerniâ à Gothis demùm occupatâ, ab his per legationis ſpeciem relegatus inclytus Antiſtes, aliquandiu exulare coactus eſt. Tùm ſuis, Dei munere, tandem redditus, cùm in officij curam intentus, nullam inter Barbaros optimi*

*Paſtoris*



*Paſtoris partem omitteret, ac ſingulari in omnes benignitate, præcipuâ in egenos munificentiâ excelleret, neminem laceſſeret: æmulorum tamen in ſe odia, ipsâ ex beneficentiâ concitauit, duorum ſcilicet Presbyterorum, qui Virum Dei per ſummam contumeliam exutum omni Eccleſiæ ſuæ poteſtate, in magnas rerum anguſtias coniecerunt.*

*Vltio diuina in eius æmulos.*

*Sed non diù inultam eius iniuriam, diuinâ prouidentiâ ſuſtinuit. Si quidem Presbyterorum vnus, cùm in Chriſtum Domini manum mittere minaretur, extinctus eſt. Alter mox à* S. SIDONII *glorioſo occaſu, cùm Epiſcopatum ambiret, euocatus per viſum ad diuinum tribunal; infelicem animam expuit in conuiuio. At ante hanc poſtremam vltionem,* B. SIDONIVS *in integrum reſtitutus fuerat, nec tamen diu ſuperſtes manſit. Hunc enim diſtentum curis Epiſcopo dignis, febris lethalis corripuit: cumque ad extrema deueniſſet, cæleſti irradiatus lumine prænuntiauit, qui longè aberat, de quo nemo penitus cogitabat, ſibi ſucceſſurum, Aprunculum nempè, religioſiſsimum tunc Epiſcopum Lingonenſem, at mox futurum, Burgundionum inſectationibus, extorrem, ita per Diuionenſem murum demittendum, vt fugiens, Aruernam petere cogeretur; quod vaticinium ex rerum ſerie impletum eſt.*

*Moritur.*

*Demum igitur Vir diuinus cùm vixiſſet annos circiter* LVI *tribus tranſactis Olympiadibus, quas in Dei intenſiſsimo famulatu, Eccleſiæque vigili curâ expendit, dictis, ſcriptis, actis clariſsimus, gratiæque dotibus illuſtris, ac meritis iuſtitiæ, & pietatis cumulatus, ad cæli præmia euolauit* X. Kalend. Septembris, *Anno Domini* CCCC. LXXXIV. *vel circiter Zenone imperante.*

*Pars Corporis delata ad Hiſpaniam.*

*Cuius funus in Eccleſiam S. Saturnini illatum, ibidem Corpus ſacratum ſepultum fuit, donec poſtmodum multam exuuiarum partem ad* Hiſpaniam *apud* Braccaram Gallæciæ *Metropolim tranſlatum fuiſſe, antiquorum, & recentiorum celebritas perſuadet: vbi miracula quotidie paſsim ſacrarum Reliquiarum contactu, ab incolis experiuntur.*

Hæc ſunt tanti Præſulis ACTA, quorum relationem, qui illuſtratam deſiderat, adeat *Ioannem Sauarum*, qui minutatim eius minimas partes, ex ipſis operibus S. Præſulis, & aliorum mirabiliter exornat. Qui etiam Epitaphium S. Viri ex *MS. Cluniacenſi*, huiuſmodi recenſet.

*Sanctis contiguus, ſacroque Patri,*
*Viuit ſic meritis* APOLLINARIS,
*Illuſtris titulis, potens honore,*
*Rectus militiæ, forique Iudex,*
*Mundi inter tumidas quietus vndas,*
*Cauſarum moderans ſubinde motus,*
*Leges barbarico dedit furori.*
*Diſcordantibus inter arma Regnis,*
*Pacem conſilio reduxit amplo,*
*Hæc inter tamen, & philoſophando*
*Scripſit perpetuis habenda ſeclis,*
*Et poſt varia dona gratiarum,*
*Summi Pontificis ſedens cathedram,*
*Mundanos ſoboli refundit actus.*
*Quiſque hîc dùm lachrymis Deum rogabis,*
*Dextrum funde preces ſuper ſepulchrum,*
*Nulli incognitus, & legendus Orbi,*
*Illic* SIDONIVS *tibi inuocatur.*

 Quatenus

*Corporis aliquot exuuiæ Braccarã tranſlata.*

Quatenus ad *Tranſlationem* ſacrorum pignorum *Aruerniâ Braccaram* in Hiſpania, textus eſt expreſſus Iuliani Archipresbyteri Toletani in Aduerſar. *d. numer.* 187. *fol.* 43. agens de itinere confecto cum *Bernardo Toletano* Primate per *Gallæciam*, & tractum *Braccarenſem*, & proſequitur. *Et rediens ad* Caſtellam, *in itinere audiui* Corpus *eſſe* S. APOLLINARIS, *& doctum, fuiſſe percepi* SIDONIVM APOLLINAREM, *Epiſcopum* Aruernenſem, *cuius feſtum agitur* XXIII. Auguſti: *Cuius bona pars* CORPORIS *illùc adlata eſt.* Cui conſonat *Carmen* vetuſtum in meo *M S. Hali*, hac ſerie:

> Braccaris *emiſit ſacras Aruerna* SIDONI
> *Præſulis exuuias, quas veneratur amans.*
> *Tranſtulit illa pius* Caſtinus *pignora Præſul,*
> *Ipſe per* Aruernos *dùm venit vltro lares.*
> *Pontificum iuſſu Romam perrexit Iberæ,*
> *Vt canones Papæ Conciliique ferat.*

*Quis illa tranſtulit, & quo anno?*

Hinc colliges, qui fuerit quis ſacra pignora detulit, ſcilicet eum fuiſſe *Caſtinum* Epiſcopum *Braccarenſem*, qui vixit in Epiſcopatu ab Anno CCCC. XCIV. ad Annum Domini D. XXIV. vt ex Iuliano Toletano in *Chron. Ann.* 494. *n.* 258. qui etiam cauſam itineris *Caſtini* Hiſpaniâ Romam recenſet, colligitur. De SIDONII igitur ſacris lipſanis apud *Braccaram* adſeruatis, & cultu debito veneratis, agit Gaſpar Aluarez Louſa in *Relationib. MS.* apud D. Roderic. de Acuña *Hiſt. Braccarenſ. d. Tom.* 1. *p.* 1. *c.* 63. *n.* 3. *fol.* 268. licet ipſe *Acuña* credat, illa ſacra pignora, quæ ad Oppidum, cui nomen VRROS ad æſtuaria Durij fluminis, in tractu *Braccarenſi* prope Oppidum *Moncoruo*, eſſe alterius APOLLINARIS Martyris illius prouinciæ accolæ: quia procul dubio fallitur cum vanis rumoribus oppidanorum, qui confundunt APOLLINAREM Aruernenſem Præſulem Confeſſorem, cuius exuuias tranſtulit *Caſtinus* Braccarenſis, cum *Calabrienſi* Martyre, qui nec Epiſcopus fuit, nec Gallus origine, ſed ciuis *Calabrenſis*, & Hiſpanus ortu, & agone, vt infra probabimus, Deo annuente, *Tom.* 6. *Die IV. Decembris lit. A.*

*Apollinaris Calabrienſis Martyris oſſa apud Vrros Oppidum Portugalliæ.*

E. *Martyrologia.*

S. MAXIMVS *Presbyter, Martyr Romanus.*] De eo & ſociis agunt hoc die Venerabilis *Beda* in Martyrologio, Baronius in *Romano*, vbi hoc elogium: *Apud Oſtia Tyberina SS. Martyrum Quiriaci Epiſcopi*, MAXIMI *Presbyteri*, *Archelai Diaconi, & ſociorum, qui ſub Vlpiano Præfecto tempore Alexandri paſſi ſunt.* Conueniunt P. Vazquez in *Caſtellano*, P. Lupus in *Luſitano*, Conſtantius Felicius in *Italo*, & recentiores. Philippus Ferrarius in *Catalog. SS. Ital. h. d. fol.* 532. iſthæc ACTA recenſet.

### *ACTA S. MAXIMI PRESBYTERI, & Martyris Romani cum Sociis ad Oſtia Tyberina paſſi ex Philippo Ferrario.*

*Sanctorum mirabilia.*

MAXIMVS *Presbyter, & Archelaus Diaconus, vna cum Quiriaco Epiſcopo, Euſebio, & Concordio Presbyteris, Oſtiæ orationibus vacantes mira circa infirmos operabantur, quo tempore S. Hyppolitus Epiſcopus Portuenſis paſſus eſt, & Aurea Virgo Oſtiæ relegata fuerat. Nam dæmones ab obſeſſis corporibus expellebant, cæcos ad lumen reuocabant; ægros, & languidos à variis morbis liberabant. Cùm* MAXIMVS *& Archelaus quadam die ad Cenſorinum qui primus apud Vlpianum obtinebat, ob fidem Chriſti in carcere detentum, viſitandum veniſſent, in ipſo carceris ingreſſu catenæ omnes, quibus Cenſorinus conſtrictus fuerat, repente ſponte ſuâ ceciderunt. Quo miraculo Tribunus, & omnes milites carceris cuſtodes ad Chriſtum*

*Plures ab eis conuerſi.*



*conuerſi, aquâ luſtrali tincti ſunt. His & aliis ad Vlpianum Præfectum delatis, Vlpium Vicarium Oſtiam miſit, qui Chriſtianos Diis immolare recuſantes, diuerſo pœnarum genere interficeret. Illis itaque omnibus comprehenſis, ac fruſtrà minis à Chriſti fide deterritis* MAXIMVM *cum Sociis nudatum fuſtibus cædi, ac capite plecti iuſſit.* X. Kalend. Septembr. *Anno* CC. XXIX. *ſub Alexandro Imperatore.* MAXIMI *Presbyteri* Corpus *Romam delatum & in Cœmeterio ſepultum, ibidem quieuit, ad Annum vſque* M. D C. XXVIII. *quo* Vrbanus VIII. *Pont. Maxim. eius ſacra pignora* Hiſpanias *deferenda conceſſit, cum aliis Sanctorum Corporibus, R. P. F.* Ioanni ab Annuntiatione *ex Ordine SSS. Trinitatis Excalceato, qui illa* Madridium *remiſit, vbi à R. P. Generali Conuentui* Madridenſi *applicata, ibi honorifice quieſcunt, & coluntur.*

*Coronantur.*

*Transferuntur.*

Contraxit errorem (vt credo) Philippus Ferrarius in *Notul. ad Catalog. SS. Ital. fol.* 532. *h. d.* aſſerens corpus *S. Maximi* Presbyteri huius tranſlatum fuiſſe ad Eccleſiam *Parmenſem*; nam lipſana quæ iſthæc Eccleſia cuſtodit ſunt alterius MAXIMI *Militis, & Martyris* cuſtodis *S. Cenſorini*, de quo in Actis; qui vna cùm Tribuno ſuo ad ingreſſum in carcere SS. MAXIMI Presbyteri, & Archelai Diaconi conuerſus eſt, & poſtea ab eodem Vlpio Martyrio coronatus.

*An pignora S. Maximi in Parma.*

QVATENVS ad Tranſlationem ſacrarum exuuiarum Româ *Madridium*, ex conceſſione *Vrbani* VIII. PP. facta R. P. F. *Ioanni ab Annuntiatione* SSS. Trinitatis fratri Excalceato, eius aliquando Confeſſario, patet ex *Diplomate à* Nobis ſuperius recenſito.

# NONO KALEND.
## Septembris.
## DIES XXIV.

A. TELÆ *in Vacceis Hiſpaniæ* S. EVTHYCHII *Martyris, qui cùm primùm* Paulo *adhæſiſſet Apoſtolo, quo è viuis ſublato, poſtmodum* Ioannis *Apoſtoli quæreret magiſterium, eius doctrinam Diſcipulus exaudire promeruit, à quo in Gentium prædicationem dimiſſus innumeras peragrauit prouincias, donec* Hiſpanias *adiens, ibidem martyrio coronatus occubuit.*

B. *Apud Oſtia Tiberina* S. AVREÆ, *vel* AVRELIÆ *Virginis, & Martyris, quæ ſub Vlpio Præſide, imperante Alexandro martyrium compleuit. Cuius ſacra lipſana Româ* Madridium *tranſlata, honorifice in Conuentu fratrum SSS. Trinitatis Excalceatorum requieſcunt.*

NOTÆ.

# NOTÆ.

A. *Duo Eutychij Martyres in Hiſpania.*

SANCTVS EVTYCHIVS *Diſcipulus S. Ioannis Euangeliſtæ Martyr in Hiſpania.* ] Grauis inter Noſtrates inſurgit controuerſia circa huius S. Martyris locum palæſtræ, cùm duos huius nominis Diuos in *Hiſpania* paſſos commendent Chronographi; Alium apud TELAM in *Vaccæis*; alium apud GADES Inſulam in *Bæticis*; illum IX. *Kalendas Septembris*, ſcilicet hoc die; alium III. *Idus Decembris.* Noſtrum Diſcipulum *S. Ioannis Euangeliſtæ* paſſum ad *Annum* C. XII. *Gaditanum*, Militem tempore Decij ad Annum Domini CC. LII. De *Telenſi* hîc agendum, de *Gaditano* infra *Tom. 6. Die XI. Decembr. lit. A.* Igitur Græci in Menologio de S. EVTYCHIO *SS. Pauli, & Ioannis Apoſtoli Diſcipulo*, multa ſcripſere, à quibus *Petrus Galeſinus*, qui perperam paſſionem in *Græcia* conſtituit, motus vt ſæpius diximus, quòd eius *Græci* in *Horologio*, & *Menologio* meminerint, illum auſculta: *In Græcia* S. EVTYCHII, *Beati Ioannis Euangeliſtæ Diſcipuli, qui prædicationis causâ, multis peragratis prouinciis, & diuinâ eius prece, euerſis Idolorum Templis, in carcerem detruſus, verberibus affectus, & in ignem poſitus, ab omni periculo diuinitùs ereptus, ſanctè, mirificéque factorum gloriâ clarus, obdormiuit in Domino.* Martyrologium verò *Romanum* à Baronio correctum, verbum *in Græcia* Galeſini meritò expunxit, cùm apud *Horologia*, & *Menologia* tale verbum haut inueniretur, & ideò abſque loci aſſignatione ſequens elogium deſcripſit: *Eodem die*, S. EVTYCHII *Diſcipuli B. Ioannis Euangeliſtæ, qui ob Euangelij prædicationem in multis regionibus carceres, verbera, & ignes perpeſſus, in pace tandem quieuit.* Conueniunt Martyrologia *Caſtellanum* P. Vaſq. *fol.* 137. Luſitanum *P. Lup. fol.* 178. Sed licèt apud illos locus reticeatur agonis, illum patefecit Flauius Dexter in *Chron. Ann.* 112. his verbis: S. EVTYCHIVS, *S. Pauli Diſcipulus, ipſo prædicante, de feneſtra præcipitatus, & in vitam reuocatus (qui ſecutus eſt S. Ioannem Euangeliſtam)* TELÆ *paſſus in Hiſpania, completo martyrio, glorioſus migrat ad Dominum.* Hinc notabis hunc ipſum EVTYCHIVM eſſe cuius meminit S. Lucas in *Act. Apoſtolor. c.* 20. hac ſerie: *Sedens autem quidam adoleſcens nomine* EVTYCHIVS *ſuper feneſtram, cum mergeretur ſomno graui, diſputante diu* Paulo, *ductus ſomno cecidit de tertio cœnaculo deorſum, & ſublatus eſt mortuus; ad quem cùm deſcendiſſet* Paulus, *incubuit ſuper eum, & complexus dixit*: Nolite turbari, anima enim ipſius in ipſo eſt. *Adduxerunt autem puerum viuentem, & conſolati ſunt non minime.* De eo fuiſſe inſignem memoriam apud *Palentinos* iterùm Dexter *Ann.* 299. recenſet, ſic: TELÆ *in* Hiſpania *prope* Palentiam *Vaccæorum vrbem præualidam* S. EVTICHII *Martyris inſignis memoria.* Videndi P. Biuar. in *Not. ad Dextr. d. Ann.* 112. *numer.* 4. *fol.* 218. & *Ann.* 299. *num.* 1. *fol.* 315. Rodericus Caro ibidem *fol.* 62. *lit. L.* & *M.* & *fol.* 97. *lit. A.* Eius ACTA nullus congeſſit, illa coagulabimus ex Scriptorum floſculis:

*Martyrologia.*

*Scriptores.*

## *ACTA S. EVTYCHII APOSTOLORVM, Pauli, & Ioannis Euangeliſtæ Diſcipuli, Martyris Telenſis in Hiſpania apud Vaccæos, ex Flau. Dextro, & aliis Scriptoribus.*

*Origo.*

EVTYCHIVS *ex* Troade *vrbe* Achaiæ *ortus, cùm ad adoleſcentiæ florem attingeret, auditâ famâ* Pauli *Apoſtoli, qui per regionem illam Euangelij fidem populis prædicabat, eius audiendi doctrinam magnoperè vexabatur. Cùm ecce* Paulus *è Corintho* Troadem *perueniens, cœpit cum*



*cum doctioribus diſputare, & ſermonem inſtruere, quô Chriſti veram fidem, eiuſque diuinitatem edoceret.* EVTYCHIVS *deſiderio viſendi Apoſtolum protractus, domum, vbi erat diſſertatio habenda, cunctanter ingreſſus, & ad locum, quem occaſio permiſit, aſcendens, ibidem* Pauli *doctrinam audire curioſus occepit. Sed cùm intempeſtæ noctis ſpacium, ſermo Apoſtoli valde prolixus, & adoleſcentis languor ſomnum attraheret, illius vi prorſus oppreſſus, de tertio cœnaculo deorſum occidit; tunc*

*Ad Pauli concionem accedit.*

*Mœſto ſonuére beatu*<br>
*Atria, concurrit gemitu miſerata frequenti*<br>
*Turba videre locum, qui funere triſtis acerbo*<br>
*Lætitiam facturus erat.*

*E feneſtra cecidit, & occubuit.*

*Cuius rei ſucceſſus inopinatus Apoſtoli ſermonem intercludens, extra domum proſiliens,* EVTYCHIVM *mortuum inueniens, ſuper eum incubuit, & complexus, circunſtantibus dixit*: Nolite turbari, anima enim ipſius in ipſo eſt. *Tunc circunſtantes adduxerũt adoleſcentem, & viuum inuenerunt. Qui in poſterùm* Paulo *adhærens, eius Diſcipulus, & comes extitit indiuiduus. Sed demùm* Paulo *è viuis ſublato* Ioannem *Euangeliſtam inſecutus, eiuſque Diſcipulus factus, Euangelici ſermonis, prædicator effectus, ferè totius orbis regiones peragrauit, in quibus propter fidei prædicationem, carceres, verbera, & ignes perpeſſus, tandem* Hiſpaniam *peruenit, vbi ad vrbem* Telam *denique tentus, & ad Præſidis tribunal perductus, & in Chriſti confeſſione perſeuerans, conſummato martyrio, ſpiritum Deo reddidit. Cuius memoria multis ſequentibus ſeculis perdurauit. Occubuit igitur ſanctiſſimus Vir* IX. Kalend. Septembris *Anno* CXII.

*Vita reſtituitur.*

*Fit Diſcipulus Pauli, & Ioannis.*

*Moritur.*

ACTA ſic breui epilogo coadunata deſumere potuimus, quia prolixiora nequaquam nobis permiſit Scriptorum obliuio, aut temporum intercapedo. Nec eſt immorandum in qualitate martyrij, nam licet aliqui tueantur S. Virum non *Martyrem*, ſed *Confeſſorem* excidiſſe, alij per martyrium ſublatum contendunt. Quorum ſententiæ ex *Dextri* auctoritate adhæremus.

B. *Martyrologia.*

S. AVREA *Virgo, & Martyr Romana.* ] De ea *Romanum Martyrologium* h. d. ſequenti clauſulâ: *Apud Oſtia Tyberina* S. AVREÆ *Virginis, & Martyris, quæ ſaxo ad collum ligato, in mare demerſa eſt: cuius* Corpus *ad litus eiectum*, B. Nonnus *ſepeliuit.* Conueniunt *Caſtellanum* P. Vazq. *Luſitanum* P. Lup. *Italum* Conſtant. Felicis, & alia recentiorum. Cuius ACTA cum *S. Maximo*, de quo Nos die præcedenti egimus, communia fere ſunt. Cardinalis Cæſar Baronius in *Not. lit. C.* Aſſerit CORPVS apud *Oſtia Tyberina* aſſeruari. Philippus Ferrar. in *Annotat. ad Catalog. SS. Ital. fol.* 536. eſſe apud *Parmenſem* Eccleſiam, Nos vero apud *Complutum* in Monaſterio SSS. Trinitatis Excalceatorum, cui pignora ſacra donauit Generalis Religionis eiuſmodi, cum illa R. P. F. *Ioannes ab Annuntiatione* Vrbani VIII. Confeſſarius *Hiſpanias* remiſit, vnâ cum aliorum Sanctorum Martyrum exuuiis, quas abs eodem Pontifice Maximo dono acceperat. De quo pluries dictum eſt ſupra *Tom.* 2. *fol.* 45.

*Tranſlatio.*

# OCTAVO KALEND.

## Septembris.

## DIES XXV.

*A.* CORDVBÆ *in Bætica Hiſpaniæ* S. GENESII *Militis, & Martyris, qui cùm, vt Domino militaret, abiecto militari baltheo, Catholicum indueret thoracem, in prima apud* Hiſpaniam *perſecutione Neronis comprehenſus, nec à fide deſiſteret, ad gloriam egregius Agoniſta Chriſto loricatus adſcendit.*

*B.* ITALICÆ *prope Hiſpalim in Bætica* S. GERVNTII *ipſius Primi Vrbis Epiſcopi, qui cùm Apoſtolorum inſectaretur veſtigia, & in fidei prædicatione munus excoleret iniunctum, à ſatellitibus comprehenſus, & carceri mancipatus; tandiù horribilem ergaſtuli fœtorem ebibit, donec deficiente ſpiritu, incorporeum animi halitum ſuo obtulit Creatori.*

*C.* TARRACONE *in Hiſpania* S. MAGINI *Martyris, qui à ſeculi tumultibus alienatus, vitam in eremo tranſigebat angelicam, donec à Datiano comprehenſus, cæſus, & vltimo ſupplicio damnatus, illuſtrem triumphum, vitam amittendo, reportauit.*

*D.* PARISIIS *in Gallia* S. LVDOVICI *eiuſdem prouinciæ Regis, qui ex* B. Blancha Hiſpanus *exiſtens, terram virtutum oppleuit odoribus, poſtque in Ieruſalem pro Chriſti Domini ſepulchro liberando, variis expeditionibus conflatis, miraculis clarus, obdormiuit in Domino.*

*E.* *In Oratorio Marchionis Caſtri-Roderici Depoſitio ſacrorum pignorum* S. VINCENTII *Martyris Romæ paſſi, quæ cum aliis acceperat, cùm Regij Oratoris Romæ Officio fungeretur.*

NOTÆ.



# NOTÆ.

*A. Geneſij memoria Martyris Cordubenſis, cur hodie reponatur?*

SANCTVS GENESIVS *Miles, & Martyr Cordubenſis.*] Cùm eiuſdem Nominis plures in Eccleſiaſticis Tabulis reperiantur Martyres, cauſam hæc confuſio præbuit, ad hallucinandum Noſtratibus, in conſignatione diei agonis Noſtri Martyris *Cordubenſis.* Duos cùm ergo tantùm referat *Romanum Martyrologium*, alium *Romanum* archimimum, alterum *Arelatenſem* Exceptorem, illum *Die* XXV. *Auguſti*, & iſtum *eodem Die*, proculdubio alios inquirere omiſit antiquorum ignauia, ita vt *Cordubenſem*, abſque diei aſſignatione reliquerit. Noſtrum *Cordubenſem* quo igitur die paſſum ignoramus, ideo ad hunc diem cum *Duobus* à Martyrologio Romano recenſitis coniungimus, vt quæ vetuſtas intermiſſa deſpexit, Nos aliquantulum ſuppleamus. De GENESIO igitur *Cordubenſi* agit Luitprandus in *Chron. Ann.* 668. *n.* 112. his verbis: *Cordubæ; Toleti, & in aliis* Hiſpaniæ *locis celeberrima memoria eſt* S. GENESII *Martyris Hiſpani*, CORDVBÆ *paſſi in perſecutione ſæuiſſimâ Imperatoris Neronis.* Cui adſtipulatur Iulianus Archipresbyter Toletanus in *Chron. n.* 376. hac ſerie: *Dirutæ ſunt Ædes* S. GENESII, Hiſpani *Militis*, CORDVBÆ *paſſi.* Et in *Aduerſar. n.* 149. prolixiùs, ſic: *Toleti habetur in honore* S. GENESIVS *Martyr* Cordubenſis, *paſſus ſub Nerone.* Et *n.* 389. hac clauſulâ: *Frequens eſt* S. GENESII, *Militis* Hiſpani, & *Martyris, ad* CORDVBAM *paſſi, apud* S. Eulogium *Martyrem memoria.* Idem Iulianus expreſſius in *Aduerſar n.* 149. hac periodo: *Toleti habetur in honore* S. GENESIVS, *Martyr* Cordubenſis; *paſſus ſub Nerone: Cuius Corpus à Chriſtianis* Cordubenſibus, *adlatum eſt ex* Corduba Alacurrim, *& reuelante Domino* (lege, & reuelata Domino) *Imperatori* Adephonſo, *qui* Toletum *lucratus eſt; cuius causâ reſtituit Toleti* S. GENESIO *veterem Parœchiam. Celebratur* XX. Die Auguſti. (lege XXV.) *Dicitur* Hiſpanus *fuiſſe, & Miles Legionarius in Caſtello* Nutenenſi; *forte* Rutenenſi; vt inquit Biuar. in *Epiſtol. ad D. D. Laurentium Ramirez de Prado in Not. ad Luitprand. fol.* 346. quâ non ſolùm errorem dicentium GENESIVM iſtum *Cordubenſem*, eundem eſſe, ac ſocium *Anaſtaſij* Presbyteri, *Placidi*, & ſociorum, de quibus *Martyrologium Romanum* Baronij, *die X I. Octobris*, demonſtrat, ſed etiam gloſema in *Aduerſariis Iuliani n.* 326. quo confunduntur GENESIVS *Cordubenſis*, & ille *Mantuæ-Carpetanus Geneſius* ſocius *Anaſtaſij*, & ſociorum, patefacit. De quo & Nos plenis manibus infra *Tom.* 5. *Die X I. Octobr. lit. B.* Sancti Martyris ACTA nullus ſcripſit, ea damus ex munere.

*Scriptores.*

*Aliquorum error detegitur.*

## *ACTA S. GENESII MILITIS Legionarij, & Martyris Cordubenſis in Bætica Hiſpaniæ, ex Variis Script.*

*Origo, & militia.*

GENESIVS *natione*, Hiſpanus, *ex vrbe* Cordubâ Patritiâ *oriundus, à primo iuuentutis flore militiam ſecutus imperatoriam, ſagum induens ſub Aquilis militare cœpit, & inter Legionarios milites adſcribi promeruit. Erat enim corde Chriſtianus, & fide conſpicuus, nam licet inter tot Gentilium agmina toto vitæ ſuæ tempore verſaretur, nec eorum mores ebibit, nec à fide eorundem contubernio ſuſceptâ diſceſſit. Ad* Rutenenſe *Caſtrum tranſlatus, ibidem præſidiarium militem egit exterius, cùm intùs ad Chriſti ſui amorem raptus, eius miſericordiam piis precibus præſtolaretur aſſiduè. Per hæc tempora Neronis Imperatoris aduerſus Chriſtianos ſæua cœpit exardeſcere perſecutionis procella, quâ plurimi fideles variis cruciaminibus torti, coronas æternæ beatitudinis promeruerunt agone. Tunc Chriſtiani vndique profugi, vix in propriis vrbibus ſecuritatem, ab imminenti furore ſatellitum, inueniebant;*

*Perſecutio.*

*Capitur.* *Coronatur.* *Pignorum tranſlatio.*

*nam illorum rabies omnia penitus depaſcebat, maximè in* Hiſpania, *vbi Tyranni Principis placita Iudices profani ardentius exequi conabantur. Ergo* GENESIVS *huius occaſione in patriam redux, ibidem agonem, quem diffugerat adinuenit. Nam fidei cauſâ comprehenſus, cùm nec fidem deſerere, nec Diis thura litare voluiſſet, poſt varia tormentorum cruciamina, ad cælos martyrio coronatus aſcendit Die* XXV. Auguſti, *Anno Domini* LVII. *imperante Nerone. Cuius* Corpus *à fidelibus Conciuibus ſublatum, & in recondito loco conditum, ibidem per plura ſecula quieuit, ſupra cuius tumulum Eccleſia S. Martyri fuit erecta, & dicata, quâ aliqua SS. Martyrum* Cordubenſium, *tempore perſecutionis Arabicæ paſſorum pignora tumulata cognoſcimus. Poſtmodum regnante in Caſtella* Adephonſo *huius nominis* VI. *qui Toletum recuperauit, ſacra Sancti* GENESII *Martyris, Deo reuelante fidelibus, inuenta, Alacurrim tranſlata, & honorificè ſepulta fuiſſe lipſana, memoriæ proditum accipimus.*

ACTORVM huiuſmodi ecphraſis ex ſuperiùs relatis Scriptoribus educta conuenit cum relatione Epigrammatis *Cypriani* Archipresbyteri *Cordubenſis*, cuius apud me plura MS. huius hoc lemma.

## AD S. GENESIVM M. CORDVBENSEM, Ex Cypriano Archipresbytero.

CORDVBA *te genuit* GENESI, *poſt Martyr; & ipſa*
*Te quoque martyrio ſublatum nouit, & vrbem*
*Patritiam; naſcens, moriens, inluſtribus ornas*
*His titulis ſemper; quibus vnà, munere Chriſti,*
*Mœnia, ſanctificas; quibus hìc & nomine ſacras*
*Baſilicamque tuam, quæ prorſus Corpora Diuûm*
*Poßidet, & cineres retinet per ſecula ſacros.*
*Igitur vna fides potuit tibi limina cæli*
*Martyrio reſerare tuo, cùm ſæua Neronis*
*Arderet procella in Chriſti membra, ſecundo*
*Ipſius imperij anno; cùm tu Militis arma*
*Indutus, Aquilas ſequebaris, & agmina Regis*
*Impia, qui Chriſti cœpit abolere Tyrones.*
*Ergo tuos Martyr famulos, quos infida Mauri*
*Captiuitas tenet, ingens vis tueatur amoris.*

*Templum S. Geneſij Cordubenſe, ſepultura Martyrũ.*

Cætera iam ex *Scriptoribus* ſuperius relatis vidiſti. QVATENVS *Cyprianus* in Carmine meminit Baſilicæ S. GENESII Martyris ſuo æuo *Cordubæ* extantis, ibidemque aliquot *Corpora Martyrum Cordubenſium* in perſecutione Arabica occiſorum ſepulta fuiſſe fatetur, videndus S. Elogius in *Memorial. SS. lib.*2. *c.* 10. *n.* 14. qui de ſepultura *S. Lilioſæ* agens, proſequitur: *Requieſcit apud* GENESIVM *Martyrem* (id eſt in eius Baſilica) *venerabilis Lilioſa.* Et in *Apologet. n.* 19. vbi de corpore *S. Ruderici* ad ipſam Eccleſiam Martyris ſepulto. Et Raguel Cordubenſis *in Vit. S. Pelagij Martyris.* §. 7. inquit, Caput S. Martyris ſepultum in Eccleſia S. Cypriani, & *Corpus in Templo* S. GENESII. De *Tranſlatione* ſacrarum exuuiarum *Cordubâ Alacurrim* Hiſpaniæ, videndus Iulianus in *Aduerſar. n.* 149. Ramires *ad Luitprand. n* 112. *fol.*344. & Biuarius in *relat. Epiſtol. fol.* 346. Hîc etiam notandum, quod Baſilica S. GENESII Martyris *Cordubenſis*, reædificata etiam fuit à *Muzarabibus Cordubenſibus* ad Annum Domini DCCC. XCV. vt inquit ipſe Diaconus Ticinenſis in *Chron. Ann.*895. *n.*319. *fol.*434. his verbis: *Cordubenſes Muzarabes*

*Tranſlatio exuuiarum Corduba Alacurrim.*



*Reædificatio Templi S. Geneſij.*

*rabes ædificant intra vrbem Templum* GENESIO *Martyri, ibidem paſſo in perſecutione Imperatoris Neronis.* Quod & notauit D. Thomas Tamayo in *Not. ad Luitprand. fol.*218. & 219.

B. *Cultus apud Hiſpalenſes.*

S. GERVNTIVS *Epiſcopus Italicenſis, Martyr.* ] Optimo iure Eminentiſſimus Cardinalis Baronius in *Not. ad Martyrolog. Roman. h. d. lit. F.* miratur incuriam Noſtratum, qui prorſus ieiunè admodum de hoc *S. Martyre* ſcripſerunt. Sed antiquorum ignauiam ſuppleuit Illuſtriſſimus D.D. *Petrus de Caſtro*, Archiepiſcopus *Hiſpalenſis*, qui tanti Præſulis & Martyris memoriam ex vnanimi eius illuſtriſſimi Capituli conſenſu ſuſcitauit, ita vt in poſterùm *Officium* recitaretur de eo *diuinum*, hoc die, duplex ſecundæ claſſis in *Italica*, & in diœceſi *Duplex* commune, vt ex Roderico Caro in *Antiquitatib. Hiſpalenſ. lib.*3. *c.*13. *fol.*103. colligitur. Olim etiam eius cultus apud *Hiſpanos* meos communis erat, vt patet ex *Officio* & *Miſſa* in *Breuiario Muzarabi*, & *Miſſali* præſcriptis. Eius nomen in *Tabulis Eccleſiaſticis* ſcriptum reperitur, de quo *Vſuardus*, *Galeſinus*, *Bellinus*, *Maurolycus*, *Peregrinis*, & alij recentiores, pro omnibus *Romanum* Baronij hoc elogio: ITALICÆ *in Hiſpania* S. GERVNTII *Epiſcopi, qui tempore Apoſtolorum Euangelium in ea prouincia prædicans, poſt multos labores in carcere quieuit.* Conueniunt Martyrologia *Caſtellanum* P. Dionyſ. Vaſq. *fol.*138. Luſitanum *Ioann. Lup. fol.*179. Hiſpanum MS. *P. Ieronym. de la Higuer.* Italum, Conſtant. Felic. *fol.* 78. De eo Stephanus Garibay. in *Compend. Hiſtor. lib.*1. *c.*45. Ambroſius Morales *Hiſtor. Hiſpan. lib.*9. *c.* 36. Ioannes Vaſſeus *in Chron. Ann.* 206. F. Ioannes Marieta *Hiſtor. SS. Hiſpan. lib.*1. *c.*4. Ludouicus Nonius *in Hiſpan. c.*17. P. Biuar. *in Not. ad Flauium Dextr. in Chron. Ann.* 86. *fol.*179. *verſ.* Placuit. Rodericus Caro *Hiſtor. Hiſpal. d. lib.* 3. *cap.* 13. P. Antonius Quintana-Dueñas *Hiſtor. SS. Hiſpal. fol.* 226. D. Paulus Spinoſa *Hiſtor. Hiſpalenſ.* 1. *p. lib.* 2. *c* 4. *fol.* 39. Eius ACTA ſcripſere Alphonſus Villegas *fol.* 315. Baſilius Sanctorus *Tom.*2. *fol.*101. *col.* 2. F. Thomas Truxillo in *Theſaur. Concionator. Tom.* 2. *fol.*1556. Ea ſic damus.

*Martyrologia.* *Scriptores.*

## ACTA S. GERVNTII, EPISCOPI Italicenſis & Martyris ex Hymno Breuiarij Muzarabis, & aliis.

*Epiſcopus inauguratur.* *Vrbes Bæticæ perluſtrat.* *Capitur.* *Cruciatur.*

GERONTIVS Italicæ *vrbis Illuſtriſsimæ in* Bætica *Epiſcopus, temporibus Apoſtolorum, à quibus infulam promeruit*, Hiſpalenſis *Pontificis* Pij *nomine ſeculo floruit. Qui ſuæ diœceſis breues pertingens terminos, illoſque Apoſtolico more perluſtrans, fidei zelo, & doctrinæ eloquio recentem Eccleſiæ plantationem erigere, & nouis fidelibus augere, induſtriosâ perfectione, & profectione conatur. Igitur exantlatis ſuæ Sedis limitibus, cùm eius cordis ambitus maiora perluſtranda conquireret, plurimas* Hiſpaniæ *vrbes, maximè, quas per* Bæticam, *abſque Paſtoris ſolatio cognouit orbatas, felicibus peragrauit auſpiciis, tenebras Gentilitatis euertens, ab errore populos eripiens, & illos ad veram Dei veri cognitionem attrahere ſatagens. Multa tanto Pontifice digna in huius itineris occupatione perfecit; ſed inſtantibus ſui gregis periculis, ne dùm aliena procurat, domeſtica corruere deſinat*, Italicam *reuertitur, vbi iam iam vltima perfidi Neronis perſecutionis procella, nouis rigoribus ſuſcitata, vniuerſos Chriſti fideles, aut cruciatuum anguſtiis, aut martyriorum agonibus abſorbebat. Hinc captus Antiſtes à ſatellitum manu feroci; hinc propter fidei præconia raptus veritatis præco tenetur; hinc ad Iudicis profani horrendum tribunal perducitur, apud quem, cùm de Euangelica veritate, de Idolorum obſcænitate, & de cultus Deorum errore diſſereret, iuſſu furentis Iudicis in carceris ergaſtulum, non ſine verberum flagris, pugionum ictibus, & lapidum contuſionibus, truditur. Hîc quas S. Pontifex moleſtias in horrido ſpelæi pertulerit hiatu, quas ſitis, & famis anguſtias, ſolus ſcit Deus, qui Martyrem coronauit. Nam ibidem per temporis ſpatium prolixioris incluſus, inſolenti vinculorum more grauatus, ſic diù vixit fide plenus, donec*

*Coronatur.*

*animam ſuo traderet Creatori*, VIII. Kalendas Septembris *circa Annum Domini* LXVIII. *imperante Nerone. Cuius ſacrum* Corpus *in eodem ergaſtulo tumulatum, poſtmodùm datâ Eccleſiis pace, ibidem inuentum, & honorifice exaltatum, in* Templo *ſuo* Nomini *dicato ſupra ergaſtuli cryptam, conditum eſt. Ad cuius tumulum frequens Gothorum ſeculis fuit Gentium peregrinatio.*

Iſthæc ACTA genuina ex relatione ſacri *Hymni*, quem *Breuiarium Toletanum* Muzarabum deſcripſit, cuius copiam pro Eruditis in hiſce Eccleſiaſticis rebus damus.

*Sacratum Chriſti Antiſtitem,*
GERVNTIVM *Confeſſorem,*
*Dignis canamus laudibus,*
*Et celebremus vocibus.*
*Hic fertur Apoſtolico*
*Vates fulſiſſe tempore:*
*Et prædicaſſe ſupremum*
*Patris potentis Filium.*
*Quique dùm per Occiduam*
*Percurreret clarus plagam,*
*Tandem irâ Gentilium*
*Ad paſſionem trahitur.*
*Sed mox præcepto Præſidis*
*Nodis grauatur ferreis:*
*Horrendis vmbris carceris*
*Datur in ius carnificis.*
*Quem ferunt vinctum vinculis*
*Inter pallentes tenebras,*
*Raptam è ſacro Corpore*
*Dediſſe cœlo animam.*
*Sic inter Apoſtolica*
*Beatus iam conſortiá,*
*Gaudet cœleſti gloriâ,*
*Et clarâ Chriſti gratiâ.*
*Namque infulatus gemino*
*Fulget, & nitet præmio;*
*Sacerdotali titulo,*
*Et Confeſſionis ordine.*
*Gloria Patri perſonet,*
*Chriſtoque Vnigenito,*
*Cum Paracleto Spiritu*
*In ſeculorum ſecula Amen.*

*Quo tempore occubuit.*

Quatenus ad *tempus paſſionis* S. Præſulis, en tibi do *Epigramma* non inuenuſtum *S. Iſidori Hiſpalenſis* Eccleſiæ Epiſcopi, & Hiſpaniæ Doctoris, quod ad hunc Diem



Diem reſeruauimus, & inter MSS. eius carmina apud me in Codice MS. *Garciæ de Loayſa*, reperitur, cuius hoc lemma.

## DE S. GERVNTIO EPISCOPO Martyre Italicenſi.

*Hoc* Templum *tenet oſſa diù ſacrata* GERVNTI
*Præſulis* Italicæ, *qui fuit vrbis amor.*
*Hic & Apoſtolicum perauxit vomere germen*
*Chriſtiferaque Crucis, quâ fides alma cluet.*
*Denique ſub gladio pateris indigna Neronis*
*Supplicia, Antiſtes, carceris, atque famis.*

Quo Exaſticho patet S. GERVNTIVM occubuiſſe in perſecutione *Neronis*. Hinc elicies eius agonem eueniſſe circa Annum LXVIII. quo prolixior, & ferocior in *Hiſpania* perſecutio vigebat.

*C. Martyrologia.*

S. MAGINVS *Martyr Tarraconenſis.* ] Celebris fuit, & adhuc exiſtit eius memoria in *Romano Martyrologio* Cæſaris Baronij h. d. ſequenti elogio: *Tarracone* S. MAGINI *Martyris*. Conueniunt cætera recentiorum, maximè *Caſtellanum* P. Dionyſij Vaſq. *fol.* 138. Luſitanum P. Ioannis Lup. *fol.* 179. Hiſpanum MS. P. Ieronymi de la Higuer. & Italum Conſtantij Felicis *fol.* 78. De eo Flau. Dext. in *Chron. Ann.* 308. his verbis: TARRACONE *in Hiſpania* S. MAGINVS, *qui pluribus toleratis pro Chriſto cruciatibus, gaudenti animo, ad glorioſam martyrij palmam euolauit*. Vbi P. F. Franciſcus Biuar. *num.* 8. *fol.* 368. Rodericus Caro *fol.* 117. *lit. B.* Luitprandus in *Aduerſar. n.* 59. apud Ramires *fol.* 470. & apud Tamayo *n.* 54. *fol.* 15. hac ſerie: S. MAGINVS, *aliàs* MAXIMVS, *paſſus eſt* VIII. M. P. *à* Tarracone *in Monte* Palfuriano, XXV. Auguſti, *ſub Diocletiano, Præſide Hiſpaniarum Datiano, anno* CCC. II. *Fuit Ciuis* Tarraconenſis, *egit vitam eremiticam*. Petrus Antonius Beuter. *Hiſtor. Hiſpan. lib.* 1. *c.* 24. Ioannes Vaſſeus in *Chron. Ann.* 239. Pons Icartus *Hiſtor. Tarraconenſ. c.* 41. Ambroſius Morales *Hiſtor. Hiſpan. lib.* 9. *c.* 43. Antonius Vincentius Domenec *Hiſtor. SS. Cathalon. lib.* 1. *fol.* 78. F. Ioannes Marieta *Hiſtor. SS. Hiſpan. lib.* 2. *c.* 43. *fol.* 49. P. Ioannes Mariana *Hiſtor. Hiſpan. lib.* 4. *c.* 9. D. Franciſcus Padilla *Hiſtor. Eccleſ. Hiſpan. Tom.* 1. *Centur.* 3. *c.* 4. *fol.* 102. Stephanus Garibay. *in Compend. Hiſtor. Hiſpan. lib.* 7. *c.* 26. Ieronymus Pujades *Hiſtor. Cathalon. lib* 4. *c.* 56. *fol.* 195. Lanouius in *Chron. Minimor. Ann.* 1591. *fol.* 340. Biuarius in *Not. ad M. Maxim. in Chron. Ann.* 340. *fol.* 98. Eius ACTA Carmine ſcripſit *S. Orentius Epiſcopus Illiberitanus* S. MAGINI Conciuis, de quo & Nos ſupra *hoc Tom.* 4. *Die* VII. *Iulij. lit. A.* quæ quia à nemine recenſita hîc apponere curamus.

*Scriptores.*

## ACTA S. MAGINI EREMITÆ, & Martyris Tarraconenſis in Hiſpania, à S. Orentio Epiſcopo Illiberitano, ex MS. Codice.

*Da Pater Omnipotens noſtris conatibus vnum*
*Conſpicere auxilium, quo Sancti Martyris Acta*
*Carmine conſcribam; quem tunc Vrbs* Tarraco *fortem*
*In fide conſpexit Procerem per vulnera; cuius*
*Nomen erat* MAGINVS *Diuo; quem vnus & idem*

*Nomen.*

*Chriſtus*

Chriſtus amore ſui per tot cruciamina traxit
Martyrij ad palmam, quâ in thronum fertur Olympi.
*Locus Natiuitatis.*
Palfurianus ager Sancto conceſſit amœnus
Primæuos ortus, qui poſt ad tempora ductus
Maturæ ætatis, cùm Chriſtum in corde Magiſtrum
Noſceret, vt propiùs fidei documenta ſecurus
Cuſtodiret amans, in denſo culminis alti
*Fit Eremita.*
Antro ſeſe concludens Eremita frigore,
Fortius inuigilans, regulis ſacratis adhæſit.
Eſt locus inſignis nemorum circundatus atris
*Lucus deſcribitur.*
Syluarum truncis; quorum nec vertices vnquam
Curua ſecuris adhuc acies acuata totondit
Coloni trucis, qui nutu verberat herbas.
Greſſus compeſcit paſſim labyrinthus agreſtes
Ramorum pecoris Ductori, vimina tendens;
Contexenſque vepres, quibus exitus arduus errat.
Cuius & ambages nec prorſus lumina Solis
Nexibus obtortos, penetrarunt temporis vllo
Momento, linquens hirſuta arbuſta ſub vmbris.
*Situs ſpeluncæ.*
Nemoris in medio ſurgit cum colle ſuperbus
Æquoris, atque Eremi ſcopulus dominator, & index.
Huius in obſtruſis penetralibus, altus hiatus
Conſpicitur, prorſus lucis raritate verendus.
Hôc ſibi MAGINVS, Chriſto vt per tempora viuat,
Seculis ignotus lubens habitacula conſtat.
Igitur exiguo, curuoque foramine rupis,
Angelicam Diuus vitam ſic lætus agebat,
Quòd nullis prorſus pœnis premeretur acerbis;
Siuè die infauſti turbaſſent nemora Fauni,
Siuéque per noctem ſyluas agitaret Acheron.
*Perſecutio.*
Donec ad arma furor citatus concutit Orbem
Cæſaris, vt Chriſti aſſeclas exterminet omnes.
Igitur Imperij dimittens vltrò Diocles
Onus; & è viuis ſublatus munere Chriſti;
Filius eiuſdem Romanâ euectus in Arce,
Protinus aduerſus Chriſti commurmurat oues;
Et datis edictis, Sanctos ad Numina falſa,
Grandibus indictis pœnis, veneranda premebat.
*Hiſpaniam venit.*
Sacrilegum veniens noſtras poſt Cæſaris illud
Decretum; Præſes qui tunc dominâtur Iberam
In famulos Chriſti ſæuus conſurgit, & audax





Quotquot dira lues pertraxit, carceris antro
Tunc ſepelire iubet: Quorum qui Numen adorat
Diuorum, ſtatim vitam ſine vulnere defert.
At quibus in fide Diuini conſtantia Verbi
Roboris intulerat fruſtum per viſcera, ſæuos
Intorſit Præſes cruciatus verbere mixtos.
*Fama Magini.*
TVNC erat in totis vicinis viuida vicis
Conſtans fama diù, quòd plurima ſigna per vrbes
Conficeret, virtute Dei, MAGINVS, & ipſe
Chriſticolas omnes ſacris in ritibus vnà
Informare prece, & verbis, quibus vlcera fratrum
Sanabat ſine labe pius, queis robur adauxit.
Huius ſæuus adhuc depaſcere corda ſatelles
Concupiens, Diuum quærit per nemora, rupem
*Capitur.*
Aſcendit, Sanctum capit, hinc in carcere trudit.
Poſteà cum fremitu Almus ad cæleſte Tribunal
Præſidis educitur, qui dixit fulmine vocis:
Nobilis vt ſies, Auguſti decreta tenere
Debebas conſtans; Nam noſtras Cæſaris arma
Defendunt vrbes; Nobis quin recta miniſtrat
Legibus ipſe ſuis, quibus vnit nexibus Orbem.
Tu tamen ignota Hiſpanis cum dogmata fundis
Cordibus, atque hominum confundis viſcera, falſis
Prodigiis, quibus indomitos eludis Iberos;
Principis en Noſtri tu ſolus iuſſa rebellis
Conturbas ſacra, & Gentes euertis vt hoſtis,
Quòd vafra percipiant Crucifixi verba Magiſtri.
Igitur vt cunctis placeas, tu protinus Aram
Scande Iouis Magni, cui lætus thura litabis.
Sed ſi noſtra tuis deſpectibus, impie, ſacra
Hîc violare cupis, prorſus cruciatibus ipſam
Infamem vitam ſæuis cum corpore perdes.
Dixerat. Atque libens oculos ad ſydera vertens
Martyr, Præſidis hæc verbis reſponſa retorquet.
*Conſtans reſponſio Martyris.*
Eſt Deus in nobis Chriſtus. qui primus in vrbe
Iſacidum, Mundi ſepeliuit crimina fixus
In Cruce, qui Nobis tunc depulit horrida mortis.
Hinc timet hautquaquam nullus cruciamina Regum
Chriſticola; & tua nec mihi præbent, crede, timorem.
Ergo leuis mors hæc tua iam reputabitur, immò
Non mors horribilis, ſed vita ſuauis, & amans

Dicetur mihi; Hinc tu Præſes ad arma miniſtros
Conuoca, qui Noſtros lanient cum vnguibus artus.
*Vix benè deſierat, ſæuo illi vrgente furore,*
*Dentibus infrendunt malè clauſis auribus, illum*
*Arripiunt, magno ſacrati & ſanguinis æſtu*
*Iniecere feros ſceleratis cautibus ictus.*
*Capite damnatur.*
*Præſidis ergo furor noſcens tunc Martyris auſus,*
*Ad mortem deferre iubet, quòd cæteris arctet*
*Chriſtolis mors vna ſimul conamina mortis.*
*Vix ſenſum dixit decreti barbarus ille*
*Præſes, cùm ſubitò arripiunt cum murmure truces*
*Carnificumque manus Diuum, quem protinus extra*
*Extra vrbem ducitur ad ſupplicium.*
*Mœnia deducunt Vrbis, quæ* Iulia-Victrix
*Tempore dicta fuit necnon* Tyrrhenica *priſco.*
*Igitur hærentes illum rapuere cohortes*
*Horrificæ, manibuſque pium pedibuſque ligatum*
*Adducunt in Montis denſa cacumina celſi,*
*Martyris vt caput gladius mirabile cædat.*
*Hîc vbi carnificum peruenit Legio demens,*
*Sitibunda locum laticis cum murmure quærit,*
*Quoque ſitim frigido væſanam extingueret hauſtu.*
*Illis haut inuentis, Diui proſtrata repoſcit*
*Ad pedes, vtque ſiti ſuccurrat gurgite lymphæ.*
*Ille ſatellitibus parcens conamina in ipſum*
*Oratio ad Chriſtum.*
*Patrata, ad Chriſtum ſic ſupplex ore profatur:*
Chriſte opifex rerum, vitæ melioris origo,
Cui ſeruare animas, & iniquam vincere mortem
Pugnanti, laqueoſque datur abſoluere duros:
Quique potes quodcumque velis, miſerere fœrocis
Gentis aberrantis ſitiens & prona laborat.
Da precor illis aquam; da pòſt quoque cordibus illam
Rore tuô requiem, quâ noſcant lumina vitæ.
*Fontem ſatellitibus aperit.*
*Dixerat. Et baculi rupem conuerberat ictu,*
*Et ſubitò puro fluxit fons latice manans.*
*Quem vidit vt gens illa ferox, ad gurgitis vndas*
*Procumbens, æſtus prorſus reſtrinxit, & hauſtus*
*Ille ſuauis, traxit per membra ſoporem.*
*Tunc cecidere omnes, ſomnique tumore grauata*
*Corpora, planitiem complentque cadauera quaſi.*
*Martyr & in ſpecum veterem cum laudibus intrat;*
*Qui genibus flexus grates pro munere tanto*

*Retulit,*



*Retulit, & Chriſtum interpellat vocibus iſtis:*
*Reuerſus ad ſpecum orat.*
Nate Patris Summi, decus inuiolabile magni
Pectoris, ô Principes hominum, ſuperûmque creator!
Dux populi, humanam qui inferno à Principe gentem
Eripis, & patriæ perducis ad atria veræ!
Cur mihi Sancte Deus moriendi limina claudis?
Cur mea martyrij tantis conamina differs
Obicibus Pater eia meos (ſi placet) agones
Perfice: Nam morior languens, quòd tortor iniquus
Hîc mea crudelis rumpat iam viſcera flagris.
Te duce, nec timeo ſæui experimenta Tyranni.
Quid timor eſt? Nihil ille poteſt in mentibus altis.
Ergo mori cupio pro te, conuoco, noſtras
Audi Chriſte preces, nec auſus deſpice cordis.
*Vix ea fatus erat, cùm trux armata cateruа*
*Carnificum, ſomno excuſſo, per nemoris antra*
Maginvm *quærit, quem ſpecus in limine flexum*
*Tunc genibus vidit, in quem veſana cohortis*
*Coronatur.*
*Agmina cum fremitu inuadunt, & vulnere necant.*
*Ille necem ridens, vitæ ſpe feruidus ardet,*
*Atque inter mediam dans ſancta precamina, mortem,*
*Sedibus æthereis Domino obdormiuit in Almo.*
Magini *hæc noſtri ſunt Sancti Martyris Acta;*
*Qui in cœlis regnans, Nobiſque piacula quærit.*
*Hæc, præſtante Deo, direxi carmina Diuo,*
*Ipſe meos auſus, precor, & conamina parcat.*

Hactenus hiſtoria, à *S. Orentio Illiberitano* Epiſcopo S. Magino Martyri Conciui dicata, quam ex antiquitatis ruderibus primus *D. Garſias de Loayſa* eruit, à quo & Nos publicam facere curamus. Eius S. Martyris Acta copioſiora conſcripſit idiomate Hiſpano P. Antonius Vincentius Domenec *Hiſtor. SS. Cathal. lib.* 1. *fol.* 78. vbi plura miracula recenſentur.

*Topographia, & Conditor.*

Palfvriana. Oppidum eſt iuxta vrbem *Tarraconem* in *Hiſpania*, ab ea XVIII. M. P. diſtans, vt ex *Antonini Itinerario* apud Zuritam *fol.* 90. & in *Comment. fol.* 547. & apud Simlerum *fol.* 183. & in *Schol. fol.* 278. Illud perhibetur conditum à *Palfurio* Viro Senatorio, dùm ſub Claudio Imperatore venerat Prætor Tarraconenſis, ira Luitprandus in *Aduerſar. numer.* 59. P. Biuar. in *Not. ad Maxim. Chron. Ann.* 430. *n.* 3. §. 10. *fol.* 98. Hodieque dici Brvfagana, aſſerunt Pujades *d. lib.* 4. *c.* 53. & Domenec *d. fol.* 78.

D.

*Martyrologia.*

S. Lvdovicvs *Galliæ Rex, Confeſſor.* ] Eum fuiſſe origine, ex *Blanca* Matre, filiâ *Alphonſi Nobilis* VIII. huius nominis *Caſtellæ* Regis, *Hiſpanum*, nullus adhuc dubitauit, nec impoſterum dubitabit. Hinc ad eius deueniamus Elogia. Illius memoriam repetit h. d. Vniuerſalis Eccleſia, hac ſerie: *Lutetiæ Pariſiorum* S. Lvdovici *Confeſſoris, Regis Francorum, vitæ ſanctitate, ac miraculorum gloria illuſtris.* Conueniunt Martyrologia *Caſtellanum* P. Vaſq. *fol.* 138. Luſitanum P. Lup. *fol.* 179. Hiſpanum M S. P. Higuer. Italum Conſtant. Felic. *fol.* 78. Gallicanum Andreæ Sauſſ. *Tom.* 1. *fol.* 548. Franciſcanum *fol.* 366. Arturij à Monaſterio, &

 aliorum

*Scriptores.*

aliorum recentiorum. De eo ſcripſere Tillius in *Memor.* Belforeſtius *lib.*4.*Maior. Annal, Francor. c.*1. Theuetus in *Coſmograph. Tom.*2. *lib.*15. *c.* 16. Doubletus *Hiſtor. Abbat. S. Dionyſ. lib.*4. Fauynus in *Theatr. Honor. & Milit. lib.* 3. *fol.*582. & in *Hiſtor. Nauarr. lib.*5. *&* 6. Vvadingus *Annal. Minor. Tom.*1. *Ann.*1212. §. 59. Pariſius de *Geſt. Anglor. Ann.*1226. Meyerus in *Epitom. Hiſtor. Vniuerſal. lib.*2. *cap.*229. Bzouius *Annal. Eccleſ. Tom.* 13. *Ann.* 1213. *n.* 10. Spondanus in *Epitom. Ann.* 1226. & alij plures ab Artur. in *Martyrolog. Franciſcan. d. fol.*366. §. 1. *&* 2. cum ſeqq. Eius ACTA, & res geſtas, ſcripſit Gaufridus, Ianuillæus, Laſareus, Matthæus, Gazetus & alij, ſcilicet Clicthouæus, Vincentius Bellouacenſ. *in Specul. Hiſtor. lib.* 31. *c.*130. *& lib.*32. *c.*89. S. Antoninus Florentinus *in Summ. Hiſtor.* 3. *p. tit.* 19. *cap.*9. Henricus Sedul. *Hiſtor. Seraph. fol.* 604. Surius *Tom.* 4. *Actor. SS. fol.*136. Paulus Æmil. *Tom.*2. *de Regib. Francor. fol.*34. Ea damus:

## *ACTA S. LVDOVICI GALLIÆ Regis, Confeſſoris, ex Gaufrido, Ianuillæo, & aliis Scriptoribus Eccleſiaſticis.*

*Origo, & Parentes.*

LVDOVICVS *Francorum piiſſimus Rex, Patrem habuit* Ludouicum *huius nominis* VIII. *Chriſtianiſſimum Principem, qui in Albigeſio, & Comitatu Toloſano hæreticos oppugnauit. Matrem* Blancam, Alphonſi *Nobilis ipſius nominis* VIII. Caſtellæ *Regis, filiam, in Ordine Tertiam, agnouit. Patre igitur mortuo, ad Montem Penſerium, die X. Menſis Octobris, Anno ab Orbe redempto* M. CC. XXVII. *in eius locum* LVDOVICVS,

*Coronatio.*

*vti primogenitus ſucceſſit,* Rhemiſque *ab Epiſcopo Sueſſionenſi, quod Eccleſia Rhemenſis, tùm Paſtore orbata eſſet, Regiâ coronâ inſignitus, & conſecratus, annos natus* XII. *aut circiter. At puer ſanctæ indolis, ſtrenuiſſimo Patre orbatus, ſub tutelâ, & moderatione Matris* Blancæ *permanſit: quæ illum tenerrimè diligens, ex conſilio Religioſorum hominum, præſertim Dominicanorum, & Minorum, ſingulari cuidam Magiſtro tradidit moribus, ac*

*Matris educatio:*

*literis inſtituendum. A primis enim ætatis initiis, deditus fuit pietatis, & ſanctitatis ſtudiis, ita vt vitam omnem abſque mortiferi peccati perpetratione feliciter exegiſſet. Hinc eius ſanctitudini gratulans Blanca Mater, dicebat:* Mallem, fili, te cernere mortuum offendentem mortali crimine creatorem. *Quæ verba vſque adeò illius animo hæſere, vt diuina ipſum gratiâ protegente, nunquam in ſe eiuſmodi crimen admiſerit.*

AGENTE *autem Matre, Proceribus Regni vxorem duxit* Margaretam, *Comitis Prouinciæ filiam, quæ* Lutetiam *venit, intra Octauas Aſcenſionis Chriſti, cum prius eſſet coronata apud Senones, Anno Salutis* M. CC.

*Vxorem ducit.*

XXXIV. *de qua ſuſcepit ſobolem generoſam, quam Vir Sanctus ſtuduit ſummoperè educari ad amorem Domini, contemptum mundi, & ſui ipſius cognitionem, ſalutaribus monitis, & exemplis. Hinc cùm ſibi vacare poterat, eos perſonaliter viſitans, velut alter Tobias, de eorum profectu dabat eis monita*

*Liberos piè inſtituit.*

*ſalutis; docens ſuper omnia timere Deum, & ab omni peccato iugiter abſtinere. Serta è roſis, aut floribus confecta, aut alia id genus, non eos Sextâ Feriâ in capitibus ferre ſinebat; quòd eo die Saluator Noſter in ſuo capite tulerit coronam è ſpinis contextam. Cúmque non ignoraret, à deliciis caſtitati, à diuitiis pietati, ab honoribus humilitati magna impendere pericula; ſobrietati, humilitati, miſericordiæ animum dedit; à Mundi, carnis, & Satanæ inſidiis, ſolicitè ſibi cauens, atque cum Apoſtolo corpus ſuum caſtigans, &*

*Eius exercitia quotidiana.*

*in ſeruitutem redigens, multo tempore intimâ veſte cilicinâ vtebatur, quam propter imbecillitatem, Confeſſarij monitu, in eleemoſynas commutauit. Semper Sextis Feriis ieiunauit, nec his diebus præſertim in Aduentu, & Quadrageſimâ, piſcibus, aut fructibus veſci voluit, vigiliis, orationibus, & clandeſtinis abſtinentiis perpetim ſe affligens. Quantò autem maior erat, tantò humiliùs, & ſubmiſſiùs, inſtar Dauidis Regis, ſe gerebat; & coram Deo pro-*
*priâ*



*priâ exiſtimatione vilior ſibi videbatur Quolibet Sabbatho in loco ſecretiſſimo quorundam pauperum propriis manibus pedes abluere, idemque tergere, & humiliter oſculari, conſueuerat. Deinde lauabat etiam illorum manus, & ſingulis certam pecuniæ portionem largiter offerebat. Crebrò etiam centum viginti pauperibus, qui in eius aula quotidie abunde reficiebantur, atque certis quibuſdam diebus, & ſolemnibus vigiliis, ducentis pauperibus, priuſquam ipſe cibum ſumeret, ſuis manibus cibos apponebat. Semper, & in prandio, & in cœna prope ſe tres habebat ſenes inopes, iiſque de appoſitis ſibi ferculis, humaniſſimè tranſmittebat. Interdum ſcutellas, & cibos, quos Chriſti pauperes manibus contrectauerant, offas præſertim, quas libenter comedebat, vt iterum prægustaret, ante ſe reportari faciebat; Chriſtum pauperem, in ſuis pauperi-*

*Veſtes pretioſas deſpexit.*

*bus venerando, de quibus reliquiis ſic comedere non horrebat. Scarlato verò aut bruneto, ſeu viridi, aut alioqui pretioſâ veſte coloribus, vel pellibus variis, & magni pretij nolebat vti: maximè poſtea quam primùm è locis tranſmarinis rediit.*

FIDEI *propagationem ſummoperè ſitiebat: itaque ſi quid ab Inquiſitoribus, quod ad fidem pertineret, eſſet ad eum relatum, id aliis negotiis omnibus poſthabitis, audiebat, & inſtar Phinees, magno zelo in Chriſtianæ fidei violatores animaduertebat. Septennio loca ſacra habitu peregrinantis inuiſens, apud Peruſium B. Ægidium S. Franciſci ſocium ſine verbis alloquitur. Dum adhuc eſſet iuuenis, de manu Epiſcopi Pariſienſis cum magna deuotione Crucem accepit; & fratres ſuos tres comites, ac proceres totius regni ſui ſecum*

*Cruce ſignatus in expeditionem Syriæ perrexit.*

*ducens, cum magno exercitu Ægyptum applicuit. Qui in terram deſcendens, famoſam illam Ciuitatem, Damiatam nomine, & circumſtantem regionem occupârunt vi armorum. Poſtmodum verò iuſto Dei iudicio, ſed occulto, exercitus Chriſtianus infirmitate percuſſus multiplici, quam plurimis de medio ſublatis. Volens quoque Pater miſericordiarum Deus in ſancto ſuo ſe oſtendere mirabilem, pugilem fidei impiorum manibus tradidit, vt mirabilior apparere-*

*Capitur.*

*ret. Et cùm pius Rex per nauem propinquam euadere potuiſſet, ſpontaneè tùm ſe reddidit, vt occaſione ſui populum ſuum liberaret. Adductus igitur velut Iacob in Ægyptum, non eſt vt fugiens, aut timidus ſtatim reuerſus ad propria, ſed per Quinque annos remanſit continuos in Syria, multos Sarracenos ad fidem conuertens, plurimoſque redimens captiuos Chriſtianos. Tunc enim*

*Corpora fœtida occiſorum ſepeliuit.*

*circa Sydonem multa inuenit Chriſtianorum corpora occiſorum iam fœtida, quam plura à beſtiis lacerata, quæ propriis manibus ſepeliuit, quorundam è ſuis operâ vſus, qui vix illorum fœtorem perferre potuerunt. Quotidie autem manè flexis genibus Dauidicum Pſalterium recitabat. Poſtquam autem reſciuit de obitu Matris* Blancæ, *nobilibus ipſius id conſulentibus, in Galliam re-*

*Galliam repetit.*

*uerſus eſt. Cum ergo nauigarent, tertiâ nocte, nauis, quæ Regem habebat, bis tantâ vi appulſa eſt ad rupem, vel terræ lingulam, vt nautæ, & alij illicò ſubmerſum iri putarent. Eâ concuſſione excitati Sacerdotes, clerici, & cæteri S. Regem coram ſacroſancto Chriſti Corpore deuotè inuenerunt orantem: omnéſque in ea fuere ſententia, mortis tàm præſens diſcrimen, eius precibus, & meritis ſe euaſiſſe.*

INDE *denique in Franciam reuerſus Rex, ſummâ omnium gratulatione, & ſingultibus excipitur; atque ab eo tempore, magis, magiſque de virtute in virtutem proficiens, ad omnimodam vitæ perfectionem peruenit. Hinc pauperi-*

*Quæ ibidē faciebat.*

*bus hoſpitia, Religioſis Monaſteria, Viduis eleemoſynas, pupillis iuſtitiam, ægris Xenodochia; & miſerabilibus auxilia, conſtruxit, elargitur, perfecit, & miniſtrauit. Præcipuâ vero deuotione ſanctas venerabatur Reliquias, cultumque Dei & honorem Sanctorum ſemper amplificare nitebatur. Pariſiis in Palatio Regali ſacellum elegantiſſimum extruxit, in quo ſacroſanctam* D. N. IESV *coronam ſpineam, magnam* S. CRVCIS *portionem, ferrumque lanceæ, quod*

*Pietas in Deum, & Sanctorum Reliquias.*

*Saluatoris latus effodit; admodum reuerenter repoſuit, cum multis aliis Reliquiis, quas à Conſtantinopolitano Imperatore, immenſo labore, & magnis impendiis, dum Syriam moraretur, acceperat. Nec cùm in diuinis officiis de-*

*uotus intererat, alicuius colloquia permiſit. S. Crucis ſignum tantâ reuerentiâ proſequabatur, vt ſi illud humi vidiſſet expreſſum, calcare pedibus auſus non eſſet, & ideò illud in terra pingi, aut ſculpi vetuit, & ſculptum, vel depictum deleri præcepit. Igitur æquus erat in ſententiis ferendis; pauperum cauſas ipſe cognoſcebat, horrendum duellorum vſum & interdixit ſeueris legibus, & ſeuerioribus puniuit ſupplicijs. Et vt vſurarum immanem voraginem penitus extirparet, ſtatuit, vt eos, qui per literas Iudæis, aut aliis publicè vſuras exercentibus, ſe obligaſſent, Iudices nequaquam ad ſolutionem conſtringerent. Hinc Deus iuſto, & pio Regi pacem, & Regno tranquillitatem præſtitit.*

*Iterum expeditionem in Sarracenos ſuſcipit.*

TANDEM *poſt multorum annorum curricula, quibus ſe in omni virtute exercuit S. Rex, certâ ad eum famâ adlatâ, de vaſtatione, & periculis Terræ-Sanctæ inſtar Matthatiæ cum filiis ſuis, mala Gentis Chriſtianæ, & Sanctorum ferre non ſuſtinens, Deo ipſum præmouente, alteram ſuſcepit nauigationem, cum tribus filiis ſuis comitibus, itemque cum Regni Proceribus, Nobilibus, multâque populi frequentia, & poſt datis ſalubribus monitis Primogenito, nihil fractus ſuperiorum temporum laboribus, & expenſis, è Maſſiliæ portu ſoluit, adiuncto etiam ſibi Nauarræ Rege, & permultis Eccleſiarum Præſulibus. Vt autem facilius recuperare Terram Sanctam poſſent, conſultiſſimum eis viſum eſt, vt Regnum Tunetanum, quod magna in Syriam nauigantibus obiiceret impedimenta, ante omnia in ſuam redigerent poteſtatem. Iam ceperant portum Carthaginis, qui Tuneto haut procul abeſt; & ecce morbus, qui illo anno iis in locis mirè graſſabatur, in Chriſtianorum exercitum inuadit; ex Regis filiis tollit* Ioannem, *tollit & ipſum ſanctiſſimum Regem, cum multis è nobilitate, & plebe. Itaque morbo* LVDVICVS *correptus, non ceſſauit laudare Deum, ſæpe illam orationem interſerens.* Fac nos Domine proſpera Mundi deſpicere, & nulla eius aduerſa formidare. *Et pro illis, quos ſecum adduxerat, ita orans:* Eſto Domine plebi tuæ ſanctificator, & cuſtos. *Morti propinquus voluit ſe Corporis Chriſti ſacramento muniri. Deinde verò ad ſupremam horam veniens, & ſupra ſtratum cinericium in modum crucis extenſus, in cœlum ſuſpiciens, ait:* Introibo in domum tuam Domine Adorabo ad Templum ſanctum tuum, & confitebor Nomini tuo. *Quibus dictis feliciſſimè obdormiuit in Domino* XXV. Auguſti, *Anno Domini* M. CC. LXX. *Quem Bonifacius* VIII. *Pontifex Maximus in Sanctorum numerum retulit.*

*Ægrotat.*

*Moritur.*

*Monita filio præſcripta recenſentur.*

Hactenus ACTA, quorum ecphraſis inuenitur etiam in aliquibus MSS. *Legendariis* vetuſtis Eccleſiarum *Hiſpaniæ*, videlicet in *Segobienſi, Aſturicenſi*, & *Hiſpalenſi*. De his ACTIS nullus vnquam dubitauit, & ideo, ſi quæ illuſtrationem deſiderant, illam quilibet videre poterit apud *Henricum Sedulium*, & *Arturum à Monaſterio* ſuperiùs velatos, qui ACTA *Commentariis* illuſtrarunt. Hîc libuit monita quæ filio ſuo Primogenito dedit, dùm *Tunetum* obſideret, excribere, quæ à *Surio* recenſentur.

## *MONITA QVÆ S. LVDOVICVS Galliæ Rex filio ſuo Primogenito Philippo, dum Tunetum obſideret præſcripſit.*

I. Fili mi; Ante omnia diligenter in eam curam incumbe, vt diligas Deum. Nemo enim poteſt eſſe ſaluus, niſi Deum amet.

II. CAVE ne vnquam admittas peccatum mortiferum: ſed omnia potius ferre velis genera tormentorum, quàm aliquam talem perpetrare culpam.

III. CVM aduerſa accidunt, feras æquo animo, & cogites te commeruiſſe: atque ita lucrum tibi inde accedet.

IV. CVM rebus proſperis frueris, humiliter agas gratias Deo: ne inde



inde animo elatus, efficiaris deterior, vnde te oportuit fieri meliorem.

V. CREBRO confitearis peccata tua; deligaſque tibi prudentes Confeſſarios, qui te poſſint inſtituere, & docere, quid agere, quid vitare te oporteat: & coram illis ita te compares, vt audeant ſincerè te reprehendere, & vitia tua indicare tibi.

VI. OFFICIVM diuinum deuotè auſcultes: faceſſant ibi fabulæ, & nugæ, nec oculi huc atque illuc circunferantur: ſed ores Deum ore, & etiam meditando corde, ibique præcipuè id facias ſub ſacrificio poſt peractam conſecrationem.

VII. ANIMO ſis pio, & humano erga pauperes, & calamitoſos homines, illiſque pro viribus opituleris.

VIII. SI QVID angat animum tuum, id mox explices Confeſſario tuo, aut alicui Viro bono: ita fiet quòd faciliùs id feras.

IX. DA operam, vt quorum vteris conſuetudine, & familiaritate, ij ſint homines probi, & integri; ſiue Religioſi illi ſint, ſiue ſeculares, & cum illis libenter miſce colloquia: porrò nequam, & improborum Virorum commercia deuita.

X. SERMONES qui fiunt de Deo publicè, & priuatim, lubens audias: preces quoque & condonationes, ſiue Indulgentias ſtudioſè expetas.

XI. QVIDQVID deprehenderis eſſe bonum amato: & omne quod agnoueris malum prudenti animaduerſione repellito.

XII. VBICVMQVE fueris, nemo auſus ſit quidquam eiuſmodi, te præſente, eloqui, quod adliciat ad mortiferum peccatum, aut quod alterius famæ deroget: nec tu vnquam de vllo male loquaris, obtrectandi animo.

XIII. NON patiaris vnquam, te audiente, peruersè de Deo, aut Sanctis eius loqui, nec id ſinas impunè abire.

XIV. CREBRO agas gratias Deo pro bonis omnibus ab illo tibi collatis: vt dignus fias potioribus eius beneficiis affici, & augeri.

XV. IN adminiſtranda iuſtitia ſis rectus, & ſeuerus, & ita vt leges præſcribunt, eam exerceas erga ſubditos; neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram deflectens: Pauperumque querimonias non reiicias, donec veritas innoteſcat.

XVI. SI QVIS habeat aduerſum te querelam, aut controuerſiam; ſemper ab illo ſtes contra te ipſum, donec rem certam comperias. Ita enim fiet, vt Conſiliarij tui fidentiùs iuſtam ferant ſententiam.

XVII. SI QVID poſſideas rei alienæ, etiam ſi acceperis id à Maioribus tuis; incunctanter reſtituas iuſto domino, vbi certò id tibi conſtiterit. Sin autem dubia res eſt, cura vt viri ſapientes accuratè, & ſine mora veritatem inquirant. Id enim vel maximè ſtudere debes, vt qui ſunt in ditione tua, pace, & iuſtitiâ fruantur, in primis homines Religioſi, & qui in Clero ſunt.

XVIII. PARENTIBVS tuis debes amorem, reuerentiam, & obedientiam. Beneficia Eccleſiaſtica non conferas niſi bene dignis, & qui nulla eiuſmodi beneficia habeant, idque ex conſilio bonorum virorum.

XIX. BELLVM, præſertim aduerſus quemlibet Chriſtianum, ſine multo conſilio vide ne ſuſcipias. Si neceſſitas cogat ſuſcipere, Eccleſias, & inſontes nullo patiaris damno affici.

XX. SI QVA exiſtat vel ſubditis tuis contentio, vel bellum: quoad poteris componere, vel ſedare, coneris.

XXI. VIDE vt bonos habeas Prætores, & Magiſtratus: & de illis ſolerter inquiras, qualiter in officiis ſe gerant.

XXII.

XXII. Semper ſis addictus, & deuotus Romanæ Eccleſiæ; & eius Pontifici, haut ſecus atque ſpirituali Patri te morigerum præbeas.

XXIII. Da operam vt impenſæ tuæ debita moderatione notentur, & rationabili diſpoſitione expendantur.

XXIV. Svb finem hortor, & adiuro te filium, ſi me contigerit ante te migrare ex hac vita, vt toto Regno Franciæ pro anima mea cures offerri Deos preces, & Miſſæ ſacrificia.

XXV. Ad extremum, Fili chariſſime, quidquid boni poteſt bonus, & pius Pater precari filio ſuo, id ego precor tibi. Sacro-Sancta Trinitas, & Sancti omnes ſeruent te ab omni malo; præſtetque tibi Deus gratiam rectè ſemper agendi, & ipſius faciendi voluntatem: ita vt ille per te honoretur, & nos poſſimus poſt hanc vitam pariter eſſe cum illo; eúmque contemplari, & laudare per infinita ſecula ſeculorum, Amen.

Iſta ſunt Monita à S. Rege filio ſuo Philippo Primogenito data, quæ etiam adduxit Henricus Sedulius in Not. ad Vit. S. Ludouic. c. 21. fol. 618.

*Filius Blãchæ Alphonſi Caſtellæ Regis ſobolis.*

Diximvs in Actis S. Lvdovicvm Regem filium fuiſſe *Blanchæ*, quæ *Tertia* filia fuit *Alphonſi* VIII. Regis *Caſtellæ*, & *Eleonoræ* Reginæ eius coniugis. Hoc probandum à Nobis erit, quia variæ ſunt opinantium ſententiæ. Igitur *Alphonſius*, & *Eleonora* primam ſuſceperunt ſobolem *Berengariam* deinde *Sanctium*, poſt *Vrracam*, mox *Blancham*, & denique *Ferdinandum*. Hac ſerie illos enumerant antiqua *Caſtellæ* monimenta apud Petrum Mantuanum in *Not. ad Hiſtor. P. Ioann. Marian. fol.* 241. Moſem Didacus Valer. in *Hiſtor.* 4. *p. c.* 112. D. Alphonſus Cartagena in *Anacephaleoſ. c.* 83. D. Rodericus Sanctius *Hiſtor. Hiſpan.* 3. *p. cap.* 89. Idem Petrus Mantuanus, *ibidem fol.* 245. qui aliud monumentum Medina-Pomarenſe recenſet. D. Thom. Tamayo in *Vindic. Marian. fol.* 287. D. Franciſcus Caro *Hiſtor. Ordin. Militar. lib* 1. *c.* 4. Fernandus de Ayora in *Arbitr. c.* 6. *n.* 101. Rades de Andrada in *Hiſtor. Ordin. Militar. in S. Iacob. c.* 12. *fol.* 21. P. Iannes Pined. in *Memorial. S. Reg. Fernand.* 2. §. 2. *fol.* 59.

*Natus prece Virginis, & operâ S. Dominici Patriarchæ.*

His ſic prælibatis venio ad aliquarum à S. Rege in *Hiſpania* rerum geſtarum illuſtrationem. Sit prima, quòd Beatiſſimus *Princeps* cælitus Parentibus fuerit datus, operâ *S. Dominici Hiſpani*, Prædicatorum Patriachæ, qui in Gallias veniens, piiſſimæ Reginæ *Blanchæ* perſuaſit, vt ſi fœtum cuperet abſolutum, illum Virginis Matris Genitricis-Dei Mariæ precibus impetraret, eius Roſarium recitando ſæpius, necnon myſteriis illius ſacra deuotè meditando, pertractaret. Sic Razzius in *Hortul. exemplor. de B. Virg. exempl.* 16. Poyreus de *Triplic. Coron. Virgin. Tract.* 3. *cap.* 6. §. 1. *n.* 5. Appendix ad *Mag. Specul. Exemplor. lit.* Roſarium Virgin. *Exempl.* 115. P. F. Fernandus del Caſtillo *Hiſtor. Prædicator.* 1. *p. lib.* 1. *c.* 7. Arturus à Monaſter. in *Martyrolog. Franciſcan fol.* 366. 2.

*Addictiſſimus fuit S. E. Toletanæ.*

Secvnda ſit, quod idem S. Rex S. E. Toletanæ ſic ſummopere addictiſſimus fuit, quod eidem quamplurimas emiſerit *Reliquias*, ex illis quas ſecùm è *Conſtantinopoli* aduehendas *Galliam* curauit, vt ex Epiſtola ad *Capitulum Toletanum* à Sanctiſſimo Rege directâ liquet, quam *Blaſius Ortiſius* Canonicus Toletanus, & eiuſdem diœceſis Vicarius Generalis in *Templ. Toletan. c.* 25. *fol.* 63. refert, & eſt huiuſmodi.

*Epiſtola Regis ad Capitulum Toletanũ.*

*Series Reliquiarum Capitulo miſſarum.*

Lvdovicvs *Dei gratiâ Francorum Rex, Dilectis ſuis in Chriſto Canonicis, & vniuerſo Clero Eccleſiæ* Toletanæ, *ſalutem & dilectionem. Eccleſiam veſtram volentes xenio pretioſi muneris inſignire: per dilectum noſtrum* Ioannem *Archiepiſcopum* Toletanum, *& ad preces ipſius, de venerandis, & eximiis ſanctuariis noſtris, quæ de theſauro Imperij Conſtantinopolitani ſuſcepimus, pretioſas vobis particulas deſtinamus: videlicet, de* Ligno Crvcis Domini. *Vnam de* Spinis *ſacroſanctæ ſpineæ coronæ eiuſdem Domini. De* Lacte *glorioſæ Virginis Beatæ* Mariæ. *De Domini* Tvnica *purpurea, quâ indutus fuit.* De Linteo, *quô præcinxit ſe Dominus, quando lauit, & exterſit pedes Diſcipulorum ſuorum. De* Syndone, *quâ* Corpus *ipſius ſepultum iacuit in ſepulchro. De* Pannis *infantiæ* Saluatoris. *Veſtram itaque dilectionem rogamus, & requirimus in Domino, vt prædictas ſacras* Reliquias *cum debito recipiatis, & cuſtodiatis honore; necnon in Miſſis, & orationibus veſtris perennem Noſtri memoriam habeatis. Actum apud Stampas Anno Domini* M. CC. XLVIII. *Menſe Maio.*



Huius etiam *Epiſtolæ* ſeriem Latino, & Hiſpano ſermone retulit Franciſcus Piſa in *Hiſtor. Tolet. lib.* 4. *c.* 18. *fol.* 185. P. Quintana-Dueñas *Hiſtor. SS. Toletan. titulo de Origin. & Progreſſ. S. T. Eccleſ. c.* 21. & alij.

*Carmina, & hymni ex Breuiario Toletano antiquo.*

Nvnc pro coronide *Poëtarum* ſacra carmina, & hymnos ſubiiciamus, vt tanti Regis ſanctiſſimi, & à Matre Hiſpanâ piiſſima educati elogia mediteris. Adſit inter omnes *Eccleſia Toletana*, quæ in eius *Breuiario* antiquo occinere ſolebat ſequentem *Hymnum* ad Veſperas in Officio S. Confeſſoris:

*Gaude Mater Eccleſia*
*Nouæ laudis præconio:*
*Quam* Lvdovici *gloria*
*Solemni replet gaudio.*

*De Regno terræ vehitur*
*Ad Regni cœli ſolium:*
*Cuius vita dignoſcitur*
*Formâ virtutum omnium.*

*Fide purus, ſpe patiens,*
*Et charitate feruidus:*
*Omni petenti largiens,*
*Pius, pudicus, prouidus.*

*Fraus, furor, violentia,*
*Relegantur à ſubditis:*
*Signa coruſcant varia*
*Virtutum eius meritis.*

*Pro corona iuſtitiæ*
*Iam coronatus gloriâ:*
*Noſtræ memor miſeriæ*
*Cœli procuret præmia.*

*Trino Deo, & ſimplici*
*Laus, honor, virtus, gloria;*
*Qui nos Regis mirifici,*
*Coronet per ſuffragia.*

## AD MATVTINVM HYMNVS.

*Noua Regis præconia,*
*Solemni digna cantico,*
*Deuota promat Francia,*
*Necnon & noſtra* Iberia.

*Regis huius religio,*
*Et adſpectus gratiſſimus*
*Monſtrabāt, quid de præmio*
*Eius guſtaret animus.*

*Monſtrant quoque miracula*
*Quantus ſit in cœleſtibus:*
*Morbos, peſtes, pericula*
*Suis fugando precibus.*

*O quàm dulce ſpectaculum*
*In* Lvdovico *cerneret*
*Qui virtutis ſignaculum*
*Eius in vultu inſpiceret.*

*Nam vultus eius claritas*
*Nunquã in terrã corruit;*
*Nec affectus benignitas*
*Deo præſente caruit.*

## AD LAVDES HYMNVS.

*Hymnum nouæ lætitiæ*
*Regi canamus omnium;*
*Qui ſancto Regi Franciæ*
*Noui dat Regni ſolium.*

*LVDOVICVS ex nomine*
*Lucis dator exprimitur;*
*Et cuſtos in certamine*
*Præſentis vitæ ponitur.*
*Crucis hoſtes concutiens,*
*Concuſſus ægritudine;*
*Vitam inuenit moriens,*
*Tali felix certamine.*
*Nam ſic in vita viguit;*
*Vt patiendo vinceret:*
*Et hoc in morte meruit,*
*Vt moriendo viueret.*
*Viuit ergo feliciter*
*Rex Francorum in gloria:*
*Quē Chriſtus ſingulariter*
*Suâ repleuit gratiâ.*

Similiter ij ipſi *Hymni* reperiuntur; in aliis *Eccleſiis Hiſpaniæ*, quarum *Breuiaria* vetuſtiora illos continere vidimus ſæpius, maximè in *Segobienſi*, *Conchenſi*, *Aſturicenſi*, *Dertoſano*, & aliis. Eius elogium etiam carmine deſcriptum recenſet Baptiſta Mantuanus in *Faſtis ſacris fol.* 36. ſic:

*Magnanimus Rex Gallorum* LVDOVICVS *eadem*
*Luce, triumphato tranſiuit in æthera Mundo.*
*Naturæ bonitate puer, ſtudioque parentum*
*Sic formatus erat, teneriſque affectus ab annis,*
*Vt meritò credi poſſet, mens illa Tonantis*
*Fabrefacta manu, cœloque egreſſa videri.*
*Iuſtitia, & veros comitans clementia Reges;*
*Religio, & pietas, ac magnificentia virtus,*
*Quæ facit Heroes, nunquam diſceſſit ab ipſo.*
*Sic aderat miſeris, ſic ſuſcipiebat egentes,*
*Vt ſit fama inopes illum pauiſſe ducentos*
*Quotidie; ſeque ipſum illis ſe feciſſe miniſtrum.*
*Ionium, magnâ penetrauit claſſe profundum,*
*Aſſyrios, Arabeſque petens; vt perdita Noſtras*
*Duceret ad leges pulſis ea Regna Tyrannis.*
*Multaque pro Chriſto paſſus diſcrimina tandem*
*Carmeli iuga conſcendit; noſtroſque reuiſit*
*Per montis ſpelæa Patres; vbi vixerat olim*
*Maximus Helias; ſecumque ad Gallica duxit*
*Littora pleroſque illorum. Sic noſtra propago*
*Venit ad occaſum, teramque exiuit in omnem;*
*Religioſa iterum ſenio iam proximus, arma.*
*Induit; & Lybicos fines vaſtauit, & alta*
*Mœnia Didonis, Tuneſcaque Regna ſubegit.*
*Illinc ad ſuperos, morbo confectus atroci.*
*Fecit iter, ſummo mutans Regna infima Mundo.*

De eo etiam Ioannes Bachot in *Faſt. Chriſtian. h. d. fol.* 597. Ioannes Baptiſta Maſculus *in Lyric. lib.* 10. *Ode.* 30. *fol.* 391. Robertus Obrizius *Hymnor. Sacror. lib.* 5. *Hymn.* 32. *fol.* 231. Ioannes Carolus Morellus in *Sacr. Epigrammat.* 152. *fol.* 76. vbi hoc Epitaphium:





*Gallorum* LVDOVICVS, *Hoſpes, intus*
*Rex ille, hîc Solymæ iacet ſupernæ*
*Suſpirator, vt eius hîc amore*
*Terrenæ quoque ſaucium videres:*
*Eſt poſt fata tamen potitus vna,*
*Si viuens nequit altera potiri;*
*Non ſaxum rude diſplicet, ſub auro*
*Cum viuo tegumen dabat Camelus.*

Alia etiam Epigrammata, & non inuenuſta ſcripſere Nicolaus Oüdaërt in *Ephemerid. Eccleſ.* 2. *p. in Menſ. Auguſt. Epigramm.* 25. Mutius Sfortia in *Kalendar. Rom. Heroïc. lib.* 2. *Hymnor. fol.* 203. Cardinalis *Mapheus Barberinus*, poſt Vrbanus VIII. Pont. Maximus *Odem Pindaricam* in laudem S. Regis compoſuit, quam Græcam fecit *Federicus Morellus* literarum Græcarum apud Pariſios Regius Profeſſor; eamque publicam fecit Arturus à Monaſterio in *Martyrolog. Franciſcan. h. d.* §. 47. *fol.* 375. Qui etiam ibidem *fol.* 380. duos Hymnos Saphicos excripſit. Tarquinius Gallutius *lib.* 1. *Carmin. Panegyr.* 9. *fol.* 63. *& lib.* 2. *Eleg.* 10. *fol.* 252. S. Regem cum copiis contra Barbaros proficiſcentem depingens, & Gallorum ſtrenuitatem commendans, proſequitur:

*Hæc placuere olim, ſed nunc* LVDOVICVS *ad arma*
*Excitus, illa iterum bella nouare parat.*
*Ite, armis aperite viam, quâ Barbarus hoſtis*
*Se tenet, & multo milite ſepit iter.*
*Otia ſint aliis, vitaque oliuia cordi,*
*Arma decent Gallos, ſed pia bella decent.*
*Ecce Deus ſe ſe vobis comitemque, Ducemque*
*Exhibet, & ſtimulis pectora pigra citat.*
*Subiicit ille faces, animoſque accendit in iras;*
*Ille ſuas veſtro Marte repoſcit opes.*
*Ite; Deo bellate Patri; Vos fortia fortes*
*Bella decent, Galli, ſed pia bella decent.*
*Se primus* LVDOVICVS *agens, ſupereminet omnes*
*Quò magis, hoc animis eminet ille magis.*
*Iucunduſque ſuis, nec formidabilis vlli magis.*
*Militiam caſtè, bellaque rite colit.*
*Flagitiis pœnas ſtatuit pro crimine; at iræ*
*Delet inoffenſi pectoris ille notas.*
*Ergo agite, & Iuuenem multâ ſtipate catervâ,*
*Cui bellare Deo fortia bella placet.*
*Vos alacres capite arma manu, Vos fortia fortes*
*Bella decent, Galli, ſed pia bella decent.*

Ergo, *quid ſi non pia?* O tempora! Idem Tarquinius *d. lib.* 2. *Eleg.* 11. *fol.* 257. *& lib.* 3. *Epigrammat.* 29. 30. 31. 32. 33. *&* 34. à fol. 364. vſque *ad* 366. & aliorum carmina, & elegias, quas lubens omitto.

*An ex Tertio Ordine Minorum?*

HIC nec omittendum erit, quod paſſim circumfertur, ſcilicet S. Regem fuiſſe ex *Tertio Ordine S. Franciſci*, quod teſtantur omnia antiqua Religionis Seraphicæ monumenta, & aſſertio *Pauli* III. Pontif. Maxim. *in Diplomate*, *Anno* M. D. XLVII. dato *Prid. Kalend. Mart.* vbi eundem S. Regem inter *Tertij Ordinis Minorum* Diuos enumerat. Id etiam aſſerunt Marianus *lib.2. c.* 22. Marcus Vlyſſipponenſis *in Chron. Minor.*1. *p.lib.*9. *c.*25. vbi Rebolledo *in fin. &* 2. *p. lib.*1. *c.*69. Miranda ſuper *Regul. Tertiarior. cap.* 19 Salazar in *Chron. Seraph. Prouinc. Caſtell. lib* 9. *c.*16. Vvadingus *Annal. Minor. Tom.* 2. *Ann.*1254. §. 28. Arturus in *Martyrol. Franciſcan. fol.*382. §. 48. qui plures refert.

*Canonizatio facta per Bonifacium VIII.*

POST S. Regis mortem, ob eius inſignia, & frequentia miracula ab eo edita, & ante actam vitæ ſanctitudinem in Sanctorum catalogum à *Bonifacio* VIII. Pont. Max. *Anno Domini* M. CC. XCVIII. relatus eſt. Vt aduerſus *Platinam*, *Blondum*, *Æneam Syluium*, & alios, probant Sedulius *in Not. ad cap.* 25. *Vit. S. Ludouic. fol.* 619. Arturius *dict. fol.* 382. §. 49. & alij plurimi ab eis relati.

*Moneta Regis cuſa antidotum aduerſus febres.*

INSVPER, vt nihil intactum relinquamus, cùm omnia, quæ S. Regis meritis Deus fecerit, in *honorem Hiſpaniæ* cedant, hic etiam de præſtantia *Monetæ* illius à Rege ſanctiſſimo cuſæ, aliquid ſcribere propoſuimus, prout ab Scriptoribus mutuauimus. Igitur Villanæus *Hiſtor. Florentin lib.* 6. *cap.* 47. Menardus in *Obſeruat. ad Ionuill. fol* 338. Dupleix *Hiſt. Francor Tom.*2. *Ann.* 1250. Arturus *ſupr. fol.* 383. § 55. aſſerunt, S. LVDOVICVM, poſt reuerſionem ſuam à prima expeditione Tranſmarina cudere feciſſe in *Gallia* ſingularem *Monetam*, in cuius parte prima Crux inciſa erat, cum nomine *Ludouici* per Orbem, in altera verò neruus, & compedes, & manicæ ſculptæ cernebantur, cum his literis circularibus *Turonus Ciuitas*, hac formâ.




E. Iſtius igitur Monetæ *Denarij* olim ab hominibus illius ſeculi ſeruabantur ſtudioſè, & piè, ferebanturque tanquam antidota contra febres. Quorum etiam formam depingere curauit Arturus ſupr. *d. fol.* 383. §. 56. A quo & Nos illam deſumpſimus. Quem videſis, quia contra *Menardum* diſputat, & arguit.

S VINCENTIVS *Matyr Romanus.*] Eius nomen cum aliis duorum Martyrum *Euſebij*, & *Pontiani*, necnon & *Peregrini* repetunt hoc die *Beda*, *Vſuardus*, *Ado*, & Martyrologium Romanum Baronij hac periodo: *Romæ SS. Martyrum Euſebij, Pontiani*, VINCENTII, *& Peregrini, qui primo ſub Commodo Imperatore in equuleo leuati, neruis quoque diſtenti ac deinde fuſtibus cæſi ſunt, flammis circa eorum latera appoſitis & cum in laude Chriſti fideliſſimè permanerent, plumbatis vſque ad emiſſionem ſpiritus mactati ſunt.* Conueniunt *Caſtellanum* P, Vaſq. *Luſitanum* P. Lupi, & *Italum* Conſtant. Felic. & cætera recentiorum. Eorum ACTA recitat Laurentius Surius *Tom.* 4. ex edit. Moſandr. Vincentius Bellouacenſ. in *Specul. Hiſtor. lib.* 10. *cap.* 109 Monbritius in *Vit. SS. Tom.* 1. Epiſcopus Equilinus in *Catal SS. lib.* 7. *capit.* 111. Philippus Ferrarius in *Catalog. SS. Ital. fol.*537. vbi iſta compaginat:

## *ACTA S. VINCENTII MARTYRIS Romani & ſociorum ex Philippo Ferrario, & aliis Scriptoribus antiquis.*

*Pietas.*

VINCENTIVS *Romæ in vico* Carnatio *cum* Euſebio, Pontiano, *&* Peregrino *viris Catholicis Chriſtianæ pietati vacabat, quo tempore Commo-*

dus



*dus Imperator & Populus Romanus ſacra Diis faciebant, in proximas vrbes, & vicos digreſſi, populos ab ea impietate, & errore prædicans abducere ſtudebat, quod cùm in vrbe Româ quoque feciſſet, Iulium Senatorem inter alios ad Chriſtianam fidem perduxit. Quod vbi Vitellius accepiſſet, eis comprehenſis horrenda minatur ſupplicia, niſi Senatoris facultates detegerent, ac Diis immolarent.* *Comprehenditur.* *Iudicis mandata ridentes Martyres, in equuleum ſuſpendi, & neruis, ac fuſtibas ſine intermiſſione cædi iubentur, itaut Iudex conſtantiam Martyrum miratus, eos Magiâ præditos in tormentis lætari diceret.* *Torquetur.* VINCENTIVS *reſpondit*: Non gaudemus niſi in Domino Noſtro Ieſu Chriſto. *Ad hæc Iudex iratus eos flammis lateribus admotis exuri mandat. Sancti laudes Domino canebant. Poſt hæc in profundum carcerem Martyres detruſi Chriſtianorum nouorum multitudinem ad eos confluentium erudiebant, ac ex Gentilibus aliquos veritatis lumine illuſtrabant. Denique cum indies admirandis ſignis illuſtriores fierent, iuſſu Vitellij ante Amphitheatrum educti, tandiu plumbatis cæſi ſunt, donec animas exhalarent.* *Coronatur.* VIII. Kalendas Septembris *Anno* C. XCI. *Quorum corpora Ruffinus Presbyter haut longè ab vrbe Româ ſepeliuit. Poſtmodum ſacra* VINCENTII *Martyris pignora* Hiſpaniam *adlata, & Collegio* Complutenſi *Fratrum Excalceatoum SSS. Trinitatis applicata fuere, vbi honorifice conduntur, & venerantur.*

*Tranſlatio.*

Hactenus ACTA. Quatenus ad *Tranſlationem* ſacrarum exuuiarum S. VINCENTII Martyris *Româ Hiſpaniam*, & quòd iiſdem R. P. F. *Ioannes ab Annuntiatione* ex Ordine Excalceatorum SSS. Trinitatis cum aliis Sanctorum Corporibus abs *Vrbano* VIII Pont. Max. fuerit donatus, multis ſuperius diuerſis in locis diximus, & authenticis Diplomatibus probauimus, illaſque *Complutenſi* Collegio applicatas retulimus *Tom.* 2. *fol.*45.

# SEPTIMO KALEND. Septembris.

# DIES XXVI.

*A.* TVDE *in Gallæcia Hiſpaniæ* S. MAMETIS, *qui tempore Gothorum ſic vitam texuit cœleſtem, vt merito Confeſſoris gloriâ venerari meruerit. Cuius ſacra pignora partim* Cyprum, *partim* Ouetum *tranſlata, vtrobique honorifice adſeruata quieſcunt.*

*B.* *Apud* Cerecenſes *prope* Burgenſem *vrbem* S. VICTORIS *Presbyteri, & Martyris, qui* Mahomadis Iacheſij *Sarracenorum Ducis, oppidum obſidentis, crudelitatem agnoſcens, illius fœda increpauit facinora, conciuibuſque oratione, & ieiunio, arma miniſtrauit ſuprema; ſed demum captus, ferali mucrone percuſſus, caput ſtrenuus perdidit agoniſta; quod manibus aſſumens, illud ad ſepulturæ locum aduexit.*

# NOTÆ.

A. *Eius memoria.*

SANCTVS MAMES *Eremita Tudenſis Confeſſor.*] Licèt in Martyrologiis antiquis, & recentioribus nulla mentio huius S. Confeſſoris exiſtat, fortè *Hiſpanici* excidij monimentorum confuſione, & fidelium Chriſtianorum conturbio; tamen illius memoriam publicam fecit Luitprandus *in Aduerſ. n.*264. apud *Ramires fol.* 500. & 237. apud Tamayo *fol.*45. ſequenti periodo: MAMES *Confeſſor ex tractu* Tudenſi, *creditur delatus* Cyprum, *floruit hìc ſub tempore* Gothorum, *Anno* D. *vel circiter. Obiit Menſis Auguſti* XXVI. *die. Eſt Confeſſor. Tempore Maurorum, relictis Reliquiis in Aſturiis, & per Hiſpanias, ad Cyprum delatus eſt à Chriſtianis.* Iſta ſic præſcripſit verba Ticinenſis Diaconi, & Subdiaconi Toletani R. P. F. Philippus de la Gandara Auguſtinianus *in Hiſtor. Gallæc.* 2. *p. lib.* 2. *c.* 18. illum Eremitam vocitans, ſed quo iure, haut ſcio, fides ſtet apud ipſum. Quatenus ad aſſertionem *Luitprandi*, quâ dicitur: partem *Reliquiarum* huius S. MAMETIS tranſlatam fuiſſe, & relictam *Aſturiis*, intelligendum eſſe credimus apud *Ouetum*; nam inter

*Vbi eius Reliquiæ.*

*Reliquias*, quas in *ſancta Camera* cuſtodit S. E. *Ouetenſis*, S. MAMETIS Reliquiarum meminit *Teſtimonium*, quod typis editum, à Decano, & Capitulo illius Eccleſiæ peregrinis vulgariter datur, continens numerum Reliquiarum, in prædicta ſancta Camera aſſeruatarum, quod & Nos ſupra *Tom.* 2. *Die XIII. Februar. lit. D. fol.*214. dedimus. Quatenus verò ad cæterarum tranſlationem Reliquiarum *Hiſpaniâ Cyprum* à Chriſtianis Hiſpanis Sarracenorum rabiem fugientibus, huc vſque apud Noſtrates altum ſilentium. VNVM hìc notandum erit, quòd in diœceſi

*Cultus in Tudenſi diœceſi.*

*Tudenſi* ſunt hodie Decem Eccleſiæ Parœchiales S. MAMETI dicatæ, ſcilicet *Guilla-Regenſis*; *Camanenſis*; *Ferroſenſis*; *Quintelenſis*, *Sabajanenſis*, *Villarenſis*, *Camenſis*, *Lorezanenſis*, *Pedornenſis*, & *Fontelenſis*, quarum dedicationes frequentes in illa exigua diœceſi proculdubio ſanctum Confeſſorem ibidem aut natum, aut mortum ſuadent. Hæc ſunt quæ de hoc S. Confeſſore ad noſtras venere manus, cætera Deus ſuo tempore ſeruat propalanda.

S. VICTOR Presbyter Cereſenſis in Hiſpania Martyr.] Celebris eſt eius memoria in *ſacris Tabulis*, vt notauit Molanus in *Addit. ad Vſuardum*, & Baronius in *Romano Martyrologio*, ſequenti periodo: *In Hiſpania* S. VICTORIS *Martyris, qui à*

B. *Martyrologia.*

*Mauris pro Chriſti fide occiſus, martyrij coronâ donatus eſt.* Conueniunt Martyrologia *Caſtellanum* P. Dionyſ. Vaſquez *fol.* 139. Luſitanum P. Ioann. Lup. *fol.* 180. Italum Conſtant. Felic. *fol.* 79. Hiſpanum MS. Ieronym. de la Higuer. & aliorum recentiorum. De eo F. Alphonſus Vener. in *Enchiridion. Tempor. fol.* 124. Marineus Sicul. *de Reb. Hiſpan. lib.* 5. Ioannes Vaſſ. *in Chron. Ann.* 950. Ambroſ. Morales *Hiſtor. Hiſpan. lib.*16. *c.*14. *fol.*227. F. Ioannes Marieta *Hiſtor. SS. Hiſpan. lib.* 2. *c.*74.

*Scriptores.*

*fol.*62. F. Ludouicus de la Vega *in Vit. S. Dominic. Calceatenſ. fol.*7. Mag. Ægidius Gonzal. Dauila Chronographus Regius *in Theatr. Eccleſ. Caſtell. Tom.* 3. *fol.* 25. Eius Acta per Synopſin ſcripſere Surius *Tom.*4. *Vit. SS. fol.*283. ex edit. Moſandr. Ioannes Maldonat. *in Hiſtor. SS. fol.* 36. Franciſcus Haræus *in Act. SS. fol.* 724. Benedictus Gononus *de SS. Occidental. lib.*3. *fol.* 160. Auctor Anonymus in *Flor. SS. vetuſto edito Toleti Ann.* 1564. Breuiarium vetuſtiſſimum, antiquum, & recentius Burgenſe, & *Legendaria*, vbi diffuſius res geſtas S. Martyris narrantur, à quibus ſequentia genuina deſumpſimus, vt inſtituto feliciter pareamus:

ACTA



## ACTA S. VICTORIS PRESBYTERI *Cereſenſis, & Martyris, ex Breuiariis, & Legendario Burgenſis Eccleſiæ.*

*Præfatio.*

GRATA *ſemper, ac Deo placabilia credentium vota ſunt, cùm Beatorum Martyrum illuſtres triumphos, atque titulos fideli relatione multorum faciunt conſcientiis non celari. Etenim nonnullorum fortium geſta, aut antiqua vetuſtas aboleuit, aut etiam proſequentium liuor veſanus abſcondit. Sed quoniam diuina virtus, cui nihil vnquam poteſt ſubtrahi, vel celari, præclara ſuorum nobilium geſta, non atramento, vel calamo, ſed puriſſimis facit conſcientiis ſcribi, pariter & recondi, quæ piâ probatorum narratione cognoſcimus, Chriſtianis ſenſibus beneuolo ſermone narramus. Erit iam magna audientium merces, quorum in his verbis nihil dubitauerit fides. Quòd* VICTOR *glorioſus Martyr, atque prædicabilis Presbyter in hoc natus, vt pro Chriſti nominis fide, ad hanc nobiliſſimam coronam, quàm maximè perueniret, & priori plebi, ac populo, qui paſſioni eius interfuit, magnam lætitiam contulit; & nobis qui hæc memorabilia recenſemus maximum gaudium gratulationis eximiæ videmus eſſe perlatum. Quis enim animi inexplebili voto vehementer exultet, tàm triumphalem lætitiam erga electos Dei, id eſt, Martyres proceſſiſſe, vt calcando mortem, ſeculum deuincendo, paſſionis ſuæ palmam, pariter, & coronam fecerint vſque ad poſteros propagare.*

*Origo.*

ERAT *igitur* VICTOR *ex Parentibus Nobilibus in Oppido* Zerezo Burgenſis *agri ſeculo natus, qui à teneris annis literis imbutus, & bonis moribus inſtitutus non ſolùm animam, ſed vitam mirabiliter ditauit, ita vt mirabilius huius vitæ ærumnoſæ curſum; cum cæleſti gloriæ beatitudine permutaret. Igitur poſtquam ad maturioris ætatis apicem peruenit, ſic vitæ ſanctitudine, & doctrinæ ſpecimine floruit, vt prorſus homo ad Presbyteratus ordinem ſublimaretur beatus. Huius enim miniſterij munus, non lucri ſpe, ſed Dei ſeruitio ſuſcipiens, ſtatim Eccleſiæ* S. MARIÆ Villalbenſis *in prælibato* Oppido *ſitæ, Parochi functiones amplexus, adhæſit, vbi ſuæ, & cæterorum ſaluti incumbens, primùm opere, poſt doctrinâ cœpit ſubditos erudire, vt in eo adimplerentur Euangelij verba, de* D. N. Ieſu Chriſto *loquentia, quibus dicitur: Cœpit Ieſus facere, & docere. Vt credatur, quòd qui vitam ſectari ſpiritualem conantur, primùm operibus, poſt doctrinis populum ſibi commiſſum paſcere tenentur. Quo in munere, cùm aliquandiù laudabiliter miniſtraſſet, diuinæ contemplationis amore accenſus, & Mundi huius illecebras declinare cupiens, in eremum Oniæ perrexit, vbi conſtructo, in nemoris illius vmbilico, exiguo Oratorio, ibidem ieiuniis, & orationibus vacans, Angelis ſimilem vitam, per ſeptem perpetuos annos, inter ferarum, & ſylueſtrium animalium ſpelæa, hymnis, & diuinis laudibus intentus, exegit. Hinc de homine beatiſſimo dictum fuit, quòd ex duplici virtutis viâ, vt Maria optimam elegerit, relictâ Marthæ ſororis actiuâ; quia licet in ſeculo totus Deo in vtraque occupatus exiſteret, attamen aliquandiù in ciuium, & accolarum magiſterio, vt officij muneri ſatisfaceret, diſtentus, ab operâ ſui ipſius præpeditus vacabat.*

*Fit Preſbyter.*

*Et Eremita.*

*Obſidetur Oppidum.*

EVENIT *eo tempore, Mauris Hiſpaniam ferè totam poſſidentibus, quòd* Mahomad Zachetus, *cognomento* Gaza, *Regis* Cordubæ *Dux, & Dominus* Tritij *prope* Lucronium *prædictum Oppidum* Zerezo, *tunc populoſam vrbem magnis militum copiis obſideret, ideo quòd tantum ipſa, cum vrbe Nagera Chriſtianorum nomen in illa Prouincia præferebat, & vocem, & Septennio toto, quo* VICTOR *latuit, Agarenorum tolerauerat obſidionem. Sed deficientibus commeatibus, & Chriſtianorum militaribus auxiliis, qui intra vrbis mœnia latebant, deficere videbantur, cùm ecce Angelus Domini S. Eremitam eiuſmodi vocibus excitauit:* Eia, age VICTOR; rumpe moras, Pa-

*Angelus apparet Victori.*

tria

tria te vocat, vt longâ eam obſidione ſoluas. Septem iam annos Mauri circunſtant, muri nutant; Oppidani commeatibus, poſt alia incommoda, deſtituti, deditionem moliuntur. Propterea tu patriam liberabis, teque martyrio conſignabis. *Huius tunc oraculi monitu* VICTOR *excitatus*, & Zerezum *natale ſolum ſic per ſeptem annos, longâ Maurorum obſidione fatigatum agnoſcens, quam nec ſoluendam, niſi eius interuentione percipiens, imò & ſeſe ipſum ibidem hoſtiam Chriſto ſuo viuam offerendum auſpicatus; parens abſque mora* VICTOR *Deo iubenti, è ſolitudine recedens animo ob promiſſiones erecto, ſe ſe in hoſtium caſtra intulit impauidus, & ſtrenuus. Poſtmodum vrbem ingreſſus vix à conciuibus, & conſanguineis agnitus extitit, donec S. Presbyter de ſe nonnulla teſtimonia perhibuit, quibus omnes, lachrymis obortis, in tanti Viri cognitionem venere. Tunc S. Preſbyter cum ipſis populi ſui deſolationem deplorans, illos in ſpe, fide, & charitate in Deum, & proximos ſolidauit, adiiciens, breui eos à diuinâ abſoluendos vltione, ſi fixis in Deum cordibus, beneficium conſecuturos ſperarent.*

*In Maurorum caſtra venit.*

HIS *ſic intra Oppidum confectis, in Agarenorum caſtra repedauit impauidus, & ibidem manens, protinus Mahumeticam cœpit ſuperſtitionem inſectari, quâ omnes decepti Sarraceni, veritatis apicem contemnebant; & inſtans verbo doctrinæ complures fidelium, qui à fide deſciuerant, reuocauit, & nonnullis Agarenis Chriſtianorum etiam religionem perſuaſit amplecti. Cùm igitur aliquando in ipſis caſtris de Chriſti diuinitate diſſereret Presbyter beatiſſimus, euenit, quòd vox de cœlo dilaberetur, hæc verba prædicens:* O Beate VICTOR! ſcito quòd in Rupe, quæ de Septem Feneſtris dicitur, Septem Fæminæ Deo dicatæ latent, quas infidi Sarraceni comprehendere, poſitis ad rupem ſcalis, feroci continuatione conantur; citò in earum auxilium aduola, nam tu illas ſolus poteris liberare. *Tunc S. Vir relictâ concione, ad rupem quantocyus accurrit, & baculo ſcalas infringens, oratione ad Deum peractâ, Sarracenos prorſùs ab opere incepto deterruit; & ſanctimoniales in fidei perſeuerantiâ, ſuaui confirmauit eloquio. Mauri hominis Dei virtute ſtupefacti in caſtra venientes, & Zacheto quæ cum eo euenerant renuntiantes, aduerſus illum remedia fore exigenda, ne Mahumeti felix dogma deſpectum iaceret, efflagitauit. Tùm Dux non paſſus ea fieri impunè,* VICTOREM *capi, & ad ſe trahi præcepit. Satellites protinùs S. Virum comprehendentes, ad Ducis Gazæ conſpectum trahunt, quem primo ſtatim occurſu à podagræ morbo Beatiſſimus Presbyter liberauit. Cuius beneficio lætus* Zachetus, *S. Virum ad Mahumeticam legem amplectendam, magnis promiſſis muneribus inuitauit. Tunc* VICTOR *conſtanti ſpiritu Ducem adorſus, eius audaciam enixè increpans, Chriſti fidem veram, & Mahumeti ſectam ſubdolam, & erribus maculatam enuntiauit. Sed furore percitus ingratus barbarus* VICTOREM *in carcerem detrudi præcepit, vbi cùm ad ſe accedentes fidei rudimenta doceret, vberiorem indiès ex infidelium conuerſione prouentum, & fidelium recuperatione collegit. Quod cùm* Mahomad Zacheto *à ſatellitibus fuiſſet nuntiatum irâ crudelitatis excandens, ab eo protinus, ne militum Sarracenorum multitudo prorſus in Chriſtum crederet, S. Vir ſupplicio capitis condemnatur. Hinc carnifices ad carceris anguſtias aduentantes, & Martyrem è catenarum vinculis abſoluentes, dixerunt:* Mahomad Zachetus *Regis noſtri ſupremus* Dux, qui hunc exercitum abſolutâ diſpoſitione gubernat, eo quòd Chriſtianorum errores, quibus noſtros, falſis verborum ambagibus, peruertis, amplecteris; & Mahumeti noſtri, vnici Profetæ Dei legem principem derides, præcepit, vt è corpore tuo caput mucronis ictu protinùs ſeparemus. *Tunc S. Presbyter, lætus ſententiam accipiens, & ſublatis in cœlum manibus, & flexis genibus, dixit;* Benedictus ſit Dominus meus Ieſus-Chriſtus, & nomen eius ſit exaltatum in ſecula, quia nullis meis meritis, me ad martyrij agonem, propter eius fidei defenſionem, dignatus eſt, ſuâ benignitate, vocare? necnon me tot Sanctorum Martyrum

*Plures Chriſto lucri facit.*

*Septem fœminas liberat.*

*Capitur.*

*Capite damnatur.*



tyrum gloriæ participem efficere. *Et conuerſus ad milites, vt leuem illam ſententiam, pœnarum acceſſione atrociorem, & continuo experiretur dolore, precibus à miniſtris obtinuit, vt primùm ageretur in crucem, cuius ſemper prædicator, & cultor.*

IGITVR *ad ſupplicium ductus, & Crucem, quâ ſuſpendendus erat, intuens, flexis genibus, & in cœlum oculis defixis, in hæc verba prorupit:* Salue ô Crux mirabilis, & decora, quâ Chriſti membra pependerunt extenſa, recipe tuis amplexibus humilem ſeruum eius: qui te primitùs ſanctificauit contactu; vt mei exemplo ſuo inuitaret ſpiritum, & tui morte ſuâ amandaret horrorem. *Quo dicto ſatellites, erecta cruce,* VICTOREM *in ea ſuſpendentes, eius corpus cuſtodibus fideliſſimis commendarunt. Ergo S. Martyr in cruce triduò pendens, indeque velut è pulpito Euangelium prædicans, ſignis ſubſequentibus, plurimos ad fidem perduxit. Nam cùm quidam Sarracenus, qui verba Martyris in cruce pendentis de Chriſti veritate deribator audiret, in eum conſpueret, & S. Presbyteri cruciatus derideret, blaſphemo Martyr è patibulo mortē ante reditum in caſtra, vocis fulmine denuntiauit; quæ mox circunſtantium omnium eſt conſpectibus ſubſecuta. Denique de Cruce depoſitus, gladio percutitur, qui tamen adhuc vita ſuperſtes, abſciſſum ſuum caput apprehendens, manibus ſuſtulit, & viam in Oppidum direxit. Ibi Oppidanos truncato capite adlocutus, vaccam pauxillo, quod ſolum ſupererat ſaturatam frumento, dimitti per totum ciuitatis ambitum perſuaſit. Quam Sarraceni iaculis confecerunt, erumpenſque triticum conſpicientes, de victoria diffiſi quid agerent ignorabant. Poſthæc acceſſit ad eum amicus quidam S. Martyris, qui videns eius caput in manibus abſciſſum, magno cœpit dolore lachrymas effundere, dicens:* O Dies mihi infelix, & infauſtus, quô video VICTOREM chariſſimum capite plexum, & è viuis ſublatum, maximè cùm eius ſpectare auxilium conabatur anima mea; nam filius meus, quem S. Presbyter baptizauerat, febri correptus nunc vitam exuit. *Cui* VICTOR *dixit:* Lætare, filius tuus viuet, ſtatim ac domum tuam reuerteris amice. *Quod Dei miſericordiâ factum eſt, nam ingrediente domum homine illo, ſtatim filius ad patrem ſuſcitatus accurrit. Denique poſt alia quam plurima miracula patrata, locum ſepulturæ S. Martyr deſignans, quo ſuum corpus eſſet humandum, ſuper eum feliciter quieuit,* VII. Kalend. Septembris *Anno Domini* DCCCC. L. *Quod poſtmodum ſequentibus ſeculis tranſlatum fuit* XIII. Kalendas Iunij, *Anno Domini* M. CCCC. LXVI *Iubente D. Ludouico, de Acuña Epiſcopo Burgenſi, Præſtante Domino Noſtro Ieſu-Chriſto, qui cum Patre, & Spiritu ſancto regnat in ſecula, Amen.*

*Crucifigitur.*

*Iugulatur.*

*Caput manibus defert.*

*Sepelitur, & poſtmodum tranſfertur.*

Hæc ſunt integra ACTA S. Martyris, & Presbyteri, nam quæ *Maldonadus, Haræus, Gononus,* & *Surius* publica fecerunt, procul dubio illa per ſynopſim coagularunt, relictis pluribus circunſtantiis, quæ hactenus deſiderabantur, & in *Legendario*, & *Flore SS* vetuſto *Anonymi* reperiuntur. Vbi hocce Epitaphium.

*Presbyter hoc tumulo iacet, extant Martyris oſſa*
VICTORIS, *cuius mors quoque vita fuit.*
*Iſte mori cupiens pro Chriſto, iugula præbet*
*Mucroni conſtans, quem ferus vrget Arabs.*
*Ipſe ſuis manibus capitis tunc ſarcinâ onuſtus,*
*Ingreditur vrbem, quam fouet ipſe prece.*
*Denique conſignanſque locum, quo corporis artus*
*Excipiat tumulus, cœlica regna petit.*

*Epitaphium.*

*Quo Anno paſſus?*

Quatenus ad *Annum* paſſionis attinet, videndus Vaſſeus in Chron. *Ann.* 950. ſed vberius apud Luitprandum in *Aduerſar. n,* 150. apud Ramires *fol.* 485. & & apud Lamay. *num.* 132. *fol.* 30. vbi poſtquam egerat de *S. Columba* Virgine, & Martyre *Tricenſi*, proſequitur: *Pater eius erat* Mahomat Zachetus; *Dux Regis Cordubæ, qui filiam Columbam, à* S. VICTORE Ceraſenſi *Presbytero, edoctam occidi iuſſit, &* VICTOREM *Presbyterum* XXVI. Auguſti, *Anno Domini* DCCCC. L. *cùm Ego eram Toleti.*

*Topographia.*

CERASVM. Oppidum antiquum non procul ab vrbe *Burgenſi*, quod hodie ZEREZO dicitur, olim, vt ex actis elicitur, populoſum, & accolis plenum, ſed iam in paruam populationem redactum. De quo, quotquot huius S. Martyris memoriam repetunt, ſcripſere.

# SEXTO KALEND.

## Septembris.

## DIES XXVII.

*A.* ILERDÆ *in Hiſpania Citeriori* S. LICERII *ipſius Ciuitatis Epiſcopi, qui cùm ſedem ex Vrbe* Carenſi *transferret, plenus dierum & bonorum operum in Domino quieuit.*

*B.* TOLETI *in Carpetania Hiſpaniæ* S. GVDILÆ *Archidiaconi* Toletani, *qui vitæ innocentia clarus, & virtutum copiâ conſpicuus,* Iulianum, & Felicem *Archiepiſcopos Toletanos meruit habere chronographos, demum vitam æternam ſine fine recepit.*

# NOTÆ.

A.

*Martyrologia.*

SANCTVS LICERIVS *Epiſcopus Ilerdenſis Confeſſor.*] Olim in eius Eccleſia celebris tanti Præſulis erat memoria hoc die, è cuius *Tabulis* deſumpſit *Baronius* ſequentem periodum, quam in *Romano* inſeruit *Martyrologio* h. d. ſic: ILERDE *in Hiſpania Tarraconenſi* S. LICERII *Epiſcopi.* Conueniunt & Martyrologia *Caſtellanum* P. Dionyſ. Vaſq. *fol.* 139. *col.* 2. Luſitanum P. Ioann. Lup. *fol.* 181. *col.* 2. Hiſpanum MS. P. Ieronymi de la Higuera, & alia recentiora. De eo Flau. Dexter. in *Chron. Ann.* 268. *n.* 5. vbi Biuar. *fol.* 295. vbi fuiſſe *Ilerdenſem* Epiſcopum probat, his verbis: *Init ſedem* Ilerdenſem *Sanctus* LICERIVS *Vir ſanctiſſimus, ad quem miſit literas* Paulatus *Epiſcopus* Toletanus. Et *Ann.* 311. *n.* 2. vbi Biuar. *fol.* 374. ſequenti clauſulâ: S. LICERIVS *Epiſcopus* Carenſis *in Hiſpania,* Ilerdæ *celebratur, quò tranſlatus fuiſſe dicitur cum Sede.* Quibus in locis etiam Rodericus Caro in *Not. ad Dextr. fol.* 92. *lit. G.* & *fol.* 120. *lit. N.* eiuſdem S. Præſulis meminit. Eos ſequuntur Ioannes Marieta *Hiſtor. SS. Hiſpan. lib.* 5. *c.* 89. *fol.* 143. Antonius Vincentius Domenec *Hiſtor.*

*Scriptores.*





*SS. Cathalon. fol.* 79. & Vincentius Blaſco *de Lanuza Hiſtor. Aragon. Tom.* 2. *lib.* 4. *c.* 14. *fol.* 363. Qui perperam Noſtrum S. Antiſtitem confundit cum GLYCERIO Epiſcopo *Conſuerano* in *Vaſconia Galliæ*, Diſcipulo *S. Fauſti Tarbienſis* Epiſcopi, de quo Andreas Sauſſay. in *Martyrolog Gallican. Tom.* 1. *Die VII. Auguſt. fol.* 498. & *Tom.* 2. *h. d. fol.* 1162. vbi eum LICERIVM vocitat, cùm primum ipſum appellaret GLYCERIVM. Nam *Gallus* ille *Diuus*, diuerſus ab *Ilerdenſi* Epiſcopo reputatur, & temporum intercapedine, & ſedium diſcrimine. Conſtat enim ex Dextro S. LICERIVM fuiſſe origine *Hiſpanum*, & in primitiuo Eccleſiæ exordio vixiſſe ad Annum CCC. XI. GLYGERIVM verò *Gallum* temporibus *Caroli Magni*, vt ipſe *Lanuza* teſtatur. Noſtrum fuiſſe Epiſcopum *Carenſem* in Hiſpania; poſt *Ilerdenſem* in *Catholonia*, quâ vrbe vtraque Sedes contracta fuit, indicant expreſſa Dextri verba. *Gallus* etenim, nequaquam *Hiſpanias* aduentauit, nec iſtius Regionis Pontificali munere Sedem aliquam illuſtrauit, ſed apud *Conſueranos* in Vaſconia tantùm Præſulem egit. Audi Martyrologium Gallicanum: *Ipſo die apud* Conſueranos *in Vaſconia*, S. GLYCERII *Epiſcopi, & Confeſſoris, illuſque Eccleſiæ, & Oppidi Tutelaris glorioſi. Is cœli iter vt caperet, ab ætatis flore* S. Fauſti *Tarbienſis Epiſcopi veſtigia ſecutus, ſub eius piâ diſciplina, ad omnis religionis, & iuſtitiæ perfectionem proceſſit. Factuſque poſt Theodorum* Conſueranorum *Antiſtes, fulgentia cùm prodidiſſet ſuæ ſanctimoniæ ſubiecto gregi ſpecula, atque ad* Gallicanæ *Eccleſiæ præſidium, & ornatum ſancitis legibus in* Agathenſi *celebri* Synodo *ſubſcripſiſſet, ſanctâ adminiſtratione completâ emigrauit ad Dominum, ſigniſque diù poſt tranſitum coruſcauit innumeris.* Hinc elicies quantum inter hos ſanctiſſimos Præſules inuenitur diſcrimen.

*Lanuzæ error.*

*S. Glycerius, ſeù Licerius Conſueranenſis in Gallia Epiſcopus diuerſus ab Ilerdenſi.*

Nec erit audiendus Iulianus Archipresbyter Toletanus in *Aduerſar. n.* 334. *fol.* 74. vbi meminit cuiuſdam S. BICERII Martyris, *Abbatis Benedictini*, quem confundit cum Noſtro S. LICERIO *Ilerdenſi Epiſcopo*, illumque facit multis ſeculis recentiorem. Archipresbyterum auſculta: *S. Vir* BICERIVS. I. BIGORIVS *Martyr Abbas Benedictinus S. Eugeniæ, Anno* M. .XX *factus eſt* Epiſcopus *Karinenſis* (*quæ ſedes tranſlata eſt poſt Ilerdam, & Corpus eius tranſlatum eſt Gerundam*) *fuit conſanguineus Roderici Diaz Campiatoris, filius D. Sanctiæ Vermudez, ſororis D. Vermudi, D. Sol, dictæ filiæ Roderici Didaci filius. Rex Aragoniæ dedit hanc ſedem prædicto S. Abbati. Fuit Vir eximiæ ſanctitatis, omnibus virtutibus cumulatus. Obiit* XXVII. Auguſti, *Anno Domini* M. C. LX *cùm eſſet annorum pluſquam* C X. *Celebris mentio illius habetur in conſecratione Eccleſiæ S. Eugeniæ Virginis, & Martyris* Cordubæ *paſſæ, cuius ille fuit Abbas: ſanctiſſimam vitam in Abbatia, & Epiſcopatu duxit. Eccleſia* Ilerdenſis *illum tanquam Epiſcopum ſuum colit. Ad quem annum Ego perueni plenus annorum, & ægritudinum. Fuit verò Martyr in Græcia. Lege Auctores* XIV. *Septembris.* Hactenus Iulianus, ſi fortè eius fuit, iſthæc tàm diuerſarum rerum farrago: vbi quiſquis videt miram hanc corruptiſſimi loci metamorphoſin, in qua nihil niſi verborum embolia lego. Hinc vt reſtituatur lectio, quæ hactenus deprauata circumfertur, ſic legenda erit: *S Vir* LICERIVS *factus eſt Epiſcopus* Karinenſis (*quæ ſedes tranſlata eſt poſt* Ilerdam, *& corpus eius tranſlatum eſt* Gerundam) *fuit vir eximiæ ſanctitatis, omnibus virtutibus cumulatus, obiit* XXVII. Auguſti. *Eccleſia* Ilerdenſis *illum tanquam Epiſcopum ſuum colit.* Cætera verò quæ in textu Iuliani leguntur, ab amanuenſi interſerta credimus, cùm fortaſſis in margine MS. adnotata conſpexerit, diuerſis in locis. ACTA verò S. Præſulis ſic componimus.

*Gloſſema in Iuliani codice inductum diluitur.*

*Reſtituitur locus Iuliani Toletani.*

## *ACTA S. LICERII EPISCOPI Carenſis, poſt Ilerdenſis, Confeſſoris in Hiſpania, ex Dextro, & aliis.*

*Origo, & ordo.*

LICERIVS *origine* Hiſpanus, *poſtquam primæ florem tranſegit ætatis, diuinis ſubſidiis, ac literarum diſciplinis informatus, zelo animarum incenſus, poſt ſuſceptos Presbyteratus honores, vigilem dedit in lucrandis hominum viſceribus operam. Cuius ſolicitudo ſic in Catholica fide confitenda refulſit, quòd ad apicem Præſulatus, ad* Carenſem Hiſpaniæ *vrbem, fuerit*

*Eligitur Epiſcopus.*

*meritò ſublimatus. Quâ Paſtorali curâ perfungens, ſic plebem veræ religionis luce illuſtrauit, ſalutiſque in viam direxit, vt fructum multiplicem credentium breui ſpiritualis agri Dominici cultor excitaret. Poſt hæc cùm per illa tempora* Paulatus *Epiſcopus* Toletanus *S. Pontificis ſingularem doctrinam, & ſanctitudinis ſpecimina conſpexiſſet, ad eum literas miſit, vt Sedem* Carenſem, *ad vrbem* Ilerdam *transferret, & illic Cathedralem Eccleſiam*

*Ilerdam träsfertur.*

*erigeret, ſoliumque Pontificalis ordinis collocaret. Paruit* LICERIVS *Metropolitæ Toletani decreto, & Ilerdam ingreſſus, non ſolum materialem erexit Eccleſiam, ſed etiam ſpiritualem in cordibus ciuium, quos adeò Chriſti cultores effecit, vt ferè totam illam plebem, & prouinciam, ab infelici Idolorum iniquitate liberaret. His ſic peractis deinceps totus ſe Deo tradidit, & ideò admirabili abſtinentiâ, charitate, aliiſque virtutibus, imò & miraculis emicuit, donec ad æternam deuenit per felicem dormitionis ſpeciem beatitudinem coronandus* VI. Kalendas Septembris *Anno Domini* CCC. XI.

*Moritur.*

*cùm* Carenſem, *&* Ilerdenſem *Eccleſias fere* XLIV. *annos gubernaſſet. Eius aliquot ſacra lipſana adhuc in* Cuſaria *Aragonenſis ditionis Oppido honorificè cuſtodiuntur, & venerantur intra Eccleſiæ Vicarialis ſacrarium, cuius & Oppidi S. Pontifex vnicus, & eximius Patronus, & Tutelaris exiſtit.*

*Paulatus Toletanus decreuit tranſlationem Eccleſiæ Carenſis ad Ilerdam.*

Hæc ſunt ACTA quæ potuimus contexere ex diſperſis tantæ antiquitatis ruderibus. Illud probare conuenit, circa *Tranſlationem* Sedis *Cariâ Ilerdam*, diſponente *Paulato Toletano* Antiſtite: quæ omnia refert Biuarius ad Dextr. *d. Ann.* 268. *n.* 5. *fol.* 295. P. Antonius Quintana-Dueñas *Hiſtor. SS. Toletanor. ſecul.* 3. *fol.* 401. Illuſtris D. Petrus de Rojas Comes Morenſis *Hiſtor. Toletan.* 1. *p. lib.* 6. *c.* 4. *fol.* 465. Qui omnes fatentur, *Sedem Carenſem*, quam primùm habuit S. LICERIVS, fuiſſe in Vrbe GVADALAXARA, è qua in *Ilerdenſem* ciuitatem tranſlatam fuiſſe contendunt. Hinc valdè demiror, quo prætextu, ſeu incuriâ D. Alphonſus Nuñez de Caſtro, qui *Hiſtoriam Guadalaxarenſem* ſcripſit, iſtius S. Præſulis haut meminerit, cùm prorſus de eo primitùs agere debuerat, quàm de aliis in illa Hiſtoria contextis, quæ hautquaquam antiquitati illius celeberrimæ, & nobiliſſimæ vrbis pertinent.

*Reliquiæ apud Zufariam.*

QVATENVS ad *Reliquias* S. Præſulis, quæ adſeruantur, & cuſtodiuntur in Eccleſia Oppidi *Cuſaria* dicti olim, hodie ZVERA videndus Lanuza *vbi ſupr. Tom.* 2. *lib.* 4. *c.* 14. *fol.* 363. vbi ex Antiquis illius Eccleſiæ monumentis, exiſtentiam ſacrorum aliquot pignorum, in argenteo vaſe ſeruatorum intra ſacrarij riſcum, probat. Qui idem, vt diximus, Noſtrum LICERIVM cum GLYCERIO Conſueranenſi Epiſcopo confundit, & alia prorſus à veritate aliena commiſcet.

S. GVDILA *Archidiaconus Toletanus Confeſſor.*] Meritò miratur *P. Ieronymus Roman de la Higuera* è Societate Ieſu, Hiſpanicarum rerum, maximè antiquarum eruditiſſimus reparator, cur Sanctus iſte Archidiaconus, non fuerit in *Romanum Martyrologium*, recens recognitum, relatus, potiſſimum teſtimonio ſanctiſſimi Viri *Felicis* Archiepiſcopi Toletani, qui eius ſanctitudinem, virtutes, doctrinam, & cæteras res geſtas recenſet, & S. IVLIANO Toletano Antiſtiti, cuius comes erat, in omnibus famoſis facinoribus æquat. Sed quod ibidem *Baronius*

*Martyrologia.*

omiſit, iam diu reparatum agnoſcimus in vetuſto *Martyrologio Placentino MS.* h. d. ſequenti elogio: *Toleti* S. GVDILA *Archidiaconus, Confeſſor, & Doctor, S. Iuliani Archiepiſcopi Toletani comes.* Et in *General. Catalog. SS. Die VIII. Septembr. fol.* 359. à Philipo Ferrario conſcripto, hac clauſula: *In Hiſpania* S. GVDILÆ *Diaconi.* P. Higuera in MS. *Martyrolog. Hiſpan. h. d. fol.* 54. hac ſerie: *En* Toledo *el tranſito glorioſo de* S. GVDILA *Archidiacono de aquella Igleſia Patriarcal, compañero de* S. Iulian *ſu Arcobiſpo, de quienes hizo vn elegante elogio* Felix *ſu ſucceſor.* Quæ verba latinitate donata, ſic legito: *Toleti glorioſus obitus* S. GVDILÆ, *illius Patriarchalis Eccleſiæ Archidiaconus*, S. Iuliani *eius Archiepiſcopi comes, de quibus* Felix *iſtius ſucceſſor luculentum edidit elogium.* De eo Luitprandus in *Chron. Ann.* 680. *n.* 135.

*Scriptores.*

vbi Higuera *fol.* 359. & 361. & D. Thom. Tamay. *fol.* 81. Iulianus Archipresbyter Toletanus in *Chron. Ann.* 659. *n.* 332. *fol.* 72. P. Ioannes Mariana *Hiſtor. Hiſpan.*



*pan. lib.* 19. *c.* 9. F. Ioannes Marieta *Hiſtor. SS. Hiſpan. lib.* 6. *c.* 44. *fol.* 160. D. Franciſcus Padilla *Hiſtor. Eccleſ. Hiſpan. Tom.* 2. *Cent.* 7. *c.* 51. *fol.* 288. Ambroſ. Moral. *Hiſtor. Hiſpan lib.* 12. *c.* 49. *fol.* 171. P. Anton. Quintana-Dueñas *Hiſtor. SS. Toletanor. Secul.* 7. *fol.* 313. Eius ACTA carmine conſcripſit *S. Iulianus*, ſic:

*Gloria* Toleti *iacet hac ſub mole ſepultus*
GVDILA, *pars animi, dimidiumque mei.*
*Qui ſenis à tenerâ mores ætate tenebat,*
*Et iuuenis fecit hîc iuuenile nihil.*
*Spiritus in ſacro reſidebat pectore Chriſti;*
*Exprimit hunc totum, moribus, ore, manu.*
*Pauperibus cibus eſt, viduis ſolamen, vt ægris*
*Grata ſalus: miſeris omnibus vnus erat.*
*Mercaris meritis multis, bone* GVDILA, *cœlum:*
*Nos deſiderium lancinat vſque tui.*
*Mærenteſque vocamus cum, quem ſuſtulit æther;*
*Proſequimurque piis funera lachrymulis.*
*Non violas, teneraſque roſas, nos lilia cana*
*Spargimus ad tumulum, ſed bona vota, tuum.*
*Nos ergo è ſuperâ proſpecta candidus arce;*
*Tequè amor & moueat,* GVDILA, *cura mei.*
*Mœnibus à patriis morbos auerte, famemque;*
*Hoſtileſque minas, dogmata falſa, dolos.*
*Toleti ne temne preces, comitiſque rogatus,*
*Qui tibi dat carmen ſat Iulianus amans:*
*Oſſaque* Felicis *tua ſacrâ condit in Æde,*
*Cuius mens ſuperis eſt ſociata choris.*

Ex huius ſepulchralis carminis ſtrue, & *Felicis Toletani* Præſulis relatione integram ACTORVM ecphraſim compaginabimus, vt tanti Leuitæ res geſtas in floſculum adunatas, poſteris tranſmittamus.

## *ACTA S. GVDILÆ, ARCHIDIACONI Toletani Confeſſoris ex SS. Iuliano, & Felice Toletanis Præſulibus.*

*Origo.*

GVDILA *ex nobiliſſima* Gothorum *progenie oriundus, Regiam vrbem* Toletum, *patriam agnouit; qui à primis infantiæ vnguiculis, quid in poſterum eſſet operaturus, oſtendit. Nam ſtatim ac adoleſcentiæ annos ingreſſus, velut ſydus nouum irradians admirabili pietate, & doctrinâ, nec non fidei, & religionis ardore imbecillem, & lubricam coronauit ætatem. Igitur cùm in ea plurima, & illuſtria virtutum inſignia edidiſſet, & in Eccleſiaſticis miniſteriis, quibus à puero fuerat addictus, toto illius temporis curriculo profeciſſet, exigente iam annorum termino, ad ordinis Eccleſiaſtici minores gradus aſcendit, donec ad leuitici ſublimatus, Archidiaconatus S. Eccleſiæ Toletanæ munus adeptus, ordinis, & muneris dignitatem excellentis ſanctimoniæ ſplendore feliciter exornauit. Eius fama cùm vbique perſonaret, à*

*Archidiaconus Toletanus eligitur.*

*Act. c. 4.* — *Monachũ agere cupit.* — *Mores.* — *Moritur.*

S. Iuliano *poſtea*, Toletano *Præſule*, *amicitiâ accerſitus*, *& vocatus*, *ita ſociali viculo eſt innexus*, *& inuiolabilis charitatis indiuidua eſt vnione coniunctus*, *vt & ambos ſocialis connexio*, *vnum eſſe oſtenderet*, *& vnitas in ambobus præfixa, non duas animas*, *ſed vnam iis ineſſe monſtraret. Tantaque erat inter eos adeptæ vnanimitatis communio*, *vt ſecundum Actuum Apoſtolorum hiſtoriam*, *in duobus corporibus vnum cor tantum putaretur, & anima vna. Siſtebant quidem in conſilio prouidi*, *in definitione vni, in laudabili operatione concordes. Quippè diuino afflante Spiritu, theoriæ, ideſt, contemplatiuæ quietis*, *delectationis perfrui bono*, *& Monaſticæ inſtitutionis conſtringi repagulo: Sed quia aliter in ſupremi Numinis fuit iudicio*, *eorum eſt nihilominus fruſtrata deuotio. Quamquam tamen minime peregiſſent deſiderati itineris curſum, non tamen deſierunt à piæ deuotionis ſtudio. Et dùm ſibi mallent tantum prodeſſe profugi, cœperunt poſtmodum proximorum ſalute, votis gliſcentibus*, *niti Erant enim in ſubditis docendis operoſæ virtutis*, *in profectu eorum deſiderabiles*, *in ſeruitute Dei feruentes, in deſiderio decoris domus Domini ſtrenui*, *in ſeniorum obedientia præſtò*, *atque ſi fieri poſſet, vt omnium emolumentum obtinerent virtutum*, *animis feruentibus ſtudebant. Igitur diuinorum iudiciorum diſpenſatione*, *ſanctæ recordationis* Gvdila *Diaconus* VI. Kalendas Septembris, *Era* DCC.XVIII. *id eſt, Anno Domini* DC. LXXX. *funeſtæ mortis euentu*, *ſub dignâ confeſſione Dei, clauſit ſupremum curriculum. Cuius* Corpuſculum *in Monaſterio* S. Felicis, *quod eſt* Cabenſi *in Villa dicatum*, Iuliani *dilectiſſimi ſocij ſui honorificè requieſcit humatum.*

*Cultus apud Toletanos datus olim.*

Hactenus Acta quæ breuiter, ſed luculenter recenſuit *Iulianus* in Epitaphio, & Felix in *in Vita S. Iuliani*, ambo S. Diaconi memores, & *Toletani Præſules* ambo, De eius antiqua feſtiuitate apud *Toletanos*, ob eius miracula, adſit *Aulus Halus* meus in *Libro Carminum M S.* vbi hoc *Epigramma*, ſequenti lemmate.

### PRO S. GVDILA ARCHIDIACONO Toletano, Epigramma Hali.

*Corporis exuuias Templum Felicis in vrna*  
*Continet excelsâ*, Gvdila *Sancte*, *tui.*  
*Hîc* Iulianus *eas ſepeliuit cordis amore*,  
*Noſceret vt Mundus ſic pia facta tua.*  
*Hîc recubans*, *miſeris ſolamen*, *prouidus*, *ingens*  
*Tribuit: eſtque ægris continuata ſalus.*  
*Leuitæ ſancto ſupplex ſua munera confert*  
*Toletumque ſuo*, *cui quoque feſta dicat.*

Conſtat enim ex relatione huius *Octaſtichi*, qualiter S.E. Toletana olim feſtum in anniuerſario die tranſitus S. Archidiaconi perageret, quod temporum obliuione intermiſſum, ſpero denuo proſequendum.

*Verus dies obitus.* — *Interfuit Concilio XI. Toletano, & ſubſcripſit.*

Circa *diem obitus*, irrepſit proculdubio mendum in codice Auberti Myræi in *Bibliothec. Eccleſ. Tom.* 1. *fol.* 100. quâ vitam *Iuliani* Epiſcopi *Toletani* edidit, & agens de morte Gvdilæ, eum obiiſſe aſſerit VI. *Idus Septembris*, cùm prorſus conſtet ex finalibus verbis epitaphij *S. Iuliani*, à Luitprando *d. n.* 135. *fol* 360. editi, S. Virum è vitâ migraſſe, VI *Kalend. Septembris.* Audi Iuliianum: *Obiit in pace ſeruus Dei* D. Gvdila, *Archidiaconus S. E. Toletanæ* VI. Kalend. Septemb. *Æra* DCC XVIII. *id eſt*, *Anno Domini Noſtri Ieſu-Chriſti* DC. LXXX. Ita etiam legitur apud P. Higuera in *Not. ad Luitprand. d. n.* 135 *fol.* 362. referens verba *Felicis*. Qui etiam S. Archidiaconus interfuit XI. *Concilio Toletano*, & in eo ſuſcripſit.

Monas



*Conditor Monaſterij S. Felicis.*

Monasterivm S. Felicis.] Conditum fuit in territorio *Toletano*, Tago flumini incumbens, vt inquit Luiprandus *d numer.* 135 Hodie dicitur more Hiſpano Sahellices, de quo D. Thomas Tamayo *in Not. ad Luitprand. Ann.* 680. *fol.* 81. Conditumque fuiſſe ab *Emeterio* Comite Cubiculariorum contendit Iulian. *in Chron. num.* 332.

# QVINTO KALEND. Septembris.

## DIES XXVIII.

*A.* *Apud Santonas in Gallia* S. Bibianvs *ipſius vrbis Epiſcopus*, Hiſpanus *ex* F. Bibani Ilicitani *genere oriundus*, *Cuius miracula deſcripſit* S. Gregorius Turonenſis, *cuius Baſilicæ magnificentiam depinxit* S. Venantius Fortunatus, *cuius virtutes terræ veneratur, cuius ſpiritum cœlum poſſidet*, *& cuius memoriam accolæ vtriuſque prouinciæ recolunt feſtiuâ pietate*, *necnon & cuius Nomen in Tabulis ſcriptum Eccleſiaſticis apud vniuerſos ſanctitatis promeruit elogium.*

*B.* Hyppone *Regio in Africa natalis* S. Avgvstini *Epiſcopi*, *& Eccleſiæ Doctoris eximij*, *cuius inſtituti regulas ſic eſt* Hiſpania *amplexata*, *vt à multis retro ſeculis*, *&* Canonicorum Regularium *normam agnoſceret*, *&* Eremitarum *fratrum ordinem*, *hinc inde Monaſteriis extructis*, *admitteret*, *è quibus*, *virtutibus*, *& doctrinis imbuti filij exorirentur illuſtres.*

---

# NOTÆ.

*A. Martyrologia.* — *Scriptores.*

Sanctvs Bibianvs *Epiſcopus Santonenſis in Gallia*, *origine Hiſpanus.*] Valdè famigerata eſt inter Eccleſiaſticos Scriptores memoria huius ſanctiſſimi Præſulis, nam *Vſuardus*, *Ado*, *Galeſinus*, & cæteri recentiores in ſuis Martyrologiis eius meminere, prout Baronius in *Romano* h. d. *fol.* 535. *lit. H.* Pater Dionyſ. Vaſq. in *Caſtellano fol.* 140. P. Ioannes Lup. *in Luſitano fol.* 182. Conſtantius Felic. *in Italo fol.* 81. licet eum perperam vocitet Ivlianvm. P. Ieronymus de la Higuer. in *Hiſpano MS.* Andreas Sauſſay. in *Gallicano Tom.* 1. *fol* 561. De eo S. Gregorius Turonenſis de *Glor. Confeſſor. c.* 58. celebre adnectit elogium; Bonadius Santonenſis in *Monod. lib.* 3. *Epigramm.* 22. elegans carmen. De eius Baſilica Venantius Fortunatus *lib.* 1. *Poëmat.*

*mat. Epigramm.* 12. *in Biblioth. PP. fol.* 775. inſigne mnemoſynon. Iulianus Archidiaconus Toletanus *in Aduerſ n.* 100. *fol.* 26. breue ſui originis monumentum Cuius ſequitur veſtigia *Carmen ſepulchrale* vetuſtum in meo *Codice MS. Auli Hali* quod poſtea dabimus. Eius ACTA ſcripta circumferri ſuo ſeculo refert *Turonenſis*, at iſto prorſus incognita. Illa ex relatione Andreæ Sauſſay dabimus, additâ originis ratione.

## *ACTA S. BIBIANI EPISCOPI Santonenſis in Gallia, origine Hiſpani, ex Turonenſi, Iuliano, Sauſſayo, & aliis.*

*Origo.*

BIBIANVS *fuit de genere* Flauij Bibiani Ilicitani *in* Bætica Hiſpaniæ *nobiliſsimo oriundus, qui adoleſcens ſtudiorum deſiderio raptus* Gallias *aduenit, & apud* Santones *pedem figens natalium claritatem diuinæ virtutis ſplendore, magis quàm ferrum auro decoratur, illuſtrauit. Paſtor enim eius Eccleſiæ conſtitutus, ſic Dei placita executus eſt in gregis procuranda ſalute, vt paſtorum Principis, qui pro ouibus animam poſuit, effigiem mirâ zeli, & diuinorum actuum imitatione referret. Sæpe enim ſemet in diſcrimen dedit, vt afflictis ouiculis ſolatium afferret: quibus, & Euangelicis documentis, & glorioſis virtutum progreſsibus, ad veræ beatitatis aſſecutionem tramitem oſtendit. Ipſe verò poſtquam cœlitùs de felici exceſſu præmonitus, diem ſuum extremum præſignaſſet, ad deſideratam requiem profectus eſt*, V. Kalend. Septembris. *Cuius corpus in ſua Cathedrali Baſilica depoſitum, & honorificentiſsime tumulatum quieſcit, vbi S. Antiſtes crebrò exoratus languentibus tribuit ſoſpitatem. Nam mulier quædam cuius manus aruerant, vnguliſque iam ſauciatæ, contractis neruis, opus operandi perdiderant, ad Beati Pontificis ſepulchrum deuota proſternitur. Factaque oratione, manus redintegratas, laxatis digitorum filis, ad agendas Domino gratias meruit eleuare. Poſtmodum plurimis aliis miraculis clarus vrbem, & Eccleſiam ſuam, necnon* Galliam, *&* Hiſpaniam *continuis fauoribus illuſtrauit, ad cuius tumulum quidam* Hiſpano Gallus *Poëta Octaſtichon hocce appendit:*

*Galliam pergit vbi fit Epiſcopus Santonenſis.*

*Moritur, & ſepelitur.*

*Miraculum.*

*Pontificis iacet hoc* BIBIANI *marmore corpus;*
*Qui Santonenſis Præſul & vrbis erat.*
*Progeniem* Bibianus *Diuo ex* Ilice natus
*Obtulit, hinc Præſul:* Ilicitanus *erit.*
Bætica *Pontifici dedit iſti nobile auorum*
*Cum virtute genus;* Gallia *noſtra Sedem.*
*Prodigiis conluſtrans Orbem hac clauſus in vrna;*
Gallia *teque colit, Te veneratur* Iber.

*Probatur origo Hiſpana.*

Conuenit Iulianus Petri in Aduerſar. *d. n.* 100. *fol.* 26. *hac* ſerie: *De genere Flauij* Bibiani, Ilicici *in* Bætica, *dicitur profectus* S. BIBIANVS *Epiſcopus* Santonenſis, , *qui celebratur* XXVIII. Auguſti. Sed quis erat ille *Flauius*, ſeu *Flauianus Bibianus Ilicitanus* ſciſcitaberis? Crederem eum fuiſſe, cuius meminit idem Iulianus in *Chron. Ann.* 354. *n.* 165. *fol.* 43. Patrem *S. Bibianæ* Martyris, vbi licet ibidem *Hiſpalenſis* vocitetur, intelligendum erit de domicilio, nam origine *Ilicitanus* erat, vt patet ex ſequenti *Inſcriptione* in agro repertâ *Oriolenſi*:

F. BIBIANVS. P. F. QVIRINVS. RECTVS.
ILICITANVS. F. BIBIANI. NEP.
HISPALENS. QVÆSTOR. BIBIANÆ.
SORORI. D. S. F C E. D.

Vbi



Vbi auus *Flauij* Bibiani *Quirini Recti* in marmore vocatur *Hiſpalenſis* propter *Quæſturam*, quam *Hiſpali* exercuit, non propter *originem*; nam omnes BIBIANI, quorum genus *Hiſpanum* fuit, ILICITANI erant.

*Bibiani omnes Ilicitani.*

ILLICE, ſeu ILICE, vtroque modo ſcribitur. Vrbs in Hiſpania, quam eſſe hodie ELCHE probauimus ſupra *Tom.* 1. *Die XXIII. Ianuar. fol.* 266. Et *Tom.* 2. *Die XXIV. April. fol.* 737. *lit. D.* dùm de S. CORONA Virgine Benedictina egimus. Cuius Notationes Typographi fortè incuriâ in dicto *Tom.* 2. *fol.* 747. omiſſæ, imperfectum Codicem illum rediderunt. Quod valdè dolendum eſt; nam quæ Nos continuis lucubrationibus, & ſtudiis digeſſimus; aut ſcioli Typographi malitia, aut compoſitorum diuerſione fruſtrentur.

*Typographi incuriâ omiſſæ Notationes Die XXIV. Aprilis* B.

S. AVGVSTINVS *Epiſcopus, Doctor, & Confeſſor.* ] De hoc ſanctiſſimo Antiſtite, ingenio, doctrinâ, & virtute ſupra omnes mortales illuſtriſſimo, omnium & Academiarum, & Doctorum Doctore, & Orthodoxæ Eccleſiæ verè AVREEHAIOΣ, quam non modo eruditionis, & ſanctitatis ſuę ſparſis quaque fulgentiſſimis radiis inluſtrauit, ſed defendit, linguâ imprimis, & ſtilo, atque contra nefarias, toto Orbe dominantes hæreſes feliciter vindicauit, ferè omnes Martyrologiorum Scriptores cum *Romano*, vbi *Baronius*, & cæteri in *Caſtellano*, *Luſitano*, & *Italo*. Cuius elogia paſſim ſcripſere Patres, Chronographi, Scriptores, & Poëtæ. Aliqua auſculta. *Concilium Toletanum* VIII. celebratum Anno DC.LIII. *c.* 1. *n.* 2. iſta recenſuit: *Vir ſanctiſsimus* AVGVSTINVS, *inueſtigationis acumine cautus; inueniendi arte præcipuus, aſſerendi copiâ profluus; eloquentiæ flore venuſtus; ſapientiæ fructu fœcundus.* Proſper Aquitanicus de *Vit. Contemplat. lib.* 3. *cap.* 31. ſequentia dictauit: S. AVGVSTINVS *Epiſcopus, acer ingenio, ſuauis eloquio, ſecularis literaturæ peritus, in Eccleſiaſticis laboribus operoſus in quotidianis diſpoſitionibus clarus, omni ſuâ actione compoſitus, in expoſitione ſuâ fidei noſtræ Catholicus, in quæſtionibus abſoluendis acutus, in reuincendis hæreticis circumſpectus, & in explicandis ſcripturis cautus.* S. Hilar. Epiſtol. ad *Arat. Diacon.* illum, *Defenſorem fidei noſtræ in diuina meditatione aſsiduum, metu mortis intrepidum*, vocat. *Validiſsimum malleum hæreticorum*, & *Linguam Eccleſiæ* S. Bernard. in *Cant. Sermon.* 80. Caſſiodorus de *Sex. Ætat. Mund.* eum appellat: *Famoſorum palmam certaminum.* S. Vincentius Ferrarius *Serm. de S. Auguſtin.* illum *Aureum Templi candelabrum* compellat. *Vocem Chriſtianæ legis, & organum Catholicæ fidei*, Abbas Tuitienſis in *Epiſtol. Nuncup. in Euangel. Ioann.* Plura alia, quæ hic tranſcribere prolixum, coniunxit Cornelius Curtius in *Elog. Auguſtin. à fol.* 7. *vſque ad* 14. Ex Poëtis S. Proſper lib. περὶ ἀχαρίστων. carmine heroico, ſic:

*Martyrologia.*

*Elogia Patrum.*

*Poëtarum.*

AVGVSTINVS *erat, quem Chriſti gratia cornu*
*Vberiore rigans, noſtro lumen dedit æuo;*
*Accenſum vero de lumine: nam cibus illi,*
*Et vita, & requies Deus eſt, omniſque voluptas;*
*Vnus amor Chriſti eſt; vnus Chriſtus honor illi*
*Et dum nulla ſibi tribuit bona, fit Deus illi*
*Omnia, & in ſancto regnat ſapientia Templo.*
*Iſtius ergo inter cunctos, qui de grege ſancto*
*Inſanas pepulêre feras, induſtria maior,*
*Maius opus; totum præſtantius imbuit Orbem.*
*Nam quocumque gradum conuertit callidus hoſtis,*
*Quaque per ambages anceps iter egit opertas,*
*Huius ab incurſu eſt præuentus, mille viarum*
*Inſidiis aditum non repperientibus vllum.*
*Cumque foris rabies auidorum excluſa luporum*

 *Fran*

*Frenderet, inque omnes mendacia verteret artes;*
*Ne mentes vllarum ouium corrumpere poſſet,*
*Neu dubia obliquiis turbaret corna querelis;*
*Iſtius ore viri fecit Deus, iſtius orẽ*
*Flumina librorum mundum fluxere per omnem,*
*Quæ mites, humileſque bibunt, campiſque animorum*
*Certant vitalis doctrinæ immittere riuos.*

*Æneas Syluius*, poſt Pius II. Pontifex Maximus; *Ioannes Iouianus Pontanus*; *M. Ieronymus Vida* Epiſcopus Albanus; *Franciſcus Gonzaga* Marchio Mantuanus, *Iulius Cæſar Scaliger*, & *P. Nicaſius Baxius*, in ſuis Hymnis relatis à Cornelio Curtio *ſupr. à fol.* 18. *vſque ad* 23. Quibus adde Robertum Obrizium in *Hymn. ſacr. lib.* 5. *Hymn.* 19. *fol.* 225. Ioannes Carolus Morellus *in Hymn. ſacr. Epitaph.* 114. *fol.* 57. Nicolaus Oüdaërt *in Ephemerid. Eccleſ.* 2. *p. fol.* 36. *Epigram.* 28. Mutius Sforcia in *Kalend. Roman. Heroïc. lib.* 1. *fol.* 208. Ioannes Bapt. Maſculus *in Lyric. lib.* 9. *Od.* 25. *fol.* 345. Ioannes Bachot Senonicus in *Faſt. Chriſtian. h. d fol.* 609. vbi vnico Diſticho omnium elogia complectitur, ſic:

*Vir, Leo, Bos, Aquila, mitis, ferus, impiger, alta,*
*Mel, mala, ſcripta, polos, dat, fugat, edit, adit.*

Id eſt, quòd *Vir mitis mel dedit, lugentibus conſolationem, pupillis & viduis leuamen, oppreſſis auxilium, piis denique ſalutem.* Leo *ferus mala fugauit, hæreticos ab Eccleſia, ab impiis à ſe domitis peccata.* Bos *impiger ſcripta edidit numeroſa, quibus Eccleſiam illuſtrauit.* Aquila *alta polos adiit, & viuus leui meditationis alâ,* & *Diuus ob prædictas virtutes cœleſti receptus aulâ.* Eius Acta ipſe in *Libris Confeſſionum* inſeruit, poſtea *Poſſidius* Epiſcopus Calamenſis, à quo & ab aliis *Ludouicus ab Angelis*, & breui carmine Mantuanus in *Faſt. Sacr.* quæ damus:

## ACTA S. AVGVSTINI EPISCOPI Hypponenſis Eccleſiæ Doctoris, Eremitarum, & Canonicorum Regularium, Inſtitutoris; ex Faſtis Baptiſtæ Mantuani.

*Annua Septembris Quinto celebrate Kalendas,*
AVGVSTINVS *adeſt, magno ſolemnia plauſu,*
*Sydoniæ natus propter Carthaginis alta*
*Mœnia, doctrinis animum dedit omnibus, omnẽ*
*Bibliothecarum veterum penus, omne nouarum*
*Explorauit: Vbi Lybicis prædatus in oris*
*Quidquid erat diſciplinæ: Tranſiuit ad vrbes*
*Auſonias: Vidit magna Capitolia Romæ.*
*Venit & ipſa Parens Nati veſtigia ſemper*
*Sollicito ſectatam animo, cui Monica nomen.*
*Iunior impatiens Veneris fuit, ægra maraſmo*
*Corda ferens tali multis emarcuit annis.*
*Maternis tandem lachrymis ſanatus ab vnda*

*Emerſit*



*Emerſit Stygia, lucemque aſpexit Olympi.*
*Non tamen hoc eius potuit de pectore cancer*
*Ante trahi; ſic eſt noſtris immerſa libido*
*Senſibus; in lucem fuerit quàm præditus infans;*
*Infelix infans tanto par indole patri.*
*Nam dum floret adhuc raptus producere fruges*
*Non potuit: virtus inconſummata receſſit.*
*Venit ad Inſubres, vbi longe tempore fungens*
*Rhetoris officio, tandem fermentata reliquit*
*Mannichæa, quibus puerili indulſit ab æuo.*
*Ambroſius, qui tunc magno cum fœnore in illâ*
*Paſcebat regione greges, ſermone potenti*
*Eruit illius hunc triſtem de corde veternum.*
*Ergo experrectus; quaſi qui poſt longa viator*
*Ocia deſidiæ vult damna rependere curſu;*
*Accinxit diuino operi feruenter; & acri*
*Sedulitate animum ſtudia ad cœleſtia flexit:*
*Viuendi normam inſtituit: memoratur eremum*
*Incoluiſſe Maris Tuſci prope littora: Centum-*
*Cellarum quâ vicus erat. Tyberina petiuit*
*Oſtia; & hic Mater corpus mortale reliquit.*
*Littoribus tandem Lybicis, patriâque potitus;*
*Hæreticis bellum indixit: de finibus illis*
*Expulit hanc diram, crebro certamine, peſtẽ.*
*Non tot cœliuagis quotiens è nubibus æſtas*
*Fundit aquam, riuos agit Apeninus ab alto*
*Vertice, in vmbros valles, campoſque iacentes;*
*Quot fluit in Libros huius facundia Patris.*
*Nemo quod illorum Pelagus perlegerit omnẽ*
*Se iactare poteſt: in tanta volumina creſcunt.*
*Artibus his bifido caput inſignitus amictu*
*Hipponenſe pedum meruit. Gens illa ſub iſto*
*Dum vixit paſtore, bonis cœleſtibus aucta eſt*
*Mirifice, ſicut ſub frugi terra colono,*
*Plus parit, & maiore onerat granaria frugẽ.*
*Europæ iam notus erat, iam notus & Indis,*
*Vt Graiis Elice, Tyriis Cynoſura carinis;*
*Cùm ſubito extremis terrarum à finibus atrox*
*Vandalus erumpens, tanquam ſi littore fracto*
*Occeanus fluat in terras, Regna omnia merſit.*
*Vaſtatâ primum Europâ tranſiuit Iberum*

 *Æquor,*

*Æquor, & inuoluens furiis Getulica rura,*
*Venit ad Hipponem: quâ tempeſtate ſuorum*
*Triſtia fata gemens Pater* AVGVSTINVS *acerbas*
*Incidit in curas: lapſoque in corpora morbo*
*Menſis ad extremam vitæ felicibus horam*
*Auſpiciis veniens terras mutauit Olympo.*

Igitur AVGVSTINI res geſtas, & ſcripta recenſere, nec humana valebit eruditio, ideò relinquere (vt ipſe B. Pater aiebat) Deo conuenit, quæ nos haut poſſumus inueſtigare.

*Magiſter Pontifi um Hiſpaniæ.*

PLVRIMA debet AVGVSTINO auxilia *Hiſpaniæ* vniuerſus circulus, quibus adhærens, eius feſtum diem concelebrare à multis retro ſeculis cœpit. Nam Hiſpanorum Præſulum Magiſter fuit in aliquibus rebus ad fidem pertinentibus, maximè quando *S. Paulus Oroſius* Presbyter *Braccarenſis* ab *Eutropio* & *Paulo* in Hiſpania Epiſcopis, Anno CCCC. XIV. in Africam miſſus ad AVGVSTINVM, tanquam ad cœleſte quoddam Eccleſiæ Catholicæ oraculum, vt illum certiorem faceret, & conſuleret de erroribus *Priſcillianiſtarum*, & aliis ex *Origene*, & *Victorino* prognatis hæreſibus, à duobus *Auitis*, & *Baſilio Græco*, in Hiſpaniam adlatis, vbi S. Doctor quid tenendum ſcripſit, & *Oroſium* edocuit veritatis ſententiam, quâ *Hiſpanienſis* Eccleſia aduerſus omnes illos hæreticos inſurgens, non ſolum illorum dogmata damnauit, ſed illos prorſus ab Hiſpania totâ penitus amandauit. Hinc etiam in *Concilio Toletano* VIII. ſuperius à Nobis elogium de S. Doctore coagulatum agnoſco.

*Eremitarum, & Canonicorum Regularium inſtituta, à quibus in Hiſpanias aduecta?*

HINC etiam *Canonicorum Regularium*, & *Eremitarum* inſtituta, à Beatiſſimo Patre confecta, & ordinata, in Hiſpanias deuenere (abſit vt Nos primæuâ vnius inſtituti relatione, antiquitatem inter *Canonicos Regulares*, & *Eremitas*, aliquam conſtituamus) auctoribus *Oroſio*, qui *Canonicam*, & *Paulino* qui *Eremiticam* aduexere, vt probant P. F. Thomas Herrer. *in Alphabet. Auguſtin. 2. p. lit. P. fol.* 226. P. F. Ludouicus ab Angel. in *Vit. S. Auguſtin. lib.* 4. *c.* 20. *fol.* 101. Ergo ad vtriuſque inſtituti Monaſteria veniamus. De *Canonicis Regularibus* multa congerit Gabriel Pennotus *de Canon. Regular.* 2. *p. c.* 30. 31. *&* 32. quæ quia confusâ relatione refert, eius ſententiam omittimus; & ad catalogum Monaſteriorum *Eremitarum* tranſgredimur.

## *CATALOGVS MONASTERIORVM Eremitarum S. Auguſtini per Hiſpanias olim, aut hodie erectorum.*

I. CANALIENSE ad Oppidum Canali in Luſitania, vbi Monachos Nigros ibidem Monaſterium extruxiſſe ab Anno CCC. XCIII. aſſerit Dext. in Chron. Ann. 418. Eoſque fuiſſe Eremitas Auguſtinianos contendunt Rodericus Caro, & Maldonado, ab Herrera citati in Alphabet. fol. 153. lit. C. 393.

II. SISLENSE prope Toletum in Carpetania primùm S. Cruci, pòſt in reædificatione Athanagildi Regis Gothorum, S. Mariæ dicatum, paruit Auguſtinianis Eremitis, nunc Ieronymianis, conditum ad Annum CCCC. XXIV. 424.

III. LVRBANIENSE iuxta Conimbricam in Portugallia à S. Paulo Oroſio (vt refertur) extructum ad Annum CCCC. L. & poſt longam anorum ſeriem ad Benedictinos, demum ad Moniales Ciſtercienſes tranſlatum. 450.

IV. THOMARIENSE in diœceſi Leyrienſi in Portugallia à S. Oroſio conditum ad Annum CCCC. L. dum Rictiarius in Luſitania, & Gallæcia regnaret. 450.

V. VACA



V. VACARISSENSE in Hiſpania à S. Paulo Oroſio fundatum per eadem tempora, ſcilicet Anno Domini CCCC. L. vt ex Herrer. lit. V. fol. 508. liquet. 450.

VI. SARASENSE olim S. Martino dicatum in Aragonia, à Geſelaico Gothorum Rege Anno Domini D. VI. extructum, cui primò præfuit S. Victorianus, & illi hodie conſecratum dicitur. 506.

VII. SERVITANVM in Bætica in Agro Securitano à S. Donato ſumptibus religioſæ fœminæ Minicæ conditum ad Annum Domini D. LXX. 570.

VIII. CAVLIANENSE in Extremadura prope Vrbem Auguſtam Emeritam, ad flumen Anam fundatum à S. Nunto Monacho Afro, Domini D. LXXXII. 582.

IX. SANTMATINENSE inter Saguntum, & Carthaginem Spartariam, parum diſſitum à Monaſterio Seruitano, de quo mentio eſt à S. Gregorio Turonenſ. de Gloria Confeſſor. c. 12. ad Annum Anno Domini D. L. XXXIII. 583.

X. TVDENSE in Gallæcia è regione vrbis Tudenſis extructum ad Annum Domini DC. XX. quod in Eremitis perſeuerauit ad Annum DCCC. XIII. & poſtmodum ad Cluniacenſes deuenit. 620.

XI. LIMENSE in diœceſi Braccarenſi Gallæciæ Metropoli S. Saluatori aliud, & S. Claudio alterum duo illo nomine Monaſteria constructa ad Annum Domini DCC. ſed à Sarracenis ad Annum DCCCC. LXXXII. euerſa. 700.

XII. NAZARETHENSE in diœceſi Vlyſſipponenſi in Portugallia à S. Romano conſtructum Anno Domini DCC. XIV. ex reliquiis Caulianenſis Cœnobij iuxta Emeritam olim conditi, ex Ludouico ab Angel. de Vit. S. Auguſtin. lib. 4. c. 20. 714.

XIII. BOLARDENSE in Luſitania S. Laurentio Martyri dicatum, & à S. Anacirardo Auguſtiniano Monacho extructum ad Annum DCCC. L. 850.

XIV. CARTAAGINENSE in Hiſpania S. Geneſio ſacratum, & prope Carthaginem Spartariam ędificatum ad Annum Domini DCCC. LXVII. Poſtmodum ab Alphonſo Caſtellæ Rege X. reſtauratum Anno M. CC. XCIV. nunc Minoribus paret. 867.

XV. FIANENSE dicatum B. Dei Genitrici Mariæ in diœceſi Braccarenſi in Gallæcia ad Annum DCCC. LXXXVII. Sed tempore Alphonſi Enriquez ad Ciſtercienſes tranſlatum, ex Ieronymo Roman. in Hiſtor. Eccleſ. Hiſpan. lib. 6. c. 44. 887.

XVI. BVRGENSE in Caſtella S. Andreæ dicatum, & tempore Ferdinandi I. Regis conditum ad Annum M. L. vbi imago miraculoſa D. N. Ieſu-Criſti in Cruce pendentis, opus, vt ferunt, Ioſephi ab Arimathia, adhuc prodigiis claret. 1050

XVII. CARVAXALENSE in diœceſi Zamorenſi, S. Encratidi Virgini, & Martyri Cæſarauguſtanæ dicatum, & conditum ad Annum M. L. 1050.

XVIII. NALDENSE in Regno Nauarræ non procul à Locronio, S. Auguſtino dicatum, & à Sanctio conditum Rege Nauarræ ad Annum M. LXIV. 1064

XIX. GIRALDENSE non procul ab Atauguia Oppido in Luſitania, conditum tempore Alphonſi Enriquez ad Annum M. C. 1100.

XX. VISÆENSE in Luſitania S. Chriſtophoro dicatum, & perſeuerauit ad Annum M. C. XX. quod reædificauit B. Ioannes Zirita Ciſtercienſis. 1120

XXI. LAFOENSE titulo S. Chryſtofori erectum olim, & ad Annum M. C. XXIII. inter Eremitas Auguſtinianos exiſtens, poſt ad Ciſtercienſes tranſiens. 1123

XXII. SALCEDENSE in Epiſcopatu Lamecenſi in Portugallia, S. Ioanni dicatum, & ad Ann. M.C.XXV. erectũ, hodie Ciſtercienſibus paret. 1125

XXIII. TVRRE-VETERENSE in Luſitania erectum ad Annum M.C. XXVI. licet aliqui contendant ad M. CC. XXVI. 1126

XXIV. VLYSSIPPONENSE in Luſitania, titulo S. Mariæ de Gratia, conditum ad Annum Domini M. C. XLVIII. licet in hoc in varias ſententias itur. 1148

XXV. PISCARIENSE in Luſitania, S. Iuliano dicatum, ad Maris Occeani littora conditum ad Annum M.C. LIII. 1153

XXVI. CINTRENSE in Portugallia, S. Saturnino dicatum, & ab Alphonſo I. conditum ad Annum M. C. LXIX. & poſtmodum graſſante peſte deſertum. 1169

XXII. EBORENSE in Luſitania D. Virgini de Gratia dicatum, & conditum ad Ann. Domini M.CC.VI. poſtmodum ex integro reſtitutũ. 1206

XXVIII. PENNAFIRMENSE in Luſit. B. MARIÆ dicatũ, & ad litus Maris Occeani ſitum in loco ſolitario, ad Ann. M.CC.XXVI conditum. 1226

XXIX. CORDVBENSE in Bętica S. Acathio dicatum, & poſt eius vrbis reſtaurationem per Ferdinandum Sanctum, conditum Anno M. CC. XXXVI. 1236

XXX. AQVÆVIVENSE in campo Alziræ, Valentinę diœceſis, B. MARIÆ dicatum, & à Iacobo Aragonię Rege conditũ Año M.CC.XXXIX. 1239

XXXI. HISPALENSE in Bætica, S. Auguſtino dicatum, & poſt ipſius vrbis reſtaurationem conditum, Anno M.CC.XLVIII. Cuius Patroni Duces de Arcos. 1248

XXXII. FORMENTERENSE in Aragonia, S. MARIÆ dicatum, conditum ad Annum Domini M. CC. LVII. 1257

XXXIII. TOLETANVM in Carpetania, olim S. Stephano, nunc, S. Auguſt. dicatũ, ab Alphonſo X. Caſtellæ Rege conditũ ad Ann. M.CC.LX. 1260

XXXIV. AZIRENSE in Valentia, S. Auguſtino dicatum, & operâ F. Raymundi Prioris Aquæuiuenſis fundatum ad Annum M.CC.LXX. 1270

XXXV. CASA-RVBIENSE in Carpetania, B. MARIÆ dicatum, & à D. Gomezio Perez Toletanæ vrbis Præfecto conditum ad Annum M. CC. LXXIII. 1273

XXXVI. CÆSARAVGVSTANVM in Aragonia, S. Auguſtino dicatum, conditumque ad Annum Domini M. CC.LXXXVI 1286

XXXVII. CASTELLIONENSE in Regno Valentiæ, S. Auguſtino dicatum, conſtructumque primùm extra oppidum Anno M. CC.XCVIII. 1298

XXXVIII. PACENSE in Extremadura, primùm S. MARINÆ, poſt S. Laurẽt. dicatum, & extra vrbis mœnia ad Ann. M.CC.XC.VIII. conditum, ſed poſtea ad Annum M.CCCC.XIX. intra vrbem tranſlatum. 1298

XXXIX. ALCODIENSE in Aragonia, S. Auguſtino dicatum, & à D. Margareta de Lauria, Nicolai Ianuillanni Comitis Terræ-Nouæ coniuge, & Rogerij de Lauria, & Saurinę de Entenza, Iacobi Aragonum Regis patruelis filia, conditum Anno M. CCC. 1300

XL. ALCARACENSE in agro Laminitano, diœceſis Toletanæ, conditum ad Annum Domini M.CCC. 1300

XLI. VALENTINVM in Edetanis conſtructum circa Annum M.CCC. X. licet aliqui ad Annum M.DCC. L. reiiciant. Videndus Herrera. Tom. 2. fol. 525. 1310

XLII. STELLENSE in Regno Nauarræ, S. Antonio dicatum, conditum ad Annum Domini M. CCC. XIII. 1313

XLIII. CASTELLIMVNONIENSE in Bætica, S. Auguſtino dicatum, & à D. Ioanne Emanuele erectum ad Annnm M.CCC. XXVI. 1326

XLIV. DOMINARIENSE in Caſtella XVIII. Milliar. ab vrbe Valliſoletana diſtans, S. Auguſtino dicatum, Anno Domini M. CCC. XXXIV. conditum 1334

XLV. BAR



XLV. BARCINONENSE in Cathalonia, S. Auguſtino dicatum, & vt placet aliquibus ad Annum M.CCC.XLVIII. conditum, aliis vero M. CCC. IX. 1348

XLVI. PERPINIANENSE in Ruſcinonia Hiſpaniæ, S. Auguſtino dicatum, & ad Annum M.CCC.XLVIII. conditum, & erectum. 1348

XLVII. ALGEZIRENSE in Aragonia, conſtructum ad Annum Domini, vt quidam ſuſpicantur, M. CCC. LXXI. licet alij ad M. CCC. LXXV. contendant. 1371

XLIX. ILERDENSE in Cathalonia, S. Auguſtino dicatum, & extra vrbis menia extrùctum ad Annum Domini M. M. CCC. LXXV. 1375

L. SCALABITANVM in Luſitania, abs D. Ioanne Alphonſo Tello Meneſſio Comite de Ourem conditum ad Annum Domini M. CCC.LXXVI. 1376

LI. SALMANTICENSE in Caſtella olim S. Petro dicatum, hodie S. Auguſtino, & ad Annum CCC.LXXVII. ædificatum. 1577

LII. FRAGENSE in Aragonia, B. V. MARIÆ de Gratia ſacrum, olim extra Oppidum ſitum, & ad Annum M. CCC. LXXXII. extructum. 1382

LIII. VILLAVICIOSENSE in Luſitania, olim S. Auguſtino, poſt D. N. de Gratia conſecratum, & conſtructum Anno M. CCC. LXXX.VII. 1387

LIV. ORIOLENSE in Aragonia, S. Auguſtino dicatum, & ad Annum Domini M. CCC.XC. conditum, licet alij aliter aſſerant. 1390

LV. ARENARENSE diœceſis Abulenſis, B. MARIÆ de Pilari ſacrum, à D. Iacobo de Fuenſalida Epiſcopo Abulenſi ad Annum M. CCC. XCV. conditum. 1395

LVI. VALLESOLETANVM in Caſtella, S. Auguſtino dicatum, & ad Annum Domini M. CCCC. VII. conditum à D. Didaco Lopez Daualos Comeſtabili Caſtellæ. 1407

LVII. ARENSE in Caſtella, S. Auguſtino dicatum, & à D. Didaco Lopez de Haro ad Annum Domini M. CCCC. XIX. erectum. 1419

LVIII. BARCINONENSE iuxta huius vrbis mœnia ſitũ, ad locũ qui *Domꝰ Dei* dicebatur, conditum à Beltramo Nicalai Año M.CCCC.XIX. 1419

LIX. FLAVIOBRIGENSE ad vrbem *Bilbao*, in Cantabria, primum S. Bitholomæo Apoſtolo dicatum, pòſt S. Auguſtino, & Anno M. CCCC. XIX. conditum. 1419

LX. CERVERENSE in Cathalonia, S. Auguſtino ſacrum, & ad Annum Domini M. CCCC. XIX. erectum. 1419

LXI. CONTVRBENSE in Prouincia Caſtellæ, S. Auguſtino dicatum, & ad Annum M. CCCC. XIX licet hodie non extet. 1419

LXII. AQVILARENSE in Caſtella, S. Ioanni dicatum, & ad Annum Domini, vt ex Regiſtris Ordinis liquet, M.CCCC.XXIV. conditum. 1424

LXIII. PAMPILONENSE in Regno Nauarræ, S. Auguſtino ſacrum, & ad Annum Domini M. CCCC. XXV. erectum. 1425

LXIV. AQVÆ-VIVENSE in Aragoniæ, B. V. MARIÆ dicatum, & ad Annum Domini M.CCCC. XXVI. conditum. 1426

LXV. REGVLENSE in Bætica, B. V. MARIÆ ſacrum, & ad litus Maris Occeani fundatum ad Annum Domni M.CCCC.XXVII. 1427

LXVI. VILLANVBLENSE prope Valliſoletum in Caſtella, omnibus Sanctis dicatum, & ad Annum Domini M. CCCC. XXXI. erectum. 1431

LXVII. ORBENSE in Aragonia, vbi olim Synodus Prouincialis habita fuit & creditur conditum ex Regiſtris ad Annum M. CCCC. XXXII. 1432

LXVIII. AQVÆLATENSE in Aragonia, quô etiam Prouincialis Congregatio fuit habita, erectum creditur Anno Domini M. CCCC. XXXVII. 1437

LXIX. VA

LXIX. VALLISORIOLENSE in Aragonia, S. MARIÆ de Gratia ſacratum, & ad Annum Domini M. CCCC. XXXVII. extructum. 1437

LXX. GVADALAXARENSE in Carpetania, S. Auguſtino dicatum, & ad Annum Domini M. CCCC. XXXVIII. oblatum, ſed ſine effectus, cum Monachis careat. 1438

LXXI. VALLEXERENSE in Caſtella, Aſcenſioni Domini conſecratum, à Ferdinanando de Velaſco ex familia Comeſtabilium, Caſtellæ, & Comitum de Siruela orto conditum ad Annum Domini M. CCCC. XLI. 1441

LXXII. SANDENSE in diœceſi Braccarenſi, S. Martino dicatum, & Auguſtinianis fratribus datum ad Annum M. CCCC. XLIV. 1444

LXXIII. AGVLENSE ad vrbem Perpinnianum in Cathalonia, S. Matri MARIÆ dicatum, & ad Annum CCCC. LXVI. erectum. 1466

LXXIV. VADAYENSE in Prouincia Alauæ, non longè ab vrbe Victoria, diœceſis Calagurritanæ S. Catharinæ dicatum, & conditum Anno M. CCCC. LXXII. 1472

LXXV. RAMAGENSE in Caſtella, S. Auguſtino dicatum, & conditum ad Annum Domini M. CCCC. LXXIII. licet aliqui ad Annum M. CCCC. XXXIII. reiiciant. 1473

LXXVI. VILLA-CASTRENSE in Caſtella diœceſis Segobienſis, conditum ad Annum Domini M. CCCC. LXXXII. vel circiter. 1482

LXXVII. CIVITATENSE in Extremadura, S. Auguſtino dicatum extra vrbem, & à D. Franciſco de Clauibus Equite nobili ad Annum M. CCCC. LXXXIII. conditum. 1483

LXXVII. MANSILLENSE Prouinciæ Caſtellæ, à D. Frederico Enriquez Caſtellæ Admirallo, loco fratrum Seruorum Dei, Auguſtianis Anno M. CCCC. XCI. datum. 1491

LXXIX. MONTMORENSE in Luſitania B.V. Angelorum ſacrum, & à Didaco de Zabula nobili viro, ædis Patrono Anno M. CCCC. XCIV. erectum. 1494

LXXX. SALVATERRENSE in Luſitania, conditum ad Annum Domini M. D. vt ex Regiſtris pateſcit, licet hodie non extet. 1500

LXXXI. ASTIGITANVM in Bætica, B. Matri Dei dicatum, & ad Annum Domini M. DI. conditum, & permanſit ad Annum M.D. XLI. 1501

LXXXII. GVEZIXENSE in Bætica Granatenſi, ſub tutela B. MARIÆ de IESV conditum à D. Thereſia Enriquez ad Annum M. D. IX. 1509

LXXXIII. CHINCHONENSE in Caſtella, Dominæ Noſtræ de Paradiſo ſacrum, à Marchionibus de Moya conditum ad Annum M. D. X. 1510

LXXXIV. OSCENSE in Aragonia, S. Auguſtini titulo decoratum, & ad Annum Domini M.D. X. conſtructum extra vrbis mœnia. 1510

LXXXV. GRANATENSE in Bætica, S. Auguſtino dicatum, & ad Annum Domini M. D. X X V. erectum intra vrbem ad Alcazanam Maurorum. 1526

LXXXVI. MOVRENSE in Luſitania, in eremo extructum à F. Michaele Italo circa Annum Domini M.D. XXV. 1525

LXXXVII. CASTLASENSE in Luſit. conditum primùm Capuccinis, & illis domũ deſerentibus, Auguſtinianis conceſſum Año M.D.XXVI. 1526

LXXXVIII. COMPLVTENSE Regale Collegium in Carpetania, S. Auguſtino dicatum, & Hiſpaniæ Regibus patronatu parens, conditur Anno M. D. XXVII. 1527

LXXXIX. RISCENSE in Caſtella, ſub titulo Dominæ noſtræ ad Annum Domini M.D.XXXI. inchoatum, & ad M.D.XLI. perfectum. 1531

XC. OSSVNENSE in Bętica, S. MARIÆ de Spe titulo decoratum, & à Comitibus Vreniæ, Ducibus Oſſumenſibus ad Annum M. D. XXXIV. extructum. 1534

XCI. PONSTEVMENSE in Prouincia Caſtellæ in Regno Gallæciæ, S. Auguſtino



S. Auguſtino dicatum, & à D. Fernando de Andrade Villalbæ Comite Anno M. D.XXXVIII. erectum. 1538

XCII. SORIENSE in Prouincia Caſtellæ, S. Auguſtino dicatũ, ſumptibus Roderici de Torres Viri illuſtris Anno M. D.XXXVIII. conditum. 1538

XCIII. ANTIQVARENSE in Prouincia Bæticæ primùm intra vrbis mœnia ædificatum, & S. Catherinæ ſacrum, poſt intra ſumptibus Roderici Naruaez, Anno M. D.XLI. 1541

XCIV. CASTROPHILIPENSE in Aragonia
XCV. COINENSE in Bætica.
XCVI. CARTHAGINIS Spartariæ in Bætica.
} *Omnia hæc Tria Anno Domini* M.D.XLI. *abſque nomine Fundatorum.* 1541

XCVII. GIENNENSE in Prouincia Bæticæ S. Auguſtino ſacrum, & ad Annum Domini M. D. XLI. extructum. 1541

XCVIII. MATRIGALENSE in Prouincia Caſtellæ, titulo S. Mariæ de Gratia, olim ſacris Virginibus erectum Anno M. D. X L I. cui Fratres ſucceſſere. 1541

XCIX. MAIORICENSE in Aragonia
C. NEVENSE in Aragonia.
C.I. MONTILLENSE in Bætica.
C.II. MVRCIENSE in Bætica.
C.III. PONFERRATENSE in Gallæcia.
C.IV. PETRALATENSE in Aragonia.
} *Omnia hæc Monaſteria erecta fuere Anno* M. D. XLI.

C.V. SETABITANVM in Aragonia, quod fuiſſe priſcis temporibus illud SECVRITANVM à S. DONATO conſtructum dicunt, poſt conditum Anno M. D.XLI. 1541

C.VI. CONIMBRICENSE in Luſitania Collegium Regale à Ioanne III. Portugalliæ Rege Anno M.D. XLIII. conditum. 1543

C.VII. METINENSE in Campis Prouinciæ Caſtellæ, S. Mariæ de Gratia dicatum & ad Annum Domini M. D. XLIV. conditum. 1544

C.VIII. ARSVANVM in Gallæcia Prouinciæ Caſtellæ, quod Anno M.D. XLVI. fuit conditum, ſed poſtea Compoſtellam tranſlatum Comitis Altamiræ auſpiciis. 1546

C.IX. MADRIDENSE in Prouincia Caſtellæ, S. Philipppo ſacrum, conditum Anno M.D.XLVII. auſpiciis Philippi II. adhuc Principis. 1547

C.X. TAVRENSE in Prouincia Caſtellæ, S. Pelagio ſacrum, & ad Annum Domini M. D. XLVII. conſtructum eleemoſynis. 1547

C.XI. MONTENSE prope Toletum Prouinciæ Caſtellæ S. Pauli titulo decoratum, & conſtructum ad Annum M.D. XLVII. 1547

C.XII. CAIONENSE in Gallæcia Prouinciæ Caſtellæ, S. Auguſtino attitulatum, & Anno M.D.L. erectum, eius Patroni Comites del Grajal exiſtunt. 1550

C.XIII. SEGOBIENSE in Prouincia Caſtellæ, ſub S. Auguſtini titulo decoratum, & extructum Anno M.D. LVI. 1556

C.XIV. ASTENSE in Prouincia Bæticæ, titulo S. Mariæ *de Gratia* ad Annum M.D.LVI. ædificatum, primùm Fratribus, poſt Monialibus. 1556

C.XV. AZPETIENSE in Cantabria Prouinciæ Caſtellæ, ad Annum M. D. LXVI. conditum & erectum. 1566

C.XVI. TALABRICENSE in Prouincia Caſtellæ, S. Auguſtino ſacrum, ad Annum M. D. LXVI. conditum, nunc paret Congregationi Excalceatorum. 1566

C.XVII. SARRIENSE in Prouincia Caſtellæ apud Gallæcos ad Annum M.D.LXVIII. ad obſeruantiam reductum. 1568

C.XVIII. EPILENSE in Aragonia S. Sebaſtiano ſacrum, ſub Comitum de Aranda patrocinio Anno M. D. LXIX. conſtructum. 1569

C.XIX. LORETENSE prope Oſcam in Aragonia, in domo SS. Orentij, & Patientiæ Parentum SS. Laurentij Archileuitæ S. R. E. & Martyris, Orentij Epiſcopi Auſcenſis in Gallia, Cõfeſſoris, à Philippo II.

Rege Hiſpaniarum Catholico conditum Anno M. D. LXXII. Gregorio XIII. Pont. Max. auctorante. 1572

C.XX. Montemaiorense in Luſitania, eiuſdem Prouinciæ ad Annum Domini M. D. LXXIII. conſtructum. 1573

C.XXI. S. Mariæ De Spe in Diœceſi Giennenſi Prouinciæ Bæticæ Anno Domini M. D. LXXIII. extructum. 1573

C. XXII. Xericense in Aragonia eiuſdem Prouinciæ, D. Noſtræ de Succurſu titulo decoratum, ad Annum M. D. LXXIII. fundatum. 1573

C.XXIII. Aronchense in Portugallia eiuſdem Prouinciæ, D. Noſtræ de Luce oppidanis petentibus, & Sebaſtiano Rege iuuante Anno M. D. LXXIV. erectum. 1574

C.XXIV. Torrillanum prope Gerundam in Prouincia Aragoniæ, ad Annum Domini M. D. LXXIV. conditum, poſteà ad vrbem tranſlatum. 1574

C.XXV. Minoricense in Prouincia Aragoniæ, quod primò dimiſere Fratres ob Inſulanorum inopiam, ſed Anno M. D. LXXVI. reaſſumptum. 1576

C.XXVI. Madridense Collegium, Prouinciæ Caſtellæ, Annuntiationi Virgineæ Anno M. D. XC. à D. Maria de Aragon ſplendidè conditum, & dotatum. 1590

C.XXVII. Portucallense in Luſitania eiuſdem Prouinciæ Ioanni Baptiſtæ Præcurſori ſacrum & ad Annum M D. XCII. conſtructum. 1592

C.XXVIII. S. Felicis in Prouincia Aragoniæ, eidem S. Felici Martyri dicatum & erectum Anno M. D. XCIV. quod adhuc perſeuerat. 1594

C.XXIX. Malacitanum in Bætica. } *Ad Annum* M. D. XCV. *con-*
C.XXX. Marcionense in Bætica. } *dita.* 1595

C.XXXI. Braccarense in Portugallia Collegium S. Auguſtini, à D. Auguſtino de Caſtro ipſius vrbis Archiepiſcopo Anno M. D. XCV. fundatum. 1595

C.XXXII. Albazetense in Prouincia Bætica, ſub S. Auguſtini nomine conſtructum Anno M. D. XCVII. Ducibus Arcenſibus paret. 1597

C.XXXIII. Arcense in Bætica, item ſub tutela S. Auguſtini ab ipſis oppidi Ducibus, Hiſpaniæ Magnatum, Anno M. D. XCVII. conditum. 1597

C.XXXIV. Assydonense in Bætica, S. Mariæ de Pace titulo inſignitum, & ſub Metymnenſium Ducum tutelà, Anno M. D. XCVII. formatum. 1597

C.XXXV. Mnestheense ad fretum Herculeum in Bætica, ſub titulo Annuntiationis Marianæ Anno M. D. XCVII. ab ipſis Ducibus erectũ. 1597

C.XXXVI. Priegense in Prouincia Bæticæ, S. Auguſtini nomine condecoratum, & Anno M. D. XCVII. à D. Ludouico Carrillo de Mendoza erectum. 1597

C.XXXVII. Sanlucarense in Bætica, eiuſdem Prouinciæ, S. Iacobo Hiſpaniarum Apoſtolo ſacrum, conditum ſub patrocinio Mentymnenſium Ducum, eodem Anno. 1597

C.XXXVIII. Gerundense in Cathalonia Aragonenſis Prouinciæ, initia ſumpſit Anno Domini M. DC. VIII. curante eius vrbis Epiſcopo. 1608

C.XXXIX. Illicitanum in Regno Valentiæ Aragonenſis Prouinciæ, S. Auguſtino dicatum, & eius memoria ad Annum M. DC. IX. 1609

C. XL. Gaditanum in Prouincia Bæticæ, ad Annum M. DC. XVII. conſtructum inſtante D. Ioanne de Cuenca eius Epiſcopo vrbis. 1617

C.XLI. Fontis Regalis in Luſitania eiuſdem Prouinciæ, cuius memoria ad Annum M. DC. XXXIV. 1634

C. XLII. Fontis Tiberii in Prouincia Caſtellæ, S. Auguſtino ſacrum, antiquiſſimum creditur, ſed quo tempore conditum ignoratur.

C XLIII. Lamecense in Portugallia, eiuſdem Prouinciæ etiam eſſe vetuſtum agnoſcitur, ſed abſque Anni notitia.

Hæc



Hæc ſunt Virorum Cœnobia quæ in publicum extrahere potuimus; nam *Sanctimonialium* catalogum recenſere prolixum, cum fere ad XCIV. *Monaſteria pertingant.* Nec ſuperiori *Catalogo Conuentus Fratrum Congregationis Excalceatorum* ſubiicimus, quia adhuc in exordio recollectionis verſantur, cuius *Monaſteria* in *Hiſpaniarum* angulis conſtructa fere LXVIII. excedunt, totidemque Monialium: Subſunt etiam *S. Auguſtini* Regulis plurium *Religionum* inſtituta, quorum *Catalogum* ſuis Scriptoribus relinquo. In *Hiſpania* Militaris Ordo S. Iacobi inſtitutus ſub Regula *S. Auguſtini* ſequens habuit exordium.

## *ORDO MILITARIS S. IACOBI De Spata in Hiſpania ſub Regula S. Auguſtini inſtitutus.*

Quatenus ad huius incly ti Ordinis exordium varij varia dixere, quorum ſententias Rades de Andrada *in Chron. huius Ordin.* c. 1. 2. & 3. & D. Franciſcus Caro *de Torres Hiſtor. Trium Ordin. Militar.* c. 1. retulerunt. Illud conſtat, hunc Ordinem fuiſſe à Sede Apoſtolica confirmatum Anno M. C. LXXV. vt ex Bulla *Alexandri* III. Pont. Max. patet: quidquid inter Scriptores *Iacobæos*, & *Calatrauenſes* diſceptetur. Huius ordinis fuere Magiſtri legitimi ſequentes, qui ſub *S. Auguſtini* regula militarunt.

### *MAGISTRI.*

I. D. Petrus huius nominis I. Magiſter Ordinis S. Iacobi, cognomento *Fernandez de Fuente Encalada*, Ipſius Inſtitutor, Obiit Anno M. C. LXXXIV. 1184

II. D. Fernandus huius nominis I. Magiſter Ordinis S. Iacobi II. cognomento *Diaz*, dignitati renuntiauit Anno M. C. LXXXVI. 1186

III. D. Sanctius huius nominis I. Magiſter Ordinis S. Iacobi III. cognomento *Fernandez* Obiit ex ictu ſagitæ Anno M. C. XCV. 1195

IV. D. Gundisalvus huius nominis I. Magiſter Ordinis S. Iacobi IV. cognomento *Rodriquez*, Anno M. CC. III. è vita diſceſſit. 1203

V. D. Gundisalvus huius nominis II. Magiſter Ordinis S. Iacobi V. cognomento *Ordoñez*, Obiit Anno M. CC. IV. 1204

VI. D. Soerius huius nominis I. Magiſter Ordinis S. Iacobi, VI. cognomento *Rodriquez*, qui à ſe munus Magiſterij abdicauit Anno M. CC V. 1205

VII. D. Sanctius huius nominis II. Magiſter Ordinis S. Iacobi VII. cognomento *Rodriquez*, vix nomen reliquit, cùm cito obiiſſet, Anno M. CC. V. 1205

VIII. D. Fernandus huius nominis II. Magiſter Ordinis S. Iacobi VIII. cognomento *Gonzalez Marañon*, Obiit Anno M. CC. X. 1210

IX. D. Petrus huius nominis II. Magiſter Ordinis S. Iacobi, IX. cognomento *Arias*, interfuit bello Sarracenorum ad Nauas Toloſæ, obiit Anno M. CC. XII. 1212

X. D. Petrus huius nominis III. Magiſter Ordinis S. Iacobi X. cognomento *Gonzalez de Aragon*, Obiit Anno M. CC. XIII. in obſidione Caſtaonis. 1213

XI. D. Garsias huius nominis I. Magiſter Ordinis S. Iacobi XI. cognomento *Gonzalez de Candamio*, eius tempore ſchiſma proxum, obiit Anno M. CC. XXIV. 1224

XII. D. Fernandus huius nominis III. Magiſter Ordinis S. Iacobi XII. cognomento *Perez Choci*, Obiit Anno M. CC. XXV. 1225

XIII. D. Petrus huius nominis IV. Magiſter Ordinis S. Iacobi XIII.

 cogno

cognomento *Alonſo*, Alfonſi Legionenſis Regis filius nothus, obiit Anno M. CC. XXVI. 1226

XIV. D. PETRVS huius nominis V. Magiſter Ordinis S. Iacobi XIV. cognomento, *Gonzalez Mengo*, Obiit Anno M. CC. XXXVI. 1236

XV. D. RODERICVS huius nominis I. Magiſter Ordinis S. Iacobi XV. cognomento *Yñiguez*, Obiit Anno M. CC. XLII. 1242

XVI. D. PELAGIVS huius nominis I. Magiſter Ordinis S. Iacobi XVI. cognomento *Perez Correa*, cuius præcepto Sol ſtetit apud Tudiam, vt è Sarracenis victoriam reportaret. Vitam exuit Anno M.CC. LXXV. 1275

XVII. D. GVNDISALVVS huius nominis III. Magiſter Ordinis S. Iacobi XVII. cognomento *Ruiz Giron*, in acie apud Moclin obiit Anno M. CC. LXXX. 1280

XVIII. D. PETRVS huius nominis VI. Magiſter Ordinis S. Iacobi XVIII. cognomento Muñiz, obiit Anno M. CC.LXXXIV. 1284

XIX. D. GVNDISALVVS huius nominis IV. Magiſter Ordinis S. Iacobi XIX. cognomento *Martel*, citò vitam, & dignitatem exuit eodem Anno. 1284

XX. D. PETRVS huius nominis VII. Magiſter Ordinis S. Iacobi XX. cognomento *Fernandez Mata*, Obiit Anno M. CC. XCIV. 1294

XXI. D. IOANNES huius nominis I. Magiſter Ordinis S. Iacobi XXI. cognomento *Oſorez*, viuere deſiit Anno M.CCC.VI. 1306

XXII. D. DIDACVS huius nominis I. Magiſter Ordinis S. Iacobi XXII. cognomento *Muniz*, qui Anno M. CCC.XVIII. vitam cum morte commutauit. 1318

XXIII. D. GARSIAS huius nominis II. Magiſter Ordinis S. Iacobi XXIII. cognomento *Fernandez*, qui ob ſenectutem Anno M.CCC. XXIV. munus deſeruit. 1324

XXIV. D. VASCVS huius nominis I. Magiſter Ordinis S. Iacobi XXIV. cognomento *Rodriquez de Cornado*, Obiit Anno M. CCC. XXXVIII. 1338

XXV. D. VASCVS huius nominis II. Magiſter Ordinis S. Iacobi XXV. cognomento *Lopez*, à munere illicò per ſententiam depoſitus. 1338

XXVI. D. ALFONSVS huius nominis I. Magiſter Ordinis S. Iacobi XXVI. cognomento *Melendez de Guzman*, in obſidione Calpenſi Anno M.CCC.XLII. obiit. 1342

XXVII. D. FEDERICVS huius nominis I. Magiſter Ordinis S. Iacobi XXVII. cognomento *Caſtilla*, Regis Alfonſi XI. filius, à Petro fratre occiſus Anno M. CCC.LIX. 1359

XXVIII. D. GARSIAS huius nominis III. Magiſter Ordinis S. Iacobi XXVIII. cognomento *Aluarez de Toledo*, Magiſterium deſeruit Anno M.CCC. LXVI. 1366

XXIX. D. GVNDISALVVS huius nominis V. Magiſter Ordinis S. Iacobi XXIX. cognomento *Mexia*, Obiit Anno M.CCC.LXXI. 1371

XXX. D. FERNANDVS huius nominis IV. Magiſter Ordinis S. Iacobi XXX. cognomento *Oſorez*, vita Anno M. CCC. LXXXIII. functus eſt. 1383

XXXI. D. PETRVS huius nominis VIII. Magiſter Ordinis S. Iacobi XXXI. cognomento *Fernandez Cabeza de vaca*, Obiit Anno M.CCC. LXXXIV. 1384

XXXII. D. PETRVS huius nominis IX. Magiſter Ordinis S. Iacobi XXXII. cognomento *Muñiz de Godoy*, obiit Anno M CCC. LXXXV. 1385

XXXIII. D. GARSIAS huius nominis IV. Magiſter Ordinis S. Iacobi XXXIII. cognomento *Fernandez de Villa Garcia*, Anno M. CCC. LXXXVII. deceſſit. 1387





XXXIV. D. LAVRENTIVS huius nominis I. Magiſter Ordinis S. Iacobi XXXIV. cognomento *Suarez de Figueroa*, Anno M. CCCC. IX. vitam exuit. 1409

XXXV. D. HENRICVS huius nominis I. Magiſter Ordinis S. Iacobi XXXV. cognomento *de Aragon*, dictus Infans: vulnere Anno M. CCCC.XLV. obiit. 1445

XXXVI. D. ALVARVS huius nominis I. Magiſter Ordinis S. Iacobi XXXVI. cognomento *de Luna*, qui in ſupplicio decollatus occubuit Anno M. CCCC. LIII. 1453

XXXVII. D. ALFONSVS huius nominis II. Magiſter Ordinis S. Iacobi XXXVII. cognomento *Caſtilla*, Infans, & Adminiſtrator ad Annum M. CCCC. LXII. 1462

XXXVIII. D. BERTRANDVS huius nominis I. Magiſter Ordinis S. Iacobi, XXXVIII. cognomento *de la Cueua*, qui Magiſterium dimiſit, & iterum Alfonſus Infans Magiſtratum reaſſumpſit ad Annum M. CCCC. LXVII. 1467

XXXIX. D. IOANNES huius nominis II. Magiſter Ordinis S. Iacobi XXXIX. cognomento *Pacheco*, Marchio Villenenſis, Anno M.CCCC. LXXIV. obiit. 1474

XL. D. RODERICVS huius nominis II. Magiſter Ordinis S. Iacobi XL. cognomento *Manrrique*, obiit Anno M. CCCC. LXXVII. 1477

XLI. D. ALFONSVS huius nominis III. Magiſter Ordinis S. Iacobi XLI. cognomento *de Cardenas*, qui fuit vltimus, & Anno M.CCCC. XCIX. obiit. 1499

Poſt hæc Catholici Reges Ordinē titulo perpetuæ Adminiſtrationis receperunt, & in ea perſtitere Carolus V. Philippus II. III. & Noſter inclytus Rex IV. Philippus.

Omnia quæ attinent ad *Canonicos Regulares S. Auguſtini* ſuo tempore ſubiiciemus, & recenſebimus.

# QVARTO KALEND. Septembris.

## DIES XXIX.

*A.* SYRMII *in Bætica Hiſpaniæ* S. BASILIÆ *Virginis, & Martyris, quæ* C. Attilij Reguli *patris crudelitatem cum aliis* Octo Sororibus *adelphis diffugiens, propter fidem Chriſti quam prædicabat, à ſatellitibus comprehenſa, glorioſum de ſe martyrio præbuit teſtimonium.*

*B.* METIS *in Gallia* S. ADELPHI *Epiſcopi* Toletani, *Viri omnium virtutum ſplendore cumulatiſſimi, qui poſtquam Eccleſiam rexiſſet* Patriarchalem Hiſpaniæ, *patriam rediens, & Chriſti Euangelium prædicans, glorioſo fine quieuit.*

C. TVROLII *in Aragonia* SS. IOANNIS, *&* PETTI *Martyrum ex Ordine Minorum, qui cùm pro fidei defenſione, & exaltatione ab* Azoto *Rege Valentiæ comprehenderentur, ſuppliciis impetiti, & cruciatibus dilaniati, per martyrij anguſtias ad æternæ beatitudinis gloriam ſtrenui pugiles peruenere.*

D. ROMÆ *Sanctæ* CANDIDÆ *Virginis & Martyris, cuius ſacra pignora Româ Madridium adlata, & in Conuentu fratrum SSS. Trinitatis Deſcalceatorum recondita, ibidem ſummâ accolarum pietate venerantur.*

---

# NOTÆ.

SANCTA BASILIA *Virgo, & Martyr Syrmenſis in Bætica.*] Eam fuiſſe vnam ex *Nouem Sororibus C. Attilij Reguli* filiabus, conſtat ex Noſtratum ſententiâ apud Biuar. in *Not. ad Dextr. Ann.* 138. *fol.* 241. D. Prudentius de Sandoual Epiſcopus Tudenſis *in Hiſtor. Tudenſ. fol.* 38. D. Rodericus de Acuña *Hiſtor. Braccarenſ.* 1. *p. c.* 30. *fol.* 142. & plures à Nobis cititati ſupr. *Tom.* 1. *Die XVIII. Ianuar. fol.* 183. res geſtas harum SS. Virginum & Martyrum Sororum prolixiùs recitant. Iulianus verò Archipresbyter Toletanus in *Aduerſar. n.* 252. huius Noſtræ S. V. & Martyris hoc elogio meminit: *In Bætica, ciuitate* Firmij S. BASILISSA, *Soror* S. Quiteriæ, *& Sororum, quæ clara habetur martyrij laude.* Aliis *eſt* BASILIA, *& dicitur paſſa fuiſſe quondam martyrium.* Hinc crederem irrepſiſſe mendum in *Romano Martyrologio* Baronij, vbi locum agonis exprimens, pro SYRMII poſuit SMYRNA, cùm re vera S. Virgo agonem compleuiſſet SYRMII vrbe antiquâ *Bæticæ.* Quod & notauit Franciſcus Maurolycus in ſuo *Martyrolog. h. d. fol.* 57. hac clauſulâ: SYRMII *natale* S. BASILIÆ. Et in antiquo Hymno, vbi SYRIA legitur, reponendum erit SYRMIVM, ſic:

*Martyrologia.*

*Te Syrmium ô* BASILIA
*Colitque, Germanam Africa,*
*Et GenIueram proxima*
*Tudenſis vrbs Occeano.*

Conuenit Equilinus in *Catalog. SS. lib.* 11. *c.* 130. *n.* 232. vbi de loco paſſionis *IV. Kalend. Septembr.* agens, proſequitur: BASILIA *ſancta in* SYRMIO *ipſo die obdormiuit in Domino.* De quo plura videſis apud Biuar. *d. Ann.* 134. *n.* 8. *fol.* 241. qui circa locum agonis, & paſſionem prolixius diſputat. Eius ACTA ſeparatim nullus ſcripſit; illa dabimus pro vt ex aliis Sororum rebus geſtis deprehendere cognouerimus.

## ACTA S. BASILIÆ VIRGINIS, & Martyris Syrmienſis in Hiſpania, ex Dextro, & aliis Scriptoribus.

*Origo, & Parentes.*

BASILIA, *ſeu* BASILISSA *ex nobiliſſima fuit orta ſtirpe, ſecundum communem illius temporis æſtimationem. Nam eius pater vocabatur* C. Attilius Seuerus *Luſitaniæ Regulus, & eius mater* Calſia, *qui apud vrbem* Belcagiam *in* Gallæcia *commorantes, ſuæ celſitudinis thronum tenebant. Accidit autem diuinâ promiſſione, vt præfata* Calſia *multiplici ſobole fœcunda, vnâ die* Nouem *filias peperiſſet. Quod cùm compertum eſſet,* Calſia *magno pudore acta, inhumano vſu, omnes interficere cogitabat, vt hoc factum ad Viri, & Populi notitiam non perueniret. Excogitato igitur malignitatis conſilio, vocans ad ſe obſtetricem, quæ ſibi familiaris, & ſecretorum conſcia erat, Sila nomine, iubet, vt totam illam Paruularum turbam, latenter, & cautè ad flumen deferat, & ibi nullo conſcio, omnes ſimul in profundum gurgitis demergat. Sila obſtetrix audiens iniquæ fœminæ horribile præceptum, & penſitans in matre ſanguinolentum facinus, eius timore perterrita, nam quæ haut propriæ ſoboli miſerabatur, ſibi nequaquam eſſet vllo tempore parcitura, Dei nutu Infantularum pietate commota, omnes in cophino ſuſcipiens ad vicum proximum deuenit, & ibidem Chriſtianas nutrices quærens, ſingulas puellas ſingulis tradidit nutriendas. Quæ ipſas ſuſcipientes ſacro fontis lauacro illas regenerari fecerunt, nomina eis imponentes. Quæ omnes tempore procedente, cùm iam adoluiſſent per Chriſtianorum cohabitationem, & conlocutionem genus ſuum, & ortum didicerunt.*

*Natiuitas.*

*Matris fœdum facinus.*

*Obſtetricis pietas.*

*Virginis baptiſmus.*

POST *hæc cùm aduerſus Chriſti fideles perſecutio exoriretur immanis, & per omnes* Hiſpaniæ *vrbes ſatellites mitterentur, qui ad profana ſacrificia illos compellerent; ſanctiſſimas Virgines in vico illo reperientes, ante conſpectum Patris ſui crudeliter attraxerunt. Qui cùm eas facie decoras, & ætate pares conſpexiſſet, & cuius generis, & religionis eſſent, interrogaſſet, & Gineuera, vna ex ſororibus, reſpondit: Quatenus ad genus filiæ tuæ ſumus. Quatenus ad conditionem, Chriſti Domini Noſtri famulæ. Obſtupuit* C. Attilius, *& per vxoris confeſſionem, cognitâ veritate, illas blandis commonere verbis incœpit, vt à Chriſti cultu diſcederent, & datis ad deliberandum induciis, vt ſibi aſſentirent, dimiſit. Tunc ſanctiſſimæ Sorores ad Montem diffugientes Angeli admonitione, ibidemque orantes ſimul & flentes, & ſeſe alterutrum conſolantes, Dei diſpoſitione ab inuicem diſceſſerunt.*

*Perſecutio.*

DEMVM *à cæteris Sororibus* BASILIA, *diuinâ diſponente voluntate, ſeparata,* Syrmium *vrbem* Bæticæ *littoralem aduenit, vbi ieiuniis, orationibus, & aliis virtualibus exercitiis dedita, vitam humili pietatis religione tranſigebat. Donec poſtmodum repullulante, tempore Adriani Imperatoris, perſecutionis procellâ, pro Chriſti fide comprehenſa, & in carcerem coniecta, ſignato die ad Iudicis tribunal perducitur, à quo de religione cognitâ veritate, eam carnificibus tradidit cruciandam, quouſque Deos adoret, aut vitam emittat. Ad Maris igitur littus ſatellites Virginem adducentes, eam tandiu verberibus afflixerunt, quandiu ſpiritum Sanctiſſima Virgo immaculatum cæleſti tradidit Sponſo* IV. Kalend. Septembris *Anno Domini* C.XXXIX. *Cuius* Corpus *à Chriſtianis noctu ſublatum, honorificâ ſepulturâ donatum eſt.*

*Syrmium venit.*

*Comprehenditur.*

*Coronatur.*

Hactenus ACTA quæ de Noſtra ſanctiſſima Virgine & Martyre reperiuntur. Nec titulum Martyris abhorreat, qui cætera recentiorum martyrologia perlegerit, in quibus de agone altum ſilentium. Nam vt optimè notauit Biuar. *d. n.* 8. *fol.* 241. huius & aliarum Sororum paſſiones antiqua Hiſpaniæ *Breuiaria* communiter repetunt, & fatentur Iulianus in *Chron. n.* 58. *&* 59. Higuera, Sandoual, Acuña, & alij ſuperius recenſiti, & Nos ſupr. *d. fol.* 184. vbi ad amuſſim. De SYRMIO diximus ſupr. *Tom* 2. *Die XXVI. Mart. fol.* 407.

*An Martyr?*

B.

S. ADELPHVS *Epiſcopus Confeſſor.*] Eum eſſe, quem *Galli* hoc die *Metenſem Epiſcopum* colunt, nulli dubium erit, ſi Noſtras, & illorum Hiſtorias perlegerit. De eo *Romanum Martyrologium* h. d. iſta profatur: *Metis* S. ADELPHI *Epiſcopi, & Confeſſoris.* Conueniunt Caſtellanum *Vazq. fol.* 140. Luſitanum *Lup. fol.* 183. Hiſpanum *MS. P. Higuera.* & Gallicanum Sauſſay *Tom.* 1. *fol.* 563. Ex Chronographis, & Scriptoribus tam Exteris, quàm Noſtris videndi S. M. Maximus Cæſarauguſtanus Præſul in *Chron. Ann.* 598. vbi Biuar. *n.* 1. §. 17 *fol.* 692. & alibi. Luitprandus in

*Martyrologia.*

in *Chron. Ann.* 606. *num.* 2. Iulianus Archipreſbyter Toletanus in *Chron. Ann.* 597. *n.* 311 & in Aduerſar. *n.* 451. *fol.* 94. Qui omnes Metenſem Ciuem in Gallia, poſt Abbatem *Agalienſem* in Hiſpania, deinde Epiſcopum *Toletanum*, ac demùm *Metenſem* contendunt Quorum veſtigia ſequuntur D. Garſias de Loayſa in *Not. ad Concil. Gundemari fol.* 268. F. Antonius de Ypes in *Chronic. Benedictin.* 1. *p. Cent.* 1. *Ann.* 594. *c.* 15. Stephanus Garibay. in *Compend. Hiſtor. lib.* 8. *c.* 26. Ambroſius Morales *Hiſtor. Hiſpan. lib.* 12. *cap.* 10. D. Franciſcus Padilla *Hiſtor. Eccleſ. Hiſpan. Tom.* 2. *Cent.* 6. *c.* 67. Franciſcus Piſa *Hiſtor. Tolet. lib.* 2. *cap.* 10. Petrus de Alcozer *Hiſtor. Toletan. lib.* 2. *c.* 31. D. Prudentius Sandoual *in Fundat. Monaſter. Caſtell. fol.* 27. §. 12. F. Ioannes Marieta in *Topograph. SS. Hiſpan. verb.* Toledo *fol.* 44. D. Thomas Tamayo *in Veritat. Dextr. Nouit.* 9. *fol.* 122. D. Didacus Caſtejon in *Primat. Toletan. Tom.* 1. *p.* 2. §. 2. D. F. Alphonſus à S. Victore, *in Sole Occident. Prælud.* 9. *c.* 1. P. Antonius Quintana-Dueñas *Hiſtor. SS. Toletanor. Secul.* 6. *fol.* 272. Qui etiam ACTA ſic Hiſpano ſermone contexuit.

*Scriptores.*

## *ACTA S. ADELPHI EPISCOPI Toletani, poſt Metenſis in Gallia, Confeſſoris ex S. Maximo, & aliis Scriptoribus.*

*Origo.*

ADELPHVS *natione* Gallus, *ex* Metenſi *Mediomatricorum Lotharingiæ vrbe oriundus, Patre* Felice, *& eius nobiliſſimâ coniuge natus, à teneris annis in fidei Chriſtianæ rudimentis edoctus, breui parentum, & cognatorum in addiſcendis profanæ, & eccleſiaſticæ eruditionis doctrinis ſpes feliciter adimpleuit. Cùm verò ad nubilem adoleſcens perueniſſet ætatem, nobiliſſimam virginem coniugem ſuſcepit, è qua* Gelgeſam *omnium virtutum corporis, & animæ dotibus exornatam accepit, quæ ſuo tempore* Filtano *Iberniæ Regi connubio tradita, & copulata,* Furſeum *Monachum Peronenſem,* Foillanum *Epiſcopum, & Martyrem, &* Vltanum *Epiſcopum Focenſem, omnes ſanctiſſimos Eccleſiæ Confeſſores, auſpiciis felicioribus edidit. At cùm Deus* ADELPHO *perfectiorem ſtatum ante ſecula deſtinauerat, coniugij vinculo diſſoluto per vxoris obitum, ſtatim in B. Viri viſcera auxilia efficaciora introduxit, quibus ſeculi vanitates, & mundi illecebras renuntiare conſtituit. Igitur Francorum Regi per hæc tempora, Legatum* Leouigildo Hiſpaniarum *Monarchæ emittere opus fuit, & cognitâ per eum* ADELPHI *in rebus ægendis ſolertiâ, & in politicis negotiis prudentiâ, illum in Oratorem elegit, qui Hiſpanias aduentans, & honorificè Toletum Regiam vrbem ingrediens, Leouigildo, & omnibus Palatinis in magno pretio habitus, tandem feliciter ſuæ legationis negotia concluſit. Tranſegerat* ADELPHVS, *dùm ſuæ cõmiſſionis iudicia apud Regem Gothum pendebant, omne vacationis tempus in Cœnobio Regali Toletano* Agalienſi *cum Monachis eius ſanctiſſmis; à quibus ex integro deſpectum humanarum ſolicitudinum, & huius mundi gloriæ vaniſſimæ contemptum nouus homo didicerat: hinc ad amuſſim edoctus, cucullam in ipſo ſuæ ſalutis auctore Cœnobio cum omnium procerum admiratione, & Regis Ariani indignatione ſuſcepit.*

*Matrimonium, & proles.*

*Legatus in Hiſpaniam mittitur.*

*Vbi Monachus Agalienſis fit.*

HIC *S. Vir dùm tyronem ageret veterani militis ſpecimina perficiebat, & cùm ad prouecti ſtatum aduenit, ſic ſingulos in Virtutibus ſuperauit, vt Exuperio Abbate Agalienſi ad Sedem Toletanam prouecto,* ADELPHVS *illius ſucceſſor in Abbatiali dignitate, Monachorum omnium renuntiaretur ſuffragiis. Cùm ergo S. Vir ſeſe in regimine tanti Cœnobij Præfectum agnoſceret conſtitutum, nec elatione aliquâ mores mutauit, quinimò qui ſubditus de ſe odorem perfectionis emiſerat, multiplicatis virtutum manipulis Prælatus ornamenta probitatis ſpirauit ſplendida Hinc ſuauis in eloquio ſingulis apparuit, & talem ſe præbuit in oneris iniuncti ſollitudine vt ſimul in omnibus eſſet admirabilis, & in vniuerſis rebus agendis primus inſurgeret ſingularis. Per hæc tempora* Exuperius *Abbas Agalienſis, & S.* ADELPHI *præceſſor,* qui

*Et Abbas.*



*qui ad faſtigium* Toletanę *Sedis acceſſerat, diem clauſit extremum, cuius obitum cùm* Reccaredus *Hiſpaniarum Rex Catholicus cognouiſſet, ſucceſſorem talem eligere deſtinauit, quòd defuncti Pontificis merita coæquaſſet. Hinc prouidus Princeps* ADELPHI *doctrinam, zelum, prudentiam, & ſanctitudinem non tantum agnoſcens, ſed etiam expertus, ad illam ſupremam* Hiſpaniæ *dignitatem euehere curauit. Igitur Vir Dei ſupra montem* Toletanę *celſitudinis poſitus, vt ſplendor eius virtutum longè lateque feliciter emicaret, protinus in diuini cultus obſeruantiâ, Clericorum perfectione, ſecularium reformatione, Fidei Catholicæ gloriâ, & ouium ſuarum exaltatione animum applicuit; quæ omnia facili admonitione perfecit, & prouidâ animaduerſione diſpoſuit.*

*Et Toletanus Antiſtes.*

TVNC *temporis* Reccaredi *vxor, debitum mortalitatis exoluerat, & in eius locum* Cloſuinda Chilperici *Francorum Regis filia per matrimonium ſuffecta erat, & à* Reccaredo *S. Vir electus fuit, vt* Gallias *repedans, nouam Reginam honorifico comitatu, & ſolemni pompâ* Toletum *adueheret. Paruit Pontifex* Toletanus, *expletáque Legatione* Cloſuidam Reccaredo *debitâ ſolemnitate copulauit. Poſt hæc à Rege obtinuit, vt antiquum Cœnobium Benedictinorum SS. Martyribus* Coſmæ, *&* Damiano *ſacrum quod temporis iniuria penè deleuerat, repararetur, & aliud* Metis *in Gallia conſtrueretur. Quæ omnia Catholicus Princeps liberalibus donationibus perfecit. Hinc inde Concilium Nationale indicere curauit, vt in eo aliqua religioni Catholicæ neceſſaria tractarentur, quod congregatum dignoſcitur die* XVI. Maij *Anno Domini* D. XCVII. *præſentibus Rege Catholico, Mauſonâ Emeritenſi, Miguecio Narbonenſi, &* ADELPHO *Metropolitis, necnon Mutto Setabitanenſi, Petro Arcauicenſi, Aſterio Aucenſi, Eleutherio Cordubenſi, Ioanne Oxomenſi, Baddo Illiberitanenſi, Licerio Egitanenſi, Geneſio Magalonenſi, Stephano Oretanenſi, & Ioſimo Elborenſi Epiſcopis, qui duos Canones conſtituentes, Clericorum caſtitatem, & exiguarum Parœchiarum obſeruantiam commendârunt.*

*Galliis repedat.*

*Congregat Concilium Toletanum*

*Quibus ſic abſolutis rebus, cùm Deus S Præſulis virtutes altius demonſtrare ſatageret, diſpoſuit, vt* ADELPHVS, *vrbe Regiâ relictâ,* Metenſem *patriam nec non illuſtribus facinoribus inſigniret, & ideo euenientibus arduis, & grauiſſimis negotiis* Gallias *repetere propoſuit, & ad vrbem propriam natalis ſoli remeare conſtituit, & obtentâ ad hoc facultate,* Metim *ingreditur, eo tempore, quo* Ruffus *eius patruus illius Sedis infulas obtinebat, à quo humaniter ſuſceptus, ſui aduentus grates perſoluit. Nam cum* S. Ruffus *ſenio præditus Pontificalia munia vix exercere potuiſſet, illa* ADELPHO *nepoti totis viribus commendauit. Paruit S. Antiſtes* Toletanus, *& dùm vixit auunculus totius diœceſis curam ſuper ſuos humeros ſuſcepit. Sed illo è viuis ſublato ad Metenſem Præſulatum omnium acclamatione conſcendit. In quo admirandum ſe omnibus veræ pietatis ſpeculum exhibuit, vigiliis, precibus, & ieiuniis ſe macerans, ſibi parcus, aliis largus, & benignus, humilitate, & charitate fulgens, vitâ, doctrinâ, populo circumpoſito, præluxit. Multâ demum ſanctitate coruſcans, omnibuſque Epiſcopalis muneris numeris abſolutis, ſenio confectus glorioſus Antiſtes mortalitatis curſum conſummauit, atque debitam eſt tot meritis æternitatis lauream adeptus.* IV. Kalendas Septembris *Anno Domini* DC. XVIII. *Cuius* Corpus *in* Metenſi *Eccleſia ſepultum, & miraculis clarum, poſtea ad* Nouum-Villare *Monaſterium petente* Lantfrido *Corepiſcopo* Drogonis *Antiſtitis* Metenſis, *fratris* Ludouici Pij *cultu potiori tranſlatum eſt.*

*Metim patriam reuertitur.*

*Quâ Pontifex creatur.*

*Moritur.*

Hactenus ACTA ſecundum placitum Noſtrorum Scriptorum, apud quos communis hæc eſt relatio, quam probare compellimur ſequentibus Notationibus. PRIMA ſit *de origine S. Præſulis*, Patre, Matrimonio, & alia in ACTIS relata, vſque ad aduentum in *Hiſpanias* audi Iulianum Archipresbyterum Toletanum in *Aduerſ. n.* 455. *fol.* 105. dicentem: Felix *ex ſemine Regio habuit præter* ADELPHVM *alium filium nomine* Brendinum *qui fuit Rex Schotiæ.* ADELPHVS *verò priuſ-* quam

*Origo, Parentes, Matrimonium, & ſoboles probatur.*

quam ingrederetur Agalienſe Monaſterium, ex legitimo matrimonio habuit filiam nomine Gelgeſam, quam duxit Filtanus Rex Iberniæ, ex hoc connubio nati ſunt S. ADELPHO auo, Nepotes S. Furſæus, Pater Monaſterij Peronæ, Ordinis S. Benedicti, & fratres eius Monachi ſanctiſſimi Foillanus, & Vltanus. Scriptum reliquerat idem Iulianus n. 452. Quòd iſte ADELPVS fuerat Epiſcopus Toletanus, poſt Metenſis, filius Felicis ex ſemine Regio. Item de Origine Metenſi in Lotharingia idem Iulianus in Chron. Ann. 597. n. 311. hac ſerie? Exuperio Toletano Pontifici ſufficitur ADELPHVS Abbas Agalienſis, patriâ Metenſis, qui reuerſus Metim, vbi fit Epiſcopus. Conueniunt Aleozer ſupr. d. lib. 2. c. 31. Caſtejon d. 2. p. §. 2. D. Thomas Tamayo, & Quintana-Dueñas in locis ſuperius citatis.

Aduentus in Hiſpaniam, & Monachatus probatur.

SECVNDA de Aduentu S. ADELPHI Galliâ Toletum, legatione Regum Francorum; & de ingreſſu in Cœnobio Agalienſi, vbi fuit Abbas, & Epiſcopus Toletanus. Videſis eundem Iulianum in Aduerſ. n. 451. ſequentibus periodis: Metis florebat S. ADELPHVS, qui fuit Toletanus Epiſcopus, à S. Rege Vviſigothorum Catholico Reccaredo poſitus, qui veniens Toletum ad Regem Leouigildum à Regibus Gallorum legatione obitâ, ingreſſus eſt Monaſterium Agalienſe, & inde effectus Epiſcopus Toletanus eſt. Conueniunt S. M. Maximus in Chron. Ann. 597. & 598. vbi Biuar. n. 3. §. 15. & 17. fol. 692. & cæteri ſuperius relati.

Adduxit Clodoſuindã ex Gallia Toletum

TERTIA de S. Viri Legatione ad Chilpericum Francorum Regem Reccaredi iuſſu, pro obtinenda Clodoſuindâ in coniugium Hiſpani Principis; audi S. M. Maximum in Chron Ann. 598. n. 3. dicentem: Rex Reccaredus ducit Glodoſuindam ex ſemine Regum Gallorum, quam ADELPHVS patriâ Metenſis adducit aliis comitantibus. De horum Principum connubio ſcribunt S. Gregor. Turonenſ. Hiſtor. Francor. lib. 9. c. 16. 20. & 28. Paulus Diacon. Hiſtor. Longobardor. lib. 3. c. 13. & Noſtri Scriptores paſſim.

Reparatur Cœnobium SS. Coſmæ, & Damiani.

QVARTA de reparatione Cœnobij SS. Coſmæ, & Damiani prope Toletum, & de munerum largitione ad conſtructionem Monaſterij Metenſis; idem S. Maxim. in Chron. d. Ann. 598. n. 6. debitum ſoluat, ſic: Reccaredus Rex hortatu S. Pontificis ADELPHI, Toleti reædificat Monaſterium SS. Martyrum Coſmæ, & Damiani, ad Septemtrionem poſitum, quod Toleto diſtat plus Duobus Paſſ. Millib. Et largam elargitur eleémoſynam, vt in vrbe Metenſi, patriâ S Pontificis alterum ædificet Ordinis Benedictinorum.

Congregat Toleti Synodum.

QVINTA de Concilio apud Toletum congregato; S. Maxim. in Chron. d. Ann. 598. n. 2. hæc refert: Cogitur Toleti Synodus ſub ADELPHO, & Rege Reccaredo. Et patet ex volumine Conciliorum Hiſpaniæ apud Loayſam fol. 252. & apud omnes rerum Hiſpanicarum Scriptores.

Reuerſus Metim eius Sedis Epiſcopus creatur.

SEXTA de reuerſione S. Præſulis Metim patriam ſuam, quâ S. Ruffi patrui coadjutor fit, poſt Metenſis Antiſtes, deque eius mortis die, & Anno; ipſe S. Maximus in Chron. Ann. 598. n. 11. omnia coniugit: ADELPHVS (inquit) relictâ Sede Toletanâ, it prædicaturus ſuis Metenſibus, ibique exercet Pontificalia prædicandi, & ordlnandi munera. Miraculis clarus deceſſit XXIX. Auguſti. In cuius laudem Venantius Toletanus compoſuit Homiliam, quæ incipit: Habet hoc ADELPHI Antiſtitis ſanctus animus: quæ falsò inſcribi ſolet Petro Rauennati, cognomento Chryſologo. Luitprandus in Chron. Ann. 606. n. 2. his verbis: Floret Metis S. Ruffus, patruus S. ADELPHI, antea Abbatis Agalienſis, & Archiepiſcopi Toletani, poſt Epiſcopi Metenſis: qui patruo Ruffo Vir ſanctus, ſucceſſit. Prolixiùs Iulianus in Aduerſar. n. 451. hac ſerie, poſtquam de Epiſcopatu ageret Toletano, proſequitur: Cúmque nonnullos annos ſanctiſſime Pontificatum adminiſtraret, rediit in Patriam,

Annus, & Dies obitus.

& S. Ruffo Metenſium Epiſcopo ſuffectus, nonnullos annos hoc munere functus eſt: Miraculis clarus obiit Anno D.C. XVIII. Die verò XXIX. Auguſti. Cùm eſſet Abbas Agalienſis nonnulla ſcripſit; quædam verò cum eſſet Metis contra Sarracenos, in Africa inſultantes, & venenum ſuum contra Chriſtianos euomentes. S. Pontificis ſcripta quæ hic Iulianus recenſet, etiam vt ſua recitat Ioannes Trithemius de Scriptor. Eccleſ. fol. 87.

Tranſlatio ſacrorum pignorum.

SEPTIMA de Tranſlatione ſacrarum exuuiarum S. Pontificis ad Monaſterium: Nouum-Villare, ſic Andreas Sauſſeyus in Martyrolog. Gallican. h. d. fol. 563. hoc elogio:



elogio: Metis Tranſlatio S. ADELPHI Epiſcopi, & confeſſoris cuius ſacrum CORPVS petente Lantfrido Corepiſcopo Drogonis Antiſtis Metenſis, fratris Ludouici Pij ad Nouum-Villare Monaſterium, cultu potiori repoſitum eſt. Pro coronide Carmen ſepulchrale hocce vetuſtum damus:

## PRO S. ADELPHO TOLETANO, & Metenſi Epiſcopo, & Confeſſore, Carmen ſepulchraele.

Epitaphiũ.

*Patria Metis erat, Toletum Regia, thronus;*
*Illic connubio, proleque clarus eram.*
*Nomen & à partu gemino mihi Mater ADELPHI*
*Impoſuit; poſt hæc me ſophos omnis amat.*
*Poſt & Oratoris munus feliciter egi*
*Regum, vnde mihi gloria magna venit.*
*Nam Monachus, Abbas, & Præſul, Numine ſancto*
*Auxiliante, fui; poſt & ad Aſtra volo.*

Sauſſaij ſententia ambigua.

Andreas Sauſſayus Tom. 1. Martyrol. Gallican. Die XXVIII. April. fol. 237. contendit S. ADELPHVM Epiſcopum Metenſem fuiſſe temporibus Apoſtolorum vicinum, ſed niſi alius fuerit, proculdubio fallitur; ex ſuperius recenſitis, & relatione Trithemij, quæ ipſum Monachum Benedictinum egiſſe conſcribit.

C. Scriptores

SS. IOANNES & PETRVS Minoritæ Martyres.] Eos inter Diuos ſui Ordinis Arturus à Monaſterio in Martyrolog. Franciſcan. h. fol. 391 hoc elogio repoſuit: Valentiæ in Hiſpania BB. IOANNIS, & PETRI Martyrum: qui ob Chriſti liberam prædicationem, & Mahumeticæ legis publicam damnationem, variis, iiſque maximis tormentis excruciati, ab Azoto Maurorum Rege, iuſſi ſunt capite plecti. Eorum etiam memoriam Sanctorum titulo repetunt S. Antonius in Compend. Hiſtorial. 3. tit. 24. c. 7. §. 14 Toſſinianus Hiſtor Seraphic. lib. 1. Ann. 1231. fol. 136. Marcus Vlyſiponenſis in Chron. Minor. 1. p. lib. 4. c. 36. 37. & 39. Gonzaga in origin. Seraph. Relig. 3. p. Conuent. 10. Prouinc. Aragon. & Conuent. 1. & 2. Prouinc. Valent. Elzearius in Sacr. Mont. Oliuet. lib. 2. c. 11 Petrus Anton. Beuter Hiſtor. Valentin. 1. p. lib. 1. c. 36. & lib. 2. c. 22. Ioannnes Marieta Hiſtor. SS. Hiſpan. lib. 3. c. 24. 25. 26. & 27. Vvadingus in Annal. Minor. Tom. 1. Ann. 1216. §. 2. Ann. 1220. §. 68. Ann. 1231. §. 47. Ann. 1238. §. 5. Ann. 1239. §. 16. 17. & 18. Sedulius in Commentar. ad Vit. S. Franciſc. cap. 3. §. 8. Eorum ACTA ſic per ſynopſim referuntur.

## ACTA SS. IOANNIS, ET PETRI Martyrum Aragonenſium ex Ordine Minorum ex Variis Scriptoribus.

Origo.

IOANNES Sacerdos, & PETRVS Laicus Profeſſus Itali origine, cùm in Hiſpaniam ablegati, Valentiam, Chriſti fidem Sarracenis eius accolis prædicaturi, iuxta datum ſibi à Seraphico P. S. Franciſco mandatum, pergerent; Anno Domini M. CC. XX. Turolium Aragoniæ vrbem applicuere: ibique cernentes populum ſibi ſupra modum affectum, extructis duabus, ex vili materiâ cellulis, iuxta ædiculam B. Bartholomæo Apoſtolo ſacram, exindeque prædicationibus, & orationibus ſuæ ſanctitudinis effundere cœperunt odorem. Qui tamen poſt elapſum decennium, Valentiam, muneri ſibi iniuncto ſatisfacturi appulſi: vrbem animi conſtantiâ, magnoque fidei Zelo, ac

*ac martyrij deſiderio inflammati, ingrediuntur, ad prædicandum verbum Dei. Qui cùm eſſent in Mahumeticam ſuperſtitionem publicè inuecti, illamque prælato ſibi ſacro Euangelio damnaſſent, ab Azoto Valentiæ Rege comprehenſi, opprobriis, atque iniuriis primùm vexati, & carceri mancipati. Cúmque nec minis terreri, nec promiſſionibus flecti poſſent ad Christi fidem abnegandam, in foro publico illos decollari præcepit, vt factum fuit Die* XXIX. Auguſti, *Anno Domini* M. C C. XXXI. *Quorum* Reliquiæ, *demptis capitibus, à Chriſtianis honorificè ibidem ſepultæ; poſtea ad vrbem* Turolium *per* Iacobum I. *Aragoniæ Regem tranſlatæ fuerunt, Anno* M. CC. XXXVIII. *vbi multis clareſcere miraculis cœpere.*

*Coronantur.*

Hæc ſunt quæ de his SS. Martyribus ACTA congeſſimus: ſed quo titulo inter Diuorum catalogum eorum ſint appoſita Nomina nondum didici, fides ſtet apud illos. TVROLIVM, hodie TERVEL, in Aragonia iacet.

D. S. CANDIDA *Virgo, & Martyr Romana.*] De ea agit *Vſuardus*, à quo *Baronius* Cardinalis in *Romano Martyrologio* h. d. ſequenti ſerie: *Item Romæ* S. CANDIDÆ *Virginis, & Martyris, cuius Corpus Paſchalis I. Papa in Eccleſia S. Praxedis tranſtulit.* Conueniunt P. Vazq. in *Caſtellano*, P. Lup. in *Luſitano*, Conſtantius Felicius in *Italo*, & alij in recentioribus. Fortè hæc Noſtra CANDIDA diuerſa ab illa eſt, aut illa ab iſta, nam ex Inſtrumentis donationum, quibus nomina SS. Martyrum R. P. F. *Ioanni ab Anuntiatione* donatorum, referuntur, Corpus S. CANDIDÆ Virginis, & Martyris recenſetur cum aſſignatione huius diei, vt ex ipſis patet ſupr. *Tom.* 2. *Die II. Mart. lit. C. fol* 44. & 45. vbi *fol.* 48. diſtributionem perleges. Eius ACTA hactenus dilituere.

*Martyrologia.*

# TERTIO KALEND.

## Septembris.

## DIES XXX.

*A.* ATHANAGIÆ *ſiue* MANRESSÆ *in* Catalonia Hiſpaniæ TRANSLATIO *ſacrorum pignorum* B. AGNETIS *Virginis, & Martyris, quæ primò* Conſtantinopolim, *poſt* Viennam, *demum* Athanagiam *adlata, ibidem anniuerſariâ commemoratione coluntur, & accolarum votis viſcerali pietate venerantur.*

*B.* *Apud* BVRGENSES *in Hiſpania Citeriori* SS. PELAGII, ARSENII, & SYLVANI *Eremitarum ex ordine Benedictino; qui Deo ſeruientes intra nemoris ardui viſcera Comiti Caſtellæ celebrem de Sarracenorum Regibus victoriam prædixerunt; & tandem virtutum manipulis illuſtres, & miraculorum ſignis clari, ſuis temporibus, obdormierunt in Domino.*

NOTÆ.



# NOTÆ.

TRANSLATIO *ſacrorum pignorum* S. AGNETIS *Virginis, & Martyris.*] De hac ſanctiſſima pugile egimus ſupra *Tom.* 1. *Die XXI. Ianuar. fol.* 209. vbi eius ACTA recenſuimus, & in hunc Diem Eius ecphraſin *Tranſlationis* deſcribendam reiicimus. Quam Antonius Vincent. Domenec in *Hiſtor. SS. Cathalon. fol.* 83. *col.* 3. & P. Ioannes Bollando in *Act. SS. Tom.* 2. *fol.* 360. ſic referunt. A.

## *ACTA TRANSLATIONIS SACRORVM Pignorum S. Agnetis Virginis, & Martyris Romanæ Viennâ Athanagiam Cathaloniæ vrbem ex Anton. Vincent. Domenec.*

CORPVS *ſacrum* B. Agnetis *ſæpe ſæpius ad varias Prouincias tranſlatum eſt. Nam primùm* Româ Conſtantinopolim *precibus* Martiani *Imperatoris aduectum; poſt ex Conſtantinopoli* Viennam *Germaniæ per* Guillelmum *Comitis Viennenſis filium perductum; deinde ex* Vienna *ad Oppidum* S. Fructuoſi *prope* Manreſam *in* Cathalonia *ab Oratoribus Regis* Caſtellæ, *qui illud à Comite* Viennenſi, *vt* S. E. *Toletanam ditaret, obtinuerant, adlatum; ac denique ex relato Oppido* S. Fructuoſi *ad* S. E. Manreſenſem *tranſlatum eſt. Quod ita euenit: Cùm Canonici* Manreſenſes *cognoſcerent, quòd ſacra pignora* S. AGNETIS *cum aliis Sanctorum exuuiis in Oppidulo* S. Fructuoſi *adhuc indecenti loco iacerent, ea in ſuam Eccleſiam perducere decreuere, vt ſublimiori collocata tabernaculo, honorificentius venerarentur, & colerentur. Ad hoc igitur agendum iuridicè licentiam à* Guidone *Epiſcopo Portuenſi, & in* Aragoniæ *Regnis à Latere Legato Apoſtolico*, Barcinone *degente, continuis precibus flagitarunt, qui Epiſcopo* Viccenſi *cauſam commiſit, & iſte Manreſenſi, Decano, qui probatis probandis proceſſum Apoſtolico remiſit Legato; & ipſe causâ cognitâ Canonicis præfatis extrahendi prædicta* S. AGNETIS, *pignora ſacra facultatem conceſſit. Quâ receptâ proceſſionem generalem indixere, & die* XXX. Auguſti *Anno Domini* M. CCC. LXXII. *prædictum ſacrum* S. AGNETIS Corpus *cum aliis* SS. Fructuoſi Epiſcopi Tarraconenſis, Augurij, *&* Eulogij *eius Diaconorum Martyrum, & aliorum lipſanis tranſlatum* Manreſam *eſt, in Cathedrali Eccleſia honorifice collocatum, hocce actum auctorantibus miraculis & prodigiis à Domino per interceſſionem S. Virginis, & Martyris operatis; inter quæ illud refertur de quodam homine, ſic corpore graueſcente, & tumeſcente, quòd haut quaquam ſe ſe erigere valebat, nomine* Poal. *Hic cùm ſacras exuuias iuxta eius domum tranſire cognouit, lachrymoſis ſingultibus opem à* B. AGNETE *ſpecialiter poſtulauit, & ſtatim corpus ſic leue redactum eſt, vt gratitudine plenus, & gratias Deo agens, & Virgini ſanctæ numerum proceſſionem comitantium adauxit. Similiter cuidam mulieri* Amatæ *nomine, quæ vtroque oculo orbata viſum hoc die recepit, per* S. AGNETIS *Virginis, & Martyris merita.*

*Variæ Tranſlationes.*

*Vltima ex Oppido S. Fructuoſi ad Manreſam.*

*Annus Tranſlationis.*

*Miraculum.*

*Miraculum.*

Alia referuntur miracula in relatione huius *Tranſlationis*, ſed illa non hoc die, ſed temporibus procedentibus, ideò illa hic tranſcribere noluimus, quia non ad geſta in *Tranſlatione* pertinent. De Vrbe ATHANAGRIA, ſeu ATHANAGIA quæ hodie MANRESA dicitur in *Cathalonia*, videndus Ieronymus Pujades *Hiſtor. Cathalon. lib.* 3. *c.* 7. *fol.* 63.

*Athanagia quæ.*

SS. PELAGIVS, ARSENIVS, & SYLVANVS *Monachi Confeſſores.*] Ex ordine B.

*Martyrologia.*

Benedictino eos fuiſſe contendunt Arnaldus Vvion in *Appendic. ad Martyrolog. Monaſtic. lib. 3. lit. P. fol. 422.* Hugo Menardus *in Appendic. ad Martyrolog. Benedictin. lit. P. fol. 128.* F. Antonius Yep. in *Chron. Benedict. Tom. 1. Cent. 2. Ann. 591. c. 2. fol. 376.* qui inter Sanctos eiuſdem Ordinis enumerat, eorumque *Corpora* in Tribus thecis repoſita, ſupra Altare quod SS. Martyrum vocitant, venerantur. De eis Ambroſius Morales *Hiſtor. Hiſpan. lib. 15. c. 37. & lib. 16. c. 5.* Ioannes Vaſſeus in *Chron. Ann. 950.* P. Ioannes Mariana *Hiſtor. Hiſpan. lib. 8 c. 6.* Eorum ACTA ex Antiquo Codice Monaſterij Cæleſtinorum Lugdunenſi Benedictus Gononus in *Vit. SS. Occidental. lib. 4. fol. 268.* ſic excripſit.

## *ACTA SS. PELAGII, ARSENII, & Syluani Monachorum Ordinis S. Benedicti Confeſſorum, ex Antiq. Codice Monaſt. Lugdunenſ.*

*Comitis Fernandi Gonſalui ſtrenuitas.*

REGNANTE *in* Legionis *Regno* Ordonio III. *ſuſcitauit Deus quendam Virum in armis ſtrenuum*, Ferdinandum Gundiſaluum *Comitem, cuius filia* Vrraca *nomine, ſupradicti* Ordonij *Regis vxor erat. Comes ergo* Ferdinandus Gundiſaluus, *deſiderio ſeruiendi Deo, bella duriſſima aduerſus Sarracenos aggreſſus eſt. Primo autem congreſſu, deuictis Sarracenis obtinuit Castrum quoddam, quod dicitur de* Tharaco, *in cuiuſdam rupis altitudine collocatum: vnde Sarracenis euenit tribulatio magna. Tunc* Almanzor *Sarracenorum potentiſſimus Rex, cùm audiuiſſet, quòd Comes ceperat prædictum* Caſtrum, *iratus valde congregauit magnam Regum Sarracenorum poteſtatem, aliarumque gentium, quorum numerus* XII. Legionum *militum erat. Vna autem Legio in Sex millibus Sexcentis Sexaginta Sex conſiſtit. Cùm ergo prædictus Comes cognouiſſet quod* Almanzor *veniret contra eum in multitudine tàm graui, ſtatim legatos ſuos per totam* Caſtellam *miſit, vt ad eius auxilium venire minime differrent. Collecto igitur magno exercitu, ad eum venerunt, habitoque cum eis conſilio, hortatus eſt, vt bono animo eſſent, & viriliter aduerſus Chriſtianorum inimicum decertarent. His ita conſtitutis Comes tædio affectus, vt animum à curis paululum reuocaret, cum ſeruis ſuis vt venationi operam daret, abiit (valde enim venatione delectabatur) Cùm autem miræ magnitudinis aprum inſequeretur, contigit, vt à ſeruis ſuis ſeparatus, per Montem aberrans, veniret in quandam ſpeluncam quærens aprum, ſed cum non inueniſſet, & huc illucque aberraret, tandem ingreſſus eſt quandam Eccleſiam paruam. Eccleſia autem illa tota erat exterius cooperta, quadam herba, quæ dicitur hedera, ita quod nullo modo videbatur, erantque in cellulis circumcirca conſtructis Tres Anachoretæ, qui ſoli Deo in hoc deſerto ſeruiebant. Quorum nomina ſunt* PELAGIVS, ARSENIVS, *&* SYLVANVS. *Cum igitur prædictus Comes ingreſſus Eccleſiam, acceſſiſſet ad Altare, aprum iacentem in terra reperit, eumque propter loci reuerentiam occidere noluit, ſed flexis genibus orationem ſuam fudit ad Dominum. Cùm autem orationi ſuæ finem impoſuiſſet, ſtatim venit ad eum vnus Trium illorum Anachoretarum, qui dicebatur* PELAGIVS, *& interrogauit eum quis eſſet, & quid peteret. Comes verò ei nihil celauit, dixitque quòd ſegregauerat ſe à gente ſua, & intrauerat ibidem vt quæreret aprum. Tunc Eremita dixit ei:* Rogo te propter Deum, & tuam bonitatem, quòd ſis iſtâ nocte meus hoſpes, dabo tibi panem hordei vt comedas, quia de tritico non habeo, & dabo tibi de aliis quæ potero habere *Comes cùm hæc audiſſet, lubenti animo manſit apud eum illâ nocte.*

*Almanzor exercitum congregat.*

*Comes venationem aggreditur.*

*Tres inuenit Anachoretas.*

*Pelagium alloquitur.*

*Qui ei omnia euentura prædicit.*

DIE *autem ſequenti cùm ſummo mane* PELAGIVS *ad Comitem veniſſet, omnia quæ euentura erant prædixit ei dicens:* Certiſſimè credas quòd diriget Deus negotia tua, & deuinces omnem poteſtatem illius Almanzor. Prælium magnum habebis cum eis, ſed & certiſſime vinces



eos, & tot ex eis occides, quod non erit numerus. Item ſcias certiſſimè, quòd recuperabis vnam magnam partem terræ, & effundes ſanguinem Regum, & Magnatum, & felicitas tua tam magna erit, quod per totum mundum ſonus exibit militiæ tuæ. Sed & ante tertium diem eris in magnis anguſtiis poſitus, quia videbis totam gentem tuam, vltra modum pauore percuſſam, propter vnum teterrimum ſignum, quod videbunt, nec erit ibi aliquis tàm fortis, quòd non langueſcat timore. Sed tu ſtatim conforta eos melioribus verbis, quibus potueris, exponendo ſignum, & ipſi ſtatim perdent timorem; & ex nunc vade feliciter, inueniesque omnes tuos triſtes, planctus, & luctus propter te facientes, & cogitantes quòd ſis captus, vel mortuus. Sed rogo te, & peto iſtud, quòd poſtquam deuiceris recorderis huius pauperculæ ſocietatis, & tàm pauperrimi loci, quia Nos Tres Monachi ſumus ſoli, facientes pauperrimam vitam, & niſi nobis Deus eſſet adiutor, nos crudeliſſimæ beſtiæ huius montis deuorarent. *Comes igitur valefaciens, ad propria reuerſus eſt; narrauitque omnia quæ ſibi acciderant cum* PELAGIO *Eremitâ. Paruo autem elapſo tempore, cùm præcepiſſet moueri exercitum ſuum, venit ad locum vbi ſe mutuò videbant Chriſtiani, & Sarraceni; tantaque erat Sarracenorum multitudo, quòd montes, & valles cooperti videbantur, veniebantque ſonantibus tubis, & tumultum magnum excitantes. Tunc autem accidit ſignum quod prædixerat* PELAGIVS *Eremita: Vnus enim militum Comitis cùm aſcendiſſet equum pulchrum, & velocem, vrgeretque eum calcaribus, aperta fuit terra, & deglutiuit eum cum equo ſuo. Tunc fuerunt omnes milites Comitis percuſſi timore magno dicentes:* Propter peccata noſtra iſtud accidit nobis, & benè apparet quòd Deus derelinquet nos. *Sed virtuoſus ille Comes cùm eos bono animo eſſe iuſſiſſet, & vt ſperarent in Domino admonuiſſet, commiſſum eſt durum bellum, & milites Chriſtiani intantum accenſi fuerunt, quòd vicerunt poteſtatem Sarracenorum, & fugit* Almanzor *cum paucis. Victi autem Sarraceni fugerunt: ſed Comes perſequens eos cum paucis de ſuis, occidit plures eorum, & in tentoriis aurum, argentum, & vaſa pretioſa & arma reperiens, militibus diuiſit ſpolia. Exinde Comes venit cum omnibus ſuis in ſupradictum Eremitorium S. Petri, deditque ibi multa donaria, reuerſuſque eſt in Ciuitatem ſuam in gloria cum omnibus ſuis. Hac die Deus manifeſtè oſtendit ſuam poteſtatem, in hoc quòd Trecenti milites Chriſtiani tantam Sarracenorum multitudinem, & tàm potentem virum, ſicut erat* Almanzor, *ſuperarunt.*

*Apertâ terrâ vnus militum Comitis deglutitur.*

*Vincit Comes Almanzorem.*

INTEREA *Sarracenorum Rex* Almanzor *valde dolens de euentu belli tranſiuit vltra mare in Africam, præcepitque prædicari per totam Sarracenorum terrã, quòd venirent ad eius auxilium contra Comitem. Cùm hoc Sarraceni audiuiſſent, venerunt ad eum ſine numero, ſicut qui veniunt ad indulgentiam Cruciatæ, quam nos Chriſtiani fideliter accipimus cùm Sedes Apoſtolica, debitis circunſtantiis penſatis, illam concedit. Vltra autem prædictas Sarracenorum gentes, congregauit etiam totam Andaluziæ poteſtatem, & ſic cum exercitu quaſi innumerabili venit contra Caſtellam, vt deſtrueret eam, & vt prædictum Comitem caperet, & occideret, ſi poſſet. Quæ omnia cùm cognouiſſet prædictus Comes congregauit ſimiliter omnes Caſtellanos, venitque ad locum, qui dicitur Pedrahita, Sarraceni verò erant in Bazinas Comes igitur relicto exercitu ſolus cum duobus militibus velociter perrexit, vt videret Eremitam* PELAGIVM, *qui ei alterâ vice prædixerat victoriam de Rege* Almanzore *reportaturum. Cùm verò perueniſſet ad eius cellam, dictum eſt ei ab aliis duobus Eremitis* ARSENIO, *&* SYLVANO, *quòd iam ex hac vita migraſſet. Vnde non parum dolens de morte eius, orationis gratiâ Eccleſiam ingreſſus eſt, flexiſque genibus ante Altare rogabat, vt Deus ſui miſereretur, & omnem Sarracenorum deſtrueret poteſtatem. Cùm orationem prolongaret, ſubito captus eſt dulci quodam ſomno, dormiuitque ante Altare. Apparuit autem ei per viſum Sanctus ille Monachus* PELAGIVS *candidis indutus veſtibus,*

*Iterum Almanzor contra Comitem venit.*

*Arſenius, & Syluanus comites Pelagij eius mortem Comiti referunt.*

*veſtibus, & dixit ei:* Dormis Ferdinande Comes? Surge, & vade ad gentem tuam, quia Deus conceſſit tibi quidquid poſtulaſti; & ſcias certitudinaliter, quod vinces *Sarracenum Almanzor*, & omnem eius poteſtatem, & perdes in prælio multos de gente tua. Sed quia ſeruis Deo toto corde, mittet tibi Apoſtolum ſuum IACOBVM, & ME cum multitudine Angelorum ad adiutorium tui, & apparebimus omnes in bello cùm armis albis, & quilibet noſtrum ducet Crucem in ſuo vexillo, & cùm Sarraceni viderint nos vincentur, & dimittent tibi campum. *Euigilans ergo Comes, & cogitans in illa viſione, orando, audiuit vocem ſibi dicentem, & præcipientem, vt citò pergeret ad committendum prælium. Reuerſus ergo ad ſuos Comes, quæ in viſione vidit, & audiuit omnia ſuis narranit, & ordinatis aciebus ſuis aduerſus Sarracenos pergere præcepit, ſed Draconis præſtigioſi in exercitu apparentis ſubdolam monſtruoſitatem deridens, duobus diebus continuis congreſſum militum exercuit, vbi ex vtraque parte multi ceciderunt. Sed eueniente Die tertia venientes* IACOBVS *Apoſtolus, &* PELAGIVS *Monachus cum multitudine militum, & militaribus ſplendentibus armis, Crucis ſigno inſignitis, acies Sarracenorum profligarunt, & Comes celebrem victoriam adeptus eſt Tunc gratitudinis causâ ad Eremitorium reuerſus illuſtriſſimum, & antiquiſſimum illud Cœnobium* S. Petri, *à Rege* Reccaredo *Catholico Gothorum conditum reparauit, & donariis magnis auxit, vbi* ARSENIVS *&* SYLVANVS *diù commorantes, tandem ad æternam deſideratamque gloriam feliciter peruenere. Quorum feſta Dies olim in dicto peragebatur Cœnobio* III. Kalendas Septembris, *quâ eorum pignora proceſſionaliter deferebatur magno populorum concurſu, & in eorum ſarcophago hocce erat Carmen inſcriptum.*

*Apparet Pelagius Comiti, & victoriam prædicit.*

*Iacobus Apoſtolus & Pelagius Monachus fugant Sarracenos.*

*SS. Feſta Dies.*

*Epitaphium.*

*Hîc recubant punctim Sanctorum Corpora iunctim*
PELAGI, ARSENI, *necnon reuoluta perenni*
*Pignora* SYLVANI *thecâ, quæ prorſus humani*
*Sors coluit feruoris, vis veneratur amoris.*
*His præbet reuerâ cultum inſignis Ibera,*
*Quòd populo quidem dedere iuuamen eidem:*
*Dicentes Comiti, quo tempore prælia mitti*
*Poſſet, ſicque bonam mereretur ferre coronam.*
*Hos Tres (ſæpe Legendæ ſcribunt) Treſque Kalendæ*
*Septembris venerantur; & libamina dantur*
*Tribus, Eremitis, cœlorum marmore ſcriptis.*

Hactenus ACTA quæ de hiſce SS. Anachoretis reperiuntur, & quorum meminit Thomas Bozius de *Signis Eccleſ.* I. *p.* relatus à Benedicto Gonono de *SS. Occidental. lib.* 4 *fol.* 270. qui Cardinalis Baronij incredulitatem huius victoriæ taxat, cùm re verâ ſint antiquiſſima huius veritatis monimenta apud Hiſpanicarum Rerum Scriptores, maximè Alphonſum Sapientem in *General. Hiſtor. Hiſpan. lib.* 3. *c.* 18. *&* 19. Audi Gononum Gallum Scriptorem: *Videtur* Baronius *de Victoria* Gundiſalui Ferdinandi *dubitare. Sed non eſt quod timeat, nam hæc celebris ab omnibus Hiſpanicarum Rerum Scriptoribus admittitur victoria; atque præter eos etiam doctiſſimus* Bozius, *de inſigni illa victoria* Comitis Ferdinandi *pluribus mentionem facit.* Et licet *Gononus* vtriuſque Scriptoris tàm negantis, quàm defendentis loca non declaret, Nos illa ſubiicere curabimus, vt legentibus innoteſcant. *Baronius* hanc victoriam negans, iſta *Annal. Eccleſ. Tom.* 10. *Ann.* 955. *n. final.* profitetur: *Quod fertur de ingenti victoria monitu* PELAGII *Eremitæ hoc tempore obtentâ per* Fernandum Gundiſaluum, *an veritate ſubſiſtat, conſule* Ambroſium, *cæteris, à Nobis, Hiſtoricis Rerum Hiſpanicarum præferendum.* Aſt *Ambroſius Morales* de victoria non ambigit, nam illam fatetur,

*Baronius à Gonono taxatur.*

*Coadiunatur ſententia Gononi.*



fatetur, dubitat verò de tempore, & aliis circunſtantiis quas Yepius in *Chron. Benedict. Tom.* 1. *Cent.* 2. *Ann.* 591. *fol.* 377. recenſuit, qui ad amuſſim *Moralio* ſatisfacit. Hinc *Gononus* opinione Yepeſij, & Bozij de *Sign. Eccleſ. Tom.* 1. *Secul.* 33. *c.* 7. *n.* 16. *lib.* 8. *fol.* 331. deuictus, fateri compulſus eſt dicere: *Hiſtoria Trium iſtorum Sanctorum valde authentica eſt, & approbata, quia fundatur ſupra ſanctitatem vitæ ipſorum, & miraculorum, ex traditione omnium Monachorum, qui eoſdem tanquam Sanctos honorant.* Eorum Tranſlationem recolit Cœnobium *S. Petri de Arlanza* XVI. *Kalend. Decembr.* vbi & Nos.

*Tranſlatio SS. quo die colitur?*

# PRIDIE KALEND.

## Septembris.

## DIES XXXI.

A. *In Cœnobio* Longi-Campi *apud Pariſios* B. ISABELLÆ *Virginis*, B. Blanchæ *Infantis* Caſtellæ *filiæ, & S.* Ludouici *Galliarum Regis germanæ, quæ mundi deſpiciens illecebras, & ad religionis portum attingens, ſic ſe à ſecularibus abnegauit pompis, ſic ſeculi deliria calcauit, vt tantum Chriſti ſponſi appeteret paupertatem, quâ, & aliis virtutibus ornata, ad gaudium properauit æternum.*

B. CÆSAR-AVGVSTÆ *in Hiſpania* B. DOMINICI *cognomento* Vallenſis, *qui ferè* Octennis *à perfidis Iudæis comprehenſus, mortem feroci crudelitate ſuſcepit.*

C. MALACÆ *in Bætica Hiſpaniæ feſtiuitas Dedicationis Eccleſiæ Cathedralis, cuius ſolemnitas honorifico reiteratur applauſu, & ſummo annuatur cultu.*

D. *Apud* VICVM *in Catalonia Hiſpaniæ item feſtum Dedicationis Eccleſiæ Cathedralis, in cuius celebritate, Cleri pietas & populi lætitia mirifice conuertuntur.*

# NOTÆ.

BEATA ISABELLA *Virgo Sanctimonialis Pariſienſis.*] Huius ſanctiſſimæ Virginis meminimus ſupra *Tom.* 1. *Die XXIII. Februar. lit. G. fol.* 238. Eamque fuiſſe filiam *Ludouici* VIII. Francorum Regis, & *Blanchæ* eius coniugis ſanctiſſimæ fœminæ *Hiſpanæ*, quæ *Tertia* filia extitit *Alphonſi Legionis*, & *Caſtellæ* Regis Catholici huius nominis VIII. cognomento Nobilis, & *Eleonoræ* eius vxoris. Eius B. Virginis memoriam reperit Arturus à Monaſterio in *Martyolog. Franciſcan. h. d. fol.* 394. ſequenti elogio: *Apud Longum-Campum in Territorio Pariſienſi* B. ELISABETÆ *Virginis,* A.

*Martyrologia.*

*Virginis, Sororis* S. Ludouici *Galliarum Regis. quæ ſpretis huius mundi oblectamentis, Chriſto ſponſo in humilitate, & paupertate inſeruire maluit, à quo crebris miraculis ante, & poſt obitum mirificata eſt in terris.* Andreas Sauſſay. in *Martyr. Gallican. h. d. Tom.* 1 *fol.* 569. vbi hoc encomium: *In agro Pariſienſi Longi-Campi Parthenone* B. Isabellæ *Virginis, germanæ* S. Ludouici *Regis, ipſiuſque virginalis ſodalitij fundatricis, cuius præcelſa in ſecularis gloriæ extremo contemptu, Deique feruentiſſimo cultu, ac ſui perfectâ abnegatione, virtus: necnon in Religionis quibuſque exercitationibus eximia pietas, diuinæ teſtificationis indiciis comprobata: etiam Apoſtolicâ Sede decernente, per* Leonis PP. X. *oraculum, honorem Beatis proprium vendicauit ſacræ memoriæ perennem: ſtatutâ eidem die, quâ diuina litatione, & ſolemni officio beatitudinis eius gloria celebratur.* Ioannes Bachot Senonicus, in *Faſt. Chriſtian. h. d. fol.* 613. hoc diſtichon in S. Virginis humilitatis laudem adnectit:

*Edita Regali Francorum ſtirpe (qui auſit*
*O magnum verbum dicere?) parua fuit.*

Scriptores.

De ea ſcribunt Ionuillæus in *Vit. S. Ludouici c.* 85. Iornandes in *Hiſtor. Vniuerſal. p.* 9. *Ann.* 1259. *c.* 234. Bzouius *Annal. Eccleſ. Tom.* 13. *Ann.* 1230. *n.* 2. & *Ann.* 1241. *n.* 18. Toſſinianus *lib.* 1. *Hiſtor. Seraph.* Marianus *lib.* 2. *c.* 20. Vuadingus in *Annal. Minor. Tom.* 2. *Ann.* 1252. § 1. & *Ann.* 1254. §. 33. & 34. & *Ann.* 1263. §. 23. Hyppolitus Raulinus in *Panegyric. Antiq. & Nobilit. Flor. Lilior. c.* 12. §. 11. Hilarion à Coſta *Hiſtor. Cathol. lib.* 1 *fol.* 84. Poyreus de *Triplic. Corona B. Mar. c.* 12. §. 47. *tract.* 1. Elzearius in *Mont. Oliuet. lib.* 2. *c.* 5. Salazar in *Chron. Prouinc. Caſtell. lib.* 5. *c.* 20. Vitalis de Algezira in *Arbor. Epilog. Ordin. Minor.* Ioannes Iacobus Chiffletius *in Appendic. de Iſabell. ſanct. c.* 3. *fol.* 48.

## *ACTA B. ISABELLÆ VIRGINIS Sanctimonialis ex Ordine Minorum, à Ioann. Iacob. Chiffletio Antuerpienſi.*

Parentes.

Isabella *patrem* Ludouicum VIII. *Franciæ Regem, Matrem verò* Blancham *habuit,* Hiſpaniæ *Regis filiam; in cuius ſanctiſſima diſciplina, vna cum fratre ſuo* Ludouico IX *Rege, poſt Diuis per* Bonifacium VIII. *Papam adſcripto, à teneris eſt educata.* A Conrado *Frederici Imperatoris filio, aliiſque Principibus, ad nuptias expetita, Deo ſeruire maluit. Cæterum Anno* M. CC. LX. *haut procul ab vrbe* Pariſienſi, *Virginum* S. Claræ *Monaſterium ædificari iuſſit, quod vulgo* Longus-Campus *dicitur. Opere abſoluto, illud ipſum Anno proximè ſequenti, Menſe Iunio, Moniales primæ ſunt ingreſſæ; ipſo* S. Ludouico *Rege, atque vniuerſis Aulæ Proceribus adſtantibus. Quibus virginibus* Isabella *poſtmodum ſe adiunxit. Denique vitâ ſanctiſſimè tranſactâ, obiit* Die XXIII. *Februarij, Anno Chriſti* M. CC. LXIX. *& in illo ſuo* Longi-Campi *Monaſterio honorificè ſepulta. In quo tumulus hodie marmoreus viſitur, qui effigiem eius veſte Monaſticâ Franciſcanâ indutæ refert, & exprimit. Multis miraculis illuſtrem* Leo X. *Pont. Max. Cælitibus adſcripſit: coliturque Officio proprio, vt* Beata, *à dicti cœnobij Monialibus, anniuerſario ritu Pridie Kalendas Septembris.*

Connubia recuſat.

Moritur.

Cultus.

Leo X. B. Virginem inter Beatos retulit.

Eius vitam, & miracula dicitur ſcripſiſſe Sor. *Agnetem de Haricuria,* Neuſtriam, virginem Illuſtriſſimam, Abbatiſſam III. præfati Monaſterij Longi-Campi, domeſticam & familiarem ipſius B. Isabellæ, quę adhuc in eadem extat Abbatia, vt refert Arturus *ſup.* §. 36. *fol.* 402. Qui Leonis X. Diploma Beatificationis recenſet.

Virginitatem ſeruare maluit quàm deſponſari Principibus ſeculi.

Qvod connubium *Conradi,* & aliorum Principum deſpexerit pro Chriſto ſponſo Virgo piiſſima, teſtem habeo fere oculatum Thomam Cantipratanum (cuius non meminit Arturus) *lib.* 2. *Exemplor. c.* 29. his verbis: *Vidimus & illam, quam minus iuſte extremam ponimus, filiam* Ludouici *Regis Francorum, ſororem ſcilicet deuotiſſimi Regis* Ludouici, *qui feliciſſimè regnat ad præſens. Hæc deſponſata* Conrado *filio*



*filio Frederici Romanorum Imperatoris, in virginitate permanere innuba prælegit. Quæ ſoli Deo vacans, adeò contemplationi deditur, & virtuti, vt nulla ei cura in vllis tranſitoriis videatur.*

Qvatenvs ad *originem Hiſpanam* ex *Blanca* Matre, filia *Alphonſi* VIII. *Caſtellæ* cognomento *Nobilis;* nullus adhuc dubitauit, circa quod videnda quæ diximus hoc *Tom.* 4. *Die XXV. Auguſti, lit. D.* vbi probatam hanc originem relinquimus, & Deo duce alibi ex profeſſo probabimus.

Hiſpanâ fuit origine ex Blancâ Matre.

B.

S. Dominicvs *Vallenſis Martyr Cæſarauguſtanus.* ] Celebris apud *Cæſarauguſtanos* ciues fuit, & eſt feſtiuitas huius ſanctiſſimi *Innocentis Martyris,* quam hoc die à multis retro ſeculis colere incœpit, & adhuc veneratur, vt refert Doctiſſimus Aragoniæ olim Chronographus amicus noſter Ioannes Franciſcus Andreas in *Vit. S. Innocent. Cæſarauguſtan. c.* 9. 11. & 15. De eo ſcripſere F. Rodericus de Yepes *in Hiſtor. S. Innocent. Guardienſ.* 3. *p. c.* 3. F. Ioannes Marieta *Hiſtor. SS. Hiſpanor. lib.* 2. *c.* 58. & *in Topograph. lib.* 22. *verb.* Zaragoza *fol.* 67. Abrahamus Bzouius *Annal. Eccleſ. Tom.* 13. *Ann.* 1250. *n.* 18. vbi Acta paſſionis ad literam refert. Ioannes Fredericus Matheneſius *in Appendic. Hiſtor Eccleſiaſt. Baron. Tom.* 3. *lib.* 8. *Ann.* 1250. *n.* 5. D. Ioannes Solorzano de *Iur. Indiar. lib.* 2. *c.* 20. *n.* 85. D. Ioannes Quiñones *in Apolog. aduerſar. Iud. fol.* 54. D. Michael Ioannes Vimbodi *in Hiſtor. Epiſcopor. Valent. in D. Arnaldo de Peralta.* F. Fernandus de Camargo in *Chronolog. Sacr. Ann.* 1250. F. Raymundus Saenz *Hiſtor. Prædicator. Ann.* 1250. *Relat.* 2. *c.* 66. Ieronymus Brancas *Hiſtor. Aragon. Ann.* 1250. D. Martinus Carillo *in Catalog. Epiſcopor. Cæſarauguſtanor. fol.* 16. & in *Hiſtor. S. Valer. fol.* 36. Et in *Annal. Eccleſ. lib.* 4 *Ann.* 1250. *fol.* 304. *vel* 361. F. Didacus Murillo *Hiſtor. Cæſarauguſt. Tractat.* 2. *c.* 27. & 38. Gabriel Seſſè *Hiſtor. Barbaſtrenſ. lib.* 2. *c.* 7. D. Vincentius Blaſco de Lanuza *Hiſtor. Aragon. Tom.* 2. *lib.* 1. *c.* 12. & *lib.* 5. *c.* 9. Et in *Periſtephan. Aragon. libr.* 4. *fol.* 72. vbi venuſto carmine paſſionem *S. Dominici Martyris* hac ſerie recenſet.

Scriptores.

*Sum memor Iſacidas pueros rapuiſſe Parentum*
*Chriſtigenum ex gremio plures: vt funera Chriſti;*
*Et ſcelus antiquum (quo gens recutita decorem*
*Et fructus legis veteris diſperderat omnes)*
*Martyrio infantum renouent, repetantque nefaſtæ*
*Addentes culpæ ſordes, quibus ardua Regni*
*Præmia conquirant ſtygij, & Phlegetontis amari*
*Æternas meritis pœnas venentur, & iras.*
*Simonem puerum verpos truncaſſe Tridenti,*
*Vernerum Treneris. Ligno adfixiſſe recordor*
*Chriſtophorum Guardæ, Toleti nobile pignus.*
*Atque irâ, & rabie iecur accendente, volatu*
*Præcipites (vt ſaxa diſrupta feruntur)*
*Cùm recitanda venit mors, lamentabilis Orbi,*
*Sancta Redemptoris: pueri ſub imagine viuâ,*
*Cordibus afflatis ſtygiâ loligine, raptum*
*Affigunt ligno inſontem, cantare ſuetum*
*Virginis, & matris laudes, ſeruire choroque*
*Metropolis noſtræ ſubtili voce* Domingvm.
*Quem (cùm Sol rueret, tunc nox iam pallida cœlum*
*Clauderet, vndiuagas Titan abiturus in vmbras)*

*Cantantem Superûm laudes, encomia Diuûm,*
*Per vicos (Salduba) tuos, operoſa canentem*
*Carmina Pſalmographi vatis, verſuſque ſuaues;*
*Nodis colla premens candore ſimillima lacti,*
*Prodito Aliame dedit Albayzetus, & aſtu*
*Diro affigendum ligno, mortique tradendum,*
*Surripuit furtim: vt crudelia vulnera ferret,*
*Sub Chriſti perſonâ Infans, quo ſanctius vnquam,*
*Altius aut puerum vidiſſes celſa ſequentem.*
*Hicque fuit Sanctus primo ſignatus ab ortu,*
*Educens nitidam matris de ventre coronam,*
*Atque humeros crucibus rutilos, oſtroque micantes.*
*Hic magnæ pignus vitutis, & indole magnus,*
*Delitiæ matris Saldubæ, ſpeſque, decuſque*
*Metropolis noſtræ, Cleri vel amabile Sydus.*
*O ſcelus infandum flagris, & pondere ligni,*
*Innumeris pœnis hominem cruciaſſe, Deumque*
*Non viſum Solymis ſatis! En Salduba nepotes*
*Illorum rigidis efflantes cordibus ignes;*
*Quòd morti verum non poſſint ſcribere Chriſtum,*
*(Quem norunt olim pœnas ſubiiſſe nefandas)*
*Factitium cruciare parant, roſeumque* DOMINGVM!
*Iamque feri rabidos acuunt in vulnera morſus,*
*(Dum medium noctis currit, dum ſydera ſomnos*
*Concedunt, placidam vel corpora feſſa quietem*
*Admittunt) mortem Pueri, ſub imagine mortis*
*Vnigenæ Chriſti, tractant, Sceleriſque miniſtri*
*Ad crucis ingentes pœnas decreta tenelli*
*Membra Dominguiti confracta, pedeſque, manuſque*
*Suſpendunt, clauis parieti affixa repandis.*
*Nec dubium interea tortorum monſtra decoram*
*Cæſariem Pueri, auratam turpaſſe recuruis*
*Unguibus, ora manu rigidâ, candore micantes*
*Interdum maculaſſe genas, laceraſſe capillos,*
*Et tribulis, ſpiniſque caput torſiſſe cruentis,*
*Riſiſſe Infantem faciemque lauiſſe ſaliuis,*
*Corporeque in ſancto duris luſiſſe flagellis.*
*Nec riuus per ſaxa fluens, nec cera liqueſcens*
*Mollior, aut Puero, maior dulcedine mellis*
*Nectarius ſuccus, fructus vel dulcis Himetti*
*Montis, & Hiblei fruges, nitidique liquores.*

*Nec*



*Nec maior patribus fuerat celebrata vetuſtis*
*Laus, ſenſus, virtus, animus, conſtantia, menſque,*
*Quàm fuit inuicti Pueri laudata* DOMINGVI.
*Afflatus virtute Dei, nam nobilis Infans*
*Vincula ſuſtinuit, cruciatus, flagra, dolores,*
*Nil dicens, perſtans mitis (mirabile dictu)*
*Brachia dùm clauis pendent, corpore nudo*
*Suſpenſus patitur pignus venerabile terræ,*
*Atquè Poli ſplendor magnus: Dùm Martyr amaris*
*Tormentis quatitur: Sæuiquè ad verbera feſſis*
*Succedunt, plagaſque nouas per membra miniſtri*
*Incutiunt: Multo dùm artus liuore tumeſcunt:*
*Dùm horrida peſtifero vibrabant ore venena,*
*Exhauſtis venis, fuſas dum ſanguinis vndas*
*Tranſixi Infantis curant vacuare furentes.*
*Denique terribili truncatus morte Puellus,*
*Non ſpecie velut ante roſas, non cœlica vincit*
*Lumina, ſanguineis facies turpata capillis,*
*Quæ viuæ ardentes oculis afflabat amores.*
*Pendet onus ſacrum, demiſſo vertice ſupra*
*Pectus, & exanimis (veluti flos natus in hortis,*
*Cui decus & formam raſtri, longiquè ligones,*
*Aut vomer dirus vellens, vel ſarcula morſu*
*Surripiunt foſſis terræ radicibus imis,*
*Pendebat Martyr ſine vita, & ſanguine ſanctus*
*Corpore deformis maculis, & facibus ater.*
*Tunc igitur verpi fugiunt; vt lumina Mundi,*
*Conſpectuſque hominum fugiant, ne crimen in aures*
*Procedat, corpus deponere, voluere ſaccis,*
*Occultoque loco, foſſiſque recondere curant,*
*Quâ Templum Chriſti Matris, prope fluminis vndas,*
*Quâ muros lambens Saldubæ diues Iberus*
*Alluit, auratis depingens littora conchis:*
*Defoſſâ iacuit terrâ commixtus arenis*
*Tam ſanctus Martyr, tellure reconditur imâ.*
*At Deus Omnipotens, celsi Regnator Olympi,*
*Non paſſus tantum delictum, crimina tanta*
*Impunè, vt mala tot fiant, cœleſtia miſit*
*Lumina, flammiferis radiis monſtrantia corpus.*
*Hoc luces radiare nouas, hoc cœlitus aſtra*
*Mandauit, facibuſque nouis ſignare* DOMINGVI

 *Marty*

*Martyris inuicti tumulum. Nox luce coruſcans*
*(Nox claro magè clara die) reſplendet in omni*
*Fluminis herboſi ripâ, atque in margine. Donec*
*Saldubæ ad patres noſtræ delata feruntur*
*Prodigium cœleſte datum, nocturna ſilentis;*
*Obſcuræ & noctis flammantia ſydera, terris*
*Proxima, fulgenti teſtantia lumine cœli*
*Martyrij pignus ſacrum, veneranda trophæis*
*Membra* DOMINGVITI, *quæ mox inuenta vehuntur*
*Ægidij Sancti in Templum: Tranſlata deinceps*
*Metropolim in noſtram, miraclis clara micantis*
*Et pulchri Solis ſuperant oſtenta nitore*

F. Ieronymus à S. Ioſepho amicus mihi ſemper venerandus in *Hiſtor. Carmelit. Excalceat. lib. 2. c. 5. n. 4.* D. Vincentius Sellan in *Excellent. Offic. Diuin. lib. 2. cap. 5.* D. Michael Baptiſta de Lanuza in *Vit. Venerabilis Iſabellæ à S. Dominic. lib. 4. c. 17. n. 10.* Ioannes Franciſcus Andreſius in *Hiſtor. S. Dominic Vallenſ. c. 1. & 10.* Martinus Michael Nauarro Canonicus Turiaſonenſis, *in Epigrammate* huic Martyri dicato, cuius hæc ſeries:

*Cui* DOMINVS *nomen, propriique inſigne trophæi*
*Præſtitit, & ſimili prorſus obire nece;*
*Auguſtæ moriens tantum decus addidit vrbi,*
*Penè vt eam Solymis redderet inde parem.*
*Hunc properè Hebræus populus ſibi credidit hoſtem,*
*Vt* IESVM, *& dignum morte perire Crucis.*
*Dumque patres ſoboles ſectatur iniqua cruentos,*
*Chriſti ſummum Infans eſt imitatus opus.*
*Tyro ſacer meruit, lacerato corpore, famam,*
*Quantam Athletarum vix veterana cohors.*
*Læta triumphatis pœnis ſpectacula cœlo*
*In Crucis altari victima ſancta dedit.*
*Carnificum laſſare manus patientia conſtans,*
*Et rabiem potuit non timuiſſe vigor.*
*Perfida gens ſtupuit, placido ſua vulnera vultu,*
*Non tolerata modo, ſed ſuperata, dolens.*
*Mirata eſt natura tot vndique ſurgere palmas*
*In membris, reperit vix vbi plaga locum.*
*Hunc præ martyribus multis vrbs Cæſaris effert,*
*Qui Dominum expreſſit plenius ipſe ſuum.*

Eius S. Martyris ACTA olim ſcripſere illius ſeculi Chronographi, quæ adhuc in Archiuo Confraternitatis huic S. Pugili dicatæ in Sede Cæſarauguſtana, ſeruantur, quæque publica fecit Ieronymus Blancas, à quo Thomas Bzouius *d. Tom. 13. Ann. 1250. n. 18.* & Ioannes Franciſcus Andreſius *c. 5. fol. 47.* ex vitellinis pellibus excripta, ſic:

ACTA



## *ACTA S. DOMINICI VALLENSIS Cæſarauguſtani Martyris, ex Codice MS. vetuſtiſſimo membranaceo.*

## Incipit Paſſio Beati DOMINICI Martyris Innocentis Cæſarauguſtani.

*Ad honorem Domini Noſtri* IESV-CHRISTI *Saluatoris, ac Redemptoris Noſtri, qui ſalus & vita eſt omnium, cui omne genu flectitur cæleſtium, terreſtrium, & infernorum, necnon etiam ad honorem Martyris Innocentis ſui, nomine* DOMINICI, *qui apud Ciuitatem* Cæſarauguſtam *natus eſt, cum ſignis mirandis, videlicet, cum corona in capite, & Cruce in armo dextro. Cuius fuerunt genitores Sanctius de Valle Tabellio, & Eliſabeth vxor eius. Et cùm* DOMINICVS *haberet ætatem annorum ſeptem, & litteras addiſceret, & tractatus enormis, & nefarius inter hoſtilem, & impiam gentem Iudæorum eiuſdem vrbis, iniquitatibus vſitatam, eſſet habitus, vt quicumque occultè furaretur, aut raperet paruulum Chriſtianum, & eis traderet vt morti daretur, eſſet ab omnibus peitis, ac tributationibus, & impoſitionibus quibuſcumque, pro eis perſoluendis. Exinde Moſſem Albayzetus Hebræus mali conſcius, Iudæ iniqui proditoris ſæuiſſimus imitator, ſuggeſtione diabolicâ rapuit occulto, & repente* DOMINICVM, *& eum ligatum fune,* Ajlamæ, *tradidit Iudæorum. Qui crudeliſſimi renouantes Chriſti ſanguinem, clauis parieti Paruulum confixerunt, & eius latus grauiter lanceâ perforarunt. Et inde ſatagentes ne hoc nephas tàm deteſtabile panderetur, eligentes tempus opportunum ad littus fluminis Iberi Corpus martyris occultarunt. Chriſtus autem ſerutator cordium, & cognignitor ſecretorum, pro quo* S. DOMINICVS *paſſus eſt, Corpus eius etiam voluit reuelari. Itaque factum eſt, dùm cuſtodientes Nauiculas, quæ erant ad portum præfatæ dictæ Ciuitatis ſolicitè vigilarent, viderunt aliquibus noctibus lumina cœlica valde coruſcantia ſupra locum littoris, vbi ſanctum Corpus vt, prædicitur, fuerat occultatum, admirantes quid hoc eſſet. Cùm hoc eſſet relatum Ciuitati, aliqui ex ciuibus accedentes ad littus prædictum, Corpus Martyris abſque capite, & manibus ligatum funibus inuenerunt. Clero autem & Populo hoc ſcientibus, fuit inde illud ad ſupradictam Ciuitatem ductum, atque poſitum in Baſilica S. Ægidij. Ex qua aliquibus diebus elapſis, cum Corpus Martyris extraheretur ſe quidem miraculosè flexis genibus, abſque vllo dubio ante oſtium ipſius Eccleſiæ, aſſiſtenti populo, oſtendit. Et exaudito præconij ſonitu, generaliter per ciuitatem facto; necnon Epiſcopo, & Clero ad prædictam Eccleſiam cum ingenti ſolemnitate, & populi celebri deuotione, venientibus, miris coruſcantibus miraculis, omnium ſancta congregatio fuit facta; & per manus Sacerdotum cantantium, & Deo ſuo pſallentium, omnibus aliis Dominum in Sancto ſuo deuotiſſimè laudantibus, ſolemni proceſſione vnanimiter ordinatâ, & ad Sancta inſigne ſpectaculum ciuibus, Militibus, Nobilibus, & cuiuſlibet conditionis hominibus, & mulieribus currentibus, demum cereos albos ſuis manibus baiulantibus, ibi dulciſſima omnium inſtrumentorum muſicalium melodia, ac tubarum ſonora harmonia non defuit, ad Eccleſiam S. Ægidij primò accerſitis, & ibidem receptis, per omnes alias Eccleſias Sanctum Corpus alacriter recipi ab omnibus, tandem per portæ Cinegiæ aditum abeuntibus. Et exinde in ſanctam Sedem Vrbis prænominatæ fuit ſolemniter tranſlatum, & collocatum. Moſſes Albayzetus tandem corde contritus, relictâ viâ iniquitatis, impietatis, & doli Iudæorum, ſacramentum Baptiſmatis acceptauit. Contemplemur eia fratres chariſſimi patientiam, paſſionem, & innocentiam* B. DOMINICI, *cuius ſacrum tumulum aſſiduè viſitantes (nam hic eſt comes innocentium,*

&

*Nomen, & origo.*
*Parentes, & ſtudia.*
*Rapitur à Iudæis.*
*Crucifigitur.*
*Corpus occulitur.*
*Lumina cœleſtia ſupra corpus viſuntur.*
*Inuenitur, & transfertur.*
*Apparatus in Tranſlatione.*
*Collocatur in Sede Cæſarauguſtana.*

*& Martyrum, habens inſignia) & etiam poſiti in ægritudine, & aliis neceſ-ſitatibus, eum adiutorem ſentiunt, cùm eum fiducialiter inuocant. Cuius meritis, & precibus efficiamur participes Regni Dei, Amen. Paſſus autem eſt* B. DOMINICVS *in* Menſe Auguſti, *Anno Incarnationis Dominicæ* M. CC. L. *Regnante Domino Noſtro Ieſu-Chriſto, qui cum Patre, & Spiritu ſancto viuit, & regnat per infinita ſæcula ſæculorum, Amen.*

*Miracula.*

Horum ſeriem ACTORVM prolixioribus Notis illuſtrauit Ioannes Franciſcus Andræſius in *Vit. S. Dominic. Vallenſ. à cap. 6. fol. 56. & ſeqq.* Qui cultum in vrbe Cæſarauguſtana à Capitulo eius Metropoliticæ Eccleſiæ olim, & hodie exhibitum S. Martyri, recenſet: vbi antiquam collectam huiuſmodi poſt Acta ſubiicit:

*Cultus S. Martyri exhibitus.*

Antiph. *Felix Redemptoris Martyr* DOMINICE, *aue celebris Poli decor, conſors innocentium, & Martyrum gemma rutilans, valor Hiſpanorum, ora pro nobis, vt in cœlis tecum ſine meta iocundemur.*

Verſ. *Ora pro Nobis* B. DOMINICE

Reſp. *Vt digni efficiamur promiſſionibus Chriſti.*

ORATIO.

DEVS, *qui* B. DOMINICO *Martyri innocentis vitæ perpetuæ præmium contuliſti, concede quæſumus, vt eius meritis & precibus fulti, æterna beatitudine perfrui mereamur. Per Dominum noſtrum*, &c.

Aliis quæ hic poſſent adduci carmina, & teſtimonia videſis apud Andreſium in d. *Libell. c. 9. fol. 96.* vbi agit de antiqua veneratione, quâ Sedes *Cæſarauſtana* S. Martyrem à tempore eius paſſionis coluit, & marmoream adfert columnam, ad eius ſepulchrum poſitam ante CCC. Annos.

*Antiquum Epitaphiū.*



In quorum compage verborum dicitur: *Hic Infans iacet pro Chriſti nomine Martyr,, Beatus Dominicus de Val.* Cuius ſacra pignora poſtmodum in honoratiorem locum tranſlata ſunt, & in Ara hocce inſcriptum carmen, ſeu inſcriptio ſculpta, qua Dies agonis refertur, & Annus.

*Dies martyrij & Annus.*

OSSA



OSSA.
D. DOMINICI. INFANTIS. F. SANCII
VALL. ET. ISABELLÆ. VXO. SVÆ.
HVIVS. CLAR. VRBIS. CIVIVM.
QVI CÆSARAVGVSTÆ. IVDEORVM
SYNAGOGA. IVVENTE.
VTI SVMMO. SVPPLICIO. AFFICERETVR.
CLAVIS. PARIETI. ADFIXVS. FVIT.
AC DEMVM. LATERE, HASTA. TRANSFIXO.
ILLVSTR. MARTYR. CORON. REPORTAVIT.
PRID. KAL. SEPT. ANN. M. CC. L.
SANCTA. HÆC. METROPOLIS.
XII. KAL. AVGVST. ANN. M. DC.
HIC. IVSSIT. COLLOCARE

Poſt, Anno Domini M. DC. XXVI. Eminentiſſimus *D. Franciſcus Barberinus* S. R E. Cardinalis *Vrbani* VIII. Pont. Max. Auunculi à Latere *Hiſpaniarum Legatus*, dum *Cæſarauguſtæ* quieſceret, indulgentias omnibus aram S. Martyris viſitantibus certis diebus, conſtito de eius ſanctitate, conceſſit, vt refert Andreſius *ſupr. c. 9. fol.* 116.

DEDICATIO S. E. MALACITANÆ in Bætica. ] Eam fuiſſe conſtructam tempore quo S. IACOBVS Hiſpaniarum Apoſtolus illius Bæticæ regionis terminos ſuâ præſentia illuſtrauit, Eccleſias fundauit, & Epiſcopos elegit, probat eruditiſſimus, ac piiſſimus R. P. Martinus de Roa è S. I. in Hiſtor. Malacit. c. 12. fol. 37. qui etiam aſſerit, C. Cornelium Centurionem in Capharnaum, & C. Oppium, etiam Centurionem eius filium ex eadem vrbe fuiſſe oriundos. Huius Cathedralis Eccleſiæ ſplendor temporibus Regum Gothorum maximè eluxit, quouſque fœda Sarracenorum lues Hiſpanias, & prorſus Bæticam deturpauit, & eius Eccleſias ſolo æquauit, Epiſcopos interfecit, aut furgauit. Eorum Catalogum hic ſubiicere inſtitui, ideo ad eius relationem deuenio.

## *CATALOGVS EPISCOPORVM Malacitanorum in Bætica, ab eius exordio in præſens*

I. PATRICIVS huius nominis I. Epiſcopus Malacitanus I. interfuit Concilio Illiberitano in Bætica Anno Domini CCC. 300

II. SEVERVS huius nominis I. Epiſcopus Malacitanus II. litteris, & religione inſignis, maximus fidei defenſor, & Liciniani Carthaginenſis amicus Anno D. LXXX. 580

III. LICINIANVS huius nominis I. Epiſcopus Malacitanus III. qui ex Carthaginenſi ad hanc ſedem tranſlatus ad Annum D. LXXXV. 585

IV. IANVARIVS huius nominis I. Epiſcopus Malacitanus IV. iniuſtè depoſitus ab Stephano Illiberitano, ſed poſtmodum reſtitutus, à Legato Sedis Apoſtolicæ per S. Gregorium PP. miſſo, ad Annum DC. VI. 606

V. THEODVLPHVS huius nominis I. Epiſcopus Malacitanus V. interfuit Concilio Hiſpalenſi II. ad Annum DC. XIX. 619

VI. TVNILA huius nominis I. Epiſcopus Malacitanus VI. interfuit Conciliis VI. VII. & VIII. Toletanis, eius memoria ad Annum DC. LIII. 653

VII. SAMVEL huius nominis I Epiſcopus Malacitanus VII. interfuit Conciliis XII. XIII. & XV. Toletanis, cuius memoria ad Annum DC. LXXXVIII. 688

VIII. Honorivs huius nominis I. Epiſcopus Malacitanus VIII. interfuit XVI. Concilio Toletano ad Annum DC. XCIII. 693

*Huius tempore Agarenorum manus ſacrilega totam ferè* Hiſpaniam *vaſtauit ad Annum* DCC. XIV. *quo hic S. Epiſcopus occubuit in Oppido* Sarandula *cum aliis.*

IX. Hostigesivs huius nominis I. Epiſcopus Malacitanus IX. fuit acerrimus Muzarabum perſecutor, aduerſus quem ſcripſit S. Sampſon Abbas S. Zoili Cordubenſis, eius memoria ad Annum DCCC. LXIV. 864

Poſt hunc Præſulem deficit memoria ſucceſſorum ad Annum vſque M. CCCC. XX. & M. CCCC. LXIV. quibus duorum ſequentium Antiſtitum Titularium nomina comperiuntur, dùm adhuc Ciuitas ſub Arabum dominio eſſet.

X. D. Fernandvs huius nominis I. Epiſcopus Malacitanus X. qui ad Annum M. CCCC. XX. litem proſequebatur aduerſus Archiepiſcopum, & Capitulum Hiſpalenſem circa decimas Antiquariæ, quarum perceptionem illi in commendam habebant, eius memoria ad Annum M. CCCC. XXX. 1430

XI. D. Rodericvs huius nominis I. Epiſcopus Malacitanus XI. cogmento *de Soria*, qui in feudum Comiti Vrennæ decimas Archidonæ conceſſit, memoria ad Annum M. CCCC. LXXXV. 1485

Demùm Reges Catholici Ferdinandus, & Iſabella coniuges inuicti Malacitanæ vrbis, ſub Arabum dominio per fere DCC. LXXIII. Annos degentis miſeriam condolentes, eius recuperationem terrâ, marique parant, donec deuictis Sarracenorum agminibus, vrbs inclyta eorum dominio paruit Die XVIII. Auguſti Anno Domini M. CCCC. LXXXVII. & Meſchitâ Maurorum luſtratâ per D. Petrum Gonzalez de Mendoza Archiepiſcopum Toletanum, & S. R. E. Cardinalem, vnà cum D. F. Ferdinando de Talauera Epiſcopo Abulenſi, D. Petro de Prexamo Pacenſi, & D. Garſia de Valdiuieſo Legionenſi, Cathedralis Eccleſia reſtituta fuit; & ſequentibus Præſulibus decorata.

XII. D. Petrus huius nominis I. Epiſcopus Malacitanus XII. cognomento *de Toledo*, ex Canonico Hiſpalenſi, & Regum Catholicorum Archieleemoſynario; qui ex Innocentij VIII. Pont. Max. diplomate VIII. Dignitates, XX. Canonicatus, XII. integras Portiones totidemque medias, & ad Eccleſiæ ſeruitium alia neceſſaria conſtituit. Obiit ad Annum M. CCCC. XCIX. 1499

XIII. D. Didacvs huius nominis I. Epiſcopus Malacitanus XIII. cognomento *Ramirez de Villaeſcuſa* ex Aſturicenſi ſede feliciter ad hanc tranſlatus, cùm primum Reginæ Catholicæ Archicapellanus fuiſſet: deinde Anno M. D. XVIII. ad Conchenſem Cathedralem promotus, è qua Collegium inſigne inter maiora Maior apud Salmantinos erexit. 1518

XIV. D. Cæsar huius nominis I. Epiſcopus Malacitanus XIV. cognomento *Riario*, ex Patriarcha, obiit ad Annum M. D. XLI. 1541

XV. D. F. Bernardinvs huius nominis I. Epiſcopus Malacitanus XV. cognomento *Manrrique*, ex Ordine Prædicatorum alumnus, qui Eccleſiæ ſtatuta reformauit, obiit Anno M. D. LXIV. 1564

XVI. D. Franciscvs huius nominis I. Epiſcopus Malacitanus XVI.





cognomento *Blanco*, ex Aurienſi Præſule; interfuit S. C. Tridentino, & Societatis Ieſu in vrbem induxit alumnos; obiit apud Compoſtellam, ad quam tranſlatus fuerat, Anno M. D. LXXIV. 1574

XVII. D. Franciscvs huius nominis II. Epiſcopus Malacitanus XVII. cognomento *Pacheco*, vir ſingularis charitatis, maximè tempore peſtis: ex hac ſede ad Cordubenſem fuit tranſlatus Anno M. D. LXXXVII. 1587

XVIII. D. Garsias huius nominis I. Epiſcopus Malacitanus XVIII. cognomento *de Haro*, qui Monaſterium Monialium recollectarum S. Bernardi conſtruxit in vrbe; Obiit XVII. Auguſti, Anno M. D. XCVII. 1597

XIX. D. Didacvs huius nominis II. Epiſcopus Malacitanus XIX. cognomento *de Aponte*, ex Ordine Iacobæo, obiit Anno M. D. XCIX. 1599

XX. D. Thomas huius nominis I. Epiſcopus Malacitanus XX. cognomento *Borgia*, poſt ad Cæſarauguſtanam Metropolim breui tranſlatus fuit Die XXVIII. Iulij Anno M. DC. III. 1603

XXI. D. Ioannes huius nominis I. Epiſcopus Malacitanus XXI. cognomento *Alonſo de Moſcoſo*, ex Accitana, & Legionenſi Sedibus ad hanc promotus, poſtmodum ad Compoſtellanam electus, quam recuſauit, & ad pia opera conſtituenda animum applicuit, obiit Anno M. DC. XIV. 1614

XXII. D. Lvdovicvs huius nominis I. Epiſcopus Malacitanus XXII. cognomento *Fernandez de Cordoua*, ex Epiſcopo Salmantino, Vir illuſtris proſapiæ, & virtutum inſignis, obiit Anno M. DC. XXV. 1625

XXIII. D. Franciscvs huius nominis III. Epiſcopus Malacitanus XXIII. cognomento *de Mendoza*, ex Salmantina, & Pampilonenſi Sedibus ad hanc promotus, poſtmodum Anno M. DC. XXVIII. ad Placentinam tranſlatus, demùm Anno M. DC. XXX. Toletani Adminiſtrator factus. 1628

XXIV. D. F. Antonivs huius nominis I. Epiſcopus Malacitanus XXIV. cognomento *Enrriquez*, ex Ordine Minorum alumnus, primum Cæſarauguſtanus, obiit Anno M. DC. XLV. vel circiter. 1645

XXV. D. Antonivs huius nominis II. Epiſcopus Malacitanus XXV. cognomento *de la Cueua*, S. R. E. Presbyter Cardinalis: adhuc Eccleſiam iſtam feliciter adminiſtrat.

Cùm horum Præſulum Catalogus ad manus noſtras tardiùs perueniret, & Tomus iſte finem iam accipere deſtinaſſet, ideo haut prolixius excuſſis dypticis, ſuperius aſſignatam recenſuimus: Lectorem Noſtrum admonendo, quòd ſi in Annorum computatione, aut Præſulum nomenclaturâ defecerit, ab eruditioribus ſuppleatur.

Dedicatio S. E. Avsonensis, ſeu Viccensis in Cathalonia Hiſpaniæ.] Hanc Eccleſiam conditam fuiſſe in exordio naſcentis Religionis Catholicæ in Hiſpania, ex eo ſuadetur, quòd tempore immanis perſecutionis Diocletianicæ ad Annum CCC. iam Pontificalibus infulis frueretur, vt ex Catalogo inferius apponendo patebit. Hinc crederem vrbem hanc, quam alij Avsonam, alij Viccvm appellitant, fuiſſe à Diſcipulis S. Iacobi primùm, poſt à Petro, vel Paulo Apoſtolis, ſeu eorum Diſcipulis Hiſpanias ſæpe ſæpius luſtrantibus, Chriſtianis regulis inſtitutam. Quod & notauit Ieronymus Pujades Hiſtor. Cathalon. lib. 4. c. 28. & alibi. Hæc igitur ſic erecta Cathedralis tempore Imperatoris Conſtantini ſequentes terminos habuit: Avsona hæc teneat: de Borga, vſque Auratam: de Bulga vſque Menciam. Quos etiam in Diuiſione Regis Vvambanis Gothorum retinuit. Nomenclaturam Præſulum huius Epiſcopatus, prout ſuppeditauit antiquorum ſedulitas ſubiiciemus, & vt inſtituto pareamus.

## *CATALOGVS EPISCOPORVM S. E. Auſonenſis, ſeu* VICCENSIS *in Cathalonia Hiſpaniæ, ex variis Dyptichis.*

I. S. IVSTVS huius nominis I. Epiſcopus Viccenſis, ſeu Auſonenſis I. cuius meminit Fl. Dext. in Chron. Ann. 320. ad quem eius memoria. 320

II. IVSTVS huius nominis II. Epiſcopus Viccenſis, ſeu Auſonenſis II. de quo idem Flau. Dexter in Chron. Ann. 382. ad quem eius memoria. 382

III. LAZARVS huius nominis I. Epiſcopus Viccenſis, ſeu Auſonenſis III. de quo idem Dexter Anno 400. qui Paulum Oroſium Africam emiſit. 400

IV. CANIDIVS huius nominis I. Epiſcopus Viccenſis, ſeu Auſonenſis IV. interfuit Concilio I. Tarraconenſi, & Gerundenſi, ad Annum D. XVI. 516

V. MAXENTIVS huius nominis I. Epiſcopus Viccenſis, ſeu Auſonenſis V. de quo S. M. Maximus in Chron. Ann. 518. ad quem eius memoria. 518

VI. AQVILINVS huius nominis I. Epiſcopus Viccenſis, ſiue Auſonenſis VI. interfuit Concilio Toletano III. Cæſarauguſtano II. Toletano IV. & Barcinonenſi II. cuius memoria ad Annum D. XCIX. 599

VII. THEODORVS huius nominis I. Epiſcopus Viccenſis, ſeu Auſonenſis VII. interfuit confirmationi decreti Gundemari, ad Annum DC. X. 610

VIII. GEMARAVLVS huius nominis I. Epiſcopus Viccenſis, ſeu Auſonenſis VIII. interfuit Concilio Egarenſi ad Annum DC. XIV. de quo Addit. Braul. fol. 235. 614

IX. STEPHANVS huius nominis I. Epiſcopus Viccenſis, ſeu Auſonenſis IX. interfuit Concilio IV. Toletano ad Annum DC. XXXIII. 633

X. DOMNINVS huius nominis I. Epiſcopus Viccenſis, ſeu Auſonenſis X. interfuit Concilio VI. Toletano ad Annum DC. XXXVIII. 638

XI. GVERICVS huius nominis I. Epiſcopus Viccenſis, ſeu Auſonenſis XI. interfuit Concilio Toletano VIII. ad Annum DC LIII. 653

XII. VVISIFREDVS huius nominis I. Epiſcopus Viccenſis, ſeu Auſonenſis XII. interfuit per vicarium Cixillam XIII. Concilio Toletano, & ipſe præſentialiter XV. & XVI. Toletanis Conciliis ad Annum DC. XCIII. 693

Hæc tantum habentur comperta de Pontificibus Viccenſibus, ſiue Auſonenſibus, qui præfuerunt ante Sarracenorum irruptionem, & per C. XCV. Annos manſiſſe creditur VICCVM, ſeu AVSA ſine Præſule: nam ab Anno DCCC. LXXXVIII. ſequentes numerantur.

XIII. GVNDEMARVS huius nominis I. Epiſcopus Viccenſis, ſeu Auſonenſis XIII. cui Otho Rex Franciæ vrbem dono dedit, & iura vrbis omnia, tempore Gryphi villoſi Comitis Barcinonenſis Anno DCCC. LXXXVIII. 888

XIV. FROYANVS huius nominis I. Epiſcopus Viccenſis, ſeu Auſonenſis XIV. qui à Benedicto IV. Pont. Max. priuilegium accepit, & confirmationem Epiſcopatus S. Petri Auſonenſis, & aliarum Eccleſiarum, Anno DCCCC. IV. 904

ATTO



XV. ATTO huius nominis I. Epiſcopus Viccenſis, ſeu Auſonenſis XV. qui Borrelli Comitis Barcinonenſis operâ, & ſtudio Metropolitani ius, & pallium à Ioanne XV. Pont. Max. accepit, qui Auſonam Metropolim conſtituit, Tarracone ab Arabibus adhuc occupatâ, ac Petro Barcinonenſi, cæteriſque Prouincialibus Epiſcopis iuſſit, vt Attoni obedirent tanquam Metropolitano. Eius memoria ad Annum DCCCC. LXXXVI. 986

XVI. S. OSTANVS huius nominis I. Epiſcopus Viccenſis, ſeu Auſonenſis XVI. de quo Luitprandus in Chron. Ann. 995. & Nos ſupr. Tom. 4. Die XXX. Iulij. Eius glorioſus tranſitus Anno DCCCC. XCV. 995

XVII. FRVYANVS huius nominis I. Epiſcopus Viccenſis, ſeu Auſonenſis, XVII. inuidiâ Guadaldi Sedem ambientis occiſus, Anno M. 1000

XVIII. ARNVLPHVS huius nominis I. Epiſcopus Viccenſis, ſeu Auſonenſis XVIII. ex Abbate S. Felicis Gerundenſis, obiit Anno M. X. 1010

XIX. BORRELLVS huius nominis I. Epiſcopus Viccenſis, ſeu Auſonenſis XIX. filius Sunneri Comitis Vrgellenſis, eius memoria ad Annum Domini M. XXVI. 1026

XX. OLIBA huius nominis I. Epiſcopus Viccenſis, ſeu Auſonenſis XX. Olibæ Capretæ Ceritanenſis, & Biſoldunenſis Comitis filius, ex Abbate Riuipollenſi, partem Eccleſiæ conſtruxit, obiit Anno M. XLV. 1045

XXI. GVILLELMVS huius nominis I. Epiſcopus Viccenſis, ſeu Auſonenſis XXI. cuius tempore reperta ſunt ſacra pignora SS. Luciani, & Martiani Martyrum, & honorifice collocata, obiit Anno M. LXXIV. 1074

XXII. D. BERENGARIVS huius nominis I. Epiſcopus Viccenſis, ſeu Auſonenſis XXII. cognomento *Roſanes*, qui in vſu pallij confirmatus etiam Archiepiſcopus Tarraconenſis meruit appellari, obiit Anno M. XCVI. 1096

XXIII. D. ARNALDVS huius nominis I. Epiſcopus Viccenſis, ſeu Auſonenſis XXIII. cuius memoria in aliquibus concordiis ad Annum M. C. XVI. 1116

XXIV. D. RAYMVNDVS huius nominis I. Epiſcopus Viccenſis, ſeu Auſonenſis XXIV. cognomento *Gaufredo*, eius memoria ad Annum M. C. XLIV. 1144

XXV. D. PETRVS huius nominis I. Epiſcopus Viccenſis, ſeu Auſonenſis XXV. qui in aliquibus donationibus inuenitur ad Annum vſque M. C. LXXXIV. 1184

XXVI. D. RAYMVNDVS huius nominis II. Epiſcopus Viccenſis, & Auſonenſis XXVI. cognomento *Caſtro Tertiolo*, ad Tarraconenſem Sedem transfertur Anno M. C. XCIV. 1194

XXVII. D. GVILLELMVS huius nominis II. Epiſcopus Viccenſis XXVII. qui à ſuis Canonicis accuſatus fuit; cuius cauſæ cognitionem Archiepiſcopo Tarraconenſi, Abbati Populetenſi, & Archidiacono Barcinonenſi Innocentius III. Pont. Max. commiſit, & accuſatoribus deficientibus abſolutus eſt. De hoc agitur in c. cum oporteat de Accuſat. Hic tantùm Viccenſis Epiſcopus dictus eſt, omiſſo nomine Auſonenſis, quod ſecuti ſunt ſucceſſores, Obiit Anno M. CC. V. 1205

XXVIII. D. ARNALDVS huius nominis II. Epiſcopus Viccenſis XXVIII. ex Abbate Amerenſi Ordinis Benedictini, obiit Anno M. CC. XV. 1215

XXIX. D. BERNARDVS huius nominis I. Epiſcopus Viccenſis XXIX.

cognomento *Caluonio*, ex Monacho Ciſtercienſi, & Abbate SS. Crucum electus, Tribus interfuit Prouincialibus Synodis Tarraconenſibus, obiit Anno M.CC. XLIII. 1243

XXX. D. BERNARDVS huius nominis II. Epiſcopus Viccenſis XXX. cognomento *de Muro*, multis interfuit Conciliis, obiit Anno M.CC. LXIV. 1264

XXXI. D. RAYMVNDVS huius nominis III. Epiſcopus Viccenſis XXXI. cognomento *Anglaria*, interfuit Synodo Tarraconenſi III. Obiit Anno M. CC. XCVIII. 1298

XXXII. D. BERENGARIVS huius nominis II. Epiſcopus Viccenſis XXXII. cognomento *Beluiſio*, ex Archiſacriſta Viccenſi, obiit Anno M. CCC.III. 1303

XXXIII. D. PONTIVS huius nominis I. Epiſcopus Viccenſis XXXIII. cognomento *Vilaro*, ex Præpoſito Celſonenſi, Obiit Anno M. CCC. VI. 1306

XXXIV. D. RAYMVNDVS huius nominis IV. Epiſcopus Viccenſis XXXIV. cognomento *Anglaria*, ex Camerario Tarraconenſi, obiit Anno M.CCC. VII. 1307

XXXV. D. BERENGARIVS huius nominis III. Epiſcopus Viccenſis XXXV. cognomento *Guardia*, ex Canonico Hellenenſi, & Barcinonenſi, obiit Anno M.CCC. XXVIII. 1328

XXXVI. D. GALCERANDVS huius nominis I. Epiſcopus Viccenſis XXXVI. cognomento *Sacoſta*, ex Archidiacono Andorenſi, obiit Anno M. CCC.XLV. 1345

XXXVII. D. MICHAEL huius nominis I. Epiſcopus Viccenſis XXXVII. cognomento *Naueſio*, tranſlatus ad Barcinonenſem Sedem, Anno M.CCC.XLVI. 1346

XXXVIII. D. HVGO huius nominis I. Epiſcopus Viccenſis XXXVIII. cognomento *Fenollet*, poſt transfertur Valentiam, Anno M.CCC.L. 1350

XXXIX. D. LVPVS huius nominis I. Epiſcopus Viccenſis XXXIX. cognomento *Fernandez de Luna*, ad Cæſarauguſtanam transfertur, Anno M.CCC.LII. 1352

XL. D. RAYMVNDVS huius nominis V. Epiſcopus Viccenſis XL. cognomento *Bellera*, ſedem diù tenuit, & obiit Anno M. CCC. LXXVII. 1377

XLI. D. GARSIAS huius nominis I. Epiſcopus Viccenſis XLI. cognomento, *Heredia*, Cæſarauguſtam transfertur Anno M. CCC. LXXXVI. 1386

XLII. D. FERNANDVS huius nominis I. Epiſcopus Viccenſis XLII. cognomento *de Tarazona*, ad Tiraſonenſem tranſlatus Anno M. CCC. XCII. 1392

XLIII. D. IOANNES huius nominis I. Epiſcopus Viccenſis XLIII. cognomento *Bauſes*, Normanienſis origine, obiit Anno M. CCC. XCIII. 1393

XLIV. D. FRANCISCVS huius nominis I. Epiſcopus Viccenſis XLIV. cognomento *Raguer*, ad Albarrazinenſem Sedem transfertur Anno M.CCCC. 1400

XLV. D. DIDACVS huius nominis I. Epiſcopus Viccenſis XLV. cognomento *Franciſco*, peruenit ad Annum M.CCCC.IX. 1409

XLVI. D. ALFONSVS huius nominis I. Epiſcopus Viccenſis XLVI. cognomento, *Toùs*, diœceſim occupat ad Annum M. CCCC. XXII. 1422

XLVII. D. MARTINVS huius nominis I. Epiſcopus Viccenſis XLVII. cognomento *de Torres*, deceſſit Anno Domini M. CCCC. XXIII. 1423

XLVIII D. MICHAEL huius nominis II. Epiſcopus Viccenſis XLVIII.



XLVIII. cognomento *Sort*, viuere deſiit Anno M.CCCC. XXIV. 1424

XLIX. D. GEORGIVS huius nominis I. Epiſcopus Viccenſis XLIX. cognomento *Ornis*, ſedit ad Annum Domini M. CCCC. XLIV. 1444

L. D. IACOBVS huius nominis I. Epiſcopus Viccenſis L. cognomento *Cardona*, ſedem paucis obtinuit, & obiit Anno M. CCCC. XLV. 1445

LI. D. COSMAS huius nominis I. Epiſcopus Viccenſis LI. cognomento *de Monſerrat*, multos annos Eccleſiæ præfuit, obiit Anno M CCCC. LXXIII. 1473

LII. D. GVILLELMVS huius nominis III. Epiſcopus Viccenſis LII. cognomento *Ramon de Moncada*, ad Maioricenſem tranſlatus, Anno M. D. IV. 1504

LIII. D. IOANNES huius nominis II. Epiſcopus Viccenſis LIII. cognomento *de Peralta*, ſedem reliquit Anno M. D. V. 1505

LIV. D. IOANNES huius nominis III. Epiſcopus Viccenſis, LIV. cognomento *Auguera*, ſedem abſque memoria tenuit ad Annum M. D. XI. 1511

LV. D. IOANNES huius nominis IV. Epiſcopus Viccenſis, LV. cognomento *Tornio*, ex Valentina progenie, obiit Anno M. D. LIII. 1553

LVI. D. ACISCLVS huius nominis I. Epiſcopus Viccenſis, LVI. cognomento *Moya de Contreras*, interfuit Concilio Tridentino, & demum Anno Domini M. D. LXIV. ad Eccleſiam Valentinam tranſlatus eſt. 1564

LVII. D. BENEDICTVS huius nominis I. Epiſcopus Viccenſis LVII. cognomento *Toca* ex ordine Benedictino, Gerundam tranſlatus, Anno M. D. LXXII. 1572

LVIII. D. BERNARDVS huius nominis III. Epiſcopus Viccenſis LVIII. cognomento *Gueuara*, ſedem tenuit ad Annum M. D. LXXIV. 1574

LIX. D. BERNARDVS huius nominis IV. Epiſcopus Viccenſis, LIX. cognomento *Ioſſa*, diœceſim gubernauit ad Annum M.D.LXXVII. 1577

LX. D. PETRVS huius nominis II. Epiſcopus Viccenſis LX. cognomento *de Aragon*, poſt Laccam deinde Ilerdam transfertur Anno M. D. LXXXIV. 1584

LXI. D. IOANNES BAPTISTA huius nominis V. Epiſcopus Viccenſis, LXI. cognomento *Cardona*, Anno M. D. LXXXVII. Dertuſam promotus. 1587

LXII. D. PETRVS huius nominis III. Epiſcopus Viccenſis LXII. cognomento *Iayme*, Vir pius ad Albarrazinenſem promotus Anno M.D.XCVI. 1596

LXIII. D. IOANNES huius nominis VI. Epiſcopus Viccenſis, LXIII. cognomento *Vila*, ex Canonico Barcinonenſi, obiit Anno M. D. XCVIII. 1598

LXIV. D. FRANCISCVS huius nominis I. Epiſcopus Viccenſis LXIV. cognomento *Robuſter* ex Helenenſi Sede, obiit Anno M. DC. VIII. 1608

LXV. D. ONVPHRIVS huius nominis I. Epiſcopus Viccenſis LXV. cognomento *Reart*, ex Helenenſi poſt Gerundam promotus Anno M. DC. XI. 1611

LXVI. D. ANTONIVS huius nominis I. Epiſcopus Viccenſis LXVI. cognomento *Gallart*, ex Hellenenſi, obiit Anno M. DC. XIV. 1614

LXVII. F. D. ANDREAS huius nominis I. Epiſcopus Viccenſis LXVII. cognomento *de S. Geronimo*, ex eius ordine alumno, obiit Anno M.DC.XXV. 1625

D. PETRVS

LXVIII. D. PETRVS huius nominis IV. Epiſcopus Viccenſis LXVIII. cognomento *Magarola* ex Hellenenſi viuebat ad Annum M. DC. XXX.

Hactenus Viccenſium Præſulum Catalogus, cuius Pontifices recentiores ab Anno M. DC. XXX. ad Annum M. DC. LV. deſiderantur, quia cui cura commiſſa eſt hæc, & ſimilia mihi tranſmittendi monumenta, forte aliis præpeditus negotiis, quæ Sanctorum ſunt non quærit. Sed Deus dabit vt ad ſequentem Tomum copioſiora compilemus. Interim huic TOMO IV. finem imponimus Deum, & Sanctos ſuos maximè HISPANOS, quorum in hoc Volumine ACTA illuſtrare ſatagimus, obſecrando, vt ad debitam Operis totius metam Noſtra dirigatur ANAMNESIS, ad Dei Omnipotentis gloriam, Sanctorum cultum, & fidelium exercitationem. Concludens cum Andrea Reſendio Noſtro.

*In Carm. SS. Luſit. in fin.*

*Vos Superi cauſam Proceres defendite noſtram;*
*Aut potius veſtram; Nam quæ deduximus* ACTA
*Amplius in tantis repetitis verſibus, illa*
*In veſtri laudem conſcripſimus vbere venâ.*
*Igitur aut meus iſte labor ſit improbus, vnà*
*Cum veſtris iunctim permixtus laudibus, Orbem*
*Implebit noſtrum, Dominoque placebit, & omnes*
*Percurrent prorſus noſtrum cum lege Volumen:*
*Cætera quæ deſunt videant vt tempore lucem.*

INDEX

# INDEX
## RERVM NOTABILIVM,
## quæ in Anamneſi Sanctorum Menſis AVGVSTI continentur.

A.

*Adelphus.*


S. ADelphi mentio apud Martyrologia. 613
De eo Scriptores. 614
Acta S. Adelphi Epiſcopi. ibid.
Origo. ibid.
Matrimonium & proles. ibid.
Legatus in Hiſpaniam mittitur. ibid.
Vbi Monachus Agalienſis fit. ibid.
Et Abbas. ibid.
Et Toletanus Antiſtes. 615
Gallias repedat. ibid.
Congregat Concilium Toletanum. ibid.
Metim Patriam reuertitur. ibid.
Quâ Pontifex creatur. ibid.
Moritur. ibid.
Origo, Parentes, Matrimonium & Soboles probatur. ibid.
Aduentus in Hiſpaniam & Monachatus probatur. 616
Adduxit Clodoſuindam ex Gallia Toletum. ibid.
Reparatur Cœnobium SS. Coſmæ & Damiani. ibid.
Congregat Toleti ſynodum. ibid.
Reuerſus Metim eius Sedis Epiſcopus creatur. ibid.
Annus & dies obitus. ibid.
Tranſlatio Sacrorum pignorum. ibid.
Epitaphium. 617
Sauſſaij Sententia ambigua. ibid.


*Aëtius.*


Quid de illo Scriptores. 469. *ſecundò.*
Acta illius. ibid.
Origo. ibid.
Epiſcopus fit. ibid.
Capitur. ibid.
Coronatur. ibid.





Error Domenec & aliorum circa Imperatoris tunc regnantis cognitionem. ibid.


*Afra.*


Origo. 383
Exercitium. 384
Capitur. ibid.
Eius Conſtantia. ibid.
Deſpicit lucra prophana. ibid.
Eiuſdem fiducia. ibid.
Coronatur. ibid.
Et eius ancillæ cum Matre. 385
Reliquiæ aliquot Gerundæ. ibid.
Auctographum de exiſtentia Reliquiarum Gerundæ. ibid.
De ea Martyrologia. ibid.
Quid Scriptores. ibid.


*Agathonica.*


Vide, *Baſſa.*


*Agna.*


Agna Ioui ſacrata tempore vindemiæ. 328
Illius ritus. ibid.


*Agnes.*


Acta tranſlationis S. Agnetis. 619
Variæ Tranſlationes. ibid.
Vltima ex oppido S. Fructuoſi ad Manreſam. ibid.
Annus Tranſlationis. ibid.
Miraculum. ibid.
Aliud Miraculum. ibid.
Athanagia quæ? ibid.


*Albenſe Municipium.*


Eius topographia. 324
Vbi ſitum. ibid.
De eo quid Scriptores. ibid.


*Ara.*


Aræ conſecratæ Opi, & Cereri deabus in vico iugario. 325


*Arelatenſis Eccleſia.*


Eius Topographia. 466
Quo nomine hoc oppidum hodie vocetur. ibid

A quo conſtructum. ibid.
Carta protectionis Ludouici Pij Imperator. pro tuitione eiuſdem monaſterij. ibid.
Antiquitas Cœnobij Arelatenſis. ibid.

*Arſenius.*

Vide, *Pelagius.*

*Arthemia.*

Diocletiani Imperatoris & Serenæ eius vxoris filia. 449. *ſecundò.*
De ea Martyrologia. ibid.
Acta S. Arthemiæ Virginis & Martyris. ibid.
Origo & parentes. ibid.
A Dæmone vexatur. ibid.
Cyriaci diaconi cuſtodia. ibid.
Cum dæmone Arthemiæ diſceptatio. ibid.
Arthemia baptizatur & liberatur. 460. *ſecundò.*
Perſecutio Galerij Maximiani. Imp. ibid.
Arthemia comprehenditur. ibid.
Coronatur. ibid.
Baronij ſcrupulus euacuatur. ibid.
Annus agonis. 461. *ſecundò.*

*Aſſumptio.*

Vide, *Maria.*

*Audentius.*

Quid ſcriptores. 485
Cultus. ibid.
Acta S. Audentij Pontificis. ibid.
Origo. ibid.
Archidiaconus nominatur. ibid.
Epiſcopus eligitur. ibid.
Aduerſus hæreticos libros edidit. ibid.
Priſcillianum deterret. ibid.
Contrahit concilia aduerſus hæreticos. ibid.
Bonoſianos increpat Libris editis. 486
Moritur. ibid.
Sepelitur. ibid.
Dies obitus ex Iuliano Verior. ibid.

*Auguſtinus.*

De eo Martyrologia. 599
Elogia Patrum. ibid.
Poëtarum. ibid.
Magiſter Pontificum Hiſpaniæ. 602
Eremitarum & Canonicorum Regularium inſtituta à quibus in Hiſpanias aducta? ibid.
Monaſteriorum Eremitarum S. Auguſtini olim aut hodie erectorum Catalogus. ibid.

*Auguſtus Menſis.*

Auguſti menſis nomen vetuſtum. 321
Eiuſdem menſis nomen recens. bid.
Vnde nominis mutatio? ibid.
Ex verbis Senatuſconſulti hoc nomen approbatur. ibid.
Plebiſcitum factum ob eandem cauſam. ibid.
Quot olim, & nunc dies habet. ibid.
Sub tutela Cereris, & quare. ibid.
Documenta medicinalia quibus hoc menſe vti debet prudens quiſque. 322
Auguſti menſis varia apud diuerſas gentes nomenclatura. ibid.
Auguſti Kalendæ celebres apud Romanos o triumphum Romuli. ibid.
Eadem dies celebris, alias ob cauſas, quæ recenſentur. ibid.

*Auguſtus Cæſar.*

Auguſti Cæſaris triumphus de Pannoniis, Dalmatis Gallis, &c. 324
Virgilij locus de triplici triumpho Auguſti. ibid.
Eiuſdem Octauiani Auguſti triumphus de-uicta Mecedonia. ibid.
Triumphus tertius ſubacta Ægypto, & ſuperatis Antonio & Cleopatra. ibid.

*Aurea.*

Martyrologia. 567
Tranſlatio. ibid.

B.

*Babylonij.*

Apud Babylonios feſtum Sacean celebre per quinque dies continuos. 327
Quale iſtud feſtum apud Babylonios, & apud Perſas. ibid.

*Baſilia.*

Quid de ea ſcriptores. 612
De eo Martyrologia. ibid.
Acta S. Baſiliæ Virginis & Martyris. ibid.
Origo & parentes. ibid.
Natiuitas. 613
Matris fœdum facinus. ibid.
Obſtetricis pietas. ibid.
Virginis Baptiſmus. ibid.
Perſecutio. ibid.
Syrmium venit. ibid.
Comprehenditur. ibid.
Coronatur. ibid.
An Martyr. ibid.

*Baſſa & Socia.*

Origo. ibid.
Perſecutio. ibid.
Comprehenduntur & exulantur. ibid.
Romam ad eum. ibid.
S. Agrippinæ corpus Siciliam deferunt. ibid.
Carthaginem reuertuntur. ibid.
Comprehenduntur & Coronatur. ibid.
Quo anno paſſæ. ibid.
De tranſlatione corporis S. Agrippinæ. 460
De aſſiſtentia doctrinis S. Agapij, & exilio. ibid.

*Bellona.*

Bellonæ ſacra, eorumque ritus 325

*Bernardus Abbas.*

De eo Martyrologia. 514
Quid ſcriptores. ibid.
Acta S. Bernardi Claræ-Vallenſis Abbatis ibid.
Cultus Cauſa I. ob propinquitatem Regis Alphonſi. 515
Cauſa II. ob plantationem & augmentum ordinis. ibid.
Nullibi Ciſtercium floruit ac in Hiſpania. 516
Cauſa III. ob plura & inſignia Cœnobia. ibid.
Ordines Militares Hiſpaniæ ſub Regula Ciſtercienſium. 520
Inſtitutio. 521
Confirmatio. ibid.
Communicatio cum Ciſtercienſibus. ibid.
Habitus. ibid.
Freyles quare dicti. ibid.
Inſtitutio. 523
Confirmatio. ibid.
Regula. ibid.
Inſigne. 524
Mutatio Nominis & quare. ibid.
Zalamea eſt prioratus ordinis Alcantarenſis. 527
Ordo Auiſij in Portugallia. 528
Ordo Monteſæ in Valentia. ibid.
Ordo Chriſti in Luſitania. ibid.

*Bernardus & Socij.*

De illis Martyrologia. 546
Acta SS. Bernardi, Gratiæ & Mariæ fratrum Martyrum. ibid.
Parentes. ibid.
Fratres. ibid.
Educantur in Aula Regia. ibid.
Mores Bernardi in Mahumetiſmo. ibid.
Legatus ad Principes Chriſtianos eligitur. ibid.
In nemore nocte intempeſta aberrat. 547
Quieſcit in Arbuſta. ibid.
Concentus harmonia obſtupuit. ibid.
Illam quærit at. ibid.
Situs Monaſterij Populetenſis. ibid.
Cœnobij ad oſtium accedit. ibid.
Corde commotus Monachorum legi afficitur. ibid.
Differit de fide Chriſti & ſecta Mahumeti. ibid.
Fidem Chriſti amplectendam decreuit. ibidem.
Sed interioris luctæ apice detinetur. ibidem.
Fama nobili viro fortis. ibid.
Sed vicit diuina gratia. ibid.
Legem in hebdomada edoctus. ibid.
Baptizatur. ibid.
Nomen Bernardi adſumit. ibid.
Monachus in Populeto admittitur. 549
Cellarius efficitur Monaſterij. ibid.
Ab aliquibus calumniatur. ibid.
Rationes annonæ reddere cogitur. ibid.
Sed horrea repleta inueniuntur. ibid.
Cellarij officium abdicat. ibid.
Ilerdam venit ad Matercteram. 550
Quo de accepta fide nepotem reconuenit. ibid.
Ille Mulieri infidæ ſatisfacit. ibid.
Quæ cœpit Chriſtianam religionem venerari. ibid.
Poſtmodum ſectari. ibid.
Carletum Perrexit & in itinere miracula patrat. ibid.
Miraculum. 551
Fratrem & forores ad fidem prouocat. ibid.
Sed à fratre reſpuitur. ibid.
Et ſororibus traditur peruertendus. ibid.
Quas ad fidem conuertit. ibid.
Iterum fratrem fide aggreditur. ibid.
Sororum ſimulata ſuaſio. ibid.
A fratre de regno eiicitur. 552
Diſcedit ab Vrbe. ibid.
Et etiam ſorores & alij. ibid.
In nemoris ſpelæo latitant. ibid.
Inueniuntur à Reguli Miniſtris. ibid.
Comprehenduntur. ibid.
Coronatur Bernardus. 553
Et ſorores. ibid.
Patroni Alzirenſes. ibid.
Miraculum de Monacho Apoſtata à quo patratum. ibid.

*Bibianus.*

De eo Martyrologia. 597
Scriptores. ibid.
Acta S. Bibiani. 598
Galliam pergit vbi fit Epiſcopus Santonenſis. ibid.
Moritur & ſepelitur. ibid.
Miraculum. ibid.
Probatur origo Hiſpana. ibid.
Bibiani omnes Ilicitani. 599

*Blanda.*

Eius Topographia. 532
In Lalætanis Tarraconenſibus ſita. ibid.


Quo De

De ea Scriptores. ibid.

*Bonoſus & Socij.*

De iis Martyrologia. 532
Quid ſcriptores. ibid.
Acta SS. Bonoſi & Maximiani Martyrum ibid.
Perſecutio in Hiſpania. ibid.
Origo & mores ſanctorum. ibid.
Militia eorum. ibid.
Comprehenduntur. 533
Conſtantia Martyrum. ibid.
Torquentur. ibid.
Denuo carcerantur. ibid.
Coronantur. ibid.
Sepeliuntur. ibid.
Tumultuarium Bellum in Bœtica quo tempore. 534

*Bonoſus.*

Vide *Iuuenalis.*

*Burginatenſe Municipium.*

Hactenus Incognitum. 530
In Hiſpania conditum à Ciuibus Coloniæ Traianæ. ibid.
Quinam Ciues. ibid.

C.

*Camerinus.*

De eo Martyrologia. 540
An Toletanus Antiſtes. 541
Error in codicibus Iuliani. ibd.
Scriptores Neotherici, qui Iulianum defendunt. ibid.
Quâ Die Martyrio Coronatur. ibid.
Camerinus qui cum Luxorio & Ciſello coronatur Sardiniæ erat puerulus. ibid.
Gloſema in edito Codice Luitprandi detegitur. 542
Huius rei veritatis apex ſubiicitur. ibid.

*Candida.*

De ea Martyrologia. 618

*Centolla.*

De iis Martyrologia. 464. *ſecundò.*
Quid ſcriptores. ibid.
Siculi error detegitur. ibid.
Flores SS. Hiſpani. 465 *ſecundò.*
Breuiaria. ibid.
Acta SS Centollæ Virginis & Helenæ viduæ Martyrum. ibid.
Origo. ibid.
Conuertitur ad fidem. ibid.
Patriam relinquit. 466. *ſecundò.*
Cantabriæ in domo Helenæ recipitur. ibid.
Quam ad fidem conuertit. ibid.
Comprehenditur. ibid.
Conſtantia in præſentia Iudicis. ibid.
Cruciatur. ibid.
Matrouæ ad eam ingrediuntur. ibid.
Virgo ad illas. ibid.
Lingua præciditur. 467. *ſecundò.*
Helena martyrem viſitat. ibid.
Coronantur. ibid.
An Ciuis Toletana B. Centolla. ibid.
L. Rango. eius Patris memoria. ibid.
Tranſlatio quo anno facta? ibid.

*Ceraſum.*

Ceraſi topographia. 592
Quo nomine vocitetur hodie. ibid.
Quid ſcriptores. ibid.

*Ceres.*

Menſis Auguſtus ſub tutela Cereris, & quare. 321
Ceres ſpicis coronata. 322
Mundus Cereris quo die pateret. 330
Quis dictus Mundus Cereris. ibid.
Quæ hoc die agere fas erat. ibid.
Aræ Cereris, & Opis Dearum. 325

*Chriſtoforus & Socij.*

De iis Martyrologia. 513
Quid Scriptores. ibid.
Acta SS. Chriſtophori & Leouigildi. ibid.
Origo & inſtitutum. ibid.
Iudici teſtimonium fidei reddit. ibid.
Leuigildi origo. ibid.
Monachus, quo loco? ibid.
A S. Eulogio informatur ad agonem. ibid.
Coronantur. ibid.
Sepeliuntur. 514
An Monachus apud Iliberim Leouigildus? ibid.

*Concordia.*

De ea Martyrologia. 468. *ſecundò.*

*Conſualia.*

Conſualia ſacra quæ? 328

*Certamen.*

Equeſtria certamina in honorem Neptuni per Romulum inſtituta. 327
Certamen equeſtre apud Romanos ob conſecrationem Templi Martis equeſtris. 322

*Creſcentius.*

De eo Martyrologia. 472
Acta S. Creſcentij pueri Martyris. ibid.
Parentes & origo. ibid.
Romam defertur. ibid.
Cæcam illuminat. ibid.
Coronatur. ibid.
Tranſlatio corporis. ibid.
De tranſlatione ad Hiſpaniam. ibid.

D.

*Diana.*

Feſta quotannis repetita in honorem Dianæ. 326
Vota fœminarum in Templo Dianæ quibus ſoluerentur. ibid.
Veneratores etiam cum facibus, & canibus hiſce ſacris intererant. 327
Ipſa Diana hæc ſacra obſeruabat. ibid.

*Dominicus Ordinis Prædicatorum Fundator.*

S. Dominici origo. 357
Qui in orbe regnabant. 358
Parentes. ibid.
Fratres. ibid.
Nomen & eius cauſa. ibid.
Vaticinia de S. Dominico in vtero, & nato. ibid.
Studium virtutis & Literarum. ibid.
Quanta eius miſericordia. ibid.
Caſtitas. 359
Archidiaconus Vxamenſis fit. ibid.
Euangelium cœpit prædicare. ibid.
Lectioni ſpirituali inſiſtebat. ibid.
Hæreſis Albigenſium. ibid.
Hoſpitem hæreticum conuertit. ibid.
S. Viri conſilio naſcitur S. Ludouicus Rex. 360
Bellum aduerſus hæreticos mouet. ibidem.
Igne Catholica Fides probatur. ibid.
Virginum pauperum Monaſterium conſtruxit. ibid.
S. Didacus Vxamenſis moritur. ibid.
Centum millia hæreticorum conuertit. 361
Inquiſitor nominatur à Papa. ibid.
Victoria de hæreticis precibus S. Viri. ib.
Exercitia pietatis pro & contra hæreticos vſurpata. ibid.
Ordinem meditatur. ibid.
Concilium Lateranenſe indicitur. ibid.
Confirmatur ordo cæleſti viſione. 362
Toloſæ primum conuentum extruxit. ibidem.
SS. Dominicus & Franciſcus iram Dei placant. ibid.
Apparuerunt SS. Apoſtoli Petrus & Paulus. ibid.
Toloſam repedat. ibid.
Abbatem in ordine eligit qui primus & vltimus fuit. ibid.
Romam iterum pergit. 363
Moniales ibidem diſperſas colligit. ibid.
Sacrificans è terrâ eleuatur. ibid.
Iuuenem mortuum ſuſcitat. ibid.
Primum Virginum Monaſterium Romæ. ibid.
Habitus fotma & color à Deipara reuelatur. ibid.
Magiſter Sacri Palatii S. Vir fuit primus. 364
Segobiæ in Hiſpania prædicat. ibid.
Itidem Madridij. ibid.
Pontifex gratias agit pro beneficiis S. Viro cumulatis. ibid.
Toloſam repetit. ibid.
Inde Pariſios. ibid.
Poſt Bononiam. ibid.
Tertiam regulam inſtituit. ibid.
Capitulum I. Ordinis Bononiæ celebrat. 365
Infirmatur. ibid.
Suprema S. Viri ad Domeſticos oratio. ibidem.
Virginitatem laudat. ibid.
Sepulturam inter defunctos fratres expetit. ibid.
Eius humilitas & prudentia. ibid.
Moritur. 366
Sepelitur. ibid.
Miraculis illuſtratur. ibid.
Refertur in Albo Sanctorum. ibid.
S. Dominici forma & ſtatura. ibid.
Honorius Papa ſcribit ad Madridenſes & Segobienſes ciues. ibid.
Cur Prouincia Hiſpaniæ primatum teneat in ordine Prædicatorum? 367
An fuerit primus Inquiſitor aduerſus hæreticos? ibid.
Ciſtercienſium opinio ſummarie refertur. ibid.
Prædicatores olim in Hiſpania inquiſitores. ibid.
Et hodie vnus in ſupremo conſilio admittitur. ibid.
Cur tutela officialium S. Inquiſitionis, non tribuatur Dominico? 368
Officium in Hiſpania. ibid.
Hymni ad veſperas & matutinum. ibid.
Hymnus ad Laudes. 369
Monaſteria Monialium in Hiſpania quot. ibid.
Monaſteriorum ordinis S. Dominici per Hiſpanias extructorum Cathalogus. ibid
Quot Martyres Hiſpani ex hac familia? 381
SS. Confeſſores? ibid.
BB. Confeſſores? ibid.
Diuerſorum munerum officiis fungentes? ibid.
Quot toto orbe Viri illuſtres? ibid.
Quot Prouinciæ Cœnobia & religioſi? ib.
Auctores qui materiam Monaſteriorum & Virorum Illuſtrium tractarunt. 382

*Dominicus Abbas.*

Origo. 385

Mundi illecebras reſpuit. ibid.
Monachum induit. ibid.
Fit Abbas. 386
Virtutes in dignitate. ibid.
Moritur. ibid.
Verus Dies Mortis S. Abbatis. ibid.
De eo Carmen. ibid.
In ſanctorum numerum relatus. ibid.

*Dominicus Vallenſis.*

Quid Scriptores. 625
De eo carmen. ibid.
Acta S. Dominici Vallenſis. 629
Nomen & origo. ibid.
Parentes & ſtudia. ibid.
Rapitur à Iudæis. ibid.
Crucifigitur. ibid.
Corpus occulitur. ibid.
Lumina cæleſtia ſupra corpus viſuntur. ibid.
Inuenitur & tranſfertur. ibid.
Apparatus in Tranſlatione. ibid.
Collocatur in ſede Cæſaraugustana. ibid.
Cultus S. Martyri exhibitus. 630
De eo collecta & Antiph. ibid.
Antiquum Epitaphium. ibid.
Dies martyrij & Annus. ibid.

E.

*Eudaldus.*

QVid ſcriptores. 425
Acta Tranſlationis exuuiarum S. Eudaldi Martyris. ibid.
Tempus primæ tranſlationis. ibid.
S. Martyr apparet Abbati. ibid.
De Tranſlatione tractatur. ibid.
Miracula Spectant & fruuntur. ibid.
Exequitur tranſlatio. ibid.
S. Martyr à plaga liberat deuotos. ibid.
Perficitur baſilica Martyris. 426

*Eleazarus.*

De eo Martyrologia. 555
Quid ſcriptores. ibid.
Acta SS. Eleazari & octo filiorum martyrum. ibid.
Origo. ibid.
Archiſynagogus eligitur. ibid.
Christum agnouit. ibid.
Eius virtutes. ibid.
Synagogæ Toletanæ præſcribit non eſſe conſentiendum cum Phariſæis in Christi morte. 556
Synagoga Toletana reſiſtit Christi occiſioni. ibid.
Diſcipulos Christi admittendos credit. ibid.
Eleazarus conuertitur & baptizatur à Petro. ibid.
Hiſpaniam repedat & filios tinxit. ibid.
Capitur & Coronatur. ibid.
An Hebræi in Hiſpanias venerint. ibid.
An Toletum? ibid.
An in hac vrbe Synagoga? 557
An hæc conſenſerit in Christi morte. ibid.
An Eleazarus Archiſynagogus Toletanus. 558
Error apud Gallos ſcriptores. ibid.
An eius Iuſſione Paulus baptizatus. ibid.

*Euphemia.*

De ea Martyrologia. 413
Quid ſcriptores. ibid.
Verba Seruandi & Idaci. ibid.
Acta Tranſlationis corporis S. Euphemiæ. 414
Nouem Sororum Parentes. ibid.
Martyrium. ibid.
Euphemiæ paſſio & ſepulchrum. ibid.
Puella manum Virginis cum annulo vidit. ibid.
Muta fit. ibid.
Reſtituitur puellæ loquela. ibid.
Vox è cœlo audita. ibid.
Transferuntur lipſana. ibid.
D. Gregorius Lobariñas ſcripſit de SS. Gallæciæ. ibid.
Annulus febricitantes ſanat. 415

F.

*Fabius Maximus.*

FAbij Maximi de Samnitibus triumphus olim celebris apud Romanos. 322

*Fabritianus.*

Vide *Philibertus.*

*Famianus.*

Quare inter Diuos Hiſpaniæ ponitur. 418
De eo Martyrologia. ibid.
Acta ipſius. 419
Nomen. ibid.
Origo. ibid.
Viſitat loca ſancta Italiæ. ibid.
Gallæciam venit. ibid.
Apoſtoli corpus viſitat. ibid.
Vrſariæ Monaſterium celebre. ibid.
Fit Monachus in Vrſaria. ibid.
Ieroſolymam contendit. ibid.
Gallæciam reuertitur. ibid.
Romam proficiſcitur. ibid.
Gallæciam præcepto Apoſtolorum pergit. 420.
Fontem è ſaxo elicit ibid.
Vrbem ingreditur. ibid.
Infirmatur. ibid.
Mortem ſuam prædixit. ibid.
Locum ſepulturæ eligit. ibid.
Hoſpitem à Nephitride ſanat. ibid.
Moritur. ibid.
Sepelitur. ibid.
Miracula in obitu. ibid.
Poſt obitum. 421
Fama creuit miraculorum. ibid.
Adſcribitur numero Sanctorum. ibid.
Indulgentiæ à SS. PP. conceſſæ. ibid.

*Feliciſſimus.*

De eo Martyrologia. 411

*Feliciſſima.*

Vide, *Gracilianus.*

*Felix.*

Diuerſitas inter duos Felices Gerundenſes. 332
Hæc diuerſitas etiam ex Martyrologiis vetuſtis, & recentioribus. ibid.
Quid ſenſerint Scriptores. ibid.
De hoc S. Felice vetuſta Hiſpaniæ Breuiaria. ibid.
Error Beuteri, & aliorum refellitur. ibid.
Eiuſdem S. Felicis Gerundenſium Doctoris origo. 333
Hiſpaniam pergit amore martyrij. ibid.
Gerundæ prædicat. ibid.
Pro fide capitur, & torquetur. ibid.
S. Felicis victoriâ animantur Christiani aduerſus Datiani ſæuitiam. ibid.
Felix excoriatur, & ſuſpenditur. ibid.
Voces Angelorum in carcere. ibid.
In mare merſus Angelico præſidio liberatur. ibid.
Glorioſum eiuſdem martyrium. ibid.
Hymnus de S. Felice. 334
Reccaredi Regis oblatio ad S. Martyrem. 335
Nonniti Epiſcopi deuotio. ibid.
Miraculum de quodam latrone Eccleſiam S. Martyris ſpoliante, ab ipſo Martyre emendato. ibid.
Reliquiæ aliquæ apud Narbonam. ibid.
Diploma quo probatur exiſtentia corporis apud Gerundam. ibid.
Scribendi vſus in foliis arborum. ibid.
An palmarum an Maluarum. ibid.
Forma Structuræ in diplomate. 336
Caput martyris vbi adſeruetur. ibid.
Quo mari merſus martyr. ibid.
Socij S. Felicis Doctoris martyris Gerundenſis. ibid.
Probatur S. Romani Societas cum Felice. ibid.
Eius Eccleſiæ in Cathalonia. ibid.
Eius martyrium in Cruce conſummatum 337
S. Maximi Socij S. Felicis memoria: ibidem.
Error R. Caro. ibid.
Scriptores. ibid.

*Feſtiuitas.*

Cur decima-quinta die menſis Auguſti nulla feſtiuitas apud Gentiles. 327

*Flauius Rutilius.*

Tertuliani encomium de Martyre. 339
De eo Martyrologia. ibid.
Quid Scriptores. 340
Eiuſdem acta. ibid.
Origo. ibid.
Perſecutio. ibid.
Hiſpaniam adit. ibid.
Comprehenditur. ibid.
Cruciatur. ibid.
Coronatur. ibid.
Epigramma Cypriani. ibid.
De eo Martyrologia. 341
Quid Scriptores. ibid.
Breuiaria. ibid.
Acta per Synopſim ex Breuiario Carthaginenſi. ibid.

*Forum-Flauicanum.*

Fori-Flauicani Topographia. 560
Quo nomine hodie vocitetur. ibid.

G.

*Gaugericus.*

DE eo Martyrologia. 464
Acta illius. ibid.
Patria & Parentes. ibid.
Diaconus ordinatur. ibid.
Leproſum ſanat. ibid.
Epiſcopus eligitur. ibid.
Vinctos ſoluit. ibid.
Cæcum illuminat. 465
Pueros captiuos à ſeruitute liberat. ibid.
Obitus ſepultura & tranſlatio. ibid.
Vvitericus tranſtulit reliquias Helenam. ibid.
Errores in codice Hellecæ diluuntur. ibid.

*Geneſius.*

Geneſij Martyris Cordubenſis memoria cur hodie reponatur? 569
Quid Scriptores. ibid.
Aliquorum error detegitur. ibid.
Acta S. Geneſij. ibid.
Origo & militia. ibid.
Perſecutio. ibid.
Capitur. 570
Coronatur. ibid.
Pignorum tranſlatio. ibid.
Templum S. Geneſij Cordubenſe ſepultura Martyrum. ibid.

Tranſlatio

Tranſlatio exuuiarum Corduba Alacurrim. ibid.
Reædificatio templi S. Geneſij. 571

*Geruntius.*

Cultus apud Hiſpalenſes. 571
De eo Martyrologia. ibid.
Quid Scriptores. ibid.
Acta S. Geruntij. ibid.
Epiſcopus inauguratur. ibid.
Vrbes Bæticæ perluſtrat. ibid.
Capitur. ibid.
Cruciatur. ibid.
Coronatur. 572
Quo tempore occubuit. ibid.

*Granata.*

S Eccleſiæ Granatenſis dedicatio. 494
Illiberis eadem ac Granata. ibid.

*Gratia.*

Vide *Bernardus.*

*Gracilianus & Socij.*

Variæ Lectiones circa locum agonis martyrum. 457. *ſecundò.*
Vera Lectio, ſitus palæſtræ. ibid.
Acta SS. Graciliani & Feliciſſimæ martyrum. 458. *ſecundò.*
Origo. ibid.
Gracilianus baptizatur. ibid.
Comprehenditur. ibid.
Feliciſſima conuertitur. ibid.
Et capitur. ibid.
Coronantur. ibid.
Transferuntur. ibid.
Tranſlationis tempus & cauſa. ibid.
Et erroris in conſignatione vrbis. 459. *ſecundò.*

*Gualterus.*

Origo. 346
Diſcipulus S. Franciſci. ibid.
Luſitaniam venit. ibid.
Moritur. ibid.
Transfertur. ibid.
Epitaphium ſupra arcum tumuli. ibid.
Cuius ope tranſlatus. ibid.

*Gudila.*

De eo Martyrologia. 594
Quid Scriptores. ibid.
Acta S. Gudilæ. 595
Origo. ibid.
Archidiaconus Toletanus eligitur. ibid.
Monachum agere cupit. 596
Mores. ibid.
Moritur. ibid.
Cultus apud Toletanos datus olim. ibid.
Verus dies obitus. ibid.
Interfuit concilio XI. Toletano & ſubſcripſit. ibid.
Conditor Monaſterij S. Felicis. 597

H.

*Helena.*

VIde *Centolla.*

*Hercules.*

Hercules cuſtos magnus quis. 326

*Hiſpalis.*

Hiſpalis vrbs Hiſpaniæ à Cæſare capta. 325

*Honoratus.*

Martyrologia. 347
Corpus in Scurialenſi Cœnobio. ibid.
Diſceptatio de tempore paſſionis S. Seueri. ibid.
Dextri placito duos diuerſos fuiſſe Seueros probatur. 348
Cuiuſne corporis Tranſlatio hodie colatur. ibid.
Quid Scriptores. ibid.

I.

*Ioannes Sahaguntinenſis.*

ACta tranſlationis exuuiarum ipſius. 416
Deus locum ſepulchri honorat. ibid.
Fama inſignis miraculorum. ibid.
Pignora occultantur. ibid.
Transferuntur. ibid.
Quibus præſentibus. ibid.
Inuenitur corpus S. Viri. ibid.
Collocantur Reliquiæ. ibid.
Miracula patrantur. 417
Deuotionis affectus ægrotantium. ibid.
Miraculum. ibid.
Aliud Miraculum. ibid.
Item aliud Miraculum. ibid.

*Ioannes & Socij.*

De iis Scriptores. 617
Acta SS. Ioannis & Petri Martyrum Aragonenſium. ibid.
Eorum origo. ibid.
Coronantur. 618

*Iſabella.*

De ea Martyrologia. 623
Quid Scriptores. 624
Acta S. Iſabellæ Virginis. ibid.
Parentes. ibid.
Connubia recuſat. ibid.
Moritur. ibid.
Cultus. ibid.
Leo X. B. Virginem inter Beatos retulit. ibid.
Virginitatem ſeruare maluit quam deſponſari Principibus ſæculi. ibid.
Hiſpana fuit origine ex Blanca Matre. 625

*Iuſtus & Paſtor.*

Perſecutio. 398
Martyrum lætitia. ibid.
Accuſantur. ibid.
Martyrio ſe offerunt. ibid.
Confortantur ad inuicem. 399
Vnanimitas cordium martyrum. ibid.
Condemnantur. ibid.
Coronantur. ibid.
Sepeliuntur. ibid.
Miracula ad eorum ſepulchrum. ibid.
Concurſus fidelium ad eorum tumulos. 400
Gothorum aduentu eorum obliteratur memoria. ibid.
Corpora poſt B. Aſturius Serranus inuenit. ibid.
Sarracenorum aduentu in Gall. aduecta. ib.
Poſt ad Hiſpanias traducta. ibid.
Ad Oſcham miraculosè tranſlata. ibid.
Aliquot Reliquiæ transferuntur Complutum. ibid.
Parentes Martyrum qui? 401
Auus & patria. ibid.
A peregrinis viſitantur ſepulchra SS. Martyrum.
Illa inuenit B. Aſturius Serranus. ibid.
Ipſa S. Vrbicus in Galliam aduexit & inde in Hiſpaniam retulit. ibid.
Vltima Tranſlatio. ibid.
S. Martha minime fuit Amita SS. Martyrum. ibid.
Biuarij opinio reſpuitur. 402
Probatio. I. ibid.
Probatio II. ibid.
Probatio III. ibid.
Quo Anno paſſi. ibid.
De iis Martyrologia. ibid.
Quid Scriptores. 403

*Iulianus.*

De eo Martyrologia. 415
Acta. ibid.
Monialium error in dando officio. ibid.
Tranſlatio in Hiſpaniam. ibid.
Quid Scriptores. 416

*Iulius Cæſar.*

Iulij Cæſaris inſignes victoriæ; quo menſe obtigerint. 321
Primus eiuſdem Conſulatus. ibid.
Quo menſe natus. ibid.
Sextilem Auguſtũ nominauit, & quare. ibid.
Iulij Cæſaris victoria & triumphus de Hiſpania citeriori. 323
Hiſpalis ab eodem Cæſare capitur. 325

*Iulius Martyr.*

Acta S. Iulij Senatoris Martyris. 510
Officium. ibid.
Conuertitur. ibid.
Capitur. ibid.
Cruciatur, & coronatur. ibid.
Corpus in Hiſpaniam transfertur. ibid.

L.

*Laurentius.*

ELogium. 428
De eo Martyrologia. 429
Scriptores Eccleſiaſtici cæteri. ibid.
Chronographi exteri. ibid.
Scriptores & Chronographi Hiſpani. ibid.
Flores ſanctorum. 430
Poëtæ. ibid.
Carmen de S. Laurentio. ibid.
SS. Patres & concionatores. 451
Breuiaria edita exterarum Eccleſiarum. ibid.
MSS. Hiſpaniæ. ibid.
Acta S. Laurentij 452
Origo. ibid.
Archidiaconus Cæſarauguſtanus. ibid.
A Sixto Romam adducitur. ibid.
Et S. R. E. Diaconus ordinatur. ibid.
Eius fortitudo & conſtantia. ibid.
S. Sixtus ad B. Leuitam. ibid.
Inter pauperes diſtribuere theſauros cœpit. 453
Miracula. ibid.
Aliud Miraculum. ibid.
Diſtribuit inter pauperes Theſauros Eccleſiæ. ibid.
Cruciatur. ibid.
Flagellatur. 454
Plumbatis cæditur. ibid.
S. Romanus miles conuertitur. ibid.
Decollatur. ibid.
S. Laurentius genus ſuum fatetur. ibid.
Craticulæ ſuperponitur. ibid.
Conſtantia & fortitudo S. Martyris. ibid.
Satellitum defectio. 455
Coronatur. ibid.
Sepelitur. ibid.
Conſtantinus templum extruit. 456
Alia vbique templa. ibid.
Templum Scurialenſe Europæ miraculum ibid.
Origo S. Laurentij qualis? ibid.
Ex Oſca vrbe oriundus in Hiſpania. 457
An Archidiaconus Cæſarauguſtanus. ibid.
Cum S. Sixto Romam perrexit. ibid.
Archidiaconus. S. R. E. fuit. ibid.
Et Cardinalis Camerarius S. R. E. 458
Ex nobili familia Salazariorum exortus & procedens. ibid.
Martyrologia. ibid.
Scriptores. 459

# Index Rerum Notabilium.


*Leouigildus.*

Vide *Chriſtoforus.*

*Licerius.*

De eo Martyrologia. 592
Quid Scriptores, ibid.
Lanuzæ error. 593
S. Glycerius ſeu Licerius Conſueranenſis in Gallia Epiſcopus diuerſus ab Ilerdẽſi. ib.
Gloſſema in Iuliani Codice inductum diluitur. ibid.
Reſtituitur Locus Iuliani Toletani. ibid.
Acta S. Licerij. ibid.
Origo & ordo. ibid.
Eligitur Epiſcopus. 594
Ilerdam transfertur. ibid.
Moritur. ibid.
Paulatus Toletanus decreuit tranſlationem Eccleſiæ Carenſis ad Ilerdam. ibid.
Reliquiæ apud Zufariam. ibid.

*Lucius.*

S. Lucij I. Epiſcopi Barcinonenſis origo. 331
Eius memoria apud Martyrologia, & Scriptores. ibid.
Fit Epiſcopus. ibid.
Paulum viſitat Barcinone. ibid.
Pro Chriſti fide comprehenditur. ibid.
Poſt varios cruciatus martyrio coronatur. ibid.
Duo Lucij Epiſcopi Barcinonenſes. ibid.
Vtricalenſis Lucius diuerſus ab illis. 332
Necnon Aſturicenſis ciuis. ibid.
S. Lucij Aſturicenſis memoria in priſco lapide apud Tarraconem. ibid.

*Ludouicus Epiſcopus.*

Tranſlatio corporis S. Ludouici Epiſcopi Toloſani. 505
De ea Martyrologia. ibid.
Quid Scriptores. ibid.
Acta S. Ludouici Epiſcopi. ibid.
Parentes & origo Hiſpana. ibid.
Obſes datur cum duobus fratribus. ibid.
Pietas eius in Miſſam. 506
Caſtitas illibata. ibid.
Voto ſe conſecrauit Ordini Minorum. ib.
Fit Epiſcopus Toloſanus poſt votum ſolutum. ibid.
In Pauperes liberalis. ibid.
Ipſe Paupertatis amator. ibid.
Muneris exercitia. 507
Moritur. ibid.
Canonizatur. ibid.
Tranſlatio in Hiſpaniam. ibid.
An ex origine Hiſpana. ibid.
An Corpus tranſlatum Maſſilia Hiſpan. ib.
Quo anno expugnata Maſſilia ab Alphonſo Aragoniæ. ibid.
Alphonſi Aragoniæ conſtans deuotio. 508
Malacitanæ vrbis Patronus. ibid.
Statutum Malacitanum circa feſtum S. Ludouici. 509
Ferrarij lapſus. ibid.
Probatur error. ibid.
Eorum res geſtæ periere. ibid.

*Ludouicus Rex.*

De eo Martyrologia. 577
Quid Scriptores. 578
Acta S. Ludouici Galliæ Regis. ibid.
Origo & Parentes. ibid.
Coronatio. ibid.
Matris educatio. ibid.
Vxorem ducit. ibid.
Liberos piè inſtituit. ibid.
Eius exercitia quotidiana. ibid.
Veſtes pretioſas deſpexit. 579
Cruce ſignatus in expeditionem Syriæ perrexit. ibid.
Capitur. ibid.
Corpora fœtida occiſorum ſepeliuit. ibid.
Galliam repetit. ibid.
Quæ ibidem faciebat. ibid.
Pietas in Deum, & Sanctorum Reliquias. ib.
Iterum expiditionem in Sarracenos ſuſcipit. 580
Ægrotat. ibid.
Moritur. ibid.
Monita filio præſcripta recenſentur. ibid.
Filius Blanchæ Alphonſi Caſtellæ Regis ſobolis. 582
Natus prece Virginis & operâ S. Dominici Patriarchæ. ibid.
Addictiſſimus fuit S. E. Toletanæ. ibid.
Epiſtola Regis ad Capitulũ Toletanũ. ibid.
Series Reliquiarũ Capitulo miſſarum. ibid.
Carmina & hymni ex Breuiario Toletano antiquo. 583
An ex Tertio Ordine Minorum? 586
Canonizatio facta per Bonifacium. ibid.
Moneta Regis Cuſa Antidotum aduerſus febres. ibid.

*Luna.*

Lunæ feriæ. 329
Earum ritus. ibid.

*Lupus.*

De eo Martyrologia. 559
Quid Scriptores. ibid.
Epitaphium. ibid.
Acta S. Lupi Martyris. ibid.
Comprehenditur. ibid.
Coronatur. 560

M.

*Machoratus.*

Vide, *Peregrinus.*


*Maginus.*


*Maginus.*

De eo Martyrologia. 573
Quid Scriptores. ibid.
Acta S. Magini. ibid.
Nomen. ibid.
Locus natiuitatis. 574
Fit Eremita. ibid.
Locus deſcribitur. ibid.
Situs ſpeluncæ. ibid.
Perſecutio. ibid.
Hiſpaniam venit. ibid.
Fama Magini. 575
Capitur. ibid.
Conſtans reſponſio martyris. ibid.
Capite damnatur. 576
Extra vrbem ducitur ad ſupplicium. ibidem.
Oratio ad Chriſtum. ibid.
Fontem Satellitibus aperit. ibid.
Reuerſus ad ſpecum orat. 577
Coronatur. ibid.

*Mames.*

Eius memoria. 588
Vbi eius Reliquiæ. ibid.
Cultus in Tudenſi Diœceſi. ibid.

*Marcellus.*

An Marcellus Martyr in Syria. 471
An in Hiſpania. ibid.
Oſcitantia Biuarij. ibid.
Refellitur eius opinionis figmentum. ibidem.
Marcellus Epiſcopus Telenſis in Hiſpania. 472
Tela quæ vrbs. ibid.

*B. V. Mariæ Aſſumptio.*

Varia nomina huic feſtiuitati attributa. 473
Vſuardi & Adonis lapſus. ibid.
Scriptores Græci. 474
Latini. ibid.
An virgo mortem obiit. ibid.
Collyridiani hæretici reſpuuntur. ibid.
Quo modo obiit. ibid.
Reiicitur opinatio aliquorum eam per martyrium ſublatam dicentium. An cum dolore obierit. ibid.
Quo eius ætatis, & Dominicæ natiuitatis anno obierit? ibid.
I. Opinio. ibid.
II. Opinio. 475
III. Opinio. ibid.
IV. Opinio. ibid.
V. Opinio. ibid.
VI. Opinio. ibid.
VII. Opinio. ibid.
VIII. Opinio. ibid.
An Apoſtoli morti B. V. interfuerint. ibid.
Iacobus Apoſtolus Hiſpaniarum etiam in ſpiritu interfuit. 476
An in corpore & anima aſſumpta fuerit? ibid.
I. Opinio. ibid.
II. Opinio ſequenda. ibid.
Alias temerarium erit. ibid.
Rhithmus de B. Virgine. 477
Quo die poſt mortem aſſumpta eſt. 478
I. Opinio. ibid.
II. Opinio. ibid.
III. Opinio. ibid.
IV. Opinio verior. 479
Acta Dormitionis & Aſſumptionis B. V. Mariæ. 480
Gabriel miſſus ad Virginem. ibid.
Gabrielis oratio. ibid.
Virginis placitum. ibid.
Virgo mortem ſuam refert cognatis. 481
Diſcipuli morti eius adſunt. ibid.
Chriſtus & Angeli adſunt quoque. ibid.
Virgo in manus Filij tradit ſpiritum. ibid.
Melodia Cœleſtium ſpirituum. ibid.
Corporis & oris Candor poſt obitum. ibidem.
Petrus in exequiis prædicat. ibid.
Funeralis pompa diſponitur. ibid.
Corpus ſepulturæ traditur. 482
Chriſtus apud ſepulchrum Matrem ſuſcitauit. ibid.
In cœlos corpore & animâ aſſumitur. ibidem.
Quo tempore hoc feſtum inſtitutum. ibid.
Quid in Hiſpania? ibid.
Breuiarij Iſidoriani Inlatio. ibid.
Poetarum encomia. 483
Coronatur in Cœlis. 485
V. Mariæ viſitatio, vide Viſitatio.

*Maximus & Socij.*

De eo Martyrologia. 564
Acta S. Maximi. ibid.
Sanctorum mirabilia. ibid.
Plures ab eis Conuerſi. ibid.
Coronantur. 565
Transferuntur. ibid.
An Pignora S. Maximi in Parma. ibid.

*Medicina.*

Medicinalia documenta Chytrei pro menſe Auguſto. 322
Carmen de ratione victus hoc eodem menſe. ibid.

*Memius.*

Memius & Manticus Sanctus vnus & idem. 383

Probatur pluribus remiſſiuè. ibid.
Colitur Memij nomine hoc die apud Gallos. ibid.
Et ſolo titulo Confeſſoris. ibid.
De eo Martyrologia. ibid.

*Memnon.*

Vide, *Seuerus*.

*Mundus.*

Quis dictus mundus Cereris. 330
Vide, *Ceres*.

N.

*Neptunus.*

EQueſtria certamina in honorem Neptuni inſtituta. 327

O.

*Octogeſa.*

EIus Topographia. 531
Blandenſes Martyres qui? 532
Diuerſi ab Vrgabonenſibus. ibid.
Et an iſti ſint in R. M. deſcripti? ibidem.

*Ope-Conſiua.*

Ope Conſiua dies, & Dea. 329
In ſacrario Veſtalium culta, & occulta. ibid.
Tutelaris Romanæ vrbis. ibid.

*Ordo Militaris.*

Ordines militares Hiſpaniæ ſub regula Ciſtercienſium. 520
Ordo Calatrauæ. ibid.
Inſtitutio. 521
Confirmatio. ibid.
Communicatio cum Ciſtercienſibus. ibidem.
Habitus. ibid.
Freyles quare dicti? ibid.
Magiſtri Generales ſacri Ordinis Calatrauenſis. ibid.
Ordo Alcantaræ. 523
Inſtitutio. ibid.
Confirmatio. ibid.
Regula. ibid.
Inſigne. 524
Mutatio Nominis & quare. ibid.
Magiſtri Generales Sacri ordinis Alcantarenſis. ibid.
Zalamea Prioratus Ordinis Alcantarenſis. 527
Priores & Vicarij Zalameæ. ibid.
Ordo Auiſij in Portugallia. 528
Ordo Monteſæ in valentia. ibid.
Ordo Chriſti in Luſitania. ibid.

*Oroſius.*

Qui de S. Oroſio ſcripſerint. 469. *ſecundò.*
Acta S. Pauli Oroſij. 470
Origo. ibid.
Vxorem duxit ex qua filium ſuſcepit. ibidem.
Romam conceſſit. ibid.
Presbyter fit. ibid.
Sepeliuit corpus S. Euſebij. ibid.
Moritur. ibid.
Sepelitur. ibid.
Quot Oroſij. ibid.
I. Oroſius quis? ibid.
II. Qualis. ibid.
III. Scriptor. 471
IV. Monachus. ibid.
Lapſus Ferrarij. ibid.

P.

*Paſtor.*

VIde *Iuſtus*.

*Palfuriana.*

Palfurianæ topographia. 577
Conditor. ibid.
Quo nomine vocitetur hodie. ibid.

*Palladius.*

Anamneſis per remiſſionem. 540

*Pelagius Epiſcopus.*

Quid Scriptores. 486
Acta S. Pelagij Confeſſoris. ibid.
Origo & familia. ibid.
Diaconus ordinatur. 487
Et Epiſcopus Legionenſis. ibid.
Eccleſia Legionenſis conſtruitur. ibid.
Reparatur. ibid.
Moritur S. Vir. ibid.
Epitaphium. ibid.
Computatio epitaphij apocrypha. ibid.

*Pelagius Monachus.*

De iis Martyrologia. 620
Acta SS. Pelagij, Arſenij, & Syluani. ibidem.
Comitis fernandi Gonſalui ſtrenuitas. ibidem.
Almanzor exercitum congregat. ibid.
Comes venationem aggreditur. ibid.
Tres inuenit Anachoretas. ibid.
Pelagium alloquitur. ibid.
Qui ei omnia euentura prædicit. ibidem.
Apertâ terrâ vnus Militum comitis deglutitur. 621
Vincit Comes Almanzorem. ibid.
Item Almanzor contra comitem vouit. ibid.
Arſenius & Syluanus comites Pelagij eius mortem comiti referunt. ibid.
Apparet Pelagius comiti & victoriam prædicit. 622
Iacobus Apoſtolus & Pelagius Monachus fugant Sarracenos. ibid.
SS. Feſta Dies. ibid.
Epitaphium. ibid.
Baronius à Gonono taxatur. ibid.
Coadiuuatur ſententia Gononi. ibid.
Tranſlatio SS. quo Die colitur. 623

*Peregrinus & Socij.*

De eis ſcriptores. 350
Epiſtolæ clauſula Andreæ Sauſſay. ibidem.
Acta SS. Martyrum. ibid.
Clodouæus in Hiſpanos bellum mouet. ib.
Soror Sanctorum rapitur. ibid.
Eam in Francia perquirunt. ibid.
Coronantur. ibid.
Proſequitur Sauſſay. ibid.
Officium Breuiarij Cœnomanenſis. 351
An Clodouæus magnus bellum in Hiſpania egerit? ibid.
Aduerſus Alaricum cum exercitu Narbonam venit. ibid.
Narbonenſis Prouincia an fuerit Hiſpaniæ pars? & quo ſenſu? ibid.
Narbonenſis Præſul interfuit Conciliis Toletanis. ibid.
An iſti SS. Martyres Hiſpani, an Galli? ibid.
Sed quo ſenſu dicendi Hiſpani? 352
Gallorum conuerſionis ad fidem tempus. ibid.
Non omnes ſimul conuerſi ſed paulatim ibid.
Frequens apud Gallos Virginum raptus. ibid.
Vt Regiâ & Canonicâ Lege prohibitus perhibeatur. ibid.
Etiam grauioribus pœnis inflictis. ibid.
Supplicium raptori Virginis à Deo credit inflictum. 353
Dies cultus apud Cœnomanos. ibid.
Sauſſay perſuaſio diluitur. ibid.
Quo Anno coronati. ibid.
Elogium. ibid.
Martyrologia. ibid.
Quid Scriptores. 354

*Perſæ.*

Perſarum clades. 323

*Petrus Vxamienſis.*

Origo & parentes. 342
Fit miles ibid.
Monachum induit. ibid.
Sahaguntinenſe Cœnobium reædificatur. ibid.
Cum aliis Petrus in Hiſpaniam venit. ibidem.
Mores in Monaſterio. ibid.
Toletana vrbs recipitur. ibid.
Bernardus, Archiepiſcopus conſtituitur. ibid.
Archidiaconus Toletanus creatur. ibidem.
Mores in officio. 343
Eligitur Epiſcopus Vxamenſis. ibid.
S. Viri exercitia in Epiſcopatu. ibid.
Iurium Eccleſiæ defenſor. ibid.
Miraculum. ibid.
Piſce ægrotum ſanat. ibid.
Quercus aquam profert. 344
Venit Toletum. ibid.
Infirmatur. ibid.
Moritur. ibid.
Sepelitur. ibid.
Epitaphium. ibid.
Error aliquorum circa originem. ibidem.
Erroris cauſa. 345
An habitum ſumpſerit apud Sahaguntinos. ibid.
Archidiaconus Toletanus. ibid.
Epiſcopus Vxamenſis. ibid.
Pernoctauit in Eccleſia S. Antonini. ibidem.
Dies obitus. ibid.
De eo Martyrologia. 346
Quid Scriptores. ibid.

*Philibertus.*

De eo Martyrologia. 543
Scriptores. ibid.
Acta SS. Philiberti & Fabritiani Martyrum. 544
Origo. ibid.
Patriam deſerunt. ibid.
Baſilicam conſtruunt. ibid.
Aſceterium formatur. ibid.
Perſecutio. ibid.
Coronantur. ibid.
Hymnus in feſto SS. Martyrum vetuſtus. ibid.

*Plebiſcitum.*

Plebiſcitum factum pro approbatione nominis menſis Auguſti. 321

*Porcarius.*

Duo Porcarij Cirinenſes origine Hiſpani. 461. *ſecundò.*
I. Inſtitutor S. Cæſarij Arelatenſis Epiſcopi. ibid.
II. Martyr de quo mentio in Martyrologiis. ibid.
De eo Scriptores. ibid.
Acta S. Porcarij Abbatis. ibid.
Eius origo. ibid.

Fit Monachus Lerinenſis. ibid.
Et Abbas. ibid.
Sarraceni Gallias deuaſtant. 462. *ſecundò*.
Et Cœnobium Lerinenſe. ibid.
Angelus apparet S. Viro. ibid.
Orat pro ſuis fratribus. ibid.
Annunciat Martyrium fratribus. ibid.
Vox de cœlo auditur. ibid.
Occultantur Reliquiæ, & imbecilles in Italiam mittuntur. ibid.
Sarraceni inſulam deuaſtant. 463. *ſecundò*.
Monachos cædunt. ibid.
Probatur origo Hiſpana. ibid.
Error in codice Moſſandri. ibid.

*Portunus.*

Portunalia Sacra cur, & quando inſtituta. 327.
Quis fuerit portunus cui hæ feriæ dedicarentur, remiſſiuè. ibid.

Q.

*Quadratus.*

Tres QVadrati Pontifices fuere. 427
I. Athenienſis Anno. 128. ibidem.
II. Vlienſis Anno 139. ibid.
III. Macedonicus ad Annum. 200. ibid.
Error Equilini. ibid.

R.

*Romani.*

ROmani ab Annibale ad Cannas miſerè trucidati. 322

*S. Romanus.*

De eo Martyrologia. 423
Acta S. Romani Militis. 424
Miles fuit. ibid.
Viſo Angelo conuertitur. ibid.
Baptiſmum recipere cupit. ibid.
Baptizatur. ibid.
Capitur. ibid.
Coronatur. ibid.
Templa in Hiſpania. 425

*Romulus.*

Romuli de Camerinis triumphus olim celebris apud Romanos, qua die. 322

S.

*Sabinæ.*

SAbinarum raptus quo die contigerit. 328

*Sacean.*

Feſtum Sacean apud Babylonios, quale? 327
Quale apud Perſas. ibid.
Huius feſti Etymon. 328

*Salaria.*

Eius Topographia. 459. *ſecundò*.
Vbi ſita. ibid.
De ea remiſſiuè. ibid.

*Salus Dea.*

Salutis Deæ ſacra. 323
Templum Salutis à quo conditum. ibidem.
Icon Salutis. ibid.

*Sampſon.*

De eo Martyrologia. 535
QuidScriptores. ibid.
Acta S. Sampſonis Abbatis. ibid.
Origo. ibid.
Fit Monachus. ibid.
Et Abbas. ibid.
Hoſtigeſij Epiſcopi Malacitani mores. ibid.
Sampſon Hoſtigeſij errores detegit. 536
Synodus Cordubenſis. ibid.
Quâ damnatur regula fidei Sampſonis. ibid.
Poſtmodum approbatur. ibid.
Hoſtigeſius vindictam ſumit. ibid.
Sampſon Apologium ſcripſit. ibid.
Eius fides probatur in concilio. ibid.
Moritur. ibid.
Sepelitur Tucci, & Epitaphium. ibid.
Corpus transfertur Toletum. ibid.
Quæ ſcripſerit opera. 537
Ex vrbe Corduba oriundus. ibid.
Hoſtigeſij controuerſia cum S. Abbate. ibid.
Synodus Cordubenſis. ibid.
Abſoluitur S. Abbas à Bonito Toletano. ibid.
Et à Iuliano Boniti ſucceſſore in Concilio Toletano. ibid.
Is forte Epiſcopus Cordubenſis de quo in actis. 538

*Secundinus.*

S. Secundini origo. 337
Italiam petit. ibid.
Familiaris Reginæ Longobardorum. ibidem.
Eius operâ gens iſta conuertitur. ibid.
Quæſita S. Viri ad B. Gregorium. ibid.
Theodelindæ Reginæ reſpondit Gregorius. 338
Munera mittit Gregorius Secundino. ibidem.
Moritur. ibid.
Origo probatur. ibid.
Familiaritas cum Theodelinda. ibid.
Dubia ſoluta à S. Gregorio. ibid.
Martyrologia. ibid.

*Seoris.*

Eius Topographia. 467. *ſecundò*.
Saria hodie vocatur. ibid.

*Serena.*

Serenorum familia Hiſpana fuit. 488
Martyrologia. ibid.
Quid Scriptores. ibid.
Acta S. Serenæ Auguſtæ. 489
Origo & Parentes. ibid.
Diocletiano copulatur vxor. ibid.
Chriſtum Deum fatetur & baptizatur ibid.
Suſanna ducitur ad Serenam. ibid.
Eius pignora condidit. ibid.
Moritur. ibid.
Filia Philippi & Serena Auguſtorum. ibidem.
An martyrio coronata. 490

*Seruus.*

Feriæ Seruorum vtriuſque ſexus, & earum ritus. 327
Quare indictæ. ibid.

*Seuerus.*

Acta Tranſlationis. 348
Martyrius Rex ægrotat. ibid.
Orat ad S. Seuerum. ibid.
Liberatur ab vlcere. ibid.
Tranſlationem S. Seueri deſiderat. ibidem.
Conſequitur. ibid.
Pignora Sacra Barcinonem transferuntur. 349
Dies & Annus. ibid.
Capſarum diuerſitas. ibid.

*S. Seuerus.*

De eo Martyrologia. 512
Iuliani opinio in aduerſariis reſpuitur. ibidem.
Annus Martyrij. ibid.

*Sextilis.*

Sextilis nomen vetuſtum menſis Auguſti. 321
Nominis mutationis cauſa. ibid.
Vide, *Auguſtus*.

*Sidonius Appollinaris.*

Celebris eius Memoria in Martyrologiis & Scriptoribus. 560
Acta S. Sidonij Appollinaris. ibid.
Origo. ibid.
Studia. ibid.
Militia. ibid.
Matrimonium. 561
Mores. ibid.
Exercitia. ibid.
Maioriano Aug. infenſus. ibid.
Poſt amicitiâ deuinctus. ibid.
Illi ſtatua erigitur. ibid.
Officia. ibid.
Quæ geſſit Romæ. 562
Amicis & Patriâ addictiſſimus. ibid.
Aruerniæ infulam induit. ibid.
In Epiſcopatu exercitia. ibid.
In Arianos ſæuitia. ibid.
A Gothis relegatur. ibid.
Vltio diuina in eius æmulos. 563
Moritur. ibid.
Pars corporis delata ad Hiſpaniam. ibidem.
Corporis aliquot exuuiæ Braccaram tranſlatæ. 564
Quis illas tranſtulit & quo anno. ibid.
Appollinaris Calabrienſis Martyris oſſa apud Vrros oppidum Portugalliæ. ibidem.

*Simplicianus.*

De eo Martyrologia. 490
Quid Scriptores. ibid.
Acta S. Simpliciani. 491
Origo. ibid.
S. R. E. Presbyter ordinatur. ibid.
Adiutor S. Ambr. datur. ibid.
Illi in ſede ſucceſſit. ibid.
Legatos Concilij Carthaginenſis excipit. ibid.
Ei SS. Patres aliqui libros dedicant. ibidem.
Moritur & ſepelitur. ibid.
An origine Hiſpanus. ibid.
Biuarij lapſus. ibid.
Concilium Toletanum S. Virum tanquam homopolum conſulit. 492

*Sixtus.*

De eo Martyrologia. 388
Quid ſenſerint Scriptores. ibid.
Acta S. Sixti. ibid.
Origo. ibid.
Pontificatum obtinet. ibid.
Hiſpaniam venit. 389
Capitur. ibid.
S. Laurentij ad Sixtum verba. ibid.
S. Sixti ad Laurentium reſponſio. ibid.
Idoli ſtatua corruit. ibid.
Coronatur. ibid.
Reliquiæ in Hiſpania. ibid.
Eius ſcripta. ibid.
An Sixtus Hiſpanias adierit & cuius cauſa 390
Dextri locus corruptus reſtituitur. ibidem.
Reſolutio ex Dextro & SS. Vincentio. ibid.
Reliquiæ S. Sixti PP. in Hiſpania. 391
De eo Martyrologia. ibid.

# Index Rerum Notabilium.


Acta per ſinopſim. ibid.
Martyrologia. ibid.
Scriptores. ibid.
Poëtæ. ibid.
Carmen. 392
Breuiaria. 397
Legendaria & Flor. SS. Hiſpan. 398

*Spes Dea.*

Spei deæ ſacra in olitorio foro per Romanos olim celebrata. 322. & 323
Templum Spei Deæ conſtructum in foro olitorio. 323
Aliud Templum iuxta Tyberim. ibid.
Eiuſdem effigies. ibid.
Hæc inter homines remanſit cæteris ſororibus in cœlum fugientibus. 324

*Stephanus Abbas.*

Carmen. 403
Acta SS. Stephani Abbatis & aliorum ducentorum Monachorum. 404
Zepha Rex Arabum Chriſtianos affligit. ibid.
Et Monaſterium Karadignenſe. ibid.
Stephanus Abbas Monachos exhortatur ad agonem. ibid.
Monachorum conſtantia. ibid.
Coronantur à Sarracenis. 405
Miraculum de ſanguine Martyrum clauſtrum purpuraſcente. ibid.
Eorum memoria à Sede Apoſtolica culta. ibid.
Error Ciaconij & Surij. ibid.
Annus paſſionis quis? ibid.
Annus pro Era & è contra ſæpe accipitur. ibid.
Abbas Binominis fuit. ibid.
Hymni Benedicti Arias Montani. ibidem.
Notatio ad Hymnum. 406
Mens Enthea quæ. ibid.
Nomades quæ. 407
Cephas dictus Petrus. ibid.
Cardiacus quid? ibid.
Euthanaſia quid? ibid.
Euthymia quid? 408
* Amicorum Amicus. ibid.
* Ab omnibus laudatus. ibid.
Hymni. ibid.
Adorei Campi qui?
Chriſolampides lapides qui? ibid.
Huius Cœnobij encomia. 410
Martyrologia & Scriptores. ibid.

*Stephanus Martyr Romanus.*

De eo Martyrologia. 411
Tranſlatio in Hiſpaniam. 412

*Suſanna.*

De ea Martyrologia. 460
Quid de eadem Scriptores. 461
Acta S. Suſannæ. ibid.
Origo & proſapia. ibid.
Pulchritudo & diſcretio. ibid.
A Diocletiano Imp. poſtulatur Nurus. ibid.
Virgo nuptias reſpuit. ibid.
Conſtantia ſpiritus. ibid.
Iterum de nuptiis Virginis tractatur. ibidem.
Suſanna oſculum conſanguinei Idololatræ recuſat. 462
Pro eius ſalute ſupplicat. ibid.
Conuertitur Claudius cum tota domo. ibid.
Et Maximus eius frater. ibid.
Coronantur. ibid.
Carceratur Suſanna & traditur Serenæ. ibid.
Ad Patris domum reducitur. ibid.
Ab Angelo cuſtoditur. ibid.
Iouis Simulachrum diſperditur. 463
Suſanna verberatur. ibid.
Coronatur. ibid.
Sepelitur. ibid.
De origine Hiſpana remiſſiue. ibid.
Varij ſalutationis ritus. ibid.
Oſculatio qua ex cauſa introducta. ibidem.
Mulieres à vini vſu interdictæ & quare. ibid.

*Syluanus.*

Vide, *Pelagius.*

T.

*Titus.*

De eo Martyrologia. 492
Quid Scriptores. ibid.
S. Euphemiæ Tranſlatio ſecunda. 493
De ea Scriptores. ibid.
Huius Tranſlationis ſeries ex Petro Seguino. ibid.
Et ex Breuiario Aurienſi. ibid.

*Trajanus.*

Trajani mors. 325
Eius encomium. 326

*Tyburtius.*

De eo Martyrologia. 465
Quid Scriptores. ibid.
Acta ipſius. ibid.
Origo. ibid.
Accuſatur. 466
Torquetur. ibid.
Coronatur. ibid.
Reli

Reliquiarum pars apud Parmam. ibid.
Pars in Eccleſia Arelatenſi in Cathalonia. ibid.

V.

*Venator.*

Venatricia ſacra in honorem Dianæ à venatoribus indicta. 328
Venatores cum facibus, & canibus Dianæ ſacris intererant. 327

*Victoria.*

Victoria Marathonia apud Græcos celebris. 324
Victoriæ Græcorum. 327

*Victoria Dea.*

Victoriæ Deæ feſta. 323
Ædium Victoriæ Deæ dedicatio. 329
Victoriæ Icon. 323

*Victor.*

De eo Martyrologia. 588
Quid Scriptores. ibid.
Acta S. Victoris. 589
Præfatio. ibid.
Origo. ibid.
Fit Presbyter. ibid.
Et eremita. ibid.
Obſidetur oppidum. ibid.
Angelus apparet Victori. ibid.
In Maurorum Caſtra venit. 590
Plures Chriſto lucri facit. ibid.
Septem feminas liberat. ibid.
Capitur. ibid.
Capite damnatur. ibid.
Crucifigitur. 591
Iugulatur. ibid.
Caput Manibus defert. ibid.
Sepelitur & poſtmodum transfertur. ibidem.
Epitaphium. ibid.
Quo Anno paſſus. 592

*Vildefridus.*

Quid Scriptores. 534
Sedes Epiſcopalis Octogenſis hactenus ignota. ibid.

*Vigilia.*

Vigiliæ quid? 426
Vigiliæ Gentilium Cereri quæ? ibid.
Chriſtianorum Chriſto & martyribus quæ? ibid.
Ab Apoſtolorum temporibus ortæ. ibidem.
Lucernariæ preces quæ? ibid.
Vigiliarum forma & vſus. ibid.
An prohibitæ, & quare? 427
Martyrologia. ibid.
Quare præ cæteris SS. Martyribus agantur vigiliæ S. Laurentij. ibid.
I. Ratio. ibid.
II. Ratio. ibid.
III. Ratio. ibid.

*Vinalia.*

Vinalia Secunda Ioui ſacra. 328
Cur dicta Ruſtica. ibid.
Qualis differentia horum feſtorum. ibid.

*Vincentius Martyr Romanus.*

Acta illius. 586
Pietas. ibid.
Comprehenditur. 587
Torquetur. ibid.
Coronatur. ibid.
Tranſlatio. ibid.

*Vincentius, & Socij.*

De iis Martyrologia. 529
Quid Scriptores. ibid.
Giennenſium Scriptorum circa Chronographiam vera aſſertio. 530
Circa diem agonis erat cum aliis diuis commixtione error ſupinus. ibid.
Probatur I. ibid.
Probatur II. ibid.
Reſpondetur inſtantiis eorum I. ibid.
Reſpondetur II. ibid.
Reſpondetur III. ibid.
Acta SS. Vincentij & Iuliani Martyrum. 531
Origo. ibid.
Virtutes. ibid.
Perſecutio. ibid.
Coronantur. ibid.
Kalenda SS. Giennenſium corrigenda eſt. ibid.

*Vincentianus.*

Vide, *Peregrinus.*

*Vlia.*

Illius topographia. 535
Huius ciuitatis ſitus. ibid.
Celebris inſcriptio. ibid.
Hodie dicitur Monte-Maior. ibid.

*Volturnus.*

Volturnus, & Volturna dij Etruſcorum. 329
Volturnalia ſacra quæ? ibid.

*Vrbicius.*

Origo. 410
In captiuitatem incidit. ibid.
A captiuitate ſoluitur. ibid.
Fit Monachus. ibid.
Hiſpaniam venit Eremita. ibid.
In Eremo exercitia. 411
Ad Epiſcopatus apicem aſcendit. ibidem.
Coronatur. ibid.
A quo

A quo habitum ſuſcepit. ibid.
Error Domenec. ibid.
Ferrarij lapſus. ibid.
Martyrologia. ibid.

*Vrſaria.*

Vrſariæ Topographia. 422
Vrſariæ Cœnobium celebre. ibid.
Ab Alphonſo VIII. Caſtellæ Rege conditum. ibid.
Hodie Oſſera dicitur. ibid.
Vbi ſitum. ibid.
Vrſariæ domus filia Claræ-Vallis. ibid.

*Vulcanus.*

Vulcano ſacer dies, & ater. 330
Vulcanalia ſacra quæ. 329

Z.

Zalamea, Prioratus Ordinis Alcantarenſis. 527
Zalameæ Vicarij & Priores recenſentur. ibid.

*FINIS.*